MONSIEUR. Ayant eſté adverti par les noſtres qui ſont à Paris, d'un certain rapport qu'on vous auroit faict de nous touchant le jugement de voſtre Hiſtoire, j'ay penſé que mon devoir me donnoit droict & contraint de vous eſclaircir de la verité pour voſtre contentement & noſtre deſcharge, & vous aſſeurer que perſonne de nous n'a ni procuré ni penſé de procurer aucune Cenſure de voſtre œuvre, & que ce qu'on en a faict a eſté à noſtre deſceu, auſſi bien que la Cenſure contre l'Arreſt de Chaſtel, que nous avons ignorées juſques à ce que Monſieur de Breves l'eut fait accommoder, de laquelle toutesfois on nous avoit chargé; tant eſt importune l'animoſité de nos adverſaires à nous mettre aux rangs en toute mauvaiſe lice, afin de nous rendre odieux à chacun. Ainſi de fraiſche datte & fraiſche menſonge, on a eſcrit par delà que nous avions fait cenſurer la Reſponſe du ſieur Coeffeteau au Roy d'Angleterre, qui eſt doublement contre la verité; car nous ne l'avons poinct faict, & de plus avons empeſché de le faire: mais il n'y a mal au monde que les Jeſuites ne faſſent à l'opinion de ceux qui nous ſont trop mauvais. Pour voſtre regard, Monſieur, je vous ſupplie de tenir comme choſe certaine que nous deſirons que vos œuvres ayent cours & credit ſelon leur merite, non ſeulement en France, mais par tout l'univers pour l'honneur de la France, & eſperons que noſtre deſir ſera facilement accomblé par voſtre prudence, qui pourra ſagement donner l'eſponge & la lime à ce qui aura pû offenſer, & s'adviſera touſjours de tenir bon la cauſe de Dieu & defendre à tout rencontre l'honneur de ſon Egliſe, ne donnant à perſonne cauſe legitime de mordre & meſdire. Vous aurez recompenſe de cet office devant Dieu & de l'honneur devant les hommes, & nous & toute la France aurons la joye de voſtre honneur & avec les peuples eſtrangers le profit de ce noble corps d'Hiſtoire, & la poſterité vous benira à jamais. Monſieur, nous vous deſirons affectueuſement ce bien & d'autres beaucoup plus grands, non ſeulement pour le rang que vous tenez entre les premiers officiers & colonnes de voſtre Eſtat & Monarchie, mais auſſi pour la glorieuſe memoire de feu M. De Thou voſtre tres honoré Pere, qui l'an 1564 ſeant premier Preſident en cette Cour ſouveraine, embraſſa & ſouſtint noſtre droit en vray pere & pilier de juſtice contre pluſieurs & puiſſants adverſaires, & s'aſſeurant cette Compagnie d'un eternel bienfaict l'obligea de prier Dieu pour luy & pour tous ceux qui luy appartiennent & vous honorer & ſervir qui eſtes ſon image. Nous vous honorons auſſi pour vos merites, & vous ſervirons d'un cœur franc, quand il vous plaira

plaira d'en faire l'eſſay: & ſi en mon particulier je vous puis eſtre utile en quelque choſe, je m'offre à vous avec l'eſtendue de toutes mes forces grandes & petites. Vous avez depuis peu de jours icy M. Ribere Docteur Medecin, qui vous eſt tres affectionné ſerviteur, & le teſmoignage qu'il m'a donné de voſtre vertu & des devotions de Madame, a renforcé ceſte ancienne affection envers vous pour me faire prier Dieu pour voſtre proſperité, & de ceux que vous aimez, juſques à ce que avec les prieres je puiſſe rendre mon tres humble ſervice; vous ſuppliant, Monſieur, de croire que tant que je vivray à Rome ou ailleurs, vous y aurez un tres humble & affectionné ſerviteur. Je vous baiſe tres humblement les mains.

De Rome ce 22 Juin 1610.

Par voſtre tres humble & tres affectionné ſerviteur,
RICHEOME.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

MONSIEUR. M'eſtant trouvé trois ou quatre fois en occaſion de parler de voſtre Hiſtoire avec le R. P. Richeome aſſiſtant Jeſuite, & luy ayant amplement fait entendre voſtre bonne intention, je puis dire en verité avoir cogneu en ce Pere un grand deſir de vous obliger, & voudroit trouver quelque moyen de corriger & moderer ce qui s'eſt paſſé à Rome dernierement ſur ce ſubject. Je luy ait dit & au Pere Laurin combien il eſtoit à propos pour le bien de la Chreſtienté, & pour leur Religion en particulier, de n'irriter pas ſi facilement un perſonnage de voſtre qualité, que tout le monde a en telle eſtime, & qui a ſi bien merité du public. Ces Peres aſſeurent qu'ils ne ſe ſont aucunement meſlés de ceſte Cenſure, & s'offrent d'employer tout leur pouvoir pour la faire caſſer: ce qu'ils ſe promettent de pouvoir faire. Si vous avez agreable, Monſieur, de m'eſcrire ſur ce ſubject voſtre volonté, & comment vous voudriez permettre qu'on retranchaſt quelques choſes, je taſcherois à vous ſervir icy, pendant que j'y ſuis: ce que je deſirerois de tout mon cœur. Le Pere Richeome me dit vous en avoir eſcrit. Vous ſuppliant trouver bon le zele que j'ay à voſtre ſervice, y eſtant en tant de façons obligé. Je ne vous eſcriray les nouvelles de Rome, tous les jours on forge de nouvelles menſonges; les Eſpagnols ſont en grande apprehenſion de ce qu'en France contre leur eſpoir on s'y gouverne bien, craignant infiniment que M. de Leſdiguieres n'entre en Italie. Priant Dieu, Monſieur, vous donner & à Madame & Meſſieurs vos enfants en ſanté longue & heureuſe vie.

De Rome le 23 Juin 1610.

Voſtre tres humble & tres obeiſſant ſerviteur,
RIBERE.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

MONSIEUR. Le deſir que j'ay toujours eu de vous teſmoigner par quelque effect ce que je vous ay declaré de bouche de mon affection, m'a fait rechercher les moyens de vous ſervir en l'occaſion de ce qui ſe traitte icy ſur le ſujet de voſtre Hiſtoire. Meſmes depuis qu'ayant appris voſtre intention par une voſtre lettre que le Pere Richeome m'a fait voir, j'ay creu que le deſir que j'ay reconnu au Pape de vous donner du contentement pourroit avoir plus facile ſuccés. Monſieur le Cardinal Bellarmin & quelques autres prendront la peine de voir s'il s'y pourra trouver l'expedient qu'ils recherchent volontiers ſur la propoſition que je leur en ay faite, & devant à ſa Sainctété; & m'eſtant chargé d'en faire l'eſſay, je l'ay deſja bien avancé. Cependant on m'a promis & aſſeuré qu'il ne s'eſtoit rien publié, ny ne ſeroit cy-aprés du jugement advenu ſur ladite Hiſtoire, qu'aprés l'advis que je vous en auray donné, qui ſera le pluſtoſt que je pourray, avec ſouhait de quelque plus agreable rencontre pour voſtre ſervice. Conſervez moy, s'il vous plaiſt, voſ-

tre ancienne bienveuillance, & obligez en uſant du pouvoir que vous avez en mon endroit. Je ſupplie noſtre Seigneur qu'il luy plaiſe vous donner, Monſieur, autant de contentement que vous en ſouhaite

à Rome le 13 Octob. 1610.

Voſtre tres affectionné à vous faire ſervice,
FR. CARDINAL DE LA ROCHEFOUCAULT.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

MONSIEUR. Je vous envoye le livre Arabic que je garde il y a long temps, avec quelques autres deſquels Monſieur de Villenoce s'eſt voulu charger. L'edition des Conciles s'eſt differée juſques vers Paſques, auquel temps je vous en garderay ce qui ſera preſt, ou le tout, excepté le premier que vous avez. J'ay baillé voſtre Hiſtoire au Sieur de Creil pour eſſayer de la reduire en eſtat qu'elle puiſſe aller par tout (le tout de voſtre gré & conſentement) ſi ſon aage & frequentes indiſpoſitions le luy permettent. Pleuſt à Dieu qu'il ſe preſentaſt meilleur ſujet, & à moy plus de pouvoir de vous faire connoiſtre l'affection que j'ay de vous ſervir & me continuer voſtre bienveuillance! Je le ſupplie qu'il luy plaiſe vous octroyer, Monſieur, l'heur que vous ſouhaite

à Rome le 29 Janvier [1].

Voſtre tres affectionné à vous ſervir,
FR. CARDINAL DE LA ROCHEFOUCAULT.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

MONSIEUR. Le Sieur Ribere m'ayant fait voir ce que vous luy eſcrivez ſur le ſubjet de celle que j'ay receuë, je l'ay jugé à propos pour vous faire voir ce que l'on voudroit eſtre changé ou oſté. Ce jugement n'a eſté fait à la haſte, & dés le commencement que je vis celles que vous aviez eſcrites au Pere Richeome, que ſur les huit livres premiers que j'ay fait bailler audit Sieur Ribere & peut ſervir de prejugé pour tout le reſte, ce peu de diſcours que j'ay eu avec luy y apportera quelque clarté: le tout avec le plaiſir de ma part de faire eſſay ſi je vous y pourray ſervir à voſtre contentement, & avec celuy que je recevray en toutes occaſions de me pouvoir employer en choſe qui vous ſoit agreable. Je n'ay encore receu celuy que l'on m'a dit que vous aviez pris la peine de m'envoyer; il ſera le bien venu. J'eſſayeray de recouvrer celuy que ledit Sieur Ribere m'a fait voir que vous deſiriez, en ayant eſté vendu deux depuis peu au lieu que je luy avois enſeigné, avec eſperance que l'on me donne de l'un. Je me promets, s'il vous plaiſt, la continuation de voſtre bienveuillance ſur la ſeule aſſeurance que je vous prie de prendre de ma bonne volonté; & ſupplie noſtre Seigneur qu'il luy plaiſe vous octroyer, Monſieur, l'heur que vous ſouhaite

à Rome le 21 de Mars.

Voſtre tres affectionné à vous faire ſervice,
FR. CARDINAL DE LA ROCHEFOUCAULT.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

MONSIEUR. J'ay reçû depuis deux jours les livres qu'il vous a pleu m'envoyer, deſquels je vous remercie de tres bon cœur. Je vous envoyay par le Sieur Ribere, qui partit d'icy il y a quelque temps, quelques cahyers ſur le ſujet que luy-meſme vous dira. Depuis ſon depart j'ay recouvré un Nouveau Teſtament en Ethiopien, qu'il m'avoit dit qu'euſſiez bien deſiré d'avoir. Je le vous envoyeray par la commodité du retour de Mr. de Barrault, que j'eſpere eſtre bien toſt, eſtant l'expedition qu'il pourſuit icy de ſon Eveſché en bon chemin. Cependant s'il ſe preſente icy quelque meilleure occaſion pour voſtre ſervice, je tiendray à honneur

NOT. [1] Sans date d'année.

honneur d'y eſtre pour vous employé, comme perſonne qui deſire ſe conſerver, Monſieur,

Voſtre tres affectionné à vous ſervir,
[1] Fr. Cardinal de la Rochefoucault.

Il y a icy un volume in folio du Nouveau Teſtament en Arabic, avec la traduction interlineaire Latine. S'il vous plaiſt je vous l'envoyeray avec l'autre, & en attendant voſtre reſponſe: la haſte ne m'a permis de vous faire la lettre entiere de ma main.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

Monsieur. J'ay enfin reçû l'œuvre de vos Hiſtoires par les mains du Seigneur Rocelaie, de quoy je me ſens obligé de vous faire le remerciement qui ſe peut par eſcrit, avec deſir qu'il ſe preſente occaſion de plus digne reconoiſſance du contentement & honneur que je reſſens de tout ce qui vient de voſtre part. J'attends, comme je vous ay mandé, le depart de Monſieur de Bazas, pour vous envoyer les quatre Evangeliſtes en Ethiopien, & voſtre reſponſe ſur celuy qui eſt en Arabic, s'il ſe trouve encore entre les mains de celuy qui l'avoit, comme il me l'a promis, & toutes ſortes de ſubjets de vous faire connoiſtre mon affection à voſtre ſervice. Je ſupplie noſtre Seigneur qu'il luy plaiſe vous octroyer, Monſieur, autant d'heur que vous en deſire

à Rome le 26 de May. Voſtre tres affectionné à vous faire ſervice,
Fr. Cardinal de la Rochefoucault.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

Monsieur. Depuis la voſtre du 7e de May, j'en ay reçû une du Sieur Ribere du 23 de Paris, qui vous aura repreſenté ce que nous traitaſmes icy ſur le ſujet de voſtre Hiſtoire. J'attends quelque bonne ouverture, pour mettre en plus de liberté un ſi bel œuvre, & vous faire connoiſtre le reſpect que l'on porte icy au rang & aux merites de l'autheur. Je me ſuis enquis de l'edition Βιβλίων πολυγλώσσων, meſme du P. Lorigny Jeſuite François, fort verſé en cette matiere; qui ne m'en a rien ſçeu apprendre, & croit n'y avoir rien imprimé ſous ce titre que la Bible royale d'Anvers. Bien a-t-on imprimé une Bible à Veniſe avecque ce titre Latin, *Biblia vulgat. edit. tranſl. ex Hebraeo, tranſlat. Rom. ex Septuag. & Chald. paraphr. tranſlat. congeſta.* Mais il n'y a que du Latin. Quant au 2e tome des Conciles, il eſt imprimé, mais la publication en eſt differée juſques à la fin du mois d'Aouſt prochain, auquel temps on aura les 4 entiers, & le 5e à la fin de Novembre. Suivant ce que vous m'en manderez, je vous les envoyeray. Et ne faites point, s'il vous plaiſt, de doute que toutes ſortes d'occaſions de vous ſervir & teſmoigner mon affection, ne ſoient receuës de moy avec l'honneur que je porte, & le deſir que j'ay de la conſervation de voſtre bienveuillance. Je ſupplie noſtre Seigneur qu'il luy plaiſe vous octroyer, Monſieur, l'heur que vous ſouhaite

à Rome le 23 de Juin. Voſtre tres affectionné à vous faire ſervice,
Fr. Cardinal de la Rochefoucault.

Ex MS. *A Monſieur De Thou.*

Monsieur. Je vous ay teſmoigné par pluſieurs lettres, & de bouche au Sieur Ribere pour vous le rapporter, le cas que l'on fait icy de voſtre qualité & merites, & le deſir de vous le faire connoiſtre ſur le ſujet duquel vous m'eſcrivez. Pour moy j'y ſuis porté par tant de conſiderations, que j'aurois juſte crainte d'eſtre

2

NOT. [1] Sans date.

d'eſtre tenu pour ſuſpect en cette matiere, ſi je ne jugeois ceux qui y peuvent, conjoints avec moy en ce deſſein. J'attends avec impatience l'aide qui s'y pourra apporter d'ailleurs ſur l'ouverture faite de voſtre part, & aucunement acheminée en l'eſſay qui vous en a eſté envoyé. Sur la plainte que vous faites de la forme de la Cenſure qui vous ſemble indefinie, & pluſtoſt contre la perſonne que contre vos Livres, aprés m'eſtre aſſez ſoigneuſement informé de ceux qui manient telles affaires, j'ay eſté aſſeuré qu'autre cenſure n'a eſté faite qui vous touche qu'en un feuillet imprimé, intitulé *Editto del Maeſtro del Sacro Palazzo*, où ſont ces mots *Jacobi Thuani Hiſtoriae:* lequel feuillet ne ſe vend point, eſt ſeulement affiché à la porte du Palais, & eſt renouvellé de temps en temps avec addition de livres nouvellement cenſurez; & que de ces feuillets, au bout de quelques années, quand on imprime l'Index des livres deffendus, on en prend ceux que l'on juge pour inſerer audit Index: que voſtre Hiſtoire n'a eſté inſerée en aucun Index, ny fait mention d'icelle en autre lieu ny autres termes que les ſuſdits. Quant audit feuillet, c'eſt choſe non permanente, & qui ne tombe en main que de ceux qui ſont icy, & de peu. Il y auroit plus de conſideration en l'edition nouvelle de l'Index, à quoi j'eſpere qu'il ſera pourvû, & il y a long temps que je m'y ſuis employé, comme je feray avec affection & obligation en tout ce qui vous touchera, & ſupplie noſtre Seigneur qu'il luy plaiſe vous octroyer, Monſieur, l'heur que vous ſouhaite

à Rome le 21 Juillet[1].

Voſtre tres affectionné à vous ſervir,
FR. CARDINAL DE LA ROCHEFOUCAULT.

Ex MS. *A Monſieur De Thou, Preſident au Parlement à Paris.*

MONSIEUR. Comme je me remettois ſur pied d'une petite maladie, qui m'a tenu environ un mois, & que j'eſperois de vous eſcrire ce qu'on auroit fait pour vous touchant l'affaire que vous ſçavez, eſt venu l'Arreſt du Parlement contre le Cardinal Bellarmin, qui a fort rejouï les ennemis de la France, cuidans avoir un fort juſte pretexte pour maltraitter & mal parler de cette Cour, & troubler le repos public, & autant meſcontente les François qui n'attendoyent pas en un tel temps une telle ſaillie, meſme contre ce Prelat trés amy de la France, & qui particulierement s'eſtoit employé pour vous d'affection: n'ayant ſon livre rien qui n'ait eſté pluſieurs fois imprimé tant à Paris qu'ailleurs par la France, & ayant parlé ſi modeſtement de la Puiſſance du Pape, qu'il ne tint pas à pluſieurs ennemis de noſtre Ordre que Sixte V ne fit cenſurer ſon livre ſur ce point, comme n'y ayant pas aſſez dict. Je crois, Monſieur, que ſi vous l'aviez leu que vous n'auriez trouvé autre doctrine que celle de l'Egliſe & des ſaints Conciles, tant de ceux qui ont eſté tenus en France qu'ailleurs, qui parlent de ce ſubject. Vous auriez veu auſſi les Docteurs qu'il allegue de toutes Nations, & je me perſuade que vous n'auriez pas tiré de cette doctrine des concluſions ſi pernicieuſes & ſi ſanglantes contre l'Eſtat & la perſonne des Rois, comme dict l'Arreſt. Je ſuis trés marri de ce coup, & voudrois pour bonne choſe qu'il n'euſt pas eſté donné, pour la crainte que j'ay que ce ne ſoit la ſemence de quelque Schiſme, & que cette Cour que j'honore n'en rapporte autant de blaſme, que la reputation du Cardinal & ſa doctrine eſt celebre par tout. Quelques uns ont dict, qu'on l'a ainſi traitté à cauſe qu'il eſt Jeſuite, veu qu'il y a des autheurs qui ſe vendent à Paris, comme par tout, qui en diſent plus que luy ſans comparaiſon, contre leſquels on ne dit rien. Si le rapport eſt vray, je ne m'en donne pas de peine. Je ſuis marri ſeulement que tout le mal qu'on nous vient faire, tombe pluſtoſt ſur le public que ſur nous, & que les ſervices que nous deſirons employer pour noſtre patrie ſoyent retardés par l'animoſité de quelques uns. On a eſcrit de par delà que vous aviez procuré un Arreſt contre ce bon Cardinal, offenſé de la Cenſure de voſtre Hiſtoire. Je ne le crois point, vous eſtimant ſeigneur de vertu & de conſcience,

NOT. [1] Sans date d'année.

ſcience, & qui ne voudroit pour ſon particulier nuire à la cauſe publique, & en ay dit ma creance au Cardinal, & ſupplié de croire que vous n'eſtiez point cauſe de cet Arreſt. Nos Peres de Paris m'eſcrivent que l'eſtabliſſement du College eſt retardé, & je le crois. Noſtre Pere General auſſi ne veut point qu'on inſiſte plus à ceſte pourſuitte; nous ſçavons que l'Univerſité ſe paſſera facilement de nos travaux, & l'on voit aſſez que nous n'aurons faute d'autres lieux pour les y employer. Les gens de bien nous ſçauront gré du deſir que nous avons monſtré de ſervir en particulier ceſte noble ville, où noſtre compagnie a pris ſa premiere naiſſance; & au ſurplus nous taſcherons de prendre en patience le mal qu'on dict de nous, & que l'on nous veut faire, ſi on le fait. Je vous ay eſcrit cecy, Monſieur, en confidence, invité & pouſſé de l'opinion que j'ay de voſtre vertu; & voſtre prudence voit ce qui eſt neceſſaire pour obvier aux maux à venir. Noſtre Pere General & tous tant que nous ſommes, auront ſoin de mettre la paix par tout. Je vous ſerviray en particulier de trés bon cœur, & verray ſi ce qui eſtoit commencé ſe pourra remettre à bien, que j'eſtimerois le meilleur que vous employaſſiez quelques Docteurs par delà, qui vous adviſaſſent de ce qu'ils eſtimeroient devoir eſtre limé en ceſte Hiſtoire. Cela vous ſeroit plus honorable, & crois que par deça ſeroit mieux venu. Je vous baiſe trés humblement les mains, & pour bonnes eſtrennes du nouvel An, je vous ſouhaite les benedictions du ciel & de la terre, & à toute voſtre famille.

De Rome le 2 Janvier 1611.

Par voſtre trés humble & obeiſſant ſerviteur,
RICHEOME.

L'AUTEUR du *Mercure François*, Tom. I. p. 376. edition de Paris 1611, 8vo. dit que " le Cardinal Bellarmin, qui eſtoit à Rome & premier de l'Inquiſition, " fut un des principaux à pourſuivre une cenſure de livres; & n'oublia à y faire " mettre tout ce qui avoit eſté faict contre les Jeſuites; dont l'Edit en fut publié " le neufieſme Novembre de ceſte année [1609.] & contenoit les Livres ſuivans." Voyez la Liſte dans l'Edit du Maître du Palais, cy-deſſus pag. 36.

Le même Auteur, ſans parler de M. de Thou en particulier, ajoûte, " Ceſte " cenſure a donné depuis ſubjet à beaucoup de perſonnes de parler: on en a fait " diverſes plaintes en France, & eſcrit qu'il la falloit lacerer à cauſe de l'Arreſt con- " tre Jean Chaſtel, qui y eſtoit inſeré: Arreſt digne d'eſtre regravé en lettres d'or " à la poſterité, pour donner crainte à tels Aſſaſſins. Bref, c'eſt vouloir faire " aveugle toute la France. Le grand mal qui eſt depuis advenu par tels maudits " Aſſaſſins, faict gemir tous les François de la perte de leur grand Roy." Voyez ſur ce ſujet M. Rigault *de Rebus Galliae, lib.* II. *pag.* 470.

Heic ſubjiciendam duximus cenſuram in primam partem, ſive XVIII *libros priores hiſtoriarum Thuani, Drouartianae editionis in* 2 *vol.* 8vo, *nomine cujuſdam A. Caraccioli Clerici regularis ſubſcriptam; quae a Chriſtophoro Puteano* (Du Puy) *Roma miſſa fuit auctori noſtro: qui in epiſtola ſua reſponſoria ad Puteanum,* XII *Februarii* 1606. *data, & ſupra in ſuo loco pag.* 12 *inſerta, haec, inter alia, de illa profert:*

J'AI reçû deux des voſtres —— enſemble les Notes de A. C. Elles ſont dignes de celuy tel que vous me le deſcrivez, & par le jugement de celuy auſſi denommé en voſtre lettre. —— J'ay tousjours penſé que l'on trouveroit ma Preface mauvaiſe par delà; mais que les plus prudents pour ceſte heure le diſſimuleroient; que cela ſeulement ſeroit cauſe qu'és autres choſes, leſquelles aiſement pouvoient eſtre paſſées, & l'euſſent été ſans cela, l'on ſe rendroit plus ſevere, ce que j'ay fort bien apperçu par les Notes du bon P. leſquelles ſont pour la pluſpart ridicules, mais je vois bien

 que

que l'on luy a laiſsé toucher là où il fait mal aux autres qui ne parlent point encore, c'eſt à dire, qui attendent avec grand deſir que pour le ſubjet de la Religion nous revenions encore aux mains & aux confuſions paſſées. —— J'ay mis les Notes és mains du bon homme P. M. qui en a ja verifié une partie, & s'en mocque; & dit que c'eſt autre choſe d'eſcrire au lieu d'où ſont venues les Notes, & principalement en l'Hiſtoire, & autre choſe d'eſcrire la verité des choſes paſſées en France, & au loing.

Ex MS. *Cenſura in Jacobi Thuani Hiſtoriam, Pariſienſis Editionis 1604.*[1]

Tomi primi Errata.

P*RAEFATIO locis aliquantulis corrigenda, ubi nimirum in juſtam Haereticorum punitionem invehitur et libertatem conſcientiae concedendam ſignificat, atque conceſſam in regno Franciae laudat.*

Ed. Drouart. Tom I. 8vo.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 7.	p. 8.	*Dele ea verba* —— muneris paſtoralis oblitus.
Ibid.	Ibid.	*Dele* —— in invidiam et odium ingratus ſenex vertit.
20.	15.	*Dele* —— et impuri patris.
21.	Ibid.	*Dele* —— quae odia eo evaſerunt, ut temere et injurioſe rex a pontifice proſcriptus.
Ibid.	16.	*Dele* —— moribundi ſenis inanis diras contraria obnuntiatione generoſe reviſerit, cuſo etiam Neapoli aureo nummo, qui effigiem ſuam ex una parte, et inſignia Neapolis ac Siciliae ex altera referebat, cum hoc elogio, PERDAM BABYLONIS NOMEN; quales adhuc hodie multi reperiuntur.
Ibid.	Ibid.	*Dele* —— nec in odio quod tam pertinaciter contra Helvetios exercuit.
25.	18.	*Dele* —— neque enim novum aut ſine exemplo eſſe apud nos regum eam poteſtatem fuiſſe, praecipue in prima et ſecunda familia, ut epiſcopos inſtituere, accedente provincialium epiſcoporum inauguratione, et aliquando etiam deponere poſſent. Id vero in eo, qui ipſe fratrum ſuffragiis eligatur, novum et minime ferendum fuiſſe, quod epiſcopos et alios praeſules eligendi poteſtatem iis, ad quos jure divino et ſacris patrum decretis pertinet, ademptam, ad ſe ſumma injuſtitia traxerit, ut eam, pretio accepto et cauſa religionis impia praevaricatione prodita, Chriſtiani orbis principibus turpiter divenderet. Peccatum tunc in ſacris muneribus diſpenſandis admiſſum Leo mox longe graviore cumulavit. Nam cum alioqui ad omnem licentiam ſponte ſua ferretur, Laurentii Puccii cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undique corrogaret, miſſis per omnia Chriſtiani orbis regna diplomatis omnium delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quiſque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias quaeſtores & aeraria ordinavit, quibus additi praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, et orationibus artificioſe compoſitis propoſitiſque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent. Quod licentioſe nimis a pontificiis miniſtris paſſim, atque in Germania praecipue, fiebat, ubi

NOT. [1] i. e. Editionis Drouartianae in 2 Vol. 8vo.

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. — Edit. Lond. Tom. I.

ubi qui redimendam pecuniam Romae a Pontifice conduxerant, per luſtra & popinas quotidie ſine pudore in aleae luſum uſuſque turpiſſimos poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant.

p. 31. p. 20. *Dele* —— cui inſidias neſaria fraude ſtruxerat.

36. 23. *Dele* —— Caeſar, ut injuriam ſibi a Clemente illatam ulciſceretur, nominis pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet, exemplo ab Hiſpanis ipſis poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis pontificii auctoritatem ad tempus conſervari.

63. 37. *Dele* —— Idem actum et poſtea Spirae, inſtantibus Proteſtantibus: quod unice reformidabat Clemens, qui quantum ex diſciplinae emendatione auctoritatis et ornamenti eccleſiae accederet, tantum de amplitudine et poteſtate ſua detrahi exiſtimabat. Tandem ab invito id extortum eſt, poſtquam, capta Florentia et dominatione Mediceae domus in ea ſtabilita, inſtanti Caeſari honeſte amplius denegare non potuit. Sed cum rem in longum miris ludificationibus extraheret, onus ſucceſſori reſervatum morte praeventus impoſuit.

78. 44. *Dele* —— quos mox ambitioſus et indulgens ſenex.

92. 52. *Dele* —— ita Rom. pontifex ab Imperatoribus primum creari aut conſtitui ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos principatus conſtituendi ad ſe paulatim traxit. Id circa annum Chriſti ↄↄccccxcvii accidit.

Ibid. Ibid. *Dele* —— ut non immerito Fr. Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo miratus ſit, quaenam iſta ſuperbia eſſet, principem Romanum publicae libertatis auctorem libertate privare, ut cujus eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus. In haec enim verba ad ipſum Carolum imperatorem ſcribens vir optimus et ſua aetate doctiſſimus prorupit.

194. 101. *Dele* —— augebat horrorem perverſa et praepoſtera judiciorum forma, quae contra naturalem aequitatem et omnem legitimum ordinem in juriſdictione illa explicanda obſervatur: tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem quicquid delegatis judicibus libebat, a miſeris et innocentibus reis, ut ſe cruciatibus eximerent, per vim extorquebatur; quo fiebat, ut non tam pietatis tuendae cauſa eam inventam dicerent, cui alia via ſatis ex antiqua eccleſiae diſciplina proſpectum eſſet, quam ut everſis iſta ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearetur.

203. 104. *Dele* —— princeps omnibus naturae donis cumulatiſſimus, et in quo, ſi in voluptates ſolutior non fuiſſet, nihil merito deſiderare poſſes: nam poſt divortium, niſi quod pontificiam auctoritatem execratus ſe caput eccleſiae conſtituit, nihil in religione mutavit, ſicut jam diximus, et epiſcopos fere bonos et doctos totis illis xiv annis, quibus ab Romana eccleſia ſe ſeparavit, in regno ordinavit, doctorum et literatorum fautor eximius.

206. 105. *Dele* —— Deſiderius Eraſmus, grande hujus ſaeculi decus.

210. 108. *Dele* —— nam Petrus Caſtellanus a nonnullis ex Sorbonicorum collegio jampridem infeſtorum, quod Robertum Stephanum doctiſſimum et peritiſſimum rei typographicae virum adverſus eos texiſſet, accuſatus eſt, quod in extrema oratione, quam in Franciſci funere habuit, ſperare atque perſuaſum

2 habere

Ed. Drouart. Tom. I. 8vo. Edit. Lond. Tom. I.

habere dixiſſet, regis animam, vita ſanctiſſime acta, ſimul atque e corpore exceſſiſſet, protinus coelo receptam eſſe, neque expiatoriis ullis ignibus eguiſſe; quaſi de tertio loco, ut ipſi aiebant, de quo tot nuper a Proteſtantibus controverſiae excitatae fuerant, addubitaſſet: eamque ob cauſam quoſdam e ſuo numero ad regem delegarunt, qui a Joanne Mendoza regiorum diſpenſatorum principe excepti (is et ipſe mortuo Franciſco, a gratia, qua in aula antea florebat, ordine ſuo motus exciderat) hoc faceto et apto, pro tempore, reſponſo eluſi ſunt: Scio, inquit, quid huc veneritis; nempe ubi locorum Franciſci heri optimi anima nunc ſit, cum Caſtellano, ut male ſentiente, controverſamini: ceterum vobis confirmare poſſum, qui Franciſcum optime noverim, hoc eum ingenio ſemper fuiſſe, ut diu haerere ullo loco quantumvis amoeno et commodo nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non morae faciendae cauſa divertiſſe videatur, ſed tantum, ut vinum illac tranſeundo a pocillatore pro more deguſtandum acciperet. Quo audito cum viderent Sorbonici Caſtellanum plus in aula valere gratia, quam ut ei negotium faceſſere poſſent, pudore confuſi domum reverterunt.

p. 213. p. 109. *Dele* —— cum igitur lege regni ſacerdotum collegia res ſoli et immobiles poſſidere prohibeantur.

231. 117. *Quod Georgio Lutherano prophetiam quandam tribuat; idcirco dele ea verba* —— hortante Georgium praefecto, ut bono animo eſſet, haec quidem flamma (inquit ille,) corpori moleſta eſt, ceterum animum minime frangit. At qui nos ex editiore loco tam ſuperbe deſpicit, intra paucos dies quam nunc arroganter ſedet, tam ignominioſe jacebit. Haec loquenti fune aſtricto vox incluſa eſt. Nec vaticinio exitus defuit.

238. 120. *Laudat P. Martyrem Vermilium Haereticum; ideo dele ab eo loco,* —— nam ſub exitum Novembris Petrus Martyr Vermilius Florentinus Argentina, ubi Italia exulans jam per quinque annos magna fama docuerat, in Angliam venit, a Thoma Cranmero Cantuarienſi archiepiſcopo evocatus. Is in monaſterio Feſulano Florentiae proximo, Canonicorum, uti vocant, Regularium S. Auguſtini educatus, primum Patavii linguae Graecae et Philoſophiae plenam cognitionem adeptus, dein Bononiae Hebraicarum literarum et Theologiae ſtudiis gnaviter incubuit: unde illius ordinis ſodalium facile princeps habitus, cum in mores eorum ſeverius animadverteret, magna invidia laborare coepit; quam ut amoliretur, Neapolim profectus, comite conſiliorum Jo. Valdeſio Hiſpano clam coetum inſtituit praecipuae nobilitatis tam viris quam foeminis celebratum; in quorum numero etiam recenſetur Victoria Columna Ferdinandi Davali marchionis Piſcarii quondam uxor, ingenio, pietate, et modeſtia cum paucis comparanda. Sed cum non diu, re in vulgus emanante, ibi conſiſtere poſſet, Lucam profectus et in eodem inſtituto perſeverans, ſocios ibi habuit Immanuelem Tremellium Ferrarienſem, genere Hebraeum, ſed profeſſione Chriſtianum, qui Hebraicas literas, Celſum Martinengum, qui Graecas, et Paulum Laſicium Veronenſem, qui Latinas doceret, ac denique Hier. Zanchium Bergomatem. Verum ne heic quidem quieſcere potuit, cumque illac Paulus Buxeto

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. | Edit. Lond. Tom. I.

rediens iter habiturus eſſet, ut periculo praeverteret, relicta Italia Tigurum Helvetiorum conceſſit, comite profectionis Bernardino Ochino Senenſi, magnae eloquentiae concionatore.

p. 240. p. 121. *Dele laudes Beati Rhenani et Joannis Schoneri.* Vir in humanioribus literis, antiquitate et pia doctrina exercitatiſſimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de conſtituenda ex omnium conſenſu in religione concordia conſenuerit, ſummus Deſ. Eraſmi obſervator, qui eandem viam in his turbis inſtitit. Hujus etiam anni initio XVII Kal. Feb. matura mors Joannem Schonerum Caroloſtadienſem jam ſeptuagenarium Norimbergae nobis eripuit, ubi ille domicilium fixerat, aſtronomiae, quam poſt Regiomontanum opere illo egregio reſolutarum tabularum maxime illuſtravit, ſcientia inſignem, et illa inprimis, quae ex poſitu aſtrorum de cujuſque fortunis judicium fert, multis obſervationibus ab illo locupletata.

277. 140. *Invehit in Romanum pontificem, quod et ſaepe facit ſub Haeretici perſona, ſub quo latitans debacchatur: itaque dele* religionis cauſam heic agi ſubinde repetens, et aſtu pontificis Romani haec fieri, qui Caeſarem in ipſos armaverit, et cujus crudelis potentia cum ſumme Deo inviſa ſit, minime dubitare debeant, quin Deus in eam et ejus fautores graviſſime quam primum vindicaturus ſit.

317. 156. *Dele* —— cui nihil ſuorum charitate proximius.

322. 158. *Dele* —— atque inprimis a Paulo patre admonetur, ut a IV Eid. Septembreis ſibi caveret; aſtra enim ei cladem inſignem portendere. Siquidem ille pontifex aſtrologiae divinanti, quae de ſingulorum fortunis judicat, valde addictus erat, ob idque Lucam Gauricum Geophanenſem, aetate ſua magni nominis aſtrologum, ſemper, dum vixit, familiariter habuit, privato colloquio et menſa dignatus, ac tandem Civitatenſi epiſcopatu donavit.

323. 159. *Dele* —— quas a patre, ut conjurati aiebant, edoctus.

337. 166. *Dele* —— cui conciliorum univerſalium cura commiſſa eſt.

338. 167. *Dele* —— ſi recuſent patres, ſe, Caeſaris nomine et juſſu, ſynodi tranſlationem hanc frivolam et illegitimam, quaeque in ea fient nullius eſſe momenti, profiteri.

Ibid. Ibid. *Dele* —— quorum in poteſtate minime ſit, citra conſenſum Caeſaris concilium transferre.

348. 171. *Dele* —— in qua minime illum ſincere verſari ſciret.

351. 172. *Dele* —— ibi ex Philippi Melanchthonis ſententia, qui, ut erat miti ingenio, pacificandae eccleſiae unice ſtudebat.

358. 175. *Dele* —— Proteſtantium dicterium locum habuit, ob id videlicet illos chriſmatis et ſacri olei uſum tueri, quod inde caput unctius referrent.

373. 182. *Dele* —— quantumvis fremente pontifice.

Ibid. Ibid. *Dele* —— tunc et Paulus Vergerius epiſcopus Juſtinopolitanus, cujus ſedula opera Clemens VII ac Paulus per Germaniam uſi fuerant, vir magnae doctrinae, et Ferdinando regi, cujus filiam ex ſacro lavacro, cum in Pannonia eſſet, ſuſceperat, valde charus, ne concilio intereſſet, aut Juſtinopolim reverteretur, a pontifice prohibetur: unde ille primum Venetias, dein Patavium ſe contulit: ubi Franciſci Spierae nuper in ſumma deſperatione mortui exemplo territus, in agrum Bergomatem ſeceſſit, atque inde ad Rhaetos abiit, apud quos in Telina valle aliquanto tempore Lutheri doctrinam

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo.	Edit. Lond. Tom. I.	
		nam profeſſus, poſtremo a Chriſtophoro Wirtembergico Tubingam evocatus fuit.
p. 411.	p. 201.	*Dele* —— nihil igitur opus eſſe gratia ac largitate pontificis Romani; neque vero ſe uxores ac liberos deſerere poſſe, quos diligendos et cura ac benevolentia complectendos didicerint, auctore Chriſto, qui conjugium ampliſſimo elogio cohoneſtaverit, et illud impuro coelibatui praetulerit, cum melius eſſe nubere quam uri per Paulum praecipit: fruſtra etiam improbari, quod in eccleſiis ſuis integrae coenae uſus omnibus permittitur; id enim juxta Chriſti mandatum et veteris eccleſiae morem fieri, nec eſſe quod in eo mutationem ullam recipiant.
416.	202.	*Dele* —— quid enim formula illa Auguſtana aliud agitur, quam ut pontificiae auctoritatis jugum, quod adeo generoſe excuſſimus, rurſus cervicibus noſtris imponatur? Ut errores nuper detecti et certis ſcripturae teſtimoniis revicti iterum in domum Dei invehantur? Ut tot annorum contentionibus ac laboribus parta libertas turpi obſequio ac morigeratione, quae non ſolum ad noſtrum dedecus, ſed ad Dei ignominiam et offenſionem pertineat, corrumpatur et penitus amittatur? At enim aliorum exemplo cedere tempori, et tranquillitati publicae conſulere, nos decuit. Id enim maxime omnium urgent adverſarii, in eoque criminationum ſuarum veluti arcem conſtituunt. Verum id in ceteris, quae ad fluxae hujus vitae commoda pertinent, uti jam diximus, locum habere poſſit: ad ea vero, quae Dei gloriam ſpectant, minime porrigi debere non ambigitur. Hoc enim nos magna illa veteris eccleſiae lumina Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius docuerunt, teſtimonioque B. Petri, cujus ille, qui nos per Caeſarem oppugnat, ſe immerito ſucceſſorem jactat, confirmarunt, Deo, non hominibus, in iis quae Dei ſunt, parere homines debere admonentis. Itaque et in veteris eccleſiae annalibus legimus Gordium Caeſarienſem, qui ſub Licinio imp. ordines duxit, et poſtremo verae gloriae corona inſignitus eſt, cum ad ſupplicium raperetur, rogatum ab amicis ut periculi evitandi gratia ſententiam retractaret, reſpondiſſe; Non oportere linguam in contumeliam ejus, qui eam creaſſet, quidquam pronunciare. Et Baſilius magnus hanc etiam civi ſuo laudem tribuit, quod cum moneretur, ut de Deo quod vellet ſentiret, ceterum in ſinu tegeret, neque motum animi palam evulgaret, monitorem aſpernatus ſit, veritatem non ſolum ab iis prodi dictitans qui eam deſerunt, ſed etiam ab illis qui eam agnitam non audent publice profiteri. Id enim exemplo Danielis confirmari, qui contra Darii regis edictum magno et conſtanti animo, apertis feneſtris, verum Deum adoraverit, cum id privatim et clanculum facere poſſet: verum quod ea res ad divini nominis gloriam pertineret, nullam inſtantis periculi rationem habuerit, quod ei ab invidis et aemulis conflatum, poſtea, Deo ita volente, in ipſorum caput recidit. Valeant ergo, qui nos facto Chriſtum agnoſcere, verbo autem rejicere ſuadent. Quid enim magis pudendum, quam nomen ejus erubeſcere qui mundum condidit, qui nos ad imaginem ſui creavit, tot beneficiis, licet indignos, cumulavit; per quem vivimus, ſpiramus, cujus denique nos hereditas ſumus? Haec ſumma eſt accuſationis. Videte nunc, o qui

Edit. Drouart. Edit. Lond.
Tom. I. 8vo. Tom. I.

qui non omnino iniqui eſtis, quam immerito apud vos traducamur, quam injuſte nos armis perſequantur, qui tranquillitatis publicae ſpecioſum nomen obtendunt. Quapropter oramus omneis et obnixe admodum obteſtamur, tam qui nobiſcum idem in religione ſentiunt, quam ad quos juſtiſſimae hujus querelae vox perveniet, ut vota, ſuffragia, lachrimas conſocient, quibus iram victoris flectere, et hactenus infeſtas nobis ipſius aureis in poſterum benigniores reddere poſſimus. Id et humanae conditionis vinculum et communis patriae calamitas exigit, quae utraque magnam cum religione et pietate communionem habent. Quod ſi, impulſu ejus qui has turbas ciet, qui tanquam rugiens leo ovilia circuit, qui ex publica rerum perturbatione commodum captat, Caeſar, cujus ſecundum Deum omnia noſtra ſunt, inexorabilis eſſe pergat, arma, vim, injuriam abſtinete. Nihil enim legitimi magiſtratus auctoritas vos permovere debet, ubi manifeſta Dei offenſio cernitur: Mauritii inprimis et Thebaeae legionis exemplum in memoriam revocate: ii enim quam virtute bellica tam pietate inclyti milites, cum contra Imperii hoſteis ſemper fortiter ac gnaviter ſe geſſiſſent, ad omnia ducum dicto audientes, in iis, in quibus Dei gloria vertebatur, Deo quam hominibus obedire maluerunt, et, ut hanc inconcuſſam animi conſtantiam retinerent, nulla ſupplicia horruerunt. Quod ſupereſt, nobiſcum ſi non arma adverſus implacatos hoſteis, at preces apud Deum conjungite, ut is pro ſua ineffabili clementia et miſericordia ad res noſtras reſpiciat, regum ac magiſtratuum, quorum mentes, conſilia, affectiones in ipſius poteſtate ſunt, moderetur, flectat, molliat, corda noſtra ad veram poenitentiam inclinet; calamitoſos et bonis ſpoliatos atque ob purioris doctrinae profeſſionem huc illuc cum uxoribus, liberis, atque omni familia exulanteis conſoletur, et mutuis charitatis ac pietatis officiis ſublevet, atque ut in eo laudabili propoſito ad extremum uſque ſpiritum perſeveremus efficiat, noſque omneis adverſus externos generis humani hoſtis impetus et aſtus interno Spiritus ſui robore et prudentia muniat.

p. 430. p. 209. *Dele* —— adempto ipſis jure gladii. Sub anni exitum XII Kal. Januar. Odoſii Bigerronum deceſſit Margarita Franciſci ſoror, Henrici Labretani Navarrae regis conjux, foemina omnibus ingenii et animi dotibus exculta: quae tamen apud eccleſiaſticos male audiebat, quod fratris in Lutheranos male animati iras pro viribus temperaret, et apud ipſam tutus eſſet illis receptus. Certe Girardum Ruſum, qui Cleriacenſe opimum admodum in Aginnatibus coenobium a Franciſco in ejus gratiam obtinuerat, ſaepius apud fratrem, quod Lutheri doctrinae ſectator eſſet, accuſatum, fremente licet Sorbonicorum collegio, conſtanter tutata eſt, et poſt omnia Oleronenſi epiſcopatu in Benearnenſi provincia donavit. Ejus nomine et fabellarum volumen imitatione Jo. Bocatii editum circumfertur, ſi tempora et juvenilem aetatem in qua ſcriptum eſt reſpicias, non prorſus damnandum, certe gravitate tantae heroinae et extrema vita minus dignum. Decima Muſa et quarta Charis a ſtudioſis omnibus, aut una novem Muſarum et trium Charitum inſtar appellari meruit: verſibuſque paſſim editis, et nummis percuſſis, his elogiis ornata eſt;

praecipue

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo.	Edit. Lond. Tom. I.	
		praecipue vero a III ſororibus Anglis, Anna, Margarita, et Jana Semeriis, non minus ob ſplendorem generis, quam ingenii elegantiam et eximiam eruditionem cum rara morum probitate conjunctam aeterna commendatione dignis, celebrata eſt, edito hecatondiſticho, quod Jo. Auratus, Jo. Antonius Baiſius, Nic. Deniſotus, praeclara Galliae noſtrae lumina, vario carminum genere poſtea expreſſerunt.
p. 437.	p. 212.	*Dele* —— inter alia, quod bona pauperum dilapidaſſet, in nepotes et ſororum filios omnem eccleſiae ſubſtantiam abſumpſiſſet; Mutinam et Rhegium Lepidi, quae ad Imperium pertinent, Ferrarienſium duci vendidiſſet; Parmam et Placentiam, quas eccleſiae minime quaeſiſſet, alienaſſet; Aſcanium Columnam et Baleonos injuſte profligaſſet; calumnioſe Caeſarem et Galliae regem incuſaſſet, quod hic cum Proteſtantibus, ille cum Anglo amicitiam coluiſſet, cum ipſe cum Turco Alexandri VI exemplo occultum commercium habuiſſet: quod denique in conſiliis capiendis ac ceteris rebus ſuis ſemper aſtrologos atque adeo Lucam Gauricum, quem et menſae adhibebat, conſuluiſſet. Exprobrata et patri filii flagitia et obſcoenitates, quas vivus diſſimulaverat, et de quibus, cum nonnunquam audiret, hoc ſolum conſueſſet dicere; Filium non commonſtrante parente haec didiciſſe. Quae, ſive vera ſive propter odium a pleriſque credita, magnum mortuo ac familiae dedecus in Italia, longe vero maximam ſedi Romanae apud Germanos et Anglos ad offenſionem proniores infamiam peperere.
443.	215.	*Dele* —— is ſoluti ad omnem licentiam animi homo ſtatim adepta dignitate, qualis eſſet, omnibus manifeſtum fecit. Nam cum antiquae conſuetudinis ſit, ut novuspontifex galerum, cui velit, ſuum largiatur, eum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique, quod in familia ſimiae curam gereret, Simiae etiam poſt adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam ſuo atque inſignibus attributis donavit. Querentibus vero cardinalibus, quod indignum hominem ad tantum faſtigium evexiſſet, non inurbane reſpondit, Et vos, quid tandem in me meritorum comperiſtis, quem Chriſtianae reipublicae principem conſtitueretis?
444.	Ibid.	*Dele ea verba* —— Nam in iis rebus auctoritatem Romani pontifices ſibi arrogant.
Ibid.	Ibid.	*Dele* —— ut, quoniam diplomate pontificio rex a cenſuris abſolvebatur, propterea rex non intelligatur potuiſſe aut poſſe nunc aut in poſterum ullo modo ex quacunque cauſa cenſuris apoſtolicis ſubjici, aut ea re regis regnique juribus, libertatibus ac praerogativis derogari aut praejudicium ullum fieri: ut de cauſis, de quibus ad judicem ſaecularem itur, praefectus Veromanduorum cognoſcat, et in actis publicis conſervatoris regiorum ſcholae Rhemenſis privilegiorum titulum ſibi ſumat; archiepiſcopus autem conſervatorem privilegiorum apoſtolicorum, non officialem ordinarium, ne haec munia confundantur, ſed alium dicat, ita ut in cauſis criminalibus ſacrae perſonae coram archiepiſcopi officiali aut ejus vicario comparere teneantur; ſolutae, coram praefecto Veromanduorum aut ejus legato, modo de crimine ſpeciali et notionis regiae non agatur, quo caſu etiam ſacris addicti juriſdictioni regiae ſubjacebunt, et praefectus Veromanduorum

tanquam

Edit. Drouin. Tom. I. 8vo. | Edit. Lond. Tom. I.

tanquam judex regius, non tanquam ſcholae privilegiorum conſervator de cauſis eorum cognoſcet.

p. 448. p. 217. *Dele* —— dum literarum ſacrarum homo rudis, theologicis libris in illo otio ſcriptis ſe deridendum propinat; quibus contrario ſcripto artificioſe ridiculo, ſub Benedicti Paſſavantii nomine, a Theodoro Beza reſponſum eſt.

453. 220. *Dele* —— Menſe Junio poſt edictum a rege promulgatur, et VIII Kal. Quintil. in ſenatu recitatur, quo ſuperius de ſcribis pontificiis et eorum numero coercendo ante quadriennium factum confirmatur, ac fraudibus quotidianis, quae in adipiſcendis ſacerdotiis a pleriſque patrabantur, unde frequentes adeo per omnia Galliae tribunalia magna nominis eccleſiaſtici infamia paſſim lites ſerebantur, obviam itum eſt. Nam pravo uſu invaluerat, ut plures falſae literae reperirentur, quibus ejurandorum ſacerdotiorum gratia procuratores conſtituebantur, atque ab iis, qui in rationes referunt, quae cui a Pontifice beneficia conceduntur, crebrae conceſſi ſacerdotii teſtationes ſumerentur; nec procuratoriae literae ante promerentur, quam cum opportunum videretur mandatum ſacerdotium profiteri, et ita ad duos uſque annos ſaepius premerentur, nec ante ejus mortem qui ſacerdotium ejuraſſet exhiberentur. Eadem ſerpente licentia fiebat, ut plerique ſub conditione ſacerdotiis cederent, ut ea certae perſonae pontifex attribueret, ac nihilominus quoad ſuperſtites eſſent in abdicati ſacerdotii poſſeſſione remanerent, quod eos, quibus pontifex ſacerdotium largitus fuerat, gratiam illius ſpreviſſe praetexerent, cum tamen ſimulate poſſeſſionem adipiſcerentur, idque pontificii ſcribae in acta referrent. Item, quod cum legibus pontificiis irrita ejuratio habeatur niſi intra trimeſtre evulgetur, plerique, qui procuratores abdicandi ſacerdotii cauſa conſtituerant, confeſtim mandatum revocabant, quod innumeris fraudibus et calumnioſis in jure captionibus occaſionem praebebat. Itaque ſancitum, ut trapezitae, quorum curae hujuſmodi negotia committi ſolent, in actis diem perſcribant, quo aditi, et quo procuratoriae literae ipſis oblatae, et per quos ſcribas confectae ſint, quique teſtes iis ſubſcripſerint; quo item die ipſi, et qua de cauſa pernices tabellarios Romam miſerint, et quid reſponſi Roma acceperint. Hoc ut neceſſarium, ſic ſalutare admodum remedium eſt adhibitum, et tanquam fraenum graſſanti falſariorum audaciae impoſitum, quo numeroſae deinceps et inextricabiles lites per omneis regni curias explicarentur et terminarentur. Id initio Romae male acceptum, quod regi minime licere dicerent, de iis quae ad juriſdictionem eccleſiaſticam ſpectent, cujus ſe pontifex ſummum magiſtratum profitetur, leges ferre, et in eo pontificiam auctoritatem minui paſſim jactarent. Verum id juris noſtris regibus eſſe, et uſu receptum eſt, et argumentis atque exemplis docuit Carolus Molinaeus, juriſconſultus tam eruditione ac judicio quam probitate conſpicuus, qui commentariis in illud edictum publicatis tantam invidiam ſuſtinuit, praevalente jam tum inter Gallos pontificiorum potentia, ut ob id calumnioſe accuſatus, ſolum vertere, et apud Sequanos et Germanos divertere cogeretur; ubi vir de ingrata patria optime meritus, tutum et honorificum perfugium nactus eſt, donec, bello inter regem et Julium III exar-

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. | Edit. Lond. Tom. I.

deſcente, ab exilio revocatus eſt.

p. 456. p. 221. *Poſt* et quamvis *dele* —— ut ait ille.

Ibid. Ibid. *Dele* —— Eorum haec dogmata ferebantur; eccleſiam Romanam, quoniam verae Chriſti fidei renunciaverit, Babylonicam meretricem eſſe, et arborem illam ſterilem, quam ipſe Chriſtus diris devovit et revellendam eſſe praecepit: proinde minime parendum pontifici, et epiſcopis, qui ejus errores fovent: monaſticam vitam eccleſiae ſentinam ac plutonium eſſe; vana illius vota, nec niſi foedis puerorum amoribus ſervientia: preſbyterii ordines magnae beſtiae, quae in Apocalypſi commemoratur, notas eſſe: ignem purgatorium, ſolemne ſacrum, templorum encaenia, cultum ſanctorum, ac pro mortuis propitiatorium Satanae commenta eſſe.

458. 222. *Dele* —— quod in opes, faſtum, ac vitia pontificum vehementius inveherentur.

464. 224. *Dele* —— quo ſi quandoque pedem inferant, non Dei, divorumve ſtatuis advolvi; nec cereos eis aut donaria ulla ponere; non ſacerdotes ab eis rogari, ut pro ſe aut propinquorum manibus rem divinam faciant; non cruce frontem inſignire, uti aliorum moris eſt; cum coelum intonat, non ſe luſtrali aqua aſpergere, ſed ſublatis in coelum oculis Dei opem implorare; non religionis ergo peregre proficiſci; non per vias ante crucium ſimulacra caput aperire; ſacra alio ritu et populari lingua celebrare; non denique pontifici aut epiſcopis honorem deferre, ſed quoſdam e ſuo numero delectos pro antiſtitibus et doctoribus habere.

471. 227. *Dele* —— Plerique ſcripſere, inter noviſſima mandata, quae moriens Henrico filio dedit, hoc etiam addidiſſe, ut de injuriis a ſenatu Aquenſi provincialibus in ea cauſa illatis quaeri juberet. Ante vero quam moreretur, Joannem Romanum monachum comprehendi juſſerat, et ſenatui Aquenſi mandaverat, ut in eum animadverteret. Is ſiquidem cum de Haereticis quaeſtionem haberet, novum tormenti genus repererat, iis qui tormentis ſubjiciebantur ocreas ſebi bullientis plenas induere juſſis, quos ridens coram contemplabatur, et admotis calcaribus, Ecquid belle inſtructi eſſent, ut peregre proficiſcerentur, rogabat. Verum ille de ſenatus decreto certior factus Avenionem profugit, ubi ab hominibus, ut ſibi videbatur, ſecurus, divinam ultionem non effugit, omni peculio a domeſticis ſpoliatus, et ad extremam inopiam redactus, cum ſcatente foedis ulceribus corpore mortem ſaepius optaret, quam non niſi ſero, et poſt horrendos cruciatus, votis propitiam expertus eſt.

483. 232. *Dele* —— ob id tantum, quod puriorem doctrinam colerent.

582. 276. *Dele* —— Expeditiſſima ea viſa Caeſarianis miniſtris ratio, qua et conſilii actio redderetur facilior, et patres, expulſis ex civitatibus, quos illae Tridentum mittere potuiſſent theologis, pauciores adverſarios habituri eſſent. Pulſi ergo illi et ejecti; pars in Helvetios, alii alio confugerunt: abeunteis plerique cives, et inprimis Jo. Fridericus, quamvis captivus, per miniſtros ſuos pecunia, viatico, ac ſolatio perbenigne proſecutus eſt. Tanta vero ex eo ſecuta in templis ſolitudo, ut occaſionem haud occultis multorum querimoniis dederit, vim non bonis tantum et corporibus, ſed etiam mentibus et

 conſcien-

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. | Edit. Lond. Tom. I.

conſcientiis afferri quiritantium.

p. 588. p. 279. *Dele* —— Ad haec concionatores re prius deliberata reſpondent, Non quidem evulgaſſe ſe picturas; non tamen eas adeo reprehenſione dignas judicare; neque enim negari poſſe, quin plerique per ipſius ditionis fineis triennio abhinc a puriore religione defecerint; et ſi quidem ad belli auctores reſpiciatur, quin opprimendae religionis cauſa urbs obſeſſa ſit, itidem dubitari non poſſe: quod ad ſe attinet, nihil in admonendo populo praetermiſſum, neque ſe in poſterum praetermiſſuros: ceterum de concilio, quod Tridenti indictum ſit, longe aliter ſentire; illud enim ſe delendae veritatis ergo coactum exiſtimare; quippe in quo Romanus pontifex principem locum teneat, qui ſe pro Chriſti adverſario gerat: itaque non aliter orare Deum ſibi licere, quam ut tam pernicioſos hoſtium veritatis conatus et conſilia reſcindat, frangat, diſſipet, a quibus nihil niſi malum et Dei gloriae aeque ac reipublicae adverſum porro expectandum ſit.

600. 284. *Dele* —— hoc eſt quod maxime ad ſuam et univerſae eccleſiae injuriam pertinere arbitratur, quod eo tempore concilium coëgerit pontifex, quo conjunctis cum Caeſare copiis ipſum bello oppugnat; ne videlicet Gallicae eccleſiae praeſules eo convenire poſſint, quorum ſalutaribus ſententiis ac conſiliis tam in caput quam in membra diligentiſſime anquiratur; quae corrupto uſu in eccleſiam irrepſerunt, emendentur; et, emendatis iis quae in doctrina ac moribus corrupta ſunt, publica eccleſiae concordia ſarciatur. Hoc eſt, inquam, patres, cujus cauſa me rex ad vos miſit; non ut de injuria bello illato ſibi facta conqueratur; nec hoc per meae conditionis hominem, non apud vos deceret: Neque enim ille aut potentiorem aut ſuperiorem ſe agnoſcit, cujus opem imploret, a quo jus petat: ſatis illi animi, ſatis virium et copiarum eſt, quibus non ſolum hoſtileis impetus propulſare, ſed ipſi ſibi jus dicere, et bello illato efficere poſſit, ut aggreſſores temeritatis et audaciae ſuae poeniteat; verum ſacra profanis miſceri, ambitioni religionem, inexplebili alieni invadendi cupiditati pietatem, jus rapinis, fas violentiae obtendi indignatur, et eo impudentiae inimicos ſuos poſtremo deveniſſe, ut, cum maxime fallunt, cum fucum hominibus faciunt, tunc doctrinae et morum in eccleſia emendationem conſtituere videri velint. Itaque rex Chriſtianiſſimus et natu maximus eccleſiae filius, his enim titulis a majoribus acceptis merito gloriatur, qui videat ſecum tam implacate et inique agi, cum diſſimulationi amplius locus eſſe non poſſit, me ſuo nomine coram vobis, ſicuti per ſuos legatos Romae jam feciſſe ſcitis, denunciare juſſit, ob excitatum tam iniquum tamque alieno tempore bellum, non licere nec integrum ſibi eſſe ditionis ſuae epiſcopos Tridentum mittere, neque habere hunc conſeſſum pro oecumenica et legitime congregata ſynodo, ſed magis, quod literarum nuper traditarum inſcriptio doceat, pro conventu quodam privato, qui non religionis ac reip. cauſa, verum in ambitioſorum quorumdam, compendium ex his turbis captantium, gratiam ſit conſtitutus; ac proinde illius decretis nec ſe nec regni ſui Ordines ullo modo obligari; contra, adhibiturum ea remedia, ſi opus fuerit, quibus majores ſui in conſimili cauſa uſi fuerint. Non enim ignoratis, patres,

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. Edit. Lond. Tom. I.

tres, quid juris Galliae reges jam a primis temporibus, cum nobiliſſimum regnum fundatum eſt, quantumque in rebus ſacris ſibi jure ſuo ſumpſerint; quamque poteſtate illa ſua non licenter ad religionem evertendam abuſi, verum ad tuendam eam et vindicandam a tyrannide libertatem Chriſtianam hactenus pie ſemper ſint uſi. Nota ſunt Clodovei et Childeberti temporibus habita concilia; nota ſunt Caroli magni, cui et ejus parenti magnitudinem ſuam Romani pontifices debent; nota Ludovici Pii de religione decreta. Cum vero temporis ſucceſſu pontifices poteſtate legitima abutentes avare in eccleſia graſſarentur, Ludovicus IX, is qui ob pietatem et vitae ſanctimoniam eximiam inter divos referri meruit, generoſe reſtitit, et anno ſalutis CIƆCCLXVII legem tulit, quae et hodie Pragmaticae nomine circumfertur, qua mos priſcus in eligendis epiſcopis et ceteris praeſulibus intermiſſus revocatur, et ullum eo nomine pontifici Romano tributum pendi prohibetur. Sed rurſus, pervincente eorum ſeu aſtu ſeu potentia, eadem, quae prius, mala invaluerunt, quae poſtmodo Baſileenſis ſynodi decreto omnino ſublata ſunt, et annalia vectigalia ex beneficiis, quae vocant, exigi vetita. Quam ſynodum, quod pontificum nimiam potentiam coërcere videretur, ab ipſis pro falſa habitam, Carolus VII poſtea in regni comitiis Auguſtoriti Pictonum confirmavit edicto, quod vulgo Pragmaticam Sanctionem nuncupant. Eugenius quidem IV, qui ad concilium Baſileenſe ſaepius a patribus vocatus eo venire detrectaverat, in ſua cauſa judex irritum illud et ut ſchiſmaticum pronunciavit; et Aeneas Silvius Picolomineus, qui praecipui ſcribae munere in concilio Baſileenſi functus eſt, cum poſtea ſummus pontifex creatus eſſet, ſumpto Pii II nomine, illud omnium maxime improbavit; miſſoque ad Ludovicum XI Caroli VII filium legato, quamvis primaria Pariſienſis curia et theologorum ſchola reclamaret, et contra conteſtaretur, tandem impetravit, ut Sanctio illa aboleretur, conſultore Joanne Balua cardinali: verum hujus facti utrumque poſtea poenituit; regem quidem, qui ea re magnum ſe in regno detrimentum accepiſſe ſenſit; cardinalem vero, ob moleſti carceris diuturnitatem, in quem propterea a ſagaciſſimo rege conjectus creditur. Quas autem inimicitias eam ob rem cum Ludovico XII optimo principe Julius II exercuerit, vos ſcitis, et utinam non adeo recens eſſet memoria; nam nomen illud tunc Galliae inviſum, vereor ne nunc etiam fatale ſit. Poſtea Leo X cum Franciſco tranſegit, et quamvis inſtrumenta ea de re confecta fuerint, Sanctio tamen illa adeo apud nos in omnibus regni curiis et theologorum noſtrorum collegiis religioſe etiam hodie colitur, ut eam ſervaturos ſe jurejurando interpoſito promittant. Viderint ergo, qui paci eccleſiae conſultum volunt, et pro ſua prudentia pontifex ejuſve melius conſulti ſucceſſores provideant, ut occultam hanc et latentem ſciſſuram aliquando reſarciant. Cum haec vobis Chriſtianiſſimus rex per me dicit ac denunciat, hoc etiam dictum intelligit, ſe ſemper erga religionem, quam a patribus hauſit, et ſedem Romanam, quam majores ſui coluerunt, defenderunt, auxerunt, ſincero et parato animo futurum, neque commiſſurum, ut ejus fidem, cultum et amicitiam praeſens vel ventura aetas deſiderare poſſit;

Edit. Dumart. Edit.ª Lond.
Tom. I. 3⁴⁰. Tom. I.

ſit; ſed in has anguſtias publicae tranquillitatis hoſtium vi fraudulenta adductum, ut, niſi ſibi et reipublicae deeſſe velit, aliud praeſtare non poſſit: itaque nec inaneis in juſta cauſa minas ac cenſuras extimeſcere, quas alioqui, ſi iniquam cauſam foveret, pius princeps merito exhorreſceret; multo minus proſcriptiones reformidare, qui ſciat, quid olim univerſi regni Ordines Lutetiae ſub Philippo Pulchro, et Pariſienſis theologorum ſchola contra Bonifacium VIII decreverit; quid ſub Carolo VI contra Benedictum, et poſtea contra Julium II ſub eo de quo modo diximus, et cujus adeo jucunda ac venerabilis inter Gallos etiam hodie memoria viget, Ludovico XII. Igitur cum tam juſta arma induerit, tam juſtas hujus actionis cauſas habeat Chriſtianiſſimus rex, poſtremo a vobis petit, ut quicquid a me ipſius juſſu dictum eſt, aequi bonique conſulatis, et conteſtationem hanc, quam ſcripto exhibiturus ſum, in acta referri jubeatis, hujuſque actionis documentum mihi ejus nomine impertiamini, quo ceteros orbis Chriſtiani principes ac civitates de re tota certiores faciat. Audito legato.

p. 649. p. 304. *Dele* —— Neque hoc contenti eccleſiaſtici virulentum librum edunt, quo ſenatus Toloſani auctoritatem contumelioſis dicteriis perſtringebant; cui contrario ſcripto Jo. Maſencalus curiae princeps, antiquae gravitatis et probitatis vir, pro ſenatuſconſulti defenſione reſpondit; quo aculeate atque adeo acerbe in mores et libidines ſacerdotum invehitur; eoque nomine a theologis Pariſienſibus liber publica cenſura anno ſequenti damnatus eſt; nec dubium eſt famae diſcrimen ipſum quoque aditurum, niſi eum amplitudo ſua et integritatis opinio a calumniae morſibus vindicaſſet.

653. 306. *Dele* —— Eodem anno Martinus Bucerus Seleſtadii in Alſatia natus, quem relicta Argentina in Angliam tranſmiſiſſe diximus, Cantabrigiae diem ſuum obiit pridie Kalendas Martias, cum LXI aetatis annum ageret, multorum carminibus epitaphiis celebratus, ac praecipue duorum Suffolciorum fratrum, quorum mater ſemper aegrotanti aſſedit et omnia humanitatis officia praeſtitit. Paulo antequam moreretur, cum Germaniae ſtatum deploraret, vereri ſe ſaepius dixit, ut in tanto multorum ardore Deum cognoſcendi et eccleſiae inſtaurandae, deficiente diſciplina, qua improbi caſtigarentur et ordo in miniſterio ſervaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent: itaque optare unice ſe, ut quae ad Edvardum regem de eccleſiae diſciplina conſtituenda ſcripto comprehendiſſet, per Angliae regnum locum haberent et religioſe obſervarentur. Funus ejus magna frequentia celebratum, plus CIƆII hominum illud deducentibus, et corpus in majore urbis templo conditum eſt.

738. 344. *Dele* —— Romam ſub id tempus petiit, ut novis a pontifice emendicatis facultatibus et ſacerdotiis, ſic enim tunc jactabatur, lacunas illas expleret.

768. 357. *Dele* —— idoneos in templis et juventuti erudiendae doctores praeficere ſui officii eſſe profitentur; ſic enim obviam iri hoſtium veritatis conatibus aiebant, qui id hactenus egerint, ut oppreſſis piis doctoribus pontificia poteſtas conſtitueretur, et juventus erroneae et impiae doctrinae a teneris imbuta ſucco, ſenſim in ea adoleſceret: eo conſilio non ſolum

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. Edit. Lond. Tom. I.

pios doctores in vincula conjeciſſe, ſed et eos per jurisjurandi religionem dira et inaudita inhumanitate adegiſſe ut Imperii finibus excederent, alioſque aut a doctrina inter eos recepta abhorrenteis, aut qui minus conſtantes a pura religione defecerant, in horum locum ſubſtituiſſe.

p. 777. p. 360. *Dele* —— a Bonifacio VIII inquieto et ſuperbo homine.

882. 407. *Dele* —— Mox, ubi praeſenſit ac notavit ſigna certa propinquantis mortis vir invicto et excelſo animo, rebus in exercitu et domi ſumma animi tranquillitate ordinatis, minime ſe invitum terris excedere profeſſus eſt, quod ſe fidei in Dei Filium ſuae optima ſpe foveri laetaretur, neque ſentiret affici deſiderio ejus vitae, in qua continuis quaſi fluctibus negotiorum vexatus, tam incertas voluntates et leveis hominum animos atque indignam meritis ſuis gratiam expertus eſſet. Tum cum Jo. Albino colloquium fidele habuit, et ſacratiſſimorum Chriſtianae communitatis myſteriorum cupidiſſime particeps factus eſt. Tandem v Eid. Quintileis, hora nona matutina, in caſtris obiit, cum annum xxxii exceſſiſſet. Multa prodigia hunc caſum portendiſſe narrantur: canum rabies, qua ad mutuam perniciem uſque certarunt; fremitus in aëre; hominum et equorum illo campo, in quo conflictus fuit, nocte intempeſta auditi clamores; ejulatus item in oppidis; in Perlini vero arce de Mauritii ſtatua, nulla vi adhibita, caput decidit; ipſe quoque viro optimo in domo flagrante per ſomnum apparuit; ſanguineae etiam guttae in herbarum foliis viſae, non ſolum iis locis, ſed et Argentinae ſub Junii initium, quod ad papilionum ingentem nubem tunc paſſim volitantium multi referebant, quibus ruptis hic cruor emanaverit. Corpore Mauritii exenterato, inteſtina Siverhuſiae condita ſunt: cadaver Lipſiam primo delatum et in D. Thomae depoſitum eſt, concione in mortui laudem publice a Joachimo Camerario habita xiv Kal. Sextileis; inſtitutumque ut quotannis memoria tanti principis celebraretur: tandem Fribergam tranſlatum eſt, oppidum argentifodinis nobile, prodeunte obviam ſenatu et Agnete uxore Philippi Heſſi filia, aulicarum foeminarum comitatu comploratione augente, et in B. Mariae juxta patrem Henricum et Albertum filiolum terrae x Kal. Sextil. mandatur, cum a Daniele Dreſſero eccleſiae Dreſdenſis paſtore iterum fuiſſet laudatus. Conditus eſt inſigni monumento vere inſignis vir, qui etiam inter arma humanitatis ſtudia minime neglexit.

931. 428. *Dele* —— Tunc et multi in Gallia ob religionem ſupplicio affecti ſunt; ac Lugduni quidem Martialis Albus, Petrus Scriba, Bernardus Seguinus, Carolus Faber, Petrus Navierius, alii, qui omnes publicis Bernatum ſumptibus Lauſanae operam literis dederant, et propagandae religionis quam Bernates profitentur cauſa in Galliam ſummiſſi fuerant; antequam tamen ejus rei quidquam egiſſent, comprehenſi publice cremantur, nec ut iis parceretur Bernates a rege impetrare potuerunt. Cum ad ſupplicium ducerentur, una quoque Lud. Marſacus, homo militaris, ſed qui in ſacris libris legendis multum temporis contriverat, productus eſt, minime revincto collo, uti fieri aſſolet; ſic enim judex, quod ille regi militaſſet, juſſerat: cumque videret ſociis indutum collo a carnifice laqueum, quaeſivit a praetore, an eorum potior

quam

Edit. Drouart. Tom. I. 8vo. Edit. Lond. Tom. I.

quam ſua cauſa exiſteret: Cur enim, inquit, non me ſimili torque donas, et tam illuſtris ac praeſtantis ordinis me quoque equitem creas? Quo dicto alludebat ad uſu receptum inter principes morem, qui quos cohoneſtare volunt, in ſui ordinis numerum cooptant, et torqui veluti honoris ac virtutis inſigni donant. Saeviebat tunc ultra modum Lutetiae peſtis: et multi quotidie ob religionem flammis exurebantur: cujus rei invidia a multis in cardinalem Turnonium rejiciebatur, qui regni tranquillitatis ſumme ſtudioſus cum eſſet, nec citra turbas in cauſa religionis quidquam novari poſſe exiſtimaret, Sectarios omneis ut publicae quietis perturbatores odio proſequebatur: ſed culpam plures in Pictaviam Valentinam conferebant, quae, ut Aumalium et Marcianum generos captivos redimeret, ob religionem damnatorum bona fiſco adjudicata a facili principe, cujus ingenio abutebatur, veneficiis ſuis impetraverat, et per homines ſuos atque emiſſarios quaeſtiones ea de re ut frequentes ac calumnioſae plerumque haberentur curabat.

" De hoc autem libro, deque ejus auctore, hoc cenſeo: Librum dignum eſſe qui penitus damnetur et aboleatur; quippe qui locos tam crebros et tam foede peſtilentes habeat, ut plane purgari non poſſit, quin hiſtoriae ſenſus mutilus, atque adeo inutilis, reddatur: Auctorem ob immane odium quod in Romanam ſedem ejuſque ſummos pontifices identidem oſtendit, videri Calviniſtam, atque ob id jure inter primae claſſis Haereticos recenſendum."

D. Anton. Caraciolus,
Cl. Reg.

Edit. Drouart. Tom. II. 8vo. Edit. Lond. Tom. I.

Secundi Tomi Cenſura.

In hoc ſecundo Tomo ſaepe mordentur ſummi pontifices, et laudantur Haeretici, non ſolum ob eruditionem, ſed ob pietatem; paſſim quoque ſectas Haereticorum appellat auctor honorifico nomine Religionis.

Lege paginas 33, 137, 146, 159, 214, 241, 353, 483, 565, 688, 689, 690, 719, *in quibus omnibus locis lineas ſubductas invenies.*

[1] *Manu* Cardinalis Bellarmini *ſcriptum.*

Tomi ſecundi Errata.

p. 33. p. 473. *Dele* —— Verum Julius ad ſcurrilitatem uſque feſtivus, et alienam ab innata deceſſoribus pontificibus ambitione mentem prae ſe ferens.

159. 526. *Dele* —— cito in ſuperbiam vertit.

235. 559. *Dele* —— Nam licet ſacrorum penes ipſos non ſit omnino arbitrium.

236. 560. *Dele* —— aequum videri, ut potius veteris eccleſiae veſtigiis inſiſtatur, quae non ferro et flammis in religione conſtituenda

NOT. [1] Sic notatum in MS. a *Chr. Puteano* ad *Thuanum* miſſo.

Edit. Drouart. Edit. Lond.
Tom. II. 8vo. Tom. I.

tuenda ac propaganda, ſed puriore doctrina et honeſtis vitae antiſtitum exemplis, rem confecit.

p. 241. p. 562. *Dele* —— Quo et eodem anno immatura morte erepta eſt Olympia Fulvia Morata Ferrarienſis, morum ſanctimonia, ingenio et eruditione cum quavis priſci aevi comparanda foemina. Huic parens fuit Fulvius Peregrinus Moratus Mantuanus, homo doctus, qui filiam in literis inſtituit, in quibus tantum profecit, uſa etiam Chiliano Sinapio praeceptore, ut Graece et Latine ſcribere eleganter, et verſus utraque lingua pangere didicerit. Dein in Renatae Herculis II Ferrarienſis uxoris familia cum Proteſtantium doctrinam hauſiſſet, ubi et in comitatu atque adeo amicitia Annae Ateſtinae, quae poſtea Franciſco Lotharingo Guiſae duci nupſit, principem locum tenuit, totam ſe theologicis ſtudiis mancipavit. Poſtremo ob religionem natale ſolum vertere coacta, cum Aemilio fratre in Germaniam venit, et Andreae Gruntlero medico nupſit, cum quo conjunctiſſime, ſed paucis vixit annis; et Heidelbergae, ubi larem fixerat, VII Kal. Novembreis ex hac vita exceſſit, cum vix totos XXIX annos exegiſſet. Eam mox Aemilius frater et Andreas maritus ſecuti ſunt, in eodem tumulo ad D. Petri conditi. Hujus Miſcellanea coëgit et publicavit Coelius Secundus Curio, ob religionem et ipſe Italia profugus, quae foeminae omni laude digniſſimae mores et raram eruditionem exprimunt, et quid a tam excellenti ingenio expectari potuiſſet, niſi praemature adeo in vivis eſſe deſiiſſet, clare oſtendunt.

353. 610. *Dele* —— Sub exitum Octobris, cum hiſtoriam huc uſque exacta fide et diligentia pertexuiſſet, ſcribendi et vitae finem fecit Joannes Sleidanus lue populari correptus, anno aetatis LI, a cognomine vico in Belgio ita vocatus; vir eruditione et rerum agendarum peritia hoc ſaeculo clarus, qui adoleſcentiam apud nos fere egerat, et in Bellaiorum familia diu verſatus, res magnas ſub Joanne Bellaio cardinali geſſerat ac didicerat: inde incaleſcente per Galliam in Lutheraniſmi ſuſpectos animadverſione in Germaniam ſeceſſit, et Argentinenſi reipublicae ſuam operam addixit, in eaque urbe, tot rerum quas geſſerat, aut a fide dignis acceperat, notitia fretus, Commentarios ſcribere aggreſſus eſt.

357. 613. *Dele illa verba* —— ut plerumque fit.

558. 702. *Dele* —— et non niſi ob ſummas ac raras virtutes ſupremo faſtigio dignas a pontificis dignitate aemulorum et innata aulae Romanae praepoſtera ambitione excluſus.

573. 727. *Dele* —— ex quibus ultimus hodie ſuperat Joſephus Juſtus Scaliger, qui ſecundum patrem nunc inter literatos et in re literaria principem ſine controverſia locum tenet, vere eruditorum Phoebus, ut politiſſimi ingenii vir eum indigitavit. De hoc ut plura dicam, nec pudor ejus patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minime vereor, ne propterea minus vera de eo praedicare videar; cum quicquid dixero, opinione omnium vero minus ſit. Sed potius eſt ut tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum, quo divinum ejus ingenium cum rara morum probitate conjunctum, pro jure amicitiae quae mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, ut in ſacris fieri amat, obſignemus.

2 *Dele*

Ed. Drouart. Tom. II. 8vo.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 688.	p. 759.	*Dele* —— an potius, quod ruentis Romanae potentiae pudenda et adulta vitia ſacrae ſcripturae admota face revelaverint, et nunc demum emendari expoſtulent, ſeditioſius egiſſe arguuntur?
694.	762.	*Dele* —— Ferunt, cum efferretur, ad Baſtiliam adverſam reſpexiſſe, et ſenatorum, qui in ea nuper capti detinebantur, recordatum ſaepius dixiſſe, Vereri ſe ne injuriam innocentibus hominibus feciſſet: ad quas voces cardinalem Lotharingum, qui aderat, ſubiratum monuiſſe regem, eam mentem illi a maligno ſpiritu et generis humani hoſte immitti; a quo proinde ſibi caveret, et conſtantiam in fide ſervaret. *Ibi enim latet mendacium ad tuendos Haereticos confictum.*
735.	780.	*Dele* —— quod regni ſecretum ad aſſerendam religionem et regiam majeſtatem tuendam contra ſacerdotalem juriſdictionem, ſi quando poteſtate legitima eam abuti contingit, a majoribus inventum eſt, et laudabili conſuetudine atque eventu jam multos annos in Gallia feliciter uſurpatum.
Ibid.	781.	—— *pro* charactere *ſcribe* officio.
737.	Ibid.	*Dele narrationem pertinacis mortis, viz.* —— Sententia, ut fit, coram ipſo recitata nullum conſternati animi ſignum dedit, ſed ignoſcere ſe judicibus dixit, qui ſecundum conſcientiam, non ſecundum ſcientiam et veram Dei ſapientiam judicaſſent. Tum multa de aeterno Dei judicio, et quaſi converſa ad judices oratione, praefatus, tandem commotior in haec verba deſiit: Jam tandem ignes veſtros et incendia reſtinguite, atque ad Deum, emendata priore vita, menteis convertite, ut peccata vobis condonentur ac deleantur: iniquus derelinquat viam ſuam, omiſſiſque perverſis conſiliis ad Dominum convertatur, et ipſe ejus miſerebitur. At vos vivite et valete, o ſenatores, et in Deo ac de Deo indeſinenter cogitate: ego libens ad mortem pergo. His dictis plauſtro impoſitus, magna equitum ac peditum armatorum caterva ſtipante, quaſi periculum ſubeſſet, ubi ad S. Joannis plateam venit, qui locus erat ſupplicio deſtinatus, pauca apud populum, uti receperat, prolocutus, evangelii ſe cauſa nimirum, non tanquam latronem ad mortem damnatum, ipſe ſe veſte exuit; et cum in altum attolleretur aliquoties auditus eſt haec verba pronuncians, Deus mi, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam. Eliſis mox laqueo faucibus corpus in ignem conjicitur.
741.	783.	*Dele* —— ac poſtremo Romam miſſus inſtigante Nic. Pelleveo tunc cardinali, de quo jam multoties locuti ſumus, a Gregorio XIII indigne ob id habitus eſt, dum prioris decreti potius ab affectatis judicibus contra ſenatorum privilegia facti, quam alterius, quo ab univerſa curia abſolutus eſt, rationem habendam putat.
755.	789.	*Dele* —— qui ancipiti diu fortuna ob pontificum odia et ambitionem jactatus.
761.	791.	*Dele laudes Roberti et Henrici Stephani, viz.* —— Nec multo poſt vivis exemptus eſt Robertus Stephanus Pariſienſis, typographus regius, ſecundum Aldum Manutium Romanum, qui Venetiis, et Joannem Frobenium, qui Baſileae eandem artem ſumma laude exercuerunt, clariſſimus: quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentia accurata, et artis ipſius elegantia: cui ob id non ſolum Gallia,

Edit. Drouet. Tom. II. 8vo. | Edit. Lond. Tom. I.

lia, ſed univerſus Chriſtianus orbis plus debet, quam cuiquam fortiſſimorum belli ducum ob propagatos fineis patriae unquam debuit: majuſque ex ejus unius induſtria, quam ex tot praeclare bello et pace geſtis ad Franciſcum decus et nunquam interitura gloria redundavit. Sed migrante ad Deum optimo non ſolum principe, ſed literarum fautore ac parente eximio, indigna bene merito de patria civi tot editis Hebraicis, Graecis, et Latinis libris gratia repenſa eſt a theologorum noſtrorum collegio, qui hominem reipublicae invigilantem et quaſvis aequas conditiones accipere ſe paratum demonſtrantem, non deſierunt laceſſere, donec ille vexationum injuſtarum pertaeſus ex neceſſitate conſilium cepit, et relicta patria Genevam ad extremum ſe contulit. Ubi tanta prudentia publicam ſimul et privatam rem curavit, ut quamvis tot adverſitatibus conflictatus et incommoditatibus, quae ſolum vertentibus neceſſario perferendae ſunt, tamen in opere aſſiduus ad ultimum vitae ſpiritum laudabile rei literariae adjuvandae propoſitum conſtanter tenuerit, ac tandem cum LVI annum vitae ageret, VII Eidus Septembreis fatis conceſſit; foris gloria dives, et domi liberis, qui Genevae manerent, relicta opulenta ſupellectile: Hanc enim legem ingratae patriae pertaeſus, non tam ejus odio, quam juſtae, ut putabat, ultionis ratione in teſtamento dixit. Itaque Robertus filius, qui eandem artem Lutetiae ſumma cum laude pro facultatibus exercuit, ab hereditate paterna omnino excluſus eſt: quam Henricus tanto patre digniſſimus filius crevit, qui typographicam non ſolum longo tempore itidem poſtea exercuit, ſed multa ad juvandam rem literariam propria induſtria contulit, inter alia edito aemulatione patris, qui linguae Latinae penum olim condiderat, linguae Graecae copioſiſſimo et multorum principum gazis praeferendo theſauro.

p. 854. p. 831. *Dele* —— lectiſſimae et erudítiſſimae foeminae.

855. Tom. II p. 5. *Dele* —— ne ad inquiſitionis Hiſpanicae ſcopulos.

883. 13. *Dele* —— praevalida eccleſiaſticorum vitia.

Ibid. Ibid. *Dele* —— pars judicio.

892. 17. *Dele* —— Nam pontifices in eo tantum videri omnem curam poſuiſſe, ut inter principes bellum ex bello sererent, ex eaque occaſione parteis foverent.

893. 18. *Dele* —— Multaque in eam rem ſubjecit, quibus demonſtrabat, a vera pietate diſſentanea dicere eos, qui Davidicarum cantionum vernacula lingua uſu foeminis interdicunt: quarum ſi interpretatio, quae circumfertur, minime probetur, errores notari, non autem totum opus rejici debere. Inde non modicam calumniandi anſam praebitam adverſariis, ex eo colligentibus, non cum hominibus, ſed cum Deo bellum geri, cum cantionum ad Dei laudem et piorum ſolatium inſtitutarum publice ac privatim uſus prohibetur.

895. Ibid. *Dele* —— Verum non minus peccari ab iis, qui in illos qui ſolo pietatis ſtudio ducuntur, proque ea fortiter ad mortem pergunt, et jacturam ſuorum ac fortunarum contemnunt, plus aequo ſaeviunt: nam irritari plerumque ſpectantium animos; et in confeſſo eſſe, id in multorum animis excitaſſe ſtudium cognoſcendi de ea doctrina quam in mediis flammis homines minime mali tam conſtanter profiterentur, ac poſtremo ipſos eam ſuſcepiſſe. Longe aliam antiquorum patrum rationem fuiſſe: Nam nec CCCXVIII in Nicaena ſyno-

Edit. Drouart. Tom II. 8vo. Edit. Lond. Tom. II.

do priore, ɪↄcxxx in Chalcedonenſi, cl in Conſtantinopolitana epiſcopos aliis armis quam Dei verbo contra Ariano, Macedonianos, ac Neſtorianos uſos eſſe; nec Conſtantinum, Valentinianum, Theodoſium, Marcianum, pios maxime principes, quidquam gravius in Sectarios quam exilium ſtatuiſſe. Itaque a ſuppliciis ac poenis temperandum videri: quod ſi neceſſitas ferat ut magiſtratu opus ſit, id ſaltem ſervandum in ſumendis ſuppliciis, ut loci, temporis, perſonarum, voluntatum, et qua de cauſa coetus coactus ſit, ratio habeatur.

p. 896. p. 19. *Dele* —— et quibus ludificationibus uſi ſint pontifices, ut eum ſpe laudabili, quam animo pius princeps conceperat, fruſtrarentur.

921. 29. *Dele* —— et poſt varias diſputationes ſumi poſſe placuiſſe dicebat, cum pontifex pro ſummo magiſtratu minime cenſeri debeat, ut qui Venaſcinenſem comitatum non jure, ſed vi Raimundo Toloſano olim ablatum poſſideat; nec vero pontificem ulla ratione magiſtratum aut principatum extra poteſtatem eccleſiaſticam in homines exercere poſſe: cum Chriſtus ſuis edixerit, reges terrae ſubditis dominari, non autem ſic ſuos imperaturos; quorum maximum inter ipſos minimum cenſeri velit.

962. 51. *Dele* —— Sed pontifex [1] de privatis affectibus tantum ſolicitus, ad cetera ſecurus, idem quod alii ante eum verebatur, nempe ne ſua ſibi potentia in ordinem cogeretur.

964. 52. *Dele* —— inſigni perfidia.

965. 53. *Dele* —— inſigni violatae fidei infamia cumulavit.

967. Ibid. *Dele* —— et de alia quavis re potius quam de munere paſtorali ſolicito.

1003. 69. *Dele laudes Alberti comitis Mansfeldii, viz.* —— Et in ſuperiore Saxonia Albertus comes Mansfeldius, Lutheri fautor eximius, et propter religionis cauſam varia diu fortuna jactatus, tandem ex aerumnoſae hujus vitae miſeriis evocatus, quietem, quam in longiſſima vita reperire non potuerat, in morte invenit; cum patriae lx annos praefuiſſet, lxxx vixiſſet: deceſſit iii Nonas Martias.

1009. 72. *Dele laudes Melanchthonis, viz.* —— Philippus Melanchthon Witembergae hoc anno obiit xiii Kal. Maias, aetatis ſuae climactericum diebus lxiii egreſſus, ex hemitritaeo, febribus fere lethali. Is Bretta oppido Palatinatus Rheni natus et Hidelberga oriundus, patrem habuit Georgium uſu tractandorum noſtro more armorum inſignem, ob idque Maximiliano Caeſari percharum; de cetero virum bonum et pium. Cum vero operam literis daret in ludo ad Hercyniae-portam tunc celebri, ſub Jo. Hungero et Georgio Simlero, in Joannis Reuchlini, viri ſua aetate doctiſſimi, familiaritatem venit; qui Philippi nomen, quod habebat ille familiae, ſignificans ſolum nigrum Germanico ſono in Graecum Melanchthonis mutavit; ſicuti ſuum a fumo deminutum ab Hermolao Barbaro olim in Italia in Capnionem converſum meminerat. Poſtea exortis in Germania propter religionem turbis perpetuus M. Lutheri aſſecla, longe diverſum tamen a doctore ſuo ingenium ad eam cauſam attulit. Nam cum omni ope anniteretur, ut fuga,

NOT. [1] Haec verba *de privatis affectibus tantum ſolicitus, ad cetera ſecurus*, in ed. Lond. omittuntur.

Edit. Drouart. Tom. II. 8vo. Edit. Lond. Tom. II.

doctrina quam tradebat eſſet perſpicua, et ambigua explicarentur, in eo ſumma alioqui erat altercationum ac rixarum fuga, et maximum tranquillitatis ac quietis ſtudium, ut niſi de neceſſariis contendendum minime putaret: nam poſſe conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Qua animi moderatione et aequitate, quanquam exacerbatis tunc temporis ſummopere omnium animis, maximorum tamen virorum opinione diſſidentium amicitiam ac benevolentiam meruit. Certe Franciſcus ante xxx annos, cognito Melanchthonis ſingulari ad ſedandas eas quae in eccleſiam invectae ſunt turbas ſtudio ex Gulielmo Bellaio Langaeo, protinus ad eum Guiſa ſcripſit, miſſo Barnaba Voraeo Foſſa; rogavitque, ut quam primum in Galliam ſe conferret, de unione doctrinarum cum ſelectis aliquot doctoribus acturus, quo pulcherrima illa ſacrae adminiſtrationis concordia ſarciri poſſet. Biennio vero poſt Jacobus Sadoletus epiſcopus Carpentoractenſis, cum Romam veniſſet et in cardinalium collegium praeter ſpem ac votum cooptatus fuiſſet, amantiſſimas literas ad eum dedit, quibus ſignificabat ardentiſſime expetere ſe, ut, quantumvis locorum ſpatiis et opinionum diſſidentia dividerentur, amore et ſtudiorum communicatione in poſterum conjungerentur. Sed qui obviam eam humanitatem in exteris ac diverſa ſentientibus probavit, longe contrariam fortunam inter ſuos et eandem religionem profitenteis expertus eſt. Nam exorta repente in Germania factio eorum, qui, ut ſe flagrantiore in religionis cauſa ſtudio verſari demonſtrarent, omnem conciliationis et concordiae ineundae mediam viam aſpernabantur, et ceteros paci ſtudenteis, quos Adiaphoriſtas et Interimiſtas, nominibus ad odium compoſitis, vocabant, ut deſertores et in pietatis negotio tepidos damnabant. Horum anteſignani fuere Matthias Flaccius Illyricus et Nic. Gallus, quibuſcum tota vita, viro tranquillitatis alioqui cupido, certamen fuit. In quo proinde poſt mortem reprehenſa eſt a ſuis ea, quam dixi, rixarum et contentionum fuga; praeterea nimium philoſophiae et mathematicarum artium ſtudium, atque illius praeſertim partis, quae ex aſtrorum poſitu ac concurſu de vita ac fortunis hominum decernit. Verum de iis omnibus diligenter et ornate admodum perſcripſit Joachimus Camerarius Melanchthoni tota vita conjunctiſſimus, cujus accuratam narrationem legiſſe, ut mihi jucundum fuit, ita ab iis, qui eccleſiae paci conſultum cupiunt, eam cognoſci non inutile exiſtimo.

" Et de hoc ſecundo tomo idem judicium perfero ac de
" primo: nam in hoc etiam tomo Thuanus concilium Tri-
" dentinum exagitat, ſummos pontifices identidem taxat,
" Haereticos laudat, praecipue Condaeum, Navarrum,
" Momorantium, ſeditionis Gallicae auctores, et Haeretico-
" rum principes fautores. Conſulantur interim illuſtriſſimi
" Perronus et Du Henry, qui, ut reor, auctorem hunc bene
" norunt, deque eo, an videlicet inter primae claſſis Haere-
" ticos ſit recenſendus, optime judicabunt.

D. Anton. Caraciolus,
Cl. Reg.

OB

OB argumenti ſimilitudinem, Hiſpanicae Inquiſitionis Cenſuram de primis octoginta libris Thuani Hiſtoriae, quos ipſe ſolos, dum vixit, publici juris fecerat, hoc loco collocare adducti fuimus.

Ex Indice Librorum prohibitorum et expurgandorum illuſtriſſimi ac reverendiſſimi D. D. Bernardi de Sandoval et Roxas S. R. E. preſb. cardin. tit. S. Anaſtaſiae, archiepiſc. Toletani, Hiſpaniarum primatis, majoris Caſtellae cancellarii, generalis inquiſitoris, regii ſtatus conſiliarii &c. auctoritate et juſſu edito, de conſilio ſupremi ſenatus ſanctae generalis Inquiſitionis Hiſpaniarum. Madriti, apud Ludovicum Sanchez typographum regium 1612, in folio.

Pag. 520. *Ex Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriarum ſui temporis libris* XXC: *tomo* I. *Pariſiis apud Ambroſium et Hieronymum Drouart, anno* 1606, *in folio.*

In Praefatione ad Henricum IV.

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. p. 2. — Edit. Lond. Tom. I. p. 3.

Poſt motibus vexat, [*dele* et deinceps vexabit, niſi tempeſtiva remedia, atque adeo alia quam quae hactenus adhibita ſunt, ab iis, quorum praecipue intereſt, adhibeantur. Nam experientia ſatis edocti ſumus, ferrum, flammas, exilia, proſcriptiones, irritaſſe potius quam ſanaſſe morbum menti inhaerentem: ad quem proinde curandum, non iis quae in corpus tantum penetrant, ſed doctrina et ſedula inſtitutione, quae in animum leniter inſtillata deſcendit, opus eſſe: alia quippe omnia pro arbitrio civilis magiſtratus atque adeo principis ſanciuntur; ſola religio non imperatur, ſed ex praecepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia, bene praeparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animos quam frangunt aut perſuadent. Quod de ſua illa ſapientia tam magnifice praedicavere Stoici, hoc nos multo juſtius de religione dixerimus. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio et dolor; et quicquid aliud incommodi eſt, virtute, quae ab illa praecepta opinione ingeneratur, obruitur. Nihil illi eorum quae ferenda ſunt diſplicet: quicquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur. Vireis ſuas novit; dumque ſe Dei gratia fretum putat, oneri ferendo ſe quoque parem futurum confidit. Stet illic licet carnifex, licet tortor ferrum et flammam admoveat, perſeverabit; nec quid paſſurus, ſed quid facturus ſit, cogitabit. Felicitas illi quippe domeſtica eſt, et ſi quid extrinſecus intervenit, leve eſt, et ſummam tantum cutem ſtringit. Quid, quod Epicurus ipſe, ab aliis philoſophis tanquam impurior notatus, de ſapiente ait, eum, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, Dulce eſt, et ad me nihil pertinet? An putamus minores iis animos fuiſſe, qui centum abhinc annis ob religionis cauſam diverſis ſuppliciis perierunt; aut porro futuros, ſi in iis perſeveretur? Audire eſt operae pretium, quid unus ex iis dixerit feceritque. Cum igni cremandus ad palum alligaretur, ibi genibus flexis canere coepit hymnum, quem fumus et ignis vix interrupit: et cum carnifex ignem poſt tergum, ne conſpiceretur, immittere vellet, Huc, inquit, accede, et ante oculos accende

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. Edit. Lond. Tom. I.

ignem; ſi enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, acceſſiſſem. Itaque non cruciatibus repreſſus ardor res novas in religionis cauſa molientium, ſed potius obdurati animi ad majora patienda ſive audenda. Nam ubi ex cineribus aliorum alii enati ſunt et numerus crevit, patientia in furorem evaſit; nec jam ſupplices, ut antea, ſed importuni expoſtulatores et flagitatores eſſe coeperunt; et qui ſupplicia prius fugiebant, ultro etiam arma intulerunt. Id jam quadraginta totos annos in Gallia, paulo minus in Belgio, cernimus: reſque eo tandem devenit, ut non unius aut alterius poena, quod fortaſſe ab initio licuit, malum, ne latius ſerpat, reſecari poſſit; ſed cum totos populos, totas nationes atque adeo maximam Europae partem pervaſerit, non jam magiſtratus ferro, ſed gladio Dominico opus eſt; nam doceri et moderata ratione ad colloquia et amicas collationes invitari debent, qui cogi non poſſunt. Fecit hoc B. Auguſtinus ad Proculianum partis Donatianae ſectarium ſcribens, qui etiam pro iis rogabat Donatum Africae procoſ. ne occiderentur: decere quippe verae religionis cultores, ut a perpetuo propoſito non recedant vincendi in bono malum; et quod alibi ad Caecilianum praeſidem ſcribit, ut tumor ſacrilegae vanitatis terrendo potius ſanetur, quam ulciſcendo reſecetur. Itaque in luculenta illa ad Bonifacium epiſtola idem ſubdit; in hujuſmodi-cauſis, ubi per graveis diſſenſionum ſciſſuras non hujus aut alius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, et majoribus malis ſanandis charitate ſubveniendum. Quod adeo in eccleſia obtinuit, ut ea ſententia ſemel atque iterum in Gratiani decretum tranſcripta ſit: quippe ita cenſebat vir pio ac miti ingenio, ea mala non aſpere, duriter, aut imperioſe tollenda eſſe, magiſque docendo quam jubendo, magis monendo quam minando profici; ſicque cum multitudine peccantium agendum, ſeveritatem autem exercendam eſſe in peccata paucorum; ac ſi quando minae ab iis qui praeſunt adhibeantur, id cum dolore fieri oportere, ultioniſque metum ex ſcripturis intentari debere, ne ipſi in ſua poteſtate, ſed Deus in eorum ſermone timeatur, ſicuti in epiſtola ad Aurelium epiſcopum ait. Et certe, ſi verum amamus, in ſacrae antiquitatis vetuſtis omnibus monumentis nullum ſupplicii de Sectariis ſumpti ac probati exemplum exſtare fateamur neceſſe eſt, eccleſiamque priſcam a cruore fundendo ſemper abhorruiſſe. Quod ſi quando accidit, id pii vere epiſcopi deteſtati ſunt; ut in Priſcilliano paruit, qui, exitiabilis doctrinae auctor, cum per Galliae eccleſias ac praecipue in Aquitania perfidiae ſuae ſemina ſparſiſſet, a Maximo, qui occiſo Lugduni Gratiano imperium uſurpaverat, alioqui bono principe, Auguſtae Trevirorum cum ſectatoribus ſuis capitali ſupplicio affectus eſt circa annum Chr. CCCLXXXIII, licet B. Martinus ab imperatore ſponſionem elicuiſſet, nihil cruentum contra reos conſtitutum iri, et Itacium epiſcopum alioſque inſtigatores ſedulo monuiſſet, ut ab accuſatione deſiſterent; nam et id ceteri epiſcopi tanquam inique factum improbaverunt: Et quanquam Itacius callido jam ſcelere perfecto invidiam verens fruſtra ſe ſubtraxiſſet, tamen poſtea a Theogniſto damnatus eſt: vixque B. Martinus, ac non niſi extrema

ma

ma neceſſitate cogente, cum illa Itacianae partis communione miſceri voluit. Ipſe B. Ambroſius a Valentiniano imp. puero, Gratiani interfecti fratre, ad Maximum ſub id miſſus in relatione ſua teſtatur, cum Treviris eſſet, abſtinuiſſe ſe ab iis epiſcopis qui Itacio communicabant, et a fide devios ad necem petebant. Cum vero ex furialium illorum epiſcoporum ſententia Maximus poſtea decreviſſet tribunos ſumma poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui Haereticos inquirerent, deprehenſis vitam et bona adimerent, idem B. Martinus apud eum tenuit, ut decretum revocaretur. Erat quippe viro pio ſolicitudo, ut non ſolum Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed etiam ipſos Haereticos liberaret; et animo providebat tempeſtatem illam, niſi averteretur, maximam ſanctorum turbam depopulaturam eſſe, parvo tunc inter hominum genera diſcrimine, cum quiſque ſolis oculis dijudicaretur, et pallore potius aut veſte, quam fide, Haereticus aeſtimaretur. Priſcilliano autem occiſo, non ſolum non coercita eſt haereſis, quae illo auctore proruperat, ſed confirmata ac latius propagata eſt, et ſectatores ejus, qui illum ut ſanctum prius honoraverant, poſtea ut martyrem colere coeperunt, corporibus peremptorum in Hiſpaniam relatis, et magnis exſequiis celebrato eorum funere: quin et eo profecta eſt adſectantium ſuperſtitio, ut per Priſcillianum jurare ſumma religio haberetur: ex eoque inter Gallicanae eccleſiae epiſcopos perpetuum diſcordiarum bellum exarſerit, quod totos quindecim annos agitatum vix dum ſopiri diu poſt potuit, plebe Dei interim et optimis quibuſque ad probrum et ludibrium expoſitis. Quae verba quoties apud Sulpitium Severum, qui res illius aevi pari elegantia ac fide ſcripſit, lego, toties ſubit animum imago temporum pueritiae meae, cum, primum exortis ob religionem in Gallia motibus, homines non ex moribus aut ante actae vitae innocentia, ſed ex vultu ac pallio ſuſpecti, oculis ad caedem deſignarentur, et inter aeſtus contentionum et odia, gratiam, metum, inconſtantiam, ſomnum, deſidiam, et arrogantiam eorum qui ſummae rerum praeerant, regnum factionibus ſcinderetur, et regni turbata quiete religio ipſa in periculum vocaretur. A B. Martini temporibus deinceps mitius cum deviis a fide, in eccleſia actum eſt, tantumque aut loco pulſi, aut pecunia mulctati ſunt; ſanguini ſemper parcitum fuit. Cumque anno S. CIↃ LX quidam ex Berengarii archidiaconi ſectatoribus illius doctrinam in Eburonibus, Atuaticis, et aliis Belgii populis diſſeminarent, Bruno Trevirorum archiepiſcopus eos dioeceſi ſua expellere ſatis habuit, ceterum cruore abſtinuit. Nec ſeverius ii deinceps ab eccleſia habiti, donec ad Valdenſium tempora ventum eſt; contra quos cum exquiſita ſupplicia parum proficerent, et remedio, quod intempeſtive adhibitum fuerat, malum exacerbaretur, numeruſque eorum in dies creſceret, juſti tandem exercitus conſcripti ſunt; nec minoris molis bellum, quam quod antea noſtri adverſus Saracenos geſſerant, contra eoſdem decretum eſt; cujus is exitus fuit, ut potius caeſi, fugati, bonis ac dignitatibus ubique ſpoliati atque huc illuc diſſipati ſint, quam erroris convicti reſipuerint. Itaque qui armis ſe initio tutati fuerant, poſtremo armis victi in Provinciam apud nos et Gallicae ditionis Alpeis vicinas confugerunt, latebraſque

Edit. Drouart. Edit. Lond.
Fol. Tom. I. Tom. I.

braſque vitae ac doctrinae ſuae iis in locis repererunt: pars in Calabriam conceſſit, in eaque diu, atque adeo uſque ad Pii IV pontificatum, ſe continuit: pars in Germaniam tranſiit, atque apud Bohemos et in Polonia et Livonia larem fixit: alii ad occidentem verſi in Britannia perfugium habuerunt. Nam ab eorum reliquiis ortus Joannes Wiclevus putatur, qui diu Oxoniae docuit, et ante ccc annos poſt varias de religione concertationes morte fatali deceſſit; in mortuum enim tantum a magiſtratu animadverſum fuit, oſſibus ejus diu poſtquam obiit publice crematis. Hinc alii atque alii ſecuti ſunt uſque ad noſtram aetatem; qua poſt infeliciter tentatam ſuppliciorum ſeveritatem, res a diſputationibus ad aperta bella et totas populorum defectiones in Germania, Anglia, ac Gallia devenit; incertum majore publicae tranquillitatis an religionis ipſius detrimento, ſciſſura inde facta ac confirmata, et ab iis qui poſſunt et debent nimis diu neglecta. Quae non tam a me dicuntur ad retractandam toties de Sectariis ſupplicio afficiendis vexatam quaeſtionem, neque enim id tempori aut conditioni meae convenit, quam ut oſtendam, prudentiſſime et ex inſtituto veteris eccleſiae principes eos feciſſe, qui bella ob religionem exorta potius vel cum iniquiſſimis conditionibus amice componi, quam armorum vi confici, debere cenſuerunt. Id vidit Ferdinandus ſapientiſſimus princeps, qui, bellis longe maximis ac periculoſiſſimis ſub Carolo V fratre in Germania exercitatus, cum experientia didiciſſet coepta armis adverſus Proteſtanteis hactenus male ceſſiſſe, poſtquam felicibus auſpiciis imperium inivit, religionis pacem ſolemni decreto ſanxit, quam repetitis vicibus ſemper poſtea confirmavit: et cum videret melius per amica colloquia religionis negotium procedere, ejuſque rei, aliquoties ſub fratre indictis Ratiſponae et Wormatiae olim conventibus, periculum feciſſet, paulo ante mortem, poſt peractum Tridenti concilium, Proteſtantibus, qui ad illud non venerant, ſatisfacere cupiens, novum rurſus cum iis colloquium ex Maximiliani filii prudentiſſimi principis conſilio inſtituere voluit; ad idque Georgium Caſſandrum, virum doctum et moderatum, delegit, qui cum adverſae partis paſtoribus controverſa Auguſtanae confeſſionis capita amice retractaret. Sed adverſa viri optimi valetudo et utriuſque accelerata mors fructum ex eo ſperatum Germaniae invidit. Idem Germanorum exemplo poſtea Poloni optimates in ſua republica ſtatuerunt. Emanuel autem Philibertus Sabaudiae dux, poſtquam pacis nobiſcum factae beneficio in antiquam ditionis amiſſae poſſeſſionem reſtitutus eſt, cum, ſive ad excitandam ſui in Italia famam, ſive ut aliis vel cum periculo ſuo gratificaretur, damnoſo ſe adverſus Convall'enſeis bello temere implicuiſſet, matura poenitentia errorem emendavit, permiſſa innocentibus alioqui populis religionis libertate, pacemque cum iis factam deinceps religioſe ſervavit. Ad noſtra nunc venio, et ulcus tractare aggredior, quod valde vereor ne vel tantum tetigiſſe mihi fraudi ſit. Sed quando hunc ſermonem ſemel ingreſſus ſum, ut verbo expediam, dicam ingenue, nam ſub te licet, bellum non eſſe legitimum modum tollendae ex eccleſia ſciſſurae: Proteſtanteis quippe apud nos, qui per pacem numero et auctoritate in dies minuebantur, inter arma ac diſſenſiones ſemper creviſſe; et, ſive praepoſtero religionis

2 ardore,

ardore, ſive ambitione ac rerum novandarum ſtudio, a noſtris longe pernicioſiſſimo errore peccatum eſſe, qui bellum internecinum contra Proteſtanteis ſaepius ſuſceptum ac compoſitum, toties infauſtis Galliae auſpiciis, magno religionis ipſius periculo renovarunt. Quid verbis opus? res clamat ipſa. Nam poſt varias turbas et per eas toto regno innumeras urbeis occupatas, cum iis reſtitutis anno LXIII pax reddita fuiſſet, mirum quanta repente ſerenitas refulſerit, quam laetum illud quadriennium bonis omnibus fuerit, religione in tuto collocata, et conditis ab integerrimo juris moderatore optimis legibus, quarum nunquam Galliam poenitebit; donec vergentibus fatis ſecuritatis publicae per eas conſtitutae nos taedere coepit, et repudiatis pacis conſiliis ad bellum inclinavimus, non ſolum nobis, ſed conſultoribus ipſis poſtremo funeſtum. Quos velim heic dicere, ſatis intelligunt, qui quid inauſpicato Baionae colloquio tunc actum ſit non ignorant. Ex illo ſiquidem tempore cuncta apud nos exotica fraude jam tum deluſos ad inſidias et arma parari coepta: tum et Albanus cum potenti exercitu in Belgium miſſus, qui, abdicata Margaritae Parmenſi, quae cum ſumma moderatione provincias illas adminiſtraverat, auctoritate, ferro et flammis omnia miſcuit, arces ubique exſtruxit, libertatem inſolitis vectigalibus ad belli ſubſidia impoſitis labefactavit, et civitates opulentas infracta libertate, quaſi praevalida corpora cibo ſubtracto, ad maciem adduxit. Haec vero dura et praerupta conſilia populorum inſecuta eſt deſperatio, ac poſtremo defectiones; quae utcunque ad tempus compoſitae tandem hunc exitum habuerunt, ut major et opimior pars, atque ad navigationes, quibus maxime opes illarum provinciarum conſtant, opportunior, a reliquo corpore quaſi avulſa nunc Ordinum auctoritate adminiſtretur, et bellum non ſolum cum altera parte, ſed cum univerſis Hiſpanorum viribus jam pridem feliciter gerat. Quod ne accideret, veritus multo ante Franciſcus Balduinus Atrebas, clari nominis hac aetate JC, conſilium dederat Belgii proceribus, ut libello ſupplici porrecto libertatem Proteſtantibus, qui tunc ubique exagitabantur, a Philippo impetrarent, ſuppliciorum et in ſuſpectos inquirendi intermiſſa ſeveritate; eaque de re librum Gallice conſcripſerat, quo demonſtrabat, colloquiis et aequabili jure inter diſſentienteis conſtituto religionis per controverſias jactatae negotium melius quam vi et armorum via confici poſſe; in qua ſi pergeretur, fore providebat, ut Proteſtantium vires tunc exiguae et huc illuc ſparſae per factiones jungerentur, et a concertationibus verborum ad arma et defectiones olim deveniretur. Hominis Belgae de Belgio augurium eo libentius commemoravimus, praeſertim apud te, quod is, cum Proteſtantium doctrinam ab initio amplexus eſſet, et poſtea diligenti patrum lectione aliter perſuaſus mutaſſet, tamen eam animi aequitatem ſervaverat, ut non odio, quod plerique faciunt, implacabili adverſus eos, a quibus diſceſſerat, ferretur, ſed, raro Chriſtianae charitatis ad hoc aevum exemplo, errore proprio admonitus alieni commiſeratione tangeretur, omnemque operam daret, ut, quod novandi ſtudio et temeritate peccatum fuerat, melioris antiquitatis revocata in uſum memoria officioſe corrigeretur. Ea mente cum eſſet, e Ger-

e Germania in Galliam reverſus, conſilium ſuum juxta prudens ac pium sereniſſimo parenti tuo facile probavit, et in ejus familia honorificum locum tenuit, conſiliis nonnunquam adhibitus, et erudiendae fratris tui naturalis pueritiae appoſitus. Valeant igitur importunae illae jactationes, quibus homines, religionis videlicet ſupra alios amantes, in Gallici nominis invidiam tamdiu gloriati ſunt, quod nunquam paci cum Haereticis ſubſcripſerint: videant quo praeclara tandem ſua illa conſilia evaſerunt, amiſſaſque florentiſſimas provincias et cum iis opes ſuas damnoſe conſumptas moereant. Quam vellent illi nunc exemplo noſtro, quod adeo tunc artificioſe deteſtabantur, ſapere; quantoque pretio redimerent tot annorum jacturam, quos ſi utiliter contra communes Chriſtiani nominis hoſteis impendiſſent, jampridem eos Pannonia et utraque Mauritania magna cum ſua gloria, nec minore emolumento, exegiſſent? Sed vereor, ne, quam in illis deſideramus prudentiam, alii merito in nobis requirant: qui, ſive proprio furore incitati, ſive illorum, quos dixi, inſtigatu, perniciosiſſimis longe turbis interim occaſionem dedimus; quibus urbes direptae; templa, quibus primorum motuum rabies pepercerat, a fundamentis everſa; deſolatae provinciae, et renovata odia, quae pace ſopita fuerant; ſuſpiciones auctae, et arma poſita, ut acrius reſumerentur. Tamen et poſt iſta pax tandem facta; quae quo laetior, eo majore piaculo ac ſempiterna, hoc vovere licet, oblivione ſepeliendo violata eſt; laniena biennio poſt ſecuta, quae te, Domine, quem Deus reſtituendae rei Gallicae olim deſtinabat, paene abſorpſit. Caphareum hunc praetervectis alii atque alii intra duos annos occurrunt ſcopuli, ad quos pari imprudentia factum naufragium, Nnuminis ira haud diu tardante, et per principis generoſi mortem, aliena potius culpa quam propria voluntate lapſi, Franciae ſcelus ulciſcente. Quid ſucceſſor ejus? E Polonia rediens, cum, Maximiliani Caeſaris et ſenatus Veneti, apud quos in itinere diverterat, ſpretis ſalutaribus conſiliis, bellum, quod illi diſſuaſerant quodque ſupplices ab eo Proteſtantes deprecabantur, quam pacem in regni ingreſſu maluiſſet, mox poenitentia ductus mutavit; et triennio poſt pacificatorium edictum condidit, quod peculiariter ſuum vocare conſueverat; totoque ſeptennio pax alta fuit, niſi ſi aliquibus locis per intervalla ac diſcurſationes militum, de cetero haud magna belli mole, interrupta eſt; donec homines otii impatientes, cum indigne ferrent eo res per pacem deduci ut Gallia ipſis facile careret, bellum funeſtiſſimum alieno maxime tempore excitarunt; ad quod ſe fatali caecitate rex, ab iis qui circa ipſum erant male conſultus, cogi paſſus eſt, armis initio contra te in ſpeciem verſis, quae mox in ipſius caput reciderunt. Horret animus ad recordationem deteſtandi parricidii, non ſolum cum aeterna nominis Francici ignominia, ſed ipſorum, qui tantopere tunc ob id laetati ſunt, infamia conjuncti: quod regnum et cum regno religionem ipſam inextricabili proculdubio involviſſet exitio, niſi tu, Domine, inſperato Dei noſtrae ſaluti invigilantis beneficio in haec tempora reſervatus, ſtantis columnae inſtar, labantem remp. fulciſſes, et praecipitem publicae calamitatis obvia cuncta obterentis rotam virtute tua ſufflaminaſſes; perilluſtri interim

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. Edit. Lond. Tom. I.

terim exemplo per teipſum edito, cetera legibus humanis ſubjici, religionem ſolam, quod jam dixi, nec cogi nec imperari poſſe. Nam tot adverſitatibus inter bella civilia a puero conflictatus, a compluribus eodem tempore exercitibus circumventus, poſt tot cladeis partim acceptas, partim datas, vinci quippe et vincere perinde tunc calamitoſum erat, cum in priore propoſito, quaſi in veſtigio pugnans, ſemper antea perſeveraſſes, ad ſpes aeque ac terrores infractus, tandem ubi cuncta virtuti tuae cedere ſenſiſti, ſupplicibus tuorum votis exoratus ultro ceſſiſti, et in ipſo victoriarum curſu te vinci paſſus, adſpirante Dei gratia, majorum religioni nomen dediſti. Eandem poſtea aequitatem, qua moderatione animi es, quam tibi fructuoſam fuiſſe expertus eras, erga tuos ſervaſti, revocatis, quae contra Proteſtanteis atque adeo contra te praeter deceſſoris tui voluntatem publicata fuerant, edictis; et poſt pacem non ſolum cum tuis, ſed cum externis principibus magna cum nominis tui laude factam, unum atque alterum edictum in Proteſtantium gratiam conditum tertio confirmaſti, quo eos bonis ac laribus, necnon famae et honoribus reſtituiſti, pleroſque etiam ex iis primariis dignitatibus ornaſti; ratus futurum, ut, detumeſcentibus ſenſim odiis, concordia edictis ſancita inter infeſtos commodius ſarciretur, et per eam ſerenitate mentibus reddita, quid in religione optimum, hoc eſt, quid antiquiſſimum, ſummotis affectibus, quaſi diſcuſſa nube, facilius dignoſceretur. Hanc nimirum agendi viam boni illi patres, cum iis qui opinione prava aut aliqua ſimultate ſuperbientes a regula et communione eccleſiae deerraverant, ſibi inſiſtendam ſemper arbitrati ſunt, ut charitate potius quam vincendi ſtudio ſe duci oſtenderent. Sic B. Auguſtinus ubique Pelagianos, ſic Optatus Milevitanus ei coaevus Donatiſtas, fratres vocant: ſic ante eos B. Cyprianus optare ſe et conſulere pariter ac ſuadere ait, ut, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, et conſentientis populi corpus unum gremio ſuo mater gaudens includat: plerique ſiquidem inter eos quibuſcum diſſidium nobis eſt reperiuntur, quibus, ut ipſius Auguſtini verbis utar, in occulto propoſitum eſt ſedatis remeare turbinibus; ac ſi eadem perſeverante tempeſtate prohibeantur, metuantve ne ſuo reditu talis vel ſaevior oriatur, voluntatem infirmis conſulendi retinent, ſine ulla conventiculorum ſegregatione, ad mortem uſque defendentes et teſtimonio ſuo adjuvantes eam fidem quam in eccleſia Catholica praedicari ſciunt, contumelias et injurias utrinque inflictas pro pace eccleſiae patientiſſime ferentes, exemploque ſuo docentes, quo affectu ac charitatis ſinceritate Deo ſerviendum ſit. Hac ratione cum et experimento edoctus et exemplo tuo confirmatus paci eccleſiae conſulendum ducerem, ab omni inſectatione abſtinui, et Proteſtanteis, praecipue eos qui in literis excelluerunt, honorifice ſemper appellavi; nec noſtrorum vitia tacui, quippe qui ſic cum viris optimis ſentiam, longe falli eos, qui putant haereſibus, quae multiplices totum fere orbem hodie vexant, plus virium ac roboris in ſuorum Sectariorum malis animis ac verſutiis, quam in noſtris vitiis ac ſceleribus, ineſſe.] Utrique

p. 10. p. 12. *Poſt* ſublatis [*dele* ex eccleſia et] republica

Poſt

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. — Edit. Lond. Tom. I.

p. 13. p. 16. *Poſt* academiam, [*dele* cui et inſigne ornamentum addidiſti,] evocato

Ibid. Ibid. *Poſt* Caſaubono [*dele* altero hujus ſaeculi lumine,] eique

Ante initium lib. 1. *adſcribatur bujuſmodi antidotus*, "Totum hoc opus Hiſtoriarum Thuani cautiſſime et cum judicio legendum, eo quod multa honorifice ab ipſo in favorem Proteſtantium dicantur.

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. — Edit. Lond. Tom. I.

p. 2. p. 5. *Poſt* Calabria. [*dele* Auxit Ferdinandi perfidiam quod] cum

Ibid. 6. grande [*dele* perfidiae ſuae] lucrum

3. 8. II [*dele* immoderato aeſtu omnia bellis miſcendi etiam in decrepita aetate ardens, muneris paſtoralis oblitus et] tot

Ibid. Ibid. conſcribitur. [*dele* Quam perfidiam] ut

8. 15. impuri [*dele* patris] omnique

Ibid. Ibid. et [*dele* laudabili perfidia] in

Ibid. Ibid. ut [*dele* temere et injurioſe] rex

Ibid. 16. in [*dele* caput et] membra

Ibid. Ibid. ſenis [*dele* inaneis] diras

Ibid. Ibid. obnuntiatione [*dele* generoſe] revicerit

10. 18. eſt: [*dele* nec defuerunt qui jam tum culpam potius in Leonem rejicerent: neque enim novum aut ſine exemplo eſſe apud nos regum eam poteſtatem fuiſſe, praecipue in prima et ſecunda familia, ut epiſcopos inſtituere, accedente provincialium epiſcoporum inauguratione, et aliquando etiam deponere poſſent. Id vero in eo, qui ipſe fratrum ſuffragiis eligatur, novum et minime ferendum fuiſſe, quod epiſcopos et alios praeſules eligendi poteſtatem iis, ad quos jure divino et ſacris patrum decretis pertinet, ademptam, ad ſe ſumma injuſtitia traxerit, ut eam pretio accepto et cauſa religionis impia praevaricatione prodita Chriſtiani orbis principibus turpiter divenderet. Peccatum tunc in ſacris muneribus diſpenſandis admiſſum Leo mox longe graviore cumulavit. Nam cum alioqui ad omnem licentiam ſponte ſua ferretur, Laurentii Puccii cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undique corrogaret, miſſis per omnia Chriſtiani orbis regna diplomatis omnium delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quiſque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias quaeſtores et aeraria ordinavit, quibus additi praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, et orationibus artificioſe compoſitis, propoſitiſque palam libellis, rei efficaciam immoderate extollerent; quod licentioſe nimis a pontificiis miniſtris paſſim, atque in Germania praecipue, fiebat, ubi, qui redimendam pecuniam Romae a pontifice conduxerant, per luſtra et popinas quotidie ſine pudore in aleae luſum uſuſque turpiſſimos poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant.] Tunc

11. 19. opponeret, [*dele* nec, ut de corrigenda quaeſtorum audacia et impudentia cogitaret, adduci poſſet, irritatum potius, quam ſanatum vulnus eſt] majoriſque

Ibid. 20. ſemper [*dele* innata vanitate an perfidia] perſequebatur

12. Ibid. inſidias [*dele* nefaria fraude] ſtruxerat

2

deditur

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 14.	p. 23.	deditur. [*dele* Caeſar, ut injuriam ſibi a Clemente illatam ulciſceretur, nominis pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet, exemplo ab Hiſpanis ipſis poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſervari.] Eodem
15.	24.	creatur, [*dele* abutente Chriſtianorum paſtore Chriſtianorum principum viribus, ut privatae ambitioni et ſuorum libidini inſerviret:] quod
Ibid.	25.	doctrina, [*dele* ac poſtremo corpuſculi adfectata imbecillitate, profundam ambitionem diu celaverat,] quam
20.	32.	appellaret. [*dele* Certe in reliqua vita ita ſe geſſit ille rex, ut eum, ſi aequiores et prudentiores pontifices nactus ſuiſſet, ſponte ſe ſubjecturum ipſorum poteſtati ſuiſſe appareret.] Bolena
22.	35.	libidine; [*dele* et inter haec graſſante Caeſaris, et nutante pontificis, cujus auctoritas in dubium revocabatur, fortuna. Nam cum praecipiti et inconſiderata Leonis X ſeveritate irritatus Lutheri animus omnino ſe ab eccleſia Romana ſeparaſſet, plerique per Germaniam, qui ab eo admoniti multa non in diſciplina ſolum, ut aiebat, ſed etiam in doctrina, ſacerdotum ambitione et avaritia introducta corrigi debere cenſebant,] cum
24.	37.	componerentur: [*dele* idem actum et poſtea Spirae inſtantibus Proteſtantibus: quod unice reformidabat Clemens, qui, quantum ex diſciplinae emendatione auctoritatis et ornamenti eccleſiae accederet, tantum de amplitudine et poteſtate ſua detrahi exiſtimabat. Tandem ab invito id extortum eſt, poſtquam, capta Florentia et dominatione Mediceae domus in ea ſtabilita, inſtanti Caeſari honeſte amplius denegare non potuit. Sed cum rem in longum miris ludificationibus extraheret, onus ſucceſſori reſervatum morte praeventus impoſuit.] Itaque
35.	52.	reſtituerat, [*dele* poſteris aeque damnoſa ac ignominioſa] pactione
Ibid.	Ibid.	inauguraſſet. [*dele* Ita Romanorum pontifex, ab imperatoribus primum creari aut conſtitui ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos principatus conſtituendi ad ſe paulatim traxit.] Id
40.	58.	vertiſſe, [*dele* peſſimo, ſed ſolemni et uſitato pontificibus Romanis, ſicuti Proteſtantes jactabant, conſilio, qui eos inter Chriſtianos, qui ipſorum nimiam potentiam in dubium vocant, capitaliori odio quam ipſos Chriſtiani nominis hoſteis hactenus ſemper perſecuti ſunt.] Igitur
Ibid.	59.	Capitone [*dele* perfectiſſimam] linguae
Ibid.	Ibid.	curavit, [*dele* et inſtituta typographica officina maximum ad ſolidam rerum Hebraicarum intelligentiam momentum attulit.] Cum
42.	61.	terrae [*dele* honorifice] mandaretur
43.	63.	praeficitur. [*dele* Heic Gutlingus ab Ulrico miſſus, vir vehemens, de omnium conſenſu hanc ad milites orationem habuiſſe fertur. Si de laude et gloria, commilitones, in hoc bello tantum ageretur, tamen ſperarem vos majorum veſtrorum memores, qui toto terrarum orbe plurima ubique nominis ſui trophaea fixerunt, animis et robore non defuturos, ut partam retro ſaeculis famam virtute tueremini: Nunc, cum

non de vita et fortunis tantum, quanquam et haec quoque petuntur, ſed, quod iis omnibus pretioſius eſt, de libertate et religione certamen ſit, non dubito vos eo animoſius annixuros, quo non jam patriam et homines, quibus multa debetis, teſteis, ſed Deum ipſum, cujus omnia noſtra ſunt, inſpectorem habetis, cui nunc conſiliorum et virtutis veſtrae rationem redditurі eſtis; nam vitae et ceterorum, quae ad vitam commode degendam neceſſaria ſunt, jacturam, famae et gloriae comparatione leviter ferimus; quandoquidem ea multis caſibus obnoxia extra nos potius quam noſtra ſunt. Nec enim de vita heic multum ſoliciti eſſe debemus, quibus potioris vitae poſt mortem ſpes eſt; verum pro illa in hac nobis elaborandum eſt, ut nos in hoc reſpirandi interuſurio ſic geramus, ut beatitudinis aeternae bona non amitttamus: His auſpiciis fidem dedimus, commilitones; in hoc ſigna extulimus; haec ſumma conſiliorum, quae nunc agitantur, hic finis eſt. Libertatem virtute veſtra partam, machinis et aſtu cum hactenus Dei hoſtes avellere nequiverint, nunc armis et per vim eripere conantur; et ille quidem, qui ſe paſtorem, qui ſe Agni pacifici vicarium profitetur, quos verbo Dei in pace paſcere debuerat, ferro et flammis atrociter exagitat; pontificem Romanum dico, qui tot turbarum auctor, Caeſarem prudentiſſimum alioqui et clementiſſimum principem ad arma contra nos capeſſenda ſuſcitat, ut acceptam ſcilicet a Germanis, nam id vulgo jactatur, in urbe poſtremo capta et direpta duce Carolo Borbonio injuriam, eodem, cujus auſpiciis illata eſt, miniſtro et vindice in inſonteis ulciſcatur. Quod etſi iniquiſſimum eſt, tamen patienter ferendum eſſet, quando nos falſam doctrinam amplecti paſſim blaterant, ſi nullum juſtius aut magis neceſſarium orbi Chriſtiano et ipſius adeo cervicibus bellum immineret. Nunc cum quotidie Turcam cum potentiſſimo exercitu in Pannoniam deſcendere afferatur, jamque et Peſtae et Budae praefectos frequenteis delectus habere, quid aliud cogitare illum putemus, qui ſibi Chriſtiani gregis cuſtodiam arrogat, quam belli tam juſti curam omittere, ut lupis ovile incuſtoditum prodat, et ipſe lupis ſaevior miſeras oveis, a quo ſibi potius caveant anxias, membratim diſcerpat? Quid enim meruimus, qui pro religione et libertate tot annos oppreſſa foedus percuſſimus? Qui citra majeſtatis imperatoriae offenſionem, et obſequii, quod Caeſari, prout debemus, integra fide ſemper praeſtitimus, id unum egimus, ut nemini religio, cujus confeſſionem publice exhibuimus, fraudi eſſet, et emendationis per Saxonicas eccleſias recepta formula ſervaretur, donec, libero ac legitimo in Germania coacto concilio, controverſiae exortae componerentur? Quid, quod promiſſa repoſcimus? Quod Caeſarem ad Spirenſia comitia, et decretum in his ipſo conſentiente factum vocamus? Nam licet poſtulata noſtra aequa non eſſent, tamen quia Caeſar fidem interpoſuit, et comitiorum auctoritas acceſſit, quod petimus, praeſtari debuit. Nos contra impietatis et perduellionis invidia oneramur, ne, cum de Romani pontificis crudelitate et perfidia queri velimus, audiamur. Callide id et aſtute, atque ex ingenio vere illius, cujus ſe miniſtrum potius appellare debuit, qui per calumnias et diſcordias inter nos hodie graſſatur, ut Chriſti regnum, quod pace

Edit. Douart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. I.

ſtat, ſparſis diſſidiorum ſeminibus evertat. His artibus a nobis Caeſaris animum avertit, qui pravis pravi hortatoris conſiliis impulſus, exuta Germaniae, quam prae ſe ſemper tulit, charitate, nos bello perſequi decrevit. Cujus quoniam aures ſupplicationibus et votis noſtris clauſas hactenus experti ſumus, reliquum eſt ut juſtis armis contra injuſtam vim nos tueamur. Maximas et certiſſimas, quae nobis abunde ſuppetunt, vireis parvi aeſtimarem, niſi pro religione et patria, quae ſecundum religionem proxima eſt, ſumpta arma proſperaturum Deum confiderem. En illae adſunt, majores propediem futurae, ubi ceteri, quos juſtae cauſae favere certo ſcimus, convenerint. At hoſtis, quamvis in eam curam tot jam annos intentus, quam ambiguis tamen reſponſis ſemper diſſimulavit? neque nunc etiam diſſimulare erubeſcit, fruſtra hactenus promiſſa auxilia expectat, et ab iis, quos imparatos opprimere ſperaverat, ipſe imparatus opprimi periclitatur, ut Deo nos curae eſſe et cauſam noſtram jam nemo vel ex hoc indicio dubitare poſſit. Habuit ſemper et habitura eſt oppugnatores veritas et innocentia: quid enim mirum, cum virtutem, quae fere proſperis frangitur, adverſis exerceri et acui conſtet? Sed nec defuerunt, aut unquam deerunt, qui, ſeu divina ope freti, ſive humanis praeſidiis adjuti, utramque tueantur. Macti ergo eſtote, commilitones, iſta ſpe et fiducia: jam duces aderunt Jo. Fridericus et Philippus, in quibus aeque pietas et militaris virtus eminet; aderit ipſe Ulricus; qui vobis non ſolum in vi propulſanda operam praebebunt, ſed et in inferenda, ſi opus fuerit, adjutores erunt. Interea, ut omnia recte adminiſtrentur, neve hoſti incautos nos invadendi detur occaſio, Ulricus Hedecum, virum et nobilitate et virtute inſignem, cui pareatis vobis praefecit. Cetera Deo, cui nos chariſſimos eſſe perſuaſum merito habemus, permittite. Illo ſiquidem auſpice, et violatae religionis ac perfidiae acerrimo vindice, nihil eſt quod in juſta cauſa jure metuere aut reformidare debeatis. Perorantem laetis clamoribus excepere milites, belli invidia a Caeſare, quem etiamnum venerabantur, in Romanum pontificem tranſlata.] Jam

p. 46. p. 66. poteſt? [*dele* atqui hoc agitur impulſu Romani pontificis, qui, jam faſcinatis omnium Chriſtianorum principum mentibus, ne quid ſit quod immoderato ſuo imperio reſiſtat, libertatem Germaniae oppugnare conſtituit, et, cum religionis cauſa libere et pacifice tractari debeat, vim et turbas adhibet, quo tam bonum opus ex ipſius arbitrio conficiatur; ſin minus, omnino interrumpatur.] Nam

54. 77. Sleidanus, [*dele* cujus fidei et diligentiae multum tribuo in explicandis foederatorum conſiliis,] culpam

73. 101. illam [*dele* ſaeviſſime] in

Ibid. Ibid. exercuerat. [*dele* Augebat horrorem perverſa et praepoſtera judiciorum forma, quae contra naturalem aequitatem et omnem legitimum ordinem in juriſdictione illa explicanda obſervatur. Tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem quicquid delegatis judicibus libebat, a miſeris et innocentibus reis, ut ſe cruciatibus eximerent, per vim extorquebatur; quo fiebat, ut non tam pietatis tuendae cauſa eam inventam dicerent, cui alia via ſatis ex antiqua ecclesiae

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
		cleſiae diſciplina proſpectum eſſet, quam ut, everſis iſta ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearetur.] Itaque
p. 75.	p. 104.	conceſſit, [*dele* princeps omnibus naturae donis cumulatiſſimus, et in quo, ſi in voluptates ſolutior non fuiſſet, nihil merito deſiderare poſſes: nam poſt divortium, niſi quod pontificiam auctoritatem execratus ſe caput eccleſiae conſtituit, nihil in religione mutavit, ſicut jam diximus, et epiſcopos fere bonos et doctos totis illis XIV annis, quibus ab Romana eccleſia ſe ſeparavit, in regno ordinavit, doctorum et literatorum fautor eximius.] Ingraveſcente
76.	105.	Eraſmus, [*dele* grande hujus ſaeculi decus,] ob
78.	108.	Stephanum [*dele* doctiſſimum et peritiſſimum] rei
83.	114.	Sleidano [*dele* diligentiſſimo] rerum
86.	117.	Nec [*dele* vaticinio] exitus
Ibid.	118.	ſpectaverat: [*dele* ita verum illius vaticinium fuiſſe eventu comprobatum eſt.] Sedato
88.	120.	annos [*dele* magna fama] docuerat
Ibid.	Ibid.	philoſophiae [*dele* plenam] cognitionem
Ibid.	Ibid.	ſtudiis [*dele* gnaviter] incubuit
Ibid.	Ibid.	incubuit: [*dele* unde illius ordinis ſodalium facile princeps habitus, cum in mores eorum ſeverius animadverteret, magna invidia laborare coepit; quam ut amoliretur,] Neapolim
Ibid.	Ibid.	celebratum; [*dele* in quorum numero etiam recenſetur Victoria Columna, Ferdinandi Avali marchionis Piſcarii quondam uxor, ingenio, pietate, et modeſtia cum paucis comparanda.] Sed
Ibid.	121.	Senenſi [*dele* magnae eloquentiae] concionatore
89.	Ibid.	Uticenſis [*dele* Chriſtianorum in Hebraicis longe doctiſſimus, qui ad maximas chariſſimi praeceptoris laudes hanc adjecit, quod Hebraicorum carminum rationem, quae hactenus nobis incognita eſt, perſpectam ille habuerit, quam et ſe ſcriptis aliquando traditurum receperat.] Eodem
Ibid.	Ibid.	fixerat, [*dele* aſtronomiae, quam poſt Regiomontanum opere illo egregio reſolutarum tabularum maxime illuſtravit, ſcientia inſignem, et illa in primis, quae ex poſitu aſtrorum de cujuſque fortunis judicium fert, multis obſervationibus ab illo locupletata.] Romae
103.	140.	repetens, [*dele* et aſtu pontificis Romani haec fieri, qui Caeſarem in ipſos armaverit, et cujus crudelis potentia cum ſumme Deo inviſa ſit, minime dubitare debeant, quin Deus in eam et ejus fautores graviſſime quam primum vindicaturus ſit.] De
119.	159.	quas [*dele* a patre,] ut
125.	166.	Caeſaris, [*dele* cui conciliorum univerſalium cura commiſſa eſt,] aut
Ibid.	167.	tribuenda, [*dele* quorum in poteſtate minime ſit, citra conſenſum Caeſaris concilium transferre,] quia
130.	172.	ſententia, [*dele* qui, ut erat miti ingenio, pacificandae eccleſiae unice ſtudebat,] de
Ibid.	Ibid.	Lipſienſibus [*dele* theologis] habita
131.	173.	eſſe: [*dele* id vero ſe ſummi beneficii loco duxiſſe, eoque aequiore animo captivitatem tuliſſe, quod interea ſuam in religione libertatem ſervare licuerit: in qua cum in dies aſſidua ſacrorum librorum lectione confirmatior evadat, nolle ſe committere

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. — Edit. Lond. Tom. I.

mittere, ut, ſi contra quam fieri debere ſentiat in religionis negotio ſe gerat, et divinam majeſtatem et Caeſarem ipſum ludificaſſe dicatur; qua re cum nihil flagitioſius fieri poſſe exiſtimet, (hoc enim illud eſſe peccatum contra Spiritum Sanctum, quod nullo unquam tempore condonatur) majorem in modum orare Caeſarem, per Dei miſericordiam, qua per Filii immolationem humano generi reconciliatus ſit, ne factum hoc ſuum implacate ferat: non gloriolam in eo affectare, ſed id unum ſpectare, ut vero Dei cultu regni coeleſtis hereditatem conſequatur:] hoc

p. 132. p. 175. Sturmio [*dele* viro ſummae eloquentiae] copioſe

138. 182. cujus [*dele* ſedula] opera

Ibid. Ibid. fuerant, [*dele* vir magnae doctrinae,] et

151. 199. ambiguo [*dele* ac fraudulento] reſponſo

Ibid. Ibid. reſponſo, [*dele* fraudis ipſe, ut creditur, patri particeps] Mauritium

154. 202. infertur. [*dele* Quid enim formula illa Auguſtana aliud agitur, quam ut pontificiae auctoritatis jugum, quod adeo generoſe excuſſimus, rurſus cervicibus noſtris imponatur? ut errores nuper detecti et certis ſcripturae teſtimoniis revicti iterum in domum Dei invehantur? ut tot annorum contentionibus ac laboribus parta libertas turpi obſequio ac morigeratione, quae non ſolum ad noſtrum dedecus, ſed ad Dei ignominiam et offenſionem pertineat, corrumpatur et penitus amittatur? At enim, aliorum exemplo, cedere tempori et tranquillitati publicae conſulere nos decuit: Id enim maxime omnium urgent adverſarii, in eoque criminationum ſuarum veluti arcem conſtituunt. Verum id in ceteris, quae ad fluxae hujus vitae commoda pertinent, uti jam diximus, locum habere poſſit: ad ea vero, quae Dei gloriam ſpectant, minime porrigi debere non ambigitur. Hoc enim nos magna illa veteris eccleſiae lumina Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius docuerunt, teſtimonioque B. Petri, cujus ille qui nos per Caeſarem oppugnat ſe immerito ſucceſſorem jactat, confirmarunt, Deo, non hominibus, in iis quae Dei ſunt, parere homines debere admonentis. Itaque et in veteris eccleſiae annalibus legimus Gordium Caeſarienſem, qui ſub Licinio imp. ordines duxit et poſtremo verae gloriae corona inſignitus eſt, cum ad ſupplicium raperetur, rogatum ab amicis ut periculi evitandi gratia ſententiam retractaret, reſpondiſſe, Non oportere linguam in contumeliam ejus, qui eam creaſſet, quidquam pronunciare. Et Baſilius magnus hanc etiam civi ſuo laudem tribuit, quod cum moneretur, ut de Deo quod vellet ſentiret, ceterum in ſinu tegeret neque motum animi palam evulgaret, monitorem aſpernatus ſit, veritatem non ſolum ab iis prodi dictitans qui eam deſerunt, ſed etiam ab illis qui eam agnitam non audent publice profiteri. Id enim exemplo Danielis confirmari, qui contra Darii regis edictum magno et conſtanti animo apertis feneſtris verum Deum adoraverit, cum id privatim et clanculum facere poſſet: verum quod ea res ad divini nominis gloriam pertineret, nullam inſtantis periculi rationem habuerit, quod ei ab invidis et aemulis conflatum, poſtea, Deo ita volente, in ipſorum caput recidit. Valeant ergo, qui nos facto Chriſtum agnoſcere, verbo autem rejicere ſuadent. Quid enim magis puden-

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. — Edit. Lond. Tom. I.

dum, quam nomen ejus erubeſcere, qui mundum condidit, qui nos ad imaginem ſui creavit, tot beneficiis licet indignos cumulavit; per quem vivimus, ſpiramus, cujus denique nos hereditas ſumus? Haec ſumma eſt accuſationis.] Videte

p. 155. p. 203. debet, [*dele* ubi manifeſta Dei offenſio cernitur. Mauritii inprimis et Thebaeae legionis exemplum in memoriam revocate: ii enim quam virtute bellica tam pietate inclyti milites, cum contra imperii hoſteis ſemper fortiter et gnaviter ſe geſſiſſent, ad omnia ducum dicto audientes, in iis, in quibus Dei gloria vertebatur, Deo quam hominibus obedire maluerunt, et, ut hanc inconcuſſam animi conſtantiam retinerent, nulla ſupplicia horruerunt. Quod ſupereſt, nobiſcum ſi non arma adverſus implacatos hoſteis, at preces apud Deum conjungite, ut is pro ſua ineffabili clementia et miſericordia ad res noſtras reſpiciat; regum ac magiſtratuum, quorum mentes, conſilia, affectiones in ipſius poteſtate ſunt, moderetur, flectat, molliat; corda noſtra ad veram poenitentiam inclinet; calamitoſos et bonis ſpoliatos atque ob purioris doctrinae profeſſionem huc illuc cum uxoribus, liberis, atque omni familia exulanteis conſoletur, et mutuis charitatis ac pietatis officiis ſublevet; atque ut in eo laudabili propoſito ad extremum uſque ſpiritum perſeveremus, efficiat, noſque omneis adverſus externos generis humani hoſtis impetus et aſtus interno Spiritus ſui robore et prudentia muniat.] Hac

156. 205. primas, [*dele* cum videret viros doctos in Germania periclitari,] crebris

161. 212. coluiſſet, [*dele* cum ipſe cum Turco Alexandri VI exemplo occultum commercium habuiſſet,] quod

165. 217. exegit, [*dele* extrema clauſula minime priori vitae et famae reſpondente, dum literarum ſacrarum homo rudis, theologicis libris in illo otio ſcriptis ſe deridendum propinat, quibus contrario ſcripto artificioſe ridiculo, ſub Benedicti Paſſavantii nomine, a Theodoro Beza reſponſum eſt.] Ita

167. 220. jactarent. [*dele* Verum id juris noſtris regibus eſſe, et uſu receptum eſt, et argumentis atque exemplis docuit Carolus Molinaeus, juriſconſultus tam eruditione ac judicio quam probitate conſpicuus, qui commentariis in illud edictum publicatis tantam invidiam ſuſtinuit, praevalente jam tum inter Gallos eorum, qui auctoritatem pontificiam adverſus jura regni tuebantur, potentia, ut ob id calumnioſe accuſatus ſolum vertere, et apud Sequanos et Germanos divertere cogeretur; ubi vir de ingrata patria optime meritus tutum et honorificum perfugium nactus eſt, donec, bello inter regem et Julium III exardeſcente, ab exilio revocatus eſt.] Sub

169. 222. IX, [*dele* quod in opes, faſtum, ac vitia pontificum vehementius inveherentur, et populos ſenſim ab eorum obedientia alienarent,] Innocentius

Ibid. Ibid. videretur, [*dele* dominico gladio poſito ferreum ſtrinxit, et] Leopoldum

171. 224. pendere: [*dele* Dei cultum aſſiduis precibus et morum innocentia prae ſe ferre, ceterum] raro

175. 229. propoſitum. [*dele* Ita calumniis et vexationibus in omneis Belgii ſubditos, et eos ſimul qui magno numero negotiandi cauſa illuc confluebant, feneſtra aperta eſt,] quo

edicto.

I

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 175.	p. 229.	edicto. [*dele* Tunc etiam Matthias Flaccius edito lingua Germanica ſcripto, quorſum pertinerent arma in Germania excitata oſtendit, quibus tamen multi ſupina ſeu maligna ignorantia occaecati, religionis cauſam non agi impudenter hactenus, ut ipſe aiebat, contenderent.] Initium
215.	276.	eſt. [*dele* Expeditiſſima ea viſa Caeſarianis miniſtris ratio, qua et concilii actio redderetur facilior, et patres, expulſis ex civitatibus quos illae Tridentum mittere potuiſſent theologis, pauciores adverſarios habituri eſſent.] Pulſi
Ibid.	Ibid.	confugerunt: [*dele* abeunteis plerique cives, et inprimis Jo. Fridericus, quamvis captivus, per miniſtros ſuos pecunia, viatico, ac ſolatio perbenigne proſecutus eſt. Tanta vero ex eo ſecuta in templis ſolitudo, ut occaſionem haud occultis multorum querimoniis dederit, vim non bonis tantum et corporibus, ſed etiam mentibus et conſcientiis afferri quiritantium, donec a ſenatu, qui eo nomine magnam invidiam ſuſtinebat,] poſt
217.	278.	ob [*dele* conſtantem piae] doctrinae
Ibid.	279.	quo [*dele* piae] doctrinae
Ibid.	Ibid.	picturas; [*dele* non tamen eas adeo reprehenſione dignas judicare; neque enim negari poſſe, quin plerique per ipſius ditionis fineis triennio abhinc a puriore religione defecerint; et ſi quidem ad belli auctores reſpiciatur, quin opprimendae religionis cauſa urbs obſeſſa ſit, itidem dubitari non poſſe: quod ad ſe attinet, nihil in admonendo populo praetermiſſum, neque ſe in poſterum praetermiſſuros; ceterum de concilio, quod Tridenti indictum ſit, longe aliter ſentire; illud enim ſe delendae veritatis ergo coactum exiſtimare; quippe in quo Romanus pontifex principem locum teneat, qui ſe pro Chriſti adverſario gerat: itaque non aliter orare Deum ſibi licere, quam ut tam pernicioſos hoſtium veritatis conatus et conſilia reſcindat, frangat, diſſipet, a quibus nihil niſi malum et Dei gloriae aeque ac reipublicae adverſum porro expectandum ſit.] Hoc
222.	283.	adigat? [*dele* An haec verba eum decent, qui ſe Agni pacifici vicarium in terris, qui ſe ſervorum Dei ſervum honorifico elogio profitetur? Quid ſi Turci haec intelligant; ſi, qui in Germania Proteſtantes appellantur, audiant? Immane quam utrique, hi quidem ad religionem labefactandam, illi vero ad univerſos Chriſtianos oppugnandos, expeditam viam patefactam exiſtimabunt.] At
Ibid.	284.	conſiliis [*dele* tam in caput quam in membra diligentiſſime anquiratur,] quae
Ibid.	Ibid.	in [*dele* doctrina ac] moribus
Ibid.	Ibid.	ſibi [*dele* jure ſuo] ſumpſerint
Ibid.	Ibid.	decreta. [*dele* Cum vero temporis ſucceſſu pontifices poteſtate legitima abutentes avare in eccleſia graſſarentur, Ludovicus IX, is qui ob pietatem et vitae ſanctimoniam eximiam inter divos referri meruit, generoſe reſtitit, et anno ſalutis CIↃCCLXVII legem tulit, quae et hodie Pragmaticae nomine circumfertur, qua mos priſcus in eligendis epiſcopis et ceteris praeſulibus intermiſſus revocatur, et ullum eo nomine pontifici Romano tributum pendi prohibetur. Sed rurſus, pervincente eorum ſeu aſtu ſeu potentia, eadem, quae prius, mala inva-

Ed. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
		invaluerunt; quae poſtmodo Baſileenſis ſynodi decreto omnino ſublata ſunt, et annalia vectigalia ex beneficiis, quae vocant, exigi vetita. Quam ſynodum, quod pontificum nimiam potentiam coërcere videretur, ab ipſis pro falſa habitam, Carolus VII poſtea in regni comitiis Auguſtoriti Pictonum confirmavit edicto, quod vulgo Pragmaticam Sanctionem nuncupant.] Eugenius.
p. 241.	p. 306.	ageret; [*dele* multorum carminibus epitaphiis celebratus, ac praecipue duorum Suffolciorum fratrum; quorum mater ſemper aegrotanti aſſedit, et omnia humanitatis officia praeſtitit. Paulo antequam moreretur, cum Germaniae ſtatum deploraret, vereri ſe ſaepius dixit, ut in tanto multorum ardore Deum cognoſcendi et eccleſiae inſtaurandae, deficiente diſciplina, qua improbi caſtigarentur et ordo in miniſterio ſervaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent. Itaque optare unice ſe, ut quae ad Edvardum regem de eccleſiae diſciplina conſtituenda ſcripto comprehendiſſet, per Angliae regnum locum haberent et religioſe obſervarentur. Funus ejus magna frequentia celebratum, plus IICIↃ hominum illud deducentibus, et corpus in majore urbis templo conditum eſt.] Hic
242.	307.	natus, [*dele* mathematicis artibus ac geographiae praecipue, quam ſcriptis illuſtravit, cognitione clarus, tum et ad extremum etiam theologus non exigui inter ſuos nominis, et propter prudentiam cum ſumma integritate conjunctam ex umbra et pulvere literario in lucem civilem evocatus, delato a civibus ſummo patriae ſuae magiſtratu; in cujus adminiſtratione non ſolum conceptam de ſe ſpem aequavit, ſed etiam longe ſuperavit; ut ejus exemplo confirmari poſſit, philoſophis et literatis hominibus reipublicae adminiſtrationem minime interdicendam eſſe.
265.	334.	*pro* theologis qui ad concilium, *ſcribe* iis qui ad concilium
Ibid.	Ibid.	viros [*dele* bonos] mittere
266.	335.	dum [*dele* theologi] veniant:
Ibid.	Ibid.	ſubmittat; [*dele* videre quidem et agnoſcere patres, in eo ſacroſanctae potentiae culmine nonnihil eſſe, quod deprimi et emendari ipſius eccleſiae interſit; ſed in eo negotio prudenter et ſubtili quadam via progrediendum: jam ſe experientia didiciſſe, quam diſſimulanter cum pontificiis agendum ſit, qui potius arte tractandi, quam vi aperta oppugnandi ſint: haec ſe inpraeſentiarum vix ab ipſis extorſiſſe; ſed non deſperare, quin plura impetrari poſſint, modo ſe aequanimeis et patienteis in hoc negotio praebeant.] Tunc
Ibid.	Ibid.	venturos [*dele* theologos,] qui
267.	336.	aliis [*dele* theologis] Norimburgam
Ibid.	Ibid.	jubebantur [*dele* theologi] etiam
Ibid.	Ibid.	legatos [*dele* ac theologos] ad
Ibid.	Ibid.	Mauritius [*dele* theologos] Norimburgam
Ibid.	337.	venere [*dele* theologi] Wirtemburgici
Ibid.	Ibid.	aut [*dele* theologi] ſuper
Ibid.	Ibid.	veniſſe [*dele* theologos,] ut
268.	Ibid.	igitur [*dele* theologi] qui
Ibid.	339.	ipſum [*dele* pro imperii libertate] vertit
Ibid.	Ibid.	venturis [*dele* theologis] caveri.

dein

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 268.	p. 339.	dein [*dele* theologos] quoque
284.	357.	profitentur; [*dele* ſic enim obviam iri hoſtium veritatis conatibus aiebant, qui id hactenus egerint, ut oppreſſis piis doctoribus pontificia poteſtas conſtitueretur, et juventus, erroneae et impiae doctrinae a teneris imbuta ſucco, ſenſim in ea adoleſceret: eo conſilio non ſolum pios doctores in vincula conjeciſſe, ſed et eos per jurisjurandi religionem dira et inaudita inhumanitate adegiſſe ut imperii finibus excederent, alioſque aut a doctrina inter eos recepta abhorrenteis, aut qui minus conſtantes a pura religione defecerant, in horum locum ſubſtituiſſe: itaque ſe miniſtros illos et juventutis moderatores ab illis ejectos revocare, et, ne quis calumniae locus ſit, jurisjurandi nexu prorſus exſolvere, ut ipſis deinceps libere liceat foederatorum patrocinio fretis, juxta confeſſionem quae Auguſtae olim exhibita eſt, verbum Dei pure ſuis cuique locis, et paſſim in Germania, docere, ac juventutem erudire;] poena
320.	399.	Proteſtantium [*pro* theologis *ſcribe* miniſtris] magna
321.	400.	hoc [*dele* erroneum dogma] admiſcuit
Ibid.	Ibid.	mathematicis [*dele* multum profecerat,] praeceptore
Ibid.	Ibid.	monumentis [*dele* de republica optime meritus, adeo ut Germanus Eſdras ac Strabo appellatus ſit.] Deceſſit
326.	407.	eſt, [*dele* quod ſe fidei in Dei Filium ſuae optima ſpe foveri laetaretur,] neque
Ibid.	Ibid.	eſſet. [*dele* Tum cum Jo. Albino colloquium fidele habuit, et ſacratiſſimorum Chriſtianae communitatis myſteriorum cupidiſſime particeps factus eſt.] Tandem
351.	435.	Leunclavio, [*dele* induſtrio ac fideli] harum
355.	439.	Is, [*dele* quod magnae auctoritatis eſſet,] in
359.	444.	praeceptor [*dele* vir eruditus] qui
360.	445.	Proteſtanteis [*dele* theologus] eoque
372.	459.	XVI [*dele* et rem literariam, dum vixit, non mediocriter voce et ſcriptis editis juvit,] a Jo.
385.	473.	Julius [*dele* ad ſcurrilitatem uſque feſtivus, et] alienam
Ibid.	Ibid.	ab [*dele* innata deceſſoribus pontificibus] ambitione
459.	561.	Tiguri [*dele* magna cum laude] profeſſus
Ibid.	562.	Ferrarienſis [*dele* morum ſanctimonia, ingenio et eruditione cum quavis priſci aevi comparanda foemina.] Huic
Ibid.	Ibid.	inſtituit, [*dele* in quibus tantum profecit,] uſa
Ibid.	Ibid.	ſcribere [*dele* eleganter,] et
460.	Ibid.	profugus, [*dele* quae foeminae omni laude digniſſimae mores et raram eruditionem exprimunt, et quid a tam excellenti ingenio expectari potuiſſet, niſi praemature adeo in vivis eſſe deſiiſſet, clare oſtendunt.] Praeceſſit
466.	569.	Pellicanus [*dele* in Hebraicis literis doctiſſimus] deceſſiſſet.
473.	578.	dejicitur. [*dele* Verum poſt Mariae mortem, Matthaeo Parkero Cantuarienſi archiepiſcopo, Edmondo Grindallo Londini, et Ricardo Gloceſtriae epiſcopis ſuggerentibus, Eliſabethae juſſu ſemeſa oſſa e Marſalli ſtabulo eruta et cum Friſvidae oſſibus rurſus permiſta terrae mandata ſunt III Eidus Januar. anni CIↃ IↃ LXI, cum XI Kalendas Sextileis ante, Cantabrigienſis academiae ordinum decreto, gradus et honoris tituli Bucero et Fagio adempti in integrum reſtituti fuiſſent, omnibus, quae contra eos eorumque doctrinam ac memoriam acta erant, reſciſſis. Quoque res dignius conficeretur, III

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
		Kalendas Sextileis publicus conventus indicitur ad beatae Virginis, ubi Ackworthus academiae nomine orationem in demortuorum laudem habuit, ſuperiorum temporum crudelitate, quae non ſolum in vivos ſed etiam in mortuos ſaeviiſſet, multis verbis exagitata. In eandem ſententiam et a Jacobo Pilkintono multa verba facta ſunt, et in memoriam revocatum Stephani VI et Sergii III Romanorum pontificum exemplum, qui ob privatas injurias in Formoſum mortuum exquiſita immanitate olim graſſati memorantur.] Nunc
p. 493.	p. 602.	conſtituatur, [*dele*, hoc eſt, reſtituta puriore doctrina, mentibus quies paretur, qua deficiente et Dei iram provocari, et diffidentibus animis de collatione in communem hoſtem facienda haud facile conveniri poſſe. Orant igitur, quod aliis ſuis provinciis largitus ſit, id ipſum ne Auſtriacis deneget, et eccleſiae miniſtris ac ludimagiſtris, qui puriorem doctrinam profiteantur, nulla ob eam cauſam fiat moleſtia.] Ad
494.	603.	Megalopolenſis [*dele* adhibitis viris doctis] effecit
Ibid.	Ibid.	tabulis [*dele* ad exactiſſimum calculum putatis magnam a ſtudioſis gratiam inivit et] inter
499.	610.	quod [*dele* deliri] pontificis
Ibid.	Ibid.	uſque [*dele* exacta fide et diligentia] pertexuiſſet
Ibid.	Ibid.	vocatus, [*dele* vir eruditione et rerum agendarum peritia hoc ſaeculo clarus,] qui
500.	Ibid.	Auguſtanus, [*dele* vir linguae Hebraicae ſcientia clarus, quam et ſcriptis luculentis illuſtravit,] cum
577.	723.	quod [*dele* ſive pontificum in eo negotio non bona fide verſantium ambitione, ſive] ob
578.	724.	ſodalitio, [*dele* monitore uſus Conſtantino quodam, qui ei a ſacris confeſſionibus erat,] praecipue
579.	725.	amplificaret. [*dele* Fuit et hic annus doctrina illuſtrium virorum morte inſignis. Nam] XII
580.	Ibid.	natus, [*dele* moderato ingenio et eruditione rara excultus] obiit
Ibid.	Ibid.	medicus [*dele* inſignis] qui
Ibid.	726.	donatis [*dele* a ſtudioſis non mediocrem inivit gratiam.] Obiit
Ibid.	727.	Juſtus Scaliger, [*dele* qui ſecundum patrem nunc inter literatos et in re literaria principem ſine controverſia locum tenet, vere eruditorum Phoebus, ut politiſſimi ingenii vir eum indigitavit. De hoc ut plura dicam, nec pudor ejus patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minime vereor, ne propterea minus vera de eo praedicare videar, cum quicquid dixero opinione omnium vero minus ſit. Sed potius eſt ut tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum, quo divinum ejus ingenium cum rara morum probitate conjunctum, pro jure amicitiae quae mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, ut in ſacris fieri amat, obſignemus.] Sub
586.	713.	Babylonica, [*dele* in quo ſumma vehementia, vir alioqui recenti injuria exacerbatus in pontificis faſtum et curiae Romanae abuſus ab ea in eccleſiam occidentalem, quae illi ſubjecta eſt, diſſeminatos invehitur,] qui
594.	722.	rejicerent, [*dele* non deerant qui utroſque in culpa eſſe dicerent, quippe qui in licentiam ac libidines effuſi eas ſoluto coelibatu alerent, perditoque luxu diffluerent: cui cum propriae

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. I.

priae opes minime ſufficerent, miſeram plebem deglubere, angariis ac tributis vexare, flagellis ac fuſtibus caedere, omnique impotentis dominatus genere opprimere non ceſſabant, ac denique cuncta facere, quibus juſta Numinis ad ultionem lento pede feſtinantis iracundia provocatur.] Territae

p. 595. p. 728. electio [*dele* juxta antiquam eccleſiae conſuetudinem] penes

595. Ibid. Dunenſis [*dele* homo doctus] ad

Ibid. Ibid. Deus [*dele* juxta praeceptum ſuum] vernaculo

596. 729. Knoxius [*dele* luculenta ſed] vehementi

612. 748. celebretur, [*dele* et non a Romano pontifice, ſed ab imperatore indicatur: dum pontifex in eo non tanquam praeſes et judex, ſed partis loco ſedeat, et ſe concilio ſummittat, praeſulibuſque ac theologis jusjurandum, quo ipſi devincti ſint, remittat, ut libere citra metum dicere poſſint ſententias: dum pro norma judicii ſit ſacra ſcriptura ac ſolum verbum Dei, rejectis traditionibus humanis, conſuetudinibus cum Dei verbo pugnantibus, et Romanae eccleſiae conſenſu: dum theologi qui confeſſionem Auguſtanam amplectuntur, non ſolum audiantur, ſed in controverſiis decidendis ſententias dicant, eiſque idonee caveatur, ut non tantum ſecure eo accedere poſſint, ſed libertas illis decreto Auguſtano conceſſa citra fraudem ſalva maneat, capita controverſa non ſecundum ſuffragiorum numerum, ut in civilibus cauſis fieri conſuevit, decidantur, ſed juxta divini verbi regulam ac praeſcriptum ſanciantur. Ante omnia Tridentinae ſynodi, ut vitio coactae, acta cuncta ac decreta reſcindantur et denuo retractentur.] His

616. 752. ante [*dele* felicibus auſpiciis] Londini

621. 758. pergerent: [*dele* et quanquam manifeſtum eſſet ad introſpiciendas judicum mentes et libertatem ſuffragiorum reprimendam adductum regem, tamen reperti ſunt, qui palam ac ſub principis oculos vel capitis periculo priſcam ac ſenatoriam libertatem retinerent, et multa in curiae Romanae mores ac pravos uſus, qui poſtremo in pernicioſiſſimos errores degeneraverint ac ſectis paſſim pullulantibus cauſam dederint, invecti, mitigandas poenas et inhibendam judiciorum ſeveritatem cenſerent, donec ex concilii oecumenici auctoritate religionis diſſidia, emendata eccleſiae diſciplina, componerentur. Quae fere optimi cujuſque ſententia erat; ad quam firmandam Baſileenſis et Conſtantienſis ſynodorum decretum, de concilio ſingulis decenniis habendo, in medium adducebant. Hujus ſententiae auctor fuerat Arnoldus Ferrerius claſſium inquiſitoriarum praeſes, vir probitate ac gravitate conſpicuus, tum juris ſcientia vel ex eo clariſſimus, quod eum Jacobus Cujacius, aevi noſtri ſingulare ornamentum, praeceptorem unicum agnoverit. Ferrerium ſecutus fuerat Antonius Fumeus, Paulus Foxius gentis claritate et ingenii, omni ſcientiarum genere exculti, nobilitate inſignis, Nic. Valla, Euſtochius Porta, alii. Idem, eo die quo rex in ſenatum venit, coram eo cenſuit Claudius Viola, et poſt eum Ludovicus Faber, vir acri et generoſo ingenio praeditus, qui poſtremo addidit, inter omneis quidem conſtare religionis diſſidium turbis cauſam praebere: ſed videndum eſſe quis vere turbarum auctor ſit, ne, quod Achabo olim turbas objectanti

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. I.

tanti exprobravit Helias, in re ſimili nunc reſpondeatur, Tu quis es, qui conturbas Iſrael? Tum Annas Burgus multa de aeterna Dei providentia, cui cuncta parere neceſſe habeant, praefatus, ubi in rem ventum eſt, ſubjecit, Plurima eſſe hominum flagitia ac delicta legibus damnata, quibus neque laqueus neque ſerviles cruciatus ſufficerent, contumelioſa in Deum dejeramenta, frequentia adulteria, profuſas libidines, crebra perjuria, quae non modo diſſimulentur, ſed propudioſa licentia foveantur. Contra, nova quotidie adverſus eos ſupplicia parari, quos nullius mali criminis reos adhuc haec aetas viderit. An enim laeſae majeſtatis, quibus nulla principis mentio niſi inter vota ac preces? An quod leges violaverint, civitatum fidem tentaverint, provincialium animos ad ſcelus corruperint, accuſantur? Atqui ne cogitaſſe quidem illos ab exquiſitis teſtibus hucuſque extorqueri potuit. An potius, quod ruentis Romanae potentiae pudenda et adulta vitia ſacrae ſcripturae admota face revelaverint, et nunc demum emendari expoſtulent, ſeditioſius egiſſe arguuntur? Poſtea ordine praeſides ſententiam dixere, et Chriſtophorus quidem Harlaeus et Petrus Seguierius graviter, ſed modeſte, in judiciis hujuſmodi capitalibus rite ac recte hactenus defunctam curiam coram rege aſſeruere, ac porro fore, ut ſemper ſui ſimilis, prout antea fecerit, munere ſuo optime defungatur ad Dei gloriam, nec regem populumve ejus porro poenitere poſſit. Chriſtophorus autem Thuanus liberius cognitorem et advocatos regios nota dignos pronunciavit, qui curiae decreta ſugillare et eorum auctoritatem in diſcrimen vocare auſi eſſent. Renatus Balietus homo bonus cenſuit decreta, de quibus querela inſtituta eſſet, denuo retractanda, et plenius de iis cognoſcendum eſſe. Minarius paucis verbis, ut invidiam molliret, regia edicta ſervanda dixit.] Poſtremo

p. 622. p. 760. accipiebant. [*dele* Sed rerum prudentiores indignabantur, regem aliena voluntate impulſum in ſenatum venire ut ſuarum legum, quas tueri debuiſſet, ſubverſor eſſet: et tamen parum eſſe quod in curiam venerit, quod extremae tantum cognitioni interfuerit: at vero ſuffragia legi, non numerari; incipi ſenatus conſultum, non perfici; arripi tabellam ſententiarum indicem, minas et carcerem adhiberi, vinciri ſenatores: quis non credat principem nimis facilem, dum haec audit, alienae libidini turpiter inſerviiſſe? Quis non illos merito oderit, qui notabili dedecore proditis curiae arcanis in magnatum gratiam inſigni perjurio conſcientiam foedaverint? Quis non haec denique tanquam ſiniſtra periculoſae ac prodigioſae mutationis auguria interpretetur?] Poſtridie

Ibid. Ibid. pleroſque [*dele* viros pios ac pacis ſtudioſos,] qui

Ibid. Ibid. comperiſſe, [*dele* multa ſenſim per avaritiam et ambitionem in eccleſiam irrepſiſſe, quae ad Dei contumeliam vergant et offenſionis cauſam praebeant, quaeque proinde S. ſcripturae teſtimoniis argui debent, et ex antiquorum conciliorum decretis ac prioris aevi patrum auctoritate emendari. Neque vero heri aut nudiuſtertius de curiae Romanae corruptis moribus et depravata diſciplina inſtitutas querelas eſſe; nam jam ante multos annos in Gallia audita et nota eſſe, quae Gulielmus Pariſienſis, Joannes Gerſo, Nicolaus Clemangius, Wiſellius Groeningenſis, Ludovico XI rege, academiae Pariſienſis

ſienſis

2

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
		ſienſis inſtaurator, et alii theologi de iis ſcripſerint.] Id
p. 623.	p. 761.	Senonenſem. [*dele* Dum paſſim miſeri homines ob religionis cauſam ad tribunalia rapiuntur, et tam frequenti accuſatione fautores, amici, et qui liberiorem vocem mittere auſi eſſent, in periculi partem vocantur, triſti ubique ſilentio,] longe
Ibid.	762.	relatus. [*dele* Ferunt, cum efferretur, ad Baſtiliam adverſam reſpexiſſe, et ſenatorum, qui in ea nuper capti detinebantur, recordatum ſaepius dixiſſe, Vereri ſe, ne injuriam innocentibus hominibus feciſſet: ad quas voces cardinalem Lotharingum, qui aderat, ſubiratum monuiſſe regem, eam mentem illi a maligno ſpiritu et generis humani hoſte immitti, a quo proinde ſibi caveret, et conſtantiam in fide ſervaret. Id verum necne ſit, non affirmaverim, certa et quae tantum in confeſſo ſint ſcripturus.] Certe
632.	773.	*Pro* miſeros *ſcribe* impios homines.
Ibid.	Ibid.	terrorem [*dele* ſui] ſpargerent
633.	774.	conflatum, [*dele* accepta pronis auribus calumnia.] Ita
Ibid.	Ibid.	auribus, [*dele* ne veritati contra calumniam audiendae paterent.] Conſtat
Ibid.	Ibid.	juſſu, [*dele* cui de calumnia ſuboluerat,] commiſſis
Ibid.	Ibid.	vanitatis [*dele* fraudiſque nefariae] convicti
Ibid.	Ibid.	ſunt. [*dele* Inultum tamen eorum crimen manſit, praevalente adverſus reorum innocentiam publico odio. Antequam calumnia detegeretur,] ex
Ibid.	Ibid.	rumpebant: [*dele* quo ſpectaculo nemo non vel Proteſtantium cauſae infeſtiſſimus ſummopere commovebatur.] Urbe
638.	779.	praetervectus, [*dele* venalem] calamum
Ibid.	780.	Pariſienſis [*dele* perperam lata] tanquam
639.	Ibid.	provocaverat: [*dele* quod regni ſecretum ad aſſerendam religionem et regiam majeſtatem tuendam contra ſacerdotalem juriſdictionem, ſi quando poteſtate legitima eam abuti contingit, a majoribus inventum eſt, et laudabili conſuetudine atque eventu jam multos annos in Gallia feliciter uſurpatum.] In
Ibid.	781.	privaretur, [*dele* lituram hanc ſe libenter ac laeto animo pati teſtatus eſt, quod, ita ſigno beſtiae, cujus in Apocalypſi ſit mentio, deleto, nihil ſibi porro cum Antichriſto futurum commune eſſet.] Hoc
Ibid.	Ibid.	hortabantur, [*dele* neu turpi tergiverſatione Dei cauſam deſereret, qui ipſum minime deſerturus eſſet: plus in Deo quam hominibus praeſidii poſitum; tantum perſeveraret, neque vitam temporariam contra ſempiternam beatitudinem aeſtimaret; ſi conſtantiam retineret, caſuros judicibus quantumvis infeſtis, animos; et, ſi quidem Deus aliter decreviſſet, manere eum aeternam gloriam, et ipſum coram Deo cum angelis et felicium coetu triumphaturum, relicto apud homines egregio virtutis omni conditioni anteferendae exemplo: proinde amicorum hortatus miſſos faceret, qui corpori ejus non animae et exiſtimationi conſulerent, ac ſe conſtantia ad certamen forti et intrepida conſcientia capeſſendum accingeret.] Praevaluere
Ibid.	Ibid.	dedit, [*dele* ſed ignoſcere ſe judicibus dixit, qui ſecundum conſcientiam, non ſecundum ſcientiam et veram Dei ſapientiam, judicaſſent.] Tum

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. I.

p. 640. p. 782. prolocutus, [*dele* evangelii ſe cauſa nimirum, non tanquam latronem, ad mortem damnatum,] ipſe

Ibid. Ibid. attolleretur, [*dele* aliquoties auditus eſt haec verba pronuncians, Deus mi, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam.] Eliſis

Ibid. Ibid. prodiit. [*dele* Cum vero magna cum laude juris ſcientiam Aureliani profeſſus eſſet, inde Pariſienſis ſenator majore integritatis gloria in eo ordine claruit; multorum votis ac precibus, dum in carcere eſſet, etiam eorum qui ipſius de religione ſententiam minime probabant, adjutus et commendatus; ac poſt mortem veris lachrimis deploratus. Illorum vero, qui a majorum ſacris defecerant, animos partim conſtantia ſua ita confirmavit, partim exacerbavit, ut ex ejus cineribus ampla defectionum ac conjurationum ſeges enata credatur, quae regnum antea florentiſſimum diu poſtea male habuit.] Secundum

641. 784. cenſuerunt, [*dele* inventis artibus ac paratis veluti foveis, in quas etiam inſontes et ignari praecipitarent. Nam ubique, ac Lutetiae praeſertim, erectae ſanctorum ac B. Virginis Mariae locis profanis per vicos ac compita imagines, ad quas omni cultu exornatas candelae interdiu accendebantur, et cantica more inſolito a turpibus perſonis, utpote bajulis et aquariis, non ſine ſacrae diſciplinae et ſacerdotalis ordinis dedecore decantabantur, appoſitis per vias arculis, in quas tranſeuntes pecuniam ad cereos ac candelas in eum uſum coëmendas erogare importunis hominum ad id deſtinatorum prenſationibus cogebantur. Quod tributum ſi quis pendere recuſaret, aut eas imagines inſalutatas quamvis incogitanter pertranſiiſſet, aut non denique ad inſuaveis illos modos venerabundus ſubſtitiſſet, in eum tanquam ſuſpectum impetus a plebe fiebat; belleque is ſecum actum putabat, ſi tantum pugnis caeſus ac pedibus in coeno conculcatus, ceterum ſalva vita, in carcerem truderetur. Quibus rebus non ſolum non infracti, ſed irritatiores utrique redditi, ex eoque conjunctiores effecti, juxta audaci et maxime omnium, quae annalium monumentis uſquam conſignata leguntur, memorabili facinore conjurationem aggreſſi ſunt, de qua libro ſequenti dicemus.] Nunc

644. 787. alios, [*dele* quaſi in triumphum] ex

Ibid. Ibid. Bohorquia [*dele* plenum inde miſericordiae, inde invidiae ſpectaculum, ex eo auctae, quod Bohorquia] ceteris

Ibid. Ibid. ſumma [*pro* conſtantia *ſcribe* pertinacia] mortem

Ibid. Ibid. coetibus [*dele* ad ſacras faciendas preces] patuiſſent

Ibid. Ibid. etiam [*pro* conſtantia *ſcribe* pertinacia] pertulit

Ibid. Ibid. ejuſdem [*pro* religionis *ſcribe* haereſis] ſcintillas

Ibid. Ibid. Is, [*dele* rarae eruditionis vir, ſed] parum

Ibid. Ibid. eſt, [*dele* et ſive ſenectute ſua audacior, ſive repentina mutatione ex meticuloſo, qui hactenus fuerat, jam fortior effectus, inexſpectata conſtantia inquiſitorii tribunalis aſſeſſores acerbiſſimis verbis objurgavit, aptiores eſſe aſſerens qui vili agaſonum munere fungerentur, quam qui fidei, quam turpiter ignorabant, cenſuram impudenter ſibi ſumerent. Praeterea vehementer dolere teſtabatur, quod veritatem, quam tunc tueri ſe aiebat, ſciens ac volens adverſus pios illius defenſores ſaepe coram ipſis oppugnaſſet. Quam poenitentiam, quamdiu in vivis eſſet, ex animo nunquam deponeret. Ita in triumphum

2

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
		umphum ductus ac] vivus
p. 644.	p. 787.	ille [*dele* ob eximiam pietatis et eruditionis opinionem] cum
645.	788.	vero, [*dele* quia ſacris confeſſionibus diu Caeſari, eique in ſolitudine ſua poſt imperii ac regnorum abdicationem, ac poſtremo animam agenti, ſemper praeſto fuerat.] Ad
Ibid.	Ibid.	ſpectaculum, [*dele* quod primo plerique aſtantium lachrimas excuſſerat, larvis his in ſcenam productis riſum multis, ac poſtremo indignationem movit.] Eadem
Ibid.	Ibid.	criminis [*pro* inſimulatis *ſcribe* convictis] actum.
648.	791.	exercuerunt, [*dele* clariſſimus: quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentia accurata, et artis ipſius elegantia: cui ob id non ſolum Gallia, ſed univerſus Chriſtianus orbis plus debet, quam cuiquam fortiſſimorum belli ducum ob propagatos fineis patria unquam debuit: majuſque ex ejus unius induſtria, quam ex tot praeclare bello et pace geſtis, ad Franciſcum decus et nunquam interitura gloria redundavit. Sed migrante ad Deum optimo non ſolum principe, ſed literarum fautore ac parente eximio, indigna bene merito de patria civi tot editis Hebraicis, Graecis, et Latinis libris gratia repenſa eſt a theologorum noſtrorum collegio, qui hominem reipublicae invigilantem, et quaſvis aequas conditiones accipere ſe paratum demonſtrantem, non deſierunt laceſſere, donec ille vexationum injuſtarum pertaeſus ex neceſſitate conſilium cepit, et] relicta
Ibid.	792.	ubi [*dele* tanta prudentia publicam ſimul et privatam rem curavit, ut quamvis tot adverſitatibus conflictatus et incommoditatibus, quae ſolum vertentibus neceſſario perferendae ſunt, tamen in opere aſſiduus ad ultimum vitae ſpiritum laudabile rei literariae adjuvandae propoſitum conſtanter tenuerit, ac] tandem
Ibid.	Ibid.	conceſſit, [*dele* foris gloria dives, et domi liberis, qui Genevae manerent, relicta opulenta ſupellectile. Hanc enim legem ingratae patriae pertaeſus, non tam ejus odio, quam juſtae, ut putabat, ultionis ratione in teſtamento dixit. Itaque] Robertus
Ibid.	Ibid.	Henricus [*dele* tanto patre digniſſimus] filius
Ibid.	Ibid.	ad [*dele* juvandam] rem
Ibid.	Ibid.	literariam [*dele* propria induſtria] contulit,
Ibid.	Ibid.	copioſiſſimo [*dele* et multorum principum gazis praeferendo] theſauro.
Ibid.	Ibid.	natus, [*dele* philoſophiae ac medicinae ſtudiis clarus, ſuavitate item morum, quam oris ſpecie praeferebat, omnibus acceptus;] qui
Ibid.	Ibid.	Witembergae [*dele* ſumma cum laude] docuiſſet,
670.	818.	et [*dele* theologorum] Proteſtantium
672.	821.	licet [*pro* purioris *ſcribe* novae] doctrinae
673.	822.	praetextu, [*dele* deliri plane ſenis et] fratris
675.	824.	Pariſienſis, [*dele* homo non ineruditus,] qui
676.	825.	Olivarius [*dele* vir eccleſiaſticae emendationis ſupra modum ſtudioſus, et] qui
680.	830.	Olivario, [*pro* qui religionis *ſcribe* qui novae religionis] cauſae
Ibid.	Ibid.	favebat, [*dele* [1] et de eccleſiae emendatione ſerio cogitabat,] ſed

uxor,

NOT. [1] Haec verba deſunt ed. Gen. et Lond.

Edit. Drouart. Fol. Tom. I.	Edit. Lond. Tom. I.	
p. 681.	p. 831.	uxor, [*dele* miti ingenio foemina, et] quae
Ibid.	Ibid.	Moratae [*dele* lectiſſimae et eruditiſſimae foeminae] conſuetudine
682.	833.	praefectura, [*dele* in qua induſtriam ſuam exerceret,] Guiſii
Ibid.	Ibid.	remuneratus, [*dele* homo bonus alioqui et doctus, et] qui
683.	Ibid.	gemitus [*dele* optime meritam de republica] animam
Ibid.	Ibid.	animam [*dele* Deo] tradidit:
Ibid.	Ibid.	tradidit: [*dele* vir proculdubio tanto faſtigio digniſſimus, ſi meliori ſaeculo natus, aut aequiores optimis conſiliis ſuis eos, qui regum animos ac fraena moderabantur, nactus eſſet.] Mortuo
	Edit. Lond. Tom. II.	
686.	p. 5.	eſt, [*dele* ne ad inquiſitionis Hiſpanicae ſcopulos, de qua jam ſaepius Henrico II rege actum fuerat, et quam tunc ardentibus ſtudiis Guiſiani urgebant, magnum in ea ad firmandas res ſuas momentum repoſitum rati, navem illideret,] ſed
688.	7.	Rupichandeus, [*dele* juvenis nobili loco natus et egregie theologicis ſtudiis inſtructus,] quem
Ibid.	8.	ferens, [*dele* ac futurum ſperare propter nataleis et perſpectam ex communi fama hominis ſinceritatem ac doctrinam,] ut
Ibid.	Ibid.	ſatisfieret. [*dele* Ejus ſumma haec erat. Tumultu Amboſiano arma non contra regem aut ipſam Catharinam aut regiae ſtirpis principes, ſed adverſus eos ſumpta, qui contra regni leges publicam adminiſtrationem uſurpaſſent, et impotenti dominatu non ſolum corpora vexare, ſed mentes ac conſcientias hominum in miſeram ſervitutem redigere conarentur. Eorum videlicet ambitione factum, ut edictorum in Proteſtantium gratiam, et eorum qui pro patria libertate arma ſumpſiſſent, factorum beneficio uti minime licuerit: ut regni curiae multa contra regis mentem in eorum promulgatione, tacito ſenatus-conſulto, ut fraus lateret, appoſuerint: ut Nemoroſius, qui incolumitatem foederatis nomine regis pollicitus fuerat, fide data ſe ſolutum exiſtimaverit: et in eorum cauſa Conſtantienſis conciliabuli decretum renovatum ſit, quo ſcitum eſt, Sectariis fidem minime ſervari debere: ut denique regis aures obturentur ad ſupplicum ac miſerorum preces de Guiſianorum crudelitate et avaritia quiritantium, qui ſanguine ſcilicet innocentium ante xxxv annos ruſticorum bello lactati, et ſemper ab eo tempore cruori aſſueti, nunc Gallorum ſanguinem ſitire non deſinant. Eorundem aſtu factum, ut concilii toties promiſſi ſpes interverſa ſit, ita perperam ejus celebrandi ratione inſtituta, ut penes eos, qui malo cauſam dederint, hoc eſt, praeſules, ſummum arbitrium ſit: rex vero, qui praeeſſe debeat, et curare ut ex verbo Dei controverſiae decidantur, ſecundas obtineat. His malis duo omnino remedia ſuppetere: ſi liberi ordinum conventus habeantur, et ex eorum auctoritate juxta regni leges legitima adminiſtratio conſtituatur: nam melius pace conſtituta religioni conſultum iri, quam ſi turbatis rebus negotium inchoëtur. Interea a poenis temperandum, et libertatem conſcientiis relinquendam; quas ad traditiones humanas et cultus ex cujuſque voluntate, non ex Dei mandato inſtitutos, neceſſario recipiendos, illaqueari quis ferre queat? Publicam item religionis profeſſionem permittendam eſſe, dum ex legitimi concilii ſententia

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. II.

ſententia controverſiae dirimantur, et pax eccleſiae reſtituatur: quo in concilio quin futura ſit cauſa ipſorum ſuperior, ſi audiantur, minime dubitandum eſſe. Hoc] breviculum

p. 689. p. 9. interrogatus, [*dele* raro Dei beneficio juvenis innocens,] quem

695. 17. eſt. [*dele* Nam pontifices in eo tantum videri omnem curam poſuiſſe, ut inter principes bellum ex bello ſererent, ex eaque occaſione parteis foverent; principes autem religione motos, varias poenas ac ſupplicia ad coërcendum malum ſtatuiſſe, ſed infelici, ut apparet, ſucceſſu. Juris denique adminiſtros nullum in iis modum tenuiſſe, dum alii ſeveritate in ſaevitiam degenerante abutuntur, alii avaritia corrupti in eo negotio calumnioſe innocenteis oppugnant. Nec extra culpam eſſe epiſcopos, qui, abjecta gregis cura, in id tantum jam a multis annis incumbunt, ut reditus amplificent, luxurioſe ac licentioſe vivant; adeo ut aliquando, quod relatu pudendum et horrendum, Lutetiae XL viſi ſint in otio ac deliciis putreſcentes: et vero curam eam infantibus atque indignis quotidie committi, atque ita eccleſiarum oculos, hoc eſt, epiſcopos, excaecatos, et Dominicae domus columnas in terram ſenſim afflictas et profligatas. Curiones itidem ab illis ordinatos praeſulum exemplo, avare, imperite, negligenter, in ſuo munere verſari. Quae cum ita ſint, minime mirandum, ſi plebs ac pleraque nobilitas, male in religione a teneris imbuta, ad pravas opiniones et inde ad turbas inclinet. Praecipuum mali remedium a Deo petendum: convocandos ex univerſo regno pios viros, qui de eccleſiaſticorum vitiis et eorum exſtirpandorum ratione conſulant: regi inprimis providendum, qui ſuis exemplo eſſe debeat, ne ſacroſanctum Dei nomen polluatur, ut ſacrae ſcripturae pure ac citra fucum ac vanitatem explanentur. In regiis aedibus quotidie conciones, ſi fieri poſſit, habeantur. Tum ſumpta occaſione, converſo ad Catharinam ac reginam nurum ſermone, eas obſecrat, ut profanis et impudicis cantionibus, quibus aulica conclavia ubique perſtrepant, faceſſere juſſis, pſalmos vernaculos et hymnos ſacros omni loco et tempore concinant: id Deo gratum, cui nullus coetus gratus eſſe poſſit, in quo non ipſe laudetur ac celebretur: multaque in eam rem ſubjecit, quibus demonſtrabat, a vera pietate diſſentanea dicere eos, qui Davidicarum cantionum vernacula lingua uſu foeminis interdicunt: quarum ſi interpretatio quae circumfertur minime probetur, errores notari, non autem totum opus rejici debere. Inde non modicam calumniandi anſam praebitam adverſariis, ex eo colligentibus, non cum hominibus, ſed cum Deo bellum geri, cum cantionum ad Dei laudem et piorum ſolatium inſtitutarum publice ac privatim uſus prohibetur. Alterum remedium eſſe concilium generale, ad diſſenſiones hujuſmodi componendas a patribus ſemper uſurpatum; neque vero ſe videre, qui pontificis conſcientia vel ad horae momentum quieſcere poſſit, qui tot animas quotidie perire videat, quas ab ipſo proculdubio Deus tandem repoſciturus ſit. Quod ſi concilium generale obtineri non poſſit, tum regem quod ſui officii ſit facturum, et Caroli Magni et Ludovici Pii exemplo concilium nationale coacturum, cui et intereſſe jubebit qui inter Sectarios doctores habentur, ut cum illis de controverſis religionis

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. | Edit. Lond. Tom. II.

capitibus diſceptatio inſtituatur. Sic a Theodoſio in Conſtantinopolitana ſynodo factitatum contra Arianos et Macedonianos, quamvis eorum error jam a Nicaeno concilio et aliis legitime damnatus eſſet. Ceterum utrinque graviter peccari; a Sectariis quidem primum, qui religionis praetextu armis ſumptis publicam tranquillitatem turbent, contra apoſtoli mandatum, qui pro regibus orare, iiſque etiam difficilibus et importunis obſequi praecipit: unde factum, ut decem illis adeo celebratis eccleſiae perſecutionibus, quibus tot fidelium animae conſumptae ſunt, ne unus quidem repertus ſit, qui cauſam ſuam quamvis juſtam armis defendendam exiſtimaverit; ſed potius patientia et conſtantia carnificum ictus ſuſtinuiſſe ac poſtremo viciſſe. Itaque coetus ſeditioſorum ſemper vetitos, regemque edictis ſuis hac in parte ſatis ſuperque providiſſe. Verum non minus peccari ab iis, qui in illos qui ſolo pietatis ſtudio ducuntur, proque ea fortiter ad mortem pergunt et jacturam ſuorum ac fortunarum contemnunt, plus aequo ſaeviunt; nam irritari plerumque ſpectantium animos; et in confeſſo eſſe, id in multorum animis excitaſſe ſtudium cognoſcendi de ea doctrina, quam in mediis flammis homines minime mali tam conſtanter profiterentur, ac poſtremo ipſos eam ſuſcepiſſe. Longe aliam antiquorum patrum rationem fuiſſe. Nam nec cccxviii in Nicaena ſynodo priore, ıɔcxxx in Chalcedonenſi, cl in Conſtantinopolitana epiſcopos aliis armis quam Dei verbo contra Arianos, Macedonianos, ac Neſtorianos uſos eſſe; nec Conſtantinum, Valentinianum, Theodoſium, Marcianum, pios maxime principes, quidquam gravius in Sectarios quam exilium ſtatuiſſe. Itaque a ſuppliciis ac poenis temperandum videri: quod ſi neceſſitas ferat, ut magiſtratu opus ſit, id ſaltem ſervandum in ſumendis ſuppliciis, ut loci, temporis, perſonarum, voluntatum, et qua de cauſa coetus coactus ſit, ratio habeatur.] Poſt

p. 697. p. 19. ſuſceperit, [*dele* et quibus ludificationibus uſi ſint pontifices, ut eum ſpe laudabili, quam animo pius princeps conceperat, fruſtrarentur.] Morbum

Ibid. Ibid. cunctandum, [*dele* nullamve impedimentorum, quae a pontifice afferantur, habendam rationem.] Interim

Ibid. Ibid. fiat. [*dele* Minime vero ferendum, ut Itali, qui tertiam regni ſacerdotiorum partem occupant, noſque tanquam hirudines exſugunt, abientes ex iis fructus percipiant, contumelioſi erga Deum, in regem vero injurioſi: quippe quorum culpa fiat, ut populus paſtoribus deſtitutus ad novas opiniones plerumque erroneas tranſverſus feratur, et inde pernicioſi motus, ut nuper accidit, in regno exoriantur.] Dandam

Ibid. Ibid. commorarentur, [*dele* nec pecuniae quicquam Romam deferretur.] Nuper

703. 27. nominis [*dele* theologo.] Idem

721. 51. ſtatuiſſet [*dele* jure vel injuria, fraude ſive aperta vi] deſideria

722. 52. curabat, [*dele* inſigni perfidia] erga

Ibid. Ibid. qui [*dele* eadem] impietate

Ibid. 53. machinationem [*dele* inſigni violatae fidei infamia] cumulavit.

738. 73. debere. [*dele* Qua animi moderatione et aequitate, quanquam

quam

Edit. Drouart. Fol. Tom. I. — Edit. Lond. Tom. II.

quam exacerbatis tunc temporis ſummopere omnium animis, maximorum tamen virorum opinione diſſidentium amicitiam ac benevolentiam meruit.] Certo

p. 738. p. 73. omnibus [*dele* diligenter et ornate admodum] perſcripſit

Ibid. Ibid. conjunctiſſimus; [*dele* cujus accuratam narrationem legiſſe ut mihi jucundum fuit, ita ab iis, qui eccleſiae paci conſultum cupiunt, eam cognoſci non inutile exiſtimo.] Compluꝛeis

Ibid. Ibid. Germanos [*dele* non exigui nominis, qui a P. Bembo, Gaſpare Contareno cardinalibus, Baptiſta Egnatio, Ludovico Becatello Italis, dum viveret, magno in pretio habitus,] hoc

739. 74. Phorcenſis, [*dele* vir optimus et pariter doctrina ac ſuavitate morum excellens,] decrepita

Tomo II. *Pariſiis, apud Ambroſium et Hieronymum Drouart,* 1606, *in folio.*

Edit. Drouart. Fol. Tom. II.

p. 8. 85. rejiciebant, [*dele* aut cum tali temperamento admittebant, ut, rejectis quae voluntario cultu aut humana adinventione inoleverant, cetera quae expreſſo Dei verbo congruerent non aſpernarentur.] De

9. 87. verum [*dele* inopinatus caſus eos fidei datae religione liberavit.] Prati-gelati

16. 95. memorant; [*dele* remque miraculo propiorem etiam ab hoſtibus habitam, ut palam in caſtris Sabaudi jactaretur, jam manifeſtum eſſe, bellum, quod adverſus Valdenſeis gereretur, contra Dei voluntatem ſuſceptum: et quidem Sebaſtiano Virgilio ad proelium cum atrocibus minis vadenti, ab hoſpita praedictum ſcribunt, eo die re experturum, Sabaudi an Valdenſium cauſa eſſet juſtior; nam ſi Sabaudi juſtior eſſet, ejus quoque fore victoriam. Cum igitur vulneratus ac prope exanimis in diverſorium referretur, tunc eandem hoſpitam inclamaſſe, Valdenſium potiorem cauſam eſſe; quippe qui cum exiguo numero contra tam potentem exercitum ſuperiores extitiſſent. Qui factum elevabant,] eventum

18. 98. homines, [*dele* quorum conſtantiam intra ſe tacitus admirabatur,] melius

Ibid. Ibid. viro [*dele* ſtrenuo] ob

19. Ibid. ſuppliciis [*dele* in inſonteis] temperaretur,

Ibid. Ibid. temperaretur, [*dele* neque inauditi damnarentur; iſtas turbas a duobus hominum generibus proficiſci, qui contrariis cupiditatibus incitati in idem tamen collimarent, ut ſuffragiorum libertas in judiciis labefactetur ac pervertatur. Nam alios inconſiderato pietatis ardore errores in Dei domum invectos nulla admiſſa in contrarium ratione obſtinate tueri: alios vereri, ne doctrina, quam pravis ſuis ſtudiis ac cupiditatibus repugnare ſciunt, ſenſim invaleſcat: atqui arrogantiae ſummae eſſe, eos damnare qui Dei verbo nitantur, ac veſaniae inauditae, poſtulare ut verbum Dei hominum commentis poſthabeatur. Igitur ancipiti Dei verbo, quod certa veritatis regula ſit, non gladiis et ignibus, quibus perduntur animae, non ſervantur, et franguntur potius voluntates quam ad officium flectuntur, cum iis agendum eſſe. Confeſſioni eorum prorſus cum Proteſtantium noſtratium doctrina conſentaneae,] inter

ulciſ-

Edit. Drouart. Fol. Tom II. | Edit Lond. Tom. II.

p. 20. p. 99. ulciſcantur [*dele* et Nogareti exemplum ſecuti ipſum pontificem in ordinem cogant.] Quae

Ibid. Ibid. Italis, [*dele* quorum avaritia et malae artes rerum gnaris ac futuri providis jam tum ſuſpectae erant,] nullae

21. 102. exiret [*pro* purior *ſcribe* novus] Dei

22. Ibid. in [*dele* depravatam] doctrinam

23. 104. ſumpturum, [*dele* in quam certiſſimum ſit, foediſſimos errores, qui ad Dei contumeliam ſpectent, temporis lapſu irrepſiſſe, et quos nec ipſe tueri debeat;] hoc

28. 112. cardinalis [*dele* oſtentandi ingenii et popularis aurae captandae ad vanitatem uſque cupidus,] annitente

29. 114. ominabantur. [*dele* Tum in ſacri ordinis corruptos mores et diſciplinam depravatam acerba oratione invectus eſt; foedam ignorantiam inter ſacerdotes graſſari; nec, ut fieri debeat, commiſſos ſibi greges docere, ſuove exemplo ad puram integramque vitam praeire; ſed profligatis moribus populo offenſionem parere, et quaſi conductitios mercede omnia facere, nullaque re minus quam officio gaudere, dum ſe totos voluptatibus mancipant, et nimio otio ac luxu licenter exultant; hanc eſſe, nec aliam, malorum, quae regnum hoc olim florentiſſimum affligtant, cauſam. Proinde plebis nomine petit, uti rex, cujus proprium munus eſt religionis patrocinium ſuſcipere, id ſedulo agat, et pullulantem vitiorum luxuriem reſecet, adempta omni ſacerdotibus juriſdictione, quae ipſis minime conveniat: verum iis opibus in pios uſus diſtributis curet, ut nationale concilium, quod eſt unicum et praeſentiſſimum his malis componendis remedium, legitime celebretur, eoque libere accedentibus fide publica caveatur. Concilio praeſit rex, illiuſve loco conſanguinei principes; interim, dum de religionis controverſiis decernitur, publice conveniendi et conciones audiendi iis, qui Romanae eccleſiae ceremoniis religione praepediti intereſſe non poſſint, facultas detur. Et quoniam coetus illiciti omnes prohibiti ſint, iis praefecti regii ac miniſtri provinciarum inſpectores adſint regis mandatu, et videant ne quid inde rex aut reſpublica detrimenti capiat. Non debere adverſus eos praejudicium valere jampridem uſurpatum; quemadmodum nec longa temporum praeſcriptio, quae a Romana eccleſia profertur, facere poſſit, ut mendacium veritatis loco habeatur: nam religionis cauſam non gladio aut convitiis, ſed amice et verbo Dei tranſigendam.] Poſtremo

30. 115. multis, [*dele* ſeu pietatis ratione, ſeu] novarum

Ibid. 116. eos [*dele* raro Dei beneficio] ullos

31. Ibid. abſtineatur: [*dele* quod ad eos, qui in unione remanſerunt, ſed ſcrupulis quibuſdam tenentur, offenſionum cauſas, ne ob eas tandem ſe alienent, praecidendas eſſe. Imaginum ante omnia uſum, a Deo vetitum et a beato Gregorio improbatum, ſaltem e loco adorationis omnino tollendum. In baptiſmo exorciſmos et certas precum formulas, quae extra ejus inſtitutionem ſunt, omitti poſſe; ac ſufficere, ut aqua et verbum tantum juxta Dei praeſcriptum adhibeantur: ſputi in infantuli os injectionem non ſolum non neceſſariam videri, verum etiam non carere periculo. Sacrae communionis uſum integrum, hoc eſt, ſub utraque ſpecie ſine perſonarum diſtinctione, reſtitui debere; nec Conſtantienſis concilii, quod Dei mandato

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. — Edit. Lond. Tom. II.

dato praeponderare minime debeat, auctoritatem, quo minus id fiat, obeſſe poſſe. Offendere item multos, quod ſinguli aut pauci nec juxta Dei inſtitutum communicent, nullis adhibitis precibus, quae ab omnibus intelligantur, aut explicato tam tremendi myſterii uſu. Proinde viros pios optare, ut antiquus ſacrae euchariſtiae uſus reſtituatur, et antiſtites primis menſium ſingulorum Dominicis diebus, vel ſaepius ſi fuerint rogati, omneis, qui communicare velint aut debeant, convocent. Tum, pſalmis populari ſermone ab omnibus cantatis, fidei ac generalis peccatorum confeſſio edatur: publicae preces pro principe ceteriſque magiſtratibus, eccleſiaſticis et aliis, pro aëris ſalubritate, terrae fructibus, proque afflictis, concipiantur. Secundum haec evangeliſtarum aut beati Pauli locus de ſacrae euchariſtiae uſu praelegatur et explicetur; et ita ad communionem ſub utraque ſpecie omnes qui adſunt recipiantur. Interea recens et nuper inventum Dominici corporis feſtum, quod multarum offenſionum cauſam praebeat et minime neceſſarium ſit, aboleatur: nam myſterium illud ad adorationem et ſpiritualem cultum, non ad pompam et ſpectacula, inſtitutum eſſe. [1] In ſacrificio itidem, quod ab imperitis ſacrificulis ac vitae perditae nebulonibus plerumque, non ſine piorum offenſione, proſtituatur ac venundetur, graviſſime peccari: multos etiam de eo ambigere, quippe qui non admittant, quod eccleſiaſtici affirmant, Chriſtum in eo offerri, nec aequo animo ferant pluris illos ſuum illud, quam Chriſti ſacrificium, aeſtimare; ſed doctiores ſic cenſere, ſacrificium illud, quod a ſacerdotibus fit, tantum eſſe veri illius ſacrificii ſemel pro nobis a Chriſto peracti ſignum ac monumentum, et perperam facere imperitos presbyteros, qui male imperitam plebem imbuant, ut eos pro Sectariis habeat, qui aliter quam ipſi ſentiunt. In celebratione etiam externa peccari; primum, quod omnia illic peregrino et incognito ſermone recitentur, cum tamen preces non ad ſacerdotum tantum, ſed omnium audientium utilitatem fundantur: quod cum ita ſit, quis incognito ſermone reſpondeat, Amen? Quod ſi Latinum idioma retineri placeat, ſaltem adhibendam interpretationem vulgari, et qui ab omnibus intelligatur, ſermone. Praeterea contra inſtitutum myſterii fieri, quod unus tantum in ſacrificio communicet, populo interim nequicquam otioſe inſpectante. In ratione item colendi Dei hoc deſiderari, ut Pſalmorum cantio lingua vernacula in uſum revocetur, et preces privatae communi, et qui a vulgo percipi poſſit, ſermone concipiantur. Haec eſſe quae caſtigatione egere videantur; et expetere quidem viros pios, ut nihil de auctoritate pontificia detrahatur; nihil in doctrina mutetur; et, ſi quid in miniſtris eccleſiaſticis peccatum fuerit, non ideo miniſterium tollatur, ſed illius ſemper ſarta tectaque auctoritas ſervetur: Ceterum iſtis ſemel bene ſtabilitis nihil incommodi aut abſurdi conſequi poſſe, ſi in ceteris ad emendationem eorum, quae offenſionis cauſam praebent, cum charitate et cura ſerio attendatur.] His

p. 32. p. 118. nominis [*dele* theologus] in

33. 119. ipſe [*pro* praefuit *ſcribe* adfuit.] Ad

NOT. [1] *Quae ſequuntur* XI *circiter lineae, uſque ad* In celebratione, *deſunt* Edd. Gen. *et* Lond.

Edit. Drouart. Fol. Tom. II.	Edit. Lond. Tom. II.	
p. 34.	p. 119.	caſtigavit: [*dele* nec multis libris opus eſſe; verbum Dei ſufficere, ad quod tanquam regulam doctrina appendenda et examinanda ſit.] Nec
Ibid.	Ibid.	qui [*dele* fratres ſint et] eodem
Ibid.	Ibid.	contumacia; [*dele* nimia ſeveritate in eo graviter errari; ſic olim Alexandrum Alexandriae patriarcham ad inſaniam Arium adegiſſe; ſic Neſtorium Conſtantinopolitanum ob eandem cauſam in non minus pernicioſum errorem incidiſſe:] Satis
Ibid.	120.	quae [*dele* docte, ſapienter, ut nihil melius,] ab
Ibid.	Ibid.	Hoſpitalio [*dele* ad Dei gloriam et veram religionem conſtituendam] dicta
Ibid.	Ibid.	Hoſpitalius, [*dele* quippe cui de fraude ſuboleviſſet, et ſciret hoc fieri, ut negotium ſibi faceſſerent, et interea negotio remora injiceretur.] Tum
37.	123.	fieret; [*dele* et interea ſemper a ſuppliciis, quibus ob religionem miſeri homines antea afficiebantur, abhorruiſſe;] demirari
Ibid.	Ibid.	inculcaret, [*dele* Beza quoad vocationem legitimam reſpondit, manuum impoſitionem non neceſſariam legitimae vocationis notam eſſe; praecipuas eſſe atque adeo ſubſtantialeis, in mores ac doctrinam inquiſitionem, et electionem; nec vero mirum eſſe, ſi ab iis, qui vulgo Ordinarii appellantur, manuum impoſitionem non acceperint; an enim ab illis, quorum depravatos mores, ſuperſtitionem ac falſam doctrinam improbant? aut expectandum fuit, ut ab illis approbarentur, qui veritatem oppugnant, quam ipſi tuentur? Neque vero ſemper miraculis ad extraordinariam vocationem opus eſſe; idque exemplis Iſaiae, Danielis, Amoſi, Zachariae, poſtremo Pauli, confirmat.] Tandem
38.	124.	Caſſandro [*dele* optimo viro et doctiſſimo, ac puriſſimo hac aetate theologo,] conſiliis
Ibid.	125.	inſtitui. [*dele* Hominis arrogantiam] tulit
39.	127.	et [*dele* honorifice] inprimis
Ibid.	Ibid.	epiſcopum, [*dele* virum literis non mediocriter ornatum] inviſit
40.	Ibid.	ut [*dele* pie ac prudenter] deſpicerent
41.	129.	capite [*dele* errorem a Bonifacio VIII invectum, et poſt ejus mortem paſſim damnatum] ignominioſa
Ibid.	Ibid.	pontifex [*dele* ſemper antea veritus, ſi concilium indiceretur, ne is ejus exitus eſſet, ut ipſe in ordinem cogeretur,] cum
42.	130.	eſt, [*dele* et curiae Romanae faſtum, pompas, luxum, ambitionem, ſordeis, corruptos mores, quos perſpectos ſe habere dicebat, multis et acerbis verbis deteſtatus, poſtremo addit: concilium a pontifice indictum, non, ut oportuit, ad ſtabiliendam Chriſti doctrinam, ſed ad firmanda infirmae carnis divinis mandatis adverſantis commenta; non ad purgandum ovile dominicum, ſed ad diſſeminandos hominum inveteratos errores; denique non ad Chriſtianam libertatem, ſed ad miſerarum animarum ſervitutem et oppreſſionem inſtitutum eſſe: quippe in quo juxta ceremonialis Romani praeceptum, quod habetur lib. I. cap. III. ſectionis XIV, epiſcopi tantum, abbates, et ii omnes praeſules, qui ſecundum formam juramenti, quod praeſtant cum ad dignitates promoventur, ad ſynodum venire tenentur, intervenire poſſint, ac ei ſubſcribere; inferiores autem eccleſiaſtici viri ac ſaeculares principes conſu-

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

conſulendi ac inſtruendi, non autem deliberandi et decernendi, gratia interſint; quo fieri dicit, non ſolum ut qui ob craſſos et erga Deum contumelioſos errores ſe ab eccleſia Romana ſeparaverint, non audiantur, contra quam a Paulo *III* initio promiſſum fuerat, ſed etiam ut multi ac peritiores ex illiuſmet eccleſiae gremio doctores ad ſententiam dicendam non admittantur, libertate, in qua ſpes ſarciendae concordiae reliqua erat, omnino ſublata, et aperta ad ſciſſuram nunquam ex domo Dei eliminandam feneſtra.] Hanc

p. 58. p. 156. nam [*dele* ut Romanam curiam, ubi nihil tunc recti, nihil ſani erat, omittam,] apud

Ibid. Ibid. dediſſe. [*dele* Nec prudentiores ſunt, qui regem in alterutram partem omnino propendere debere cenſent; ſic enim ſciſſuram deſituram. Quod ita interpretor, regem debere ingentem exercitum comparare ex alterius partis hominibus, quo alteram oppugnet, et membra membris ad univerſi corporis necem armare; quod et Chriſtiano nomine et homine ipſo indignum eſſet: et libenter quidem ab egregiis illis regum conſiliariis quaererem, ex quibus copiis exercitum illum componi debere cenſeant; an enim ex iis, qui, cum minime idem nobiſcum ſentiant, proculdubio mox ad hoſtem transfugient? Praeterea quis ſpondere auſit futurum, cum in fratrum, parentum, filiorum et cognatorum conſpectum venerint, ut infeſtis animis cum iis conflicturi ſint; et ut confligant, quem victoriae, quamcunque in partem inclinaverit, exitum expectare poſſumus, victoribus aeque ac victis luctuoſae? Et fortaſſe id in populari aut plurium ſtatu locum habere poſſit: verum in regno, in quo poteſtas penes unum eſt, partes tolerari nullo modo poſſunt. Hoc ergo remedium minime hujuſmodi eſt, ut malo mederi poſſit: emendatiore vita opus et puriore erga Deum conſcientia. His armis inſtructi erant boni illi patres, qui eccleſiam adverſus Arium et hujuſmodi Sectarios tutati ſunt; B. Ambroſium dico, Chryſoſtomum, Hilarium; quos ſi cum epiſcopis, qui nunc ſunt, componamus, quam male religionis rebus et noſtrae ſecuritati proſpectum ſit, facile deprehendemus. Nec me latet futuros, qui eandem quaeſtionem, quae nuper in Poſſiaceno colloquio tractata, et antea in ſenatu Pariſienſi coram rege agitata eſt, retractari cupiant: quibus hoc reſponſum velim, me religionis controverſias penes eoſdem praeſules, ad quos earum cognitio pertinet, relinquere; tantum de diſciplina hic agere, quo univerſi hujus regni cives pacate vivere, et in obſequio, quod regi debent, contineri poſſint. Ad edictum vero menſe Julio nuper factum quod attinet, ſic cenſeo, in legibus diſtinguendum eſſe: nam aliis ſine manifeſta Dei offenſione minime derogari poſſit, quae proinde nuſquam violari debent, quippe quibus violatis regnorum everſionem continuo ſequi neceſſe ſit; quod in quibuſdam quaſi uno ictu accidiſſe magno noſtro cum dolore vidimus; ſicuti nuper in momento paene Pannonico regno a Turcis noſtra aetate occupato. Alia imperia ſenſim corruptis paulatim legibus peſſum data ſunt, ut, ſi tegulam hodie poſt aliam ac deinceps aliam ſemper demas, imbrices et tabulata tempore corrumpi incipient, ac tandem totum aedificium corruet. Aliae ſunt leges, quae a regis arbitrio pendent, et quarum ipſe gratiam facere interdum

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

dum citra periculum poteſt, et iis ſaepenumero tacito conſenſu abrogatur; qualem eam eſſe, quae nuper menſe Julio promulgata eſt, experientia docuit. Nam, quantumvis juſta et rationi conveniens, locum habere non potuit; eaque in re judices, ad quos ejus ſtabiliendae cura pertinet, omni culpa, quam iis imputari poſſe initio dixeram, exonerabo. Ac memini ſane me legere, Ciceronem Catoni ſuccenſere ſolitum, quod cum corruptiſſimo ſaeculo viveret, in ſententiis dicendis adeo ſeverus et rigidus eſſet, ac ſi in Platonis republica verſaretur. Nam in hujuſmodi legibus id praecipue ſpectandum arbitror, ut quomodo pedi calceus, ſic tempori, et iis quorum gratia fiunt, quadrent et conveniant; alioqui praeclaris illis in ſpeciem edictis idem uſu veniet, quod illis a Demetrio tanta arte fabricatis navigiis, quae cunctos in ſui admirationem rapiebant, aſpectu quidem pulchris, ceterum ad navigationem inutilibus. Audio nunc, quod contra quidam male feriati homines muſſitent, eandem rem ſaepius in deliberationem adduci, eo conſilio, ut quod hucuſque repudiatum fuit, tandem obtineat. Verum res non ita habet; ſed ut aegrotis, ſic nobis ſemper liberum fuit quovis tempore et undecunque remedia quaerere; quod eo dico, quod ſciam me a quibuſdam eo nomine calumnioſe traduci; quibus idem dictum velim, quod a quodam pio Leontio epiſcopo olim reſponſum fuit, qui canitiem verendam oſtentans, qualis haec mea eſt, et barbam pertractans, Haec, inquit, cum diſſoluta fuerit, lutum fiet: quo dicto intelligi volebat, eos, quos tantum ſui odium ſeu faſtidium ceperat, pejorem ſe mortuo aut a munere remoto fortaſſe ſucceſſorem habituros.] Nec

p. 60. p. 158. ſe [*dele* verbum Dei pure et ſincere populum edocturos,] nihilque

61. 159. invaſerint; [*dele* neque expectandum duxerint, dum Deus, qui religionis cauſam regit, ipſis praeiret.] Ibidem

Ibid. Ibid. fuit, [*dele* et reginae juſſu ex Valentini et Sagienſis epiſcoporum, Butillerii, Eſpencaei et Picherelli theologorum conſilio haec capita propoſita fuerant; ut quando potius ex animis hominum quam ex templis aliiſque locis juxta beati Auguſtini ſententiam errores eradicandi ſunt, epiſcopi dent operam per curiones, ut plebs de recto earum uſu ſedulo moneatur, et ita omnis offenſionum occaſio regia conſtitutione, accedente eccleſiae auctoritate, praecidatur; cui ſi quis repugnaverit, tanquam quietis publicae regiorumque edictorum violator plectatur. Inprimis, ex templis aliiſque locis tam publicis quam privatis ſanctae Trinitatis effigies tollatur, tanquam ſacra ſcriptura, conciliis, et veterum patrum teſtimoniis prohibita, et tantum diſſimulatione et praeſulum ac paſtorum ſegnitie tolerata. Idem de aliis profanarum perſonarum, aliorumque, de quibus martyrologiorum in eccleſia receptorum fide minime conſtat, laſcivaeque et minus honeſtae formae ac brutorum imaginibus dictum intelligatur. Non iis coronae, ſerta, veſtes imponantur, non thura incendantur, non candelae accendantur, in ſupplicationibus minime geſtentur, non vota et oblationes ad eas fiant, aut genu flexo colantur: et quia haec omnia pars adorationis ſunt, ex altaribus, excepto venerabili ſanctae crucis ſigno, prorſus tollantur, et in parietibus aut pro valvis templorum ſtatuantur, ita ut deinceps neque

Edit. Duaci. Fol. Tom. II. — Edit. Lond. Tom. II.

neque ſalutentur, nec oſculo impreſſo votiſve aut donariis colantur; feretra item humeris per vicos et in templis circumferri ſolita, et baculi, ſicuti nuper Senonenſi provinciali ſynodo cautum eſt, omnino aboleantur. His conditionibus cum Beza tam ſuo quam collegarum nomine ſe ſubſcribere paratum oſtenderet, tantum de crucis ſigno, quod primum a Conſtantino Caeſare ad cultum propoſitum aiebat, cum eccleſia diu ante eo caruiſſet, non aſſentiretur, in eoque perniciosiſſime peccari contenderet, Nic. Mallardus collegii theologici Pariſienſis decanus interceſſit; et, quamvis quaedam pravo more irrepſiſſe non diffiteretur, tamen omnem illum imaginum cultum retinendum contrario ſcripto propoſito praefracte aſſeruit; et ita] re

p. 61. p. 160. blaterent, [*dele* Dei ope] enixurum

Ibid. Ibid. ut in [*dele* laudabili de promovenda religione] propoſito

64. 162. erat [*dele* miti] ingenio

67. 167. revertitur; [*dele* non ſine indignatione multorum, qui ſummum armorum ducem ad aucupandam vilis plebis gratiam ſerviliter rei ridiculae operam dare aegre ferebant, unde nihil praeter jocantium dicteria reportavit. Permiſſa inde plebi licentia optimi quique per vicos indigne habiti;] multi

77. 179. excluſo, [*dele* et longe ad nos trans mare remiſſo. Cum rurſus profeſſionem fidei ab omnibus, qui publico munere funguntur, exigunt, quo exemplo id faciant, amplius ipſos videre oportuiſſe. Certe videre omneis id contra concilia et ſanctorum patrum decreta fieri, qui nullam aliam fidei confeſſionem praeter Nicaeni concilii ſymbolum unquam exigendam cenſuerunt; niſi dicamus, ea ſpecie tegi Hiſpanicae Inquiſitionis terribile nomen, quod omnes nationes adeo exhorreant, et quam veluti decipulam ad vexandos bonos et illaqueandas conſcientias nuper Aureliani pernicioſis conſiliis ſuis ſubſternere moliti ſunt: quod ſi locum habeat, magnum ex eo praejudicium cauſae Proteſtantium fieri; quippe qui ea profeſſione, non expectata concilii ſententia in quo audiri debent, peractos ſe damnatae opinionis reos agnoſcere cogantur; ſicque miniſtri et alii adeo, qui ita inauditi damnati eſſent, a concilii audientia excluderentur. Antequam vero Guiſius et Carolus cardinalis ejus frater ad alios accuſandos admittantur, neceſſe eſſe ut ipſi ſe purgent, et ejurent confeſſionem Auguſtanam, cui ſe, cum nuper Tabernis eſſent, ſubſcripturos principi illuſtriſſimo receperunt; et cardinalis ea recantet, quae de tranſubſtantiatione, de aſſervatione et circumgeſtatione euchariſtiae, de juſtificatione, ſanctorum invocatione, de purgatorio, et imaginibus, contra receptam in eccleſia Romana opinionem, coram regina pluries diſſeruit.] Quod

Ibid. Ibid. interfectorum, [*dele* qui non muta ſimulachra, ſed ſpirantes Dei effigies erant.] Cum

78. 180. adoleſcens, [*dele* in quo praeter gentis nobilitatem, oris venuſta facies, eruditio, eloquentia cum ſingulari modeſtia certabant.] In

Ibid. Ibid. turbavit. [*dele* Tum quia belli metus ingruebat, communi decreto jejunium publicaſque preces indici placuit; et inde ad reliquas eccleſias ſcribunt, et ad avertendam Dei iram, qui propter peccata populi tantarum calamitatum tempeſtatem

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. — Edit. Lond. Tom. II.

tem immittat, ut idem faciant, et omneis ad reſipiſcentiam adducant hortantur, atque ita apud ſe ſtatuant, erga poenitenteis vereque ex animo confeſſos ac vitae novitatem meditanteis Dei promiſſiones efficaces eſſe et ad illos omnino pertinere; haec vera debellandorum Dei hoſtium arma eſſe, vitae nimirum emendationem, ac pias preces; quae ſi deſint, tela ac gladios fruſtra expediri, quae Deus in propria torquentium ac ſtringentium latera mox converſurus ſit.] Jam

p. 103. p. 215. eccleſiae [*dele* emendandae] curam

111. 225. confringunt, [*dele* palam dictitantes, cum imaginum ac pravi cultus propugnatores tam crudeliter in homines, hoc eſt, in ſpiranteis Dei imagines quotidie ſaevirent, non videre, cur a ſtatuarum, hoc eſt, a mortuarum atque adeo vetitarum rerum, et quae occaſionem offenſionis darent, profligatione temperare deberent. Editum et in eam rem ſcriptum, quo ſanctorum patrum teſtimoniis imaginum cultus refutabantur, et ad Chriſtianos principes pertinere demonſtrabatur, ut earum uſus tanquam in Deum contumelioſus in ditionibus ſuis aboleretur: itaque ſtatuarum profligatores minime cenſeri ſeditioſos debere, quippe qui, cum veritatis patrocinium ſuſceperint, ſui officii eſſe ducant tam deteſtandum et piis omnibus inviſum ſpectaculum e conſpectu hominum tolli.] Secundum

181. 325. Florentinus [*dele* ingenio et eruditione inter ſuos praeſtans,] varia

Ibid. Ibid. Tigurini [*dele* memoriae patris eam gratiam rependentis] benignitate

195. 341. eam [*dele* ad avertendam Dei iram,] ſi

Ibid. Ibid. ut [*dele* divinus cultus ab omni errore ac ſuperſtitione purus in regno conſtituatur,] ſublatis

219. 381. vero [*dele* puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam [1] adjunxerat, et] biblia

Ibid. 380. natus [*dele* magni nominis inter ſuos theologus] qui

Ibid. Ibid. appulit, [*dele* in quibus improbo labore tantum profecit,] Martini

Ibid. Ibid. aſſiduus, [*dele* ut famam concionibus quaeſitam etiam laborioſiſſimis editis commentariis auxerit,] Argentinae

221. 395. Palatinus [*dele* ex theologis] Michaelem

Ibid. Ibid. Eraſtum [*dele* ſumma doctrina et peracri judicio medicum,] ac

Ibid. Ibid. Xylandrum [*dele* utriuſque linguae apprime gnarum, ad haec philoſophiae et mathematicarum artium doctrina praeſtantem virum,] qui

Ibid. Ibid. Bidenbrachius [*dele* theologi,] et

222. 396. didicerat; [*dele* ſic et in religionis negotio non igne et ferro graſſari, ad quod ipſum et Galliae regem plerique hortabantur, ſed colloquiis, diſputationibus, amicis collationibus, conciliis denique, ſive nationalibus ſive oecumenicis, rem gerere tutius judicabat. Itaque cum videret, concilio Tridentino jam ad exitum perducto, quantum ad Germaniam et ſuae ditionis populos, parum profectum, ſeroque animadverteret ſibi a cardinali Morono verba data, quo a poſtulatis ſuis et communibus cum rege Galliae initis conſiliis diſcederet, quod ab aliena ope tantis malis ſubſidium fruſtra exſpectaverat, a propriis

NOT. [1] *Vide Var. Lect. ad pag. 381, tom. II, edit. Lond.*

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

propriis ſibi ſumendum exiſtimavit, et Maximiliani F. optimi juxta ac prudentiſſimi principis conſilio uſus, de controverſis Auguſtanae confeſſionis articulis amice conciliandis ſerio cogitare coepit. Qua in re opera Georgii Caſſandri viri optimi ac doctiſſimi, qui Duiſburgi tunc erat, uti voluit. Is ad exactiſſimam rerum ſacrarum ſcientiam ſummum animi candorem ac moderationem addiderat, et in cognoſcendis hujus aevi controverſiis rationibuſque quibus haec tempeſtas utcunque ſedari, et ne major diſtractio et dilaceratio in eccleſia fiat occurri poſſit, conquirendis omne vitae ſpatium contriverat. Ad eum igitur Ferdinandus XI Kal. Jun. literas dederat, quibus Viennam ad ſe ut veniret hortabatur; cumque ob continuos arthritidis dolores majorem anni partem lecto affixus facile ſe excuſaſſet, alteris ad eum Vienna Eid. Quintil. datis literis rogat, ut, quando ipſi praeſentia ſua inſtitutum reconciliationis opus promovere per valetudinem non licet, quod unum ſupereſt, ſcripto et conſilio illud adjuvet, collectoque doctrinae Catholicae ſummario, praeter antiqua et indubitata fidei Catholicae in confeſſione Auguſtana comprehenſa dogmata, quae ſemper fuerunt extra controverſiam poſita, etiam illos omnes articulos explicet, qui jam hinc inde inter eruditos utriuſque partis ad concordiam ſunt deducti, vel pro conſtituenda eccleſiae unitate ac quiete concedi et indulgeri, ſalva veritate Catholica, adhuc poſſunt, et quibus denique confeſſio Auguſtana expreſſe non contradicit, quamvis ab iis, qui eam amplectuntur, contra religionem Catholicam in dubium vocentur. Quod ille admirabili brevitate et moderatione praeſtitit, conſultatione de articulis inter Catholicos et Proteſtanteis controverſis edita, et ad Maximilianum Caeſarem, jam mortuo Ferdinando, miſſa; quae viro optimo, et qui animum ab omni affectu et partium ſtudio abduxerat, aequaque ac ſincera mente unicam veritatem a Chriſto proditam et apoſtolorum miniſterio per orbem univerſum diffuſam, partim literis conſignatam, partim priſca univerſali ac perpetua eorum, qui eccleſias poſt apoſtolos gubernandas receperunt, traditione conſervatam profitebatur, ultima et tanquam cygnea vox fuit; quippe biennio poſt Coloniae vivis exemptus eſt.] Ceterum

p. 223. | p. 397. natus, [*dele* acri vir ac vehementi ingenio et admirabili facundia praeditus, tum inter Proteſtanteis magni nominis theologus,] cum

Ibid. | Ibid. eſſet, [*dele* nec minus propterea in munere ſuo aſſiduus aut a continua ſcriptione abſtineret,] tandem

Ibid. | Ibid. Cellarius, [*dele* vir doctiſſimus, et praeter theologica aliis etiam ſcriptis editis clarus,] Baſileae

Ibid. | Ibid. Bibliander [*dele* vir multijugae eruditionis] valde

Ibid. | 398. verſionis [*dele* tanti apud nos et Hiſpanos ipſos factae] origo

Ibid. | Ibid. cognoſceretur, [*dele* et inſigne documentum extaret, quid utilitatis ex adverſariorum libris et induſtria, ſi ſemotis odiis charitatem et aequitatem induamus, ad Dei gloriam capi poſſit.] Hoc

226. | 401. vindicem [*dele* ambitioſa oſtentatione] jactabat

Ibid. | Ibid. Navarrae, [*dele* quod injuſte detinebat,] etiam

228. | 403. Molinaeus [*dele* magni nominis juriſconſultus ac priſcae liber-

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

libertatis retinens] conſultationem

p. 228. p. 403. qua [*dele* ob multas cauſas] concilium

Ibid. Ibid. terminatum [*dele* contra antiqua patrum decreta et regni Francici dignitatem ac libertatem] contendebat.

230. 406. nervis, [*dele* uti olim a Juliano imperatore contra Chriſtianos factitatum hiſtoria ſacra memorat] religio

232. 409. nplebat. [*dele* Philippus igitur, ut tergiverſantem pontificem cogeret, apta, ut ſibi videbatur, ratione uſus, minutae auctoritatis metum incutiebat; et cum concilii publicationem et executionem prae ſe ferret, ejus decreta etiam contra cardinaleis et epiſcopos facta, per omnia ditionis ſuae regna ac provincias, regis nomine, nuſquam mentione pontificis facta, promulgari imperabat. Quod pontificis animum, inter multa injurioſe in ipſum ab Hiſpanis facta, maximopere exulceravit, fruſtra mitigante ſenem iracundum Coſmo, et inde commoda ex potentiſſimi regis amicitia, inde periculum, ſi ab eo ſe alienaret, oſtentante.] Tandem

233. 410. Pio IV, [*dele* cum minus ille ſibi peracto jam concilio ab Hiſpanis praeſulibus timeret,] obtinuerat

238. 415. privavit. [*dele* Cum vero ſub id tempus Vidus Aſcanius Sfortia cardinalis deceſſiſſet, camerarii dignitatem, quod antea nuſquam factum fuerat, turpi nundinatione Vitellocio Vitellio cardinali xxc aureorum cIↃ vendidit, et Alexandrum Sfortiam Aſcanii defuncti fratrem camerae clericum in cardinalium collegium cooptavit, non tam ut eum dignitate augeret, quam ut venale clerici camerae munus, quod per galeri adeptionem vacabat, pro conceſſae dignitatis pretio acciperet. Ipſe finito concilio ad omnia ſecurus ſpectaculis et variis oblectamentis totum tempus impendebat, ſtructo in Vaticano forma amphitheatrali loco, in quo ludos et haſtiludia ſaepius ſpectabat, de cetero exiguam prae ſe de paſtorali officio ſolicitudinem ferens; cumque multorum opinione parum concilii ultimi decretis proſpectum eſſet, creſcentibus in dies diſſidiis, majore quoque ſciſſura per ipſius negligentiam eccleſia in Germania, Britannia, apud nos, et jam in Belgio, lacerabatur. Itaque] ſub

Ibid. 417. ſit. [*dele* Addita erat literis ſuccincta argumentorum pro ſacerdotum matrimonio contra [1] impurum coelibatum enarratio, cum mandato, ut brevis ille commentarius cardinalibus communicaretur, cujus ſumma haec erat: negari non poſſe utriuſque teſtamenti teſtimoniis uxores ſacerdotibus permitti, et conſtare apoſtolos ipſos, paucis exceptis, conjuges habuiſſe; quod autem Chriſtus poſt eorum vocationem mandaverit, ut ſe ab uxoribus ſepararent, nullo loco reperiri: liquere item in prima orientali et occidentali eccleſia uſque ad tempus prohibitionis a Calixto factae ſacerdotum conjugia libera ac licita fuiſſe: proinde cum natura noſtra fragilis ſit et omnium aetas ab adoleſcentia in malum prona, cum caro ſit ſtimulus peccati, et arctiſſima ſit continentiae via, paucique reperiantur qui carnis ſtimulum non ſentiant et in igne poſiti non ardeant, ſitque talis ignis concupiſcentiae ad perniciem devorans, Dionyſium Corinthi epiſcopum prudentiſſime Pinytum ſuffraganeum monuiſſe ne coelibatus onus tanquam neceſſarium fratribus imponeret, ſed infirmitatis plurium rationem haberet: ſic Paphnutium in Nicaena ſynodo honorabileis conſeſſum

NOT. [1] Impurum *deeſt Edd. Gen. & Lond.*

Edit. Davent. Fol. Tom. II — Edit. Lond. Tom. II.

confeſſum nuptias, et concubitum cum propria uxore caſtitatem eſſe aſſerentem, ſuaſiſſe patribus, ne coelibatus legem dicerent; gravem quippe eſſe cauſam, quae aut ipſis ſacerdotibus aut eorum conjugibus ſcortationis occaſionem praeberet. Id ſi olim ſancte ac ſapienter dictum, et ut inde honeſtati, hinc infirmitati, hominum ſubveniretur, neceſſarium exiſtimatum eſt, nunc profecto hoc infelici ſaeculo verum eſſe, quo vix inter multos unus reperiatur, qui caſtum coelibatum praeſtet; nam omneis fere publicos eſſe ſcortatores, cum maximo animarum diſcrimine et populi offenſione. Praeterea eam ſacerdotum penuriam eſſe ob vetitum matrimonium, ut ſcholae theologorum apud Catholicos vacuae ſint, et, ſpretis epiſcopis, omnes ad Sectariorum ſcholas profugiant, ibique qualiquali manuum impoſitione accepta ſe paſſim ingerant, ſintque eccleſiae Catholicae, ſupra quam credi poſſit, dedecori: qui tamen, libertate conjugii permiſſa, omnes in eccleſia nobiſcum manerent. Proinde ex eccleſiae bono videri, ut ipſa contra regulae ſeveritatem ea in re aliquid indulgeat, et liceat viris ſacram vitam profeſſis vel in coelibatu permanere vel matrimonium contrahere; dein ut honeſti mariti, qui docti et rerum eccleſiaſticarum periti ſint, ad ſacros majores ordines admittantur; poſtremo, ut cum ſacerdotibus, qui jam antea contra conſtitutiones ſacras matrimonium contraxerint, in tanta miniſtrorum paucitate diſpenſetur, et ii per eccleſiam gratioſe tolerentur, ac denique ut miniſtrare poſſint, ipſorum conſcientiis relinquatur: valde enim abſurdum eſſe, ſacerdotes conjugatos removere, ſcortatores vero, qui contra legem divinam et humanam ſimul peccant, delinquenteis pati; quod ſi ii caſtitatis voto aſtringendi videantur, certe ad ſacerdotium promoveri non debere, niſi qui provecta jam aetate ſint, et de quibus ſpes certa concipi poſſit, ut coelibatum pie et inviolate colant. Nec vero ſatis firmum videri eorum argumentum, qui propter conſervanda bona eccleſiaſtica coelibatum mordicus retinendum cenſent; quippe iis reputandum eſſe, an deceat eccleſiam tot animarum periclitatione conſervandis bonis invigilare, cum eorum indemnitati per ſolemneis deſcriptiones et inventaria perque alias ejuſcemodi legitimas cautiones abunde proſpici poſſit. Quibus tamen rationibus et argumentis, quantumvis inſtante Caeſare et re ipſa urgente, nihil a pontifice, jam poſt concilium ſemel dimiſſum ſecuro, impetrari potuit.] In

p. 243. p. 428. militiae, [*dele* ex qua nullum aliud decus aut emolumentum quam membrorum mutilationem reportarat,] pertaeſus

244. 429. Ita [*dele* in ſpeciem] omni

Ibid. Ibid. crevit [*dele* ut principibus ipſis formidoloſa eſſe coeperit,] fundatoris.

Ibid. 430. Jeſuitarum [*dele* ſuperbo et ambitioſo, ſicuti tunc multis videbatur,] nomine

245. Ibid. edidit, [*dele* cujus ſumma haec erat. Novam hanc ſocietatem appellatione inſolita Jeſus nomen ſibi vindicantem, tamque licenter quaſlibet perſonas quamlibet illegitimas, facinoroſas, et infameis nullo delectu admittentem, quae nulla re ab aliis ſaecularibus in ritu, ceremoniis, ac vivendi norma, quibus monachorum ordines diſtinguuntur, differret; ad haec tam multis privilegiis, libertatibus et immunitatibus, praeſer-

Ed. Dram. Ed. Lond.
Fol. Tom. II. Tom. II.

tim in ſacramentorum adminiſtratione, in praeſulum et ſacri ordinis praejudicium, immo etiam principum ac dominorum et magnum populi gravamen, contra ſcholae Pariſienſis privilegia, donata eſſet, videri monaſtici ordinis honeſtatem violare; ſtudioſum, pium et neceſſarium virtutis, abſtinentiae, ceremoniarum et auctoritatis enervare exercitium; immo praebere occaſionem libere ab aliis votis deficiendi; debitam praeſulibus obedientiam ſubſtrahere; dominos et eccleſiaſticos et alios ſuis juribus injuſte privare; perturbationem in civili et ſacra adminiſtratione, querelas, lites, diſſidia, contentiones, aemulationes, rebelliones, variaſque ſciſſuras inducere: his de cauſis hanc ſocietatem in religionis negotio periculoſam videri; ut quae pacem eccleſiae conturbet, monaſticam diſciplinam evertat, et magis ad deſtructionem quam ad aedificationem pertineat. Hac] theologorum

p. 245. p. 430. mandavit. [*dele* Ea ſocietatem illam, ut novos omneis ordines, ſumme periculoſam, et his temporibus ad motus potius concitandos quam eccleſiae concordiam ſarciendam inſtitutam aſſerit: inprimis Jeſuitarum nomen, ut arrogantiae plenum, improbat; quippe cum ita ſolis ſibi tribuant, quod eccleſiae Catholicae competit, quae proprie fidelium congregatio dici poteſt, cujus caput eſt Chriſtus; illi vero cum hoc nomen ſolis ſibi ſumunt, et hoc dicere videri, ſolos ſe eccleſiam conſtituere. Tum multa in privilegiis ei a Paulo III conceſſis ineſſe dicit, quae juri communi pugnent, epiſcoporum, curionum, et univerſitatum auctoritati ac poteſtati praejudicent; ac proinde conſultius eſſe, ut, quando ad Turcorum et infidelium inſtructionem et verbi Dei apud illos populos promulgationem a pontifice auctorati ſunt, in locis, qui iis vicini ſunt, domicilia ſodalibus aſſignentur, uti olim in Chriſtiano limite Rhodienſes equites excubare juſſi ſunt.] Quibus

246. 431. illi [*pro* [1] ſectae *ſcribe* religioni] addixerant

Ibid. Ibid. impedirentur. [*dele* Antequam res in ſenatu agitaretur, ab academia conſultus Carolus Molinaeus conſultatione ſcriptis mandata, quae poſtea et publicata eſt, reſponderat: Juſtiſſimam cauſam videri ſubeſſe, cur univerſitas Pariſienſis pro muneris neceſſitate Jeſuitis novum opus nunciaret, eoſque ut ab hujuſmodi novitatibus deſiſtant via juris compelleret, his fere rationibus: quod novum collegium inſtituerent, contra antiqua atque etiam ſynodica decreta ac concilium generale inprimis ſub Innocentio III Romae celebratum anno CIↃ CCXV, quae certis finibus et intra modum haec nova collegia ad vitandam in ſacro ordine perturbationem coërceri voluerunt; item contra placita curiae, quibus haec nova Jeſuitarum ſecta jampridem exploſa eſt: quod contra ſolemne delectorum cardinalium cum aliquot praeſulibus Nicaeae Pauli III juſſu congregatorum conſilium id fiat, qui novos religioſos, quos vocant, novaſque ac fictitias religiones admitti prohibuerint; nam idem ante eos cenſuiſſe Petrum Alliacum cardinalem, Armichanum archiepiſcopum, Gulielmum de S. Amore, et Joannem Gerſonum, duo inſignia ſcholae Sorbonicae olim lumina, quod multitudine ſimilium conventuum, magno reipublicae incommodo, non mediocriter ſinguli graventur; metuſque ſit, ne hac ſemel in regno recepta ſecta paulatim, ut ſunt rerum novarum apud nos cupida ingenia, graſſante exemplo

NOT. [1] *In Edd. Gen. & Lond.* ſocietati.

emplo quaſi ſerpigine multiplicetur, magno non ſolum populi onere, ſed etiam ſacri ordinis diſpendio, quod eorum inſtitutio non ſolum ad ſingulorum ordinum detrimentum, ſed univerſi regni periculum ſpectet; et jure prudentiſſimus quiſque vereatur, ne ſpecie libertatis commeantibus ultro citroque Italis et Hiſpanis, quibus praecipue haec ſecta conſtat, arcana regni per exploratores ad hoſteis emanent: id vero tanti habitum eſſe, ut ob eam cauſam epiſcopos jure divino inſtitutos a munere repelli poſſe reſponderint et ipſi pontifices, et poſt eos juris pontificii viri conſultiſſimi: ad haec collegium hoc minime approbatum, proinde et illegitimum eſſe, in idque inſtitutum videri, ut morientium facultatibus inſidientur: quod in media academia, cui ſubjici et parere nolunt, novum ludum aperiant; quod non ſolum monſtroſum, ſed ſeditioni proximum ſit: poſtremo quod in academia innumeris ſcholis ac collegiis etiam abundanti ſuperfluant, novas ſuperſtitiones invehant, et faſcinatis plebis ingeniis edicta pacificatoria et quietem publicam jam nunc violent, et porro majore mole conturbaturi ſint. Secundum haec cauſa ſenatu frequenti agitata eſt. Pro ſodalibus Petrus Verſorius magni nominis patronus, laudata multum eorum origine quam modo memoravimus et inſtitutione, peroravit. Stephanus Paſcaſius contra pro academia Pariſienſi diſſeruit, et ſectam eam ambitioſam et fucatae religionis plenam appellans, in Hiſpania natam, Lutetiae adultam, Venetiis exercitatam, Romae initio exagitatam, poſtremo receptam, et privilegiis immodicis et jure communi exorbitantibus donatam, poſtea apud nos theologorum Pariſienſium ſententia damnatam, et item a Pariſienſi epiſcopo rejectam fuiſſe dixit: nunc vero gratuitae puerorum inſtitutionis ſpecie graſſari, et inde familias captatis teſtamentis exhaurire, inde juventutem ſpecie religionis corrumpere, et faſcinatis per ſuperſtitiones puerorum ingeniis jam nunc ſeditiones et defectiones, in regni perniciem aliquando erupturas, moliri. Tum inter plura eorum vota illud exagitat, quo praepoſito ſuo, qui ſemper ab Hiſpaniarum rege deligitur, quemque tanquam Deum praeſentem in terris venerari ſe aiunt, obedientiam, quam caecam appellant, per omnia et in omnibus pollicentur. Mox Ignatium Loiolam cum Martino Luthero comparat, et ambos diverſa ratione in idem conſpirare demonſtrat, ut legitimam magiſtratus auctoritatem labefactent, diſciplinam eccleſiaſticam enervent, omnia divina et humana jura confundant. Deinde in ambitioſum eorum nomen invehitur, quod cum Sectarii alii ante cc annos uſurpaſſent, ab eccleſia rejecti et juſto Dei judicio ac flagello omnino diſſipati perierunt: Hoc nomine nihil aliud agi, quam ut inter ejuſdem religionis profeſſores ſciſſura conſtituatur, et Jeſuitae alii ſint, alii Chriſtiani: quod vero adeo ſe erga pontificem obſequentes praebeant, eo magis ſuſpectos eos Gallis eſſe debere, qui pontificem quidem tanquam caput et principem eccleſiae agnoſcunt, ſed ita ut ſanctis decretis et oecumenicis conciliis tanquam inferior parere teneatur: nihil adverſus regnum ac reges pronunciare, aut contra curiae placita, aut in praejudicium epiſcoporum intra eorum fineis decernere valeat. Tum ſubjicit, novis Sectariis iſtis ſemel

 admiſſis,

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

admiſſis, totidem hoſteis intra regni viſcera ali, qui, ſi contingat ut excandeſcente perverſa bile in nos arma vertant pontifices, regi nominique Gallico bellum indicturi ſint. Poſtremo verſa ad ſenatores oratione, Vos, inquit, qui nunc Jeſuitas toleratis, aliquando ipſi, ſed ſero, credulitatem veſtram accuſabitis, cum conniventia veſtra effectum videbitis, ut horum aſtu, dolis, ſuperſtitione, diſſimulatione, praeſtigiis, ac malis artibus publica tranquillitas non ſolum in hoc regno, ſed etiam per univerſum orbem Chriſtianum periclitetur. Poſt eum replicavit Verſorius; ac demum Baptiſta Menilius, vir ingenio et probitate clarus, cognitoris regii partes ſuſtinens, qui, increpita initio patronorum utrinque acerbitate, poſtquam de novis ordinibus et periculo in eorum admiſſione, non ſolum quantum ad religionem, ſed etiam quantum ad civilem adminiſtrationem, multa dixit, tandem contra Jeſuitas peroravit, qui, utpote voto obligati, in ſcholae Pariſienſis corpus ad juventutem erudiendam nullo modo cooptandi eſſent; et a ſenatu petiit, videret, in quam rem Claromontani epiſcopi legatum converti poſſet aut deberet, ut memoria teſtatoris ac voluntas alio genere conſervaretur.] Cauſa

p. 274. p. 466. Scotus [*dele* magni inter ſuos nominis theologus] Lipſiae

Ibid. Ibid. agnituros [*dele* Lutheri exemplo] docuiſſet

Ibid. Ibid. artis [*dele* praeſtantiſſimus, quam et doctiſſimis ſcriptis illuſtravit,] Heidelbergae

Ibid. Ibid. mors [*dele* omnibus ſaeculis deploranda, et eo magis quod vix annum aetatis XLIX attigerat, viri longiſſima vita digniſſimi, et quam exegiſſe videbitur iis, qui aetatem ejus ex librorum quos plurimos ac utiliſſimos confecit, induſtria ſua illuſtravit et edidit, non ex annorum quos vixit, numero metientur. Is primum ſtudiorum tirocinium in Gallia Lutetiae Pariſiorum et Avarici Biturigum fecit: inde in omni literarum genere excellens, et linguae Latinae ac Graecae peritiſſimus, peragrata Italia in patriam rediit, ubi medicinam fecit, et philoſophiam publico ſtipendio profeſſus eſt; cujus eam praecipue partem, quae hiſtoriam naturalem ſpectat, copioſiſſimis ſcriptis explicavit; antiquorum quoque complura monumenta praecipue theologorum primus in lucem edidit. His acceſſit praeter doctrinam, quae in eo eximia fuit, incredibile juvandae reipublicae literariae ſtudium, quo uſque ad ultimum vitae ſpiritum flagravit, cum lue peſtifera correptus jam viribus linquentibus ad ordinandam non rem domeſticam ſed ſupellectilem librariam e lecto ſurgeret, ut quae vivus publicare non potuerat, ita diſponeret ut poſt mortem ejus ad reipublicae utilitatem edi poſſent. Huic ſtudio, abjecta omni alia praeterquam ſalutis aeternae cura, intentum, et plus quam vires ferre poterant diligenter incumbentem, cum vaſa ſe colligere quaſi diſceſſurum amicis diceret, mors eum, qui nunquam otioſus in vita fuerat, oppreſſit, et extremos optimi viri labores reipublicae quaſi invidere viſa eſt; qui tamen non omnino perierunt: nam eo mortuo ex illius bibliotheca ita ab eo ordinata, tanquam ex locupletiſſimo penu, pleraque poſtea in lucem prodierunt, curante Gaſpare Wolfio, quae deſiderium ipſius quotidie renovant. Mortuum laudavit Joſias Simlerus, et elegantiſſimo carmine Theodorus Beza, quo inter alia naturam eum tanquam fidum ſuorum ſacrorum antiſtitem

Edit. Drouart. Fol. Tom. II.	Edit. Lond. Tom. II.	
		tiſtitem plorare dicit, mutam deinceps futuram, niſi ipſe mortuus loquatur.] Annus
p. 275.	p. 467.	parentarunt: [*dele* et, ut erant tunc ſciſſa ob religionis novos motus ſtudia, mortuum quiſque vindicabat, dum ſimul et antiquae religionis retinentes et novam profitentes, ad utras partes moriens ille inclinaſſe diceretur, multum momenti partibus ſuis allaturum fuiſſe credunt.] Paulo
282.	475.	conflavit; [*dele* alioqui doctus et opere chronologico, quod tanquam exactiſſima ratione putatum ab eruditis omnibus maxime probatur, de republica bene meritus.] Dum
283.	477.	opere [*dele* clarus.] Quem
Ibid.	Ibid.	qui [*dele* ſumma cum laude] medicinam
284.	Ibid.	hiſtoria [*dele* magnam laudem adeptus,] tandem
Ibid.	482.	vocarentur; [*dele* et pontifex hoc commentum auctoritate ſua confirmans decrevit, ut ii non jam Conſilierii, ſed Giſlerii deinceps appellarentur. Anno aetatis XIV ob rei familiaris tenuitatem in ſancti Dominici ordinem allectus, tantum inter ſuos continentiae et attricti moris opinione valuit, ut, accedente aetate, ad praecipua munia obeunda vocatus ſit, et tandem Comi in Mediolanenſi principatu inquiſitioni praepoſitus ob juriſdictionis odium magnas cum collegii illius civitatis ſodalibus, qui ſe Ferdinandi Gonzagae Inſubrum praeſidis auctoritate tuebantur, contentiones exercuit. Inde ſui fama ſparſa Bergomum Venetae ditionis civitatem miſſus eſt; ubi in ipſum Georgium Medolacum, qui ante eum inquiſitioni praepoſitus fuerat, inquiſivit; et, ne quid ad ſummam audendi libertatem deeſſet, Victorem Superantium urbis epiſcopum poſtulavit. Sed violentam illam juriſdictionem ſenatus nomine eluſit Nicolaus Pontius urbis praefectus, qui poſtea Venetiarum dux creatus eſt, homine urbe faceſſere non citra contumeliam juſſo; cujus injuriae ille memoriam ſervavit, cum ad eum jam pontificem ſenatus Venetus ſolemnem legationem pro more decreviſſet, et legationis principem Pontium doctrina ac rerum uſu virum praeſtantiſſimum cum tribus aliis patritiis conſtituiſſet; nam Pontium nunquam admittere in conſpectum voluit, cauſatus eum parum digne et honorifice de ſanctae ſedis dignitate ſolitum loqui; quapropter eo rejecto reliqui tres officio defuncti ſunt. His et aliis in exercenda illa juriſdictione contentionibus fama ſeveritatis quaeſita, meruit apud Paulum IV, ut anno hujus ſaeculi LVII ab eo in cardinalium collegium cooptaretur; et cum antea ipſe et tres alii cardinales ſummi inquiſitores creati eſſent, et periculoſum prudentioribus videretur ſupremam poteſtatem uni committere, novum cardinalem ſolum cum ſumma poteſtate obeundo illi muneri praefecit, poteſtatem illam, quae invicta adverſus omneis eſſe deberet, numero debilitari dictitans; quippe qui experientia didiciſſet, quod alii graviter et ſevere decreviſſent, alios humanitate praetexta mitigantes plerumque corrumpere. Eam poteſtatem cum ille, inter Dominicanos fratres adultus ſub pontifice inquiſitioni juſto impenſius favente, in omneis, quamdiu is vixit, odioſa ſeveritate exercuiſſet, et eandem ſub Pio IV retinere vellet, plerumque offendit, cum novus pontifex immoderatae et adeo inviſae potentiae, quo benevolentiam a populo Romano pariter et a ſacro ordine, qui juriſdictione illa multum vexatus

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. II.

tus fuerat, iniret, fraenum injici utile et neceſſarium exiſtimaret. Itaque parum abſuit, quin hominem horrida libertate in conſiſtorio paſſim abutentem in Hadriani molem conjici aliquoties juſſerit. Tandem ubi pontifex creatus fuit, juriſdictionem, quam ſub aliis tanta ſeveritate exercuerat, et ipſe ſeveriſſime exercuit, et per alios cum magna nec toleranda multorum vexatione exercendam curavit; populo ad ejus electionis famam fremente et indignante, ob recentem adhuc Pauli IV memoriam, a quo iſte ad honores provectus ejus quoque acta et memoriam reſtiturus credebatur. Nec omnino vanus metus fuit; nam ut injuriarum tenaciſſimus, ſic beneficiorum non immemor erat, ubique gratitudinis laude affectata. Itaque] prima

p. 286. p. 483. illiterato [*dele* ſed proſtitutae fidei,] qui

Ibid. Ibid. Palearius, [*dele* cujus eruditionem ſingularem ſcripta ipſius teſtantur,] eadem

Ibid. 484. eſſet. [*dele* Cum vero in principe laudari praecipue ſciret juſtitiam, magnitudinem animi, clementiam, liberalitatem et prudentiam, ita juſtitiam amplectebatur, ut exacta juris obſervantia plerumque injurioſe peccaret. Ita vero a clementia abhorrebat, ut tamen feram et implacabilem naturam diſſimularet, cum multa de clementia honorifice praefatus, poſtremo illam exacta nocentium caſtigatione contineri diceret. Magnitudinem autem animi cum in civili adminiſtratione et privatis actionibus minime prae ſe ferret, in paſtorali poteſtate venditanda nimius fuit, et plerumque ab ea exorbitavit; ut qui prudentia et rerum experientia, quae non niſi aſſidua negotiorum tractatione quaeritur, minus valeret; quod vel ex mandatis quae Jo. Franciſco Commendono cardinali ad Caeſarem dedit mox patuit.] Ab

290. 488. verum [*dele* homo imperioſus, et qui nullas rationes voluntati ſuae contrarias admitteret,] alteris

Ibid. Ibid. miniſter [*dele* hero prudentior] paruit

311. 477. conceſſit; [*dele* juris antiqui et Gallici conſultiſſimus, cujus notae in jus conſuetudinarium noſtrum ac aliae doctiſſimae lucubrationes apud nos pro ratis juris deciſionibus habentur. Hic eſt, qui Parmenſis belli initio condito ab Henrico II edicto in depravatam curiae Romanae in ſacerdotiis diſpenſandis diſciplinam, cum publicato in edictum illud commentario in graviſſimam offenſionem incidiſſet, a patria hanc indignam meritis ſuis gratiam retulit, ut ſolum vertere cogeretur. Ab exilio autem revocatum cum eum Momorantius equitum magiſter, cujus ille negotia in foro Pariſienſi procurabat, regi commendaret, En, inquit, homuncionem, qui, quod cum XXXCIↃ hominum facere nequiviſti, ut Julium pontificem placatum haberes, libello edito perfecit. Poſtea etiam conſultationem in concilium Tridentinum eadem libertate ſcripſit, quae et illi perniciem creavit.] Ante

Ibid. 478. virum [*dele* optimum] taederet

Ibid. Ibid. ſeducere. [*dele* Vir bonus ac ſimplex, qui patriae charitate, ſupra quam dici poteſt, inflammabatur, cum emendationem in religione, quam tantopere optabat, in licentiam et factiones verſam videret, admodum indoluit,] ac

Ibid. Ibid. animam [*dele* Deo] reddidit

328. 533. muniverint; [*dele* tum religionem Dei dono animis homi-

num

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. — Edit. Lond. Tom. II.

num inſinuari, non imperari, multis demonſtrant, obteſtanturque, Gamalielis conſilium potius ſequi velit, ne tandem populus ad impias libertinorum et de Numine male ſentientium opiniones vi nimia et magiſtratus ſeveritate adigatur, adempto religionis, quam probant, cultu, et inculcata ejus, a qua abhorreant, profitendae neceſſitate:] ſe

p. 366. p. 590. invitemus. [*dele* Patres noſtri huc illuc ſparſi XL annorum et amplius ſpatio, cum in occulto veram religionem profeſſi deliteſcerent, omne injuriarum et ſuppliciorum genus ſumma patientia tulerunt: nunc cum ſummo Dei beneficio non ſolum integrae familiae, pagi et oppida, ſed totae civitates regia auctoritate fretae palam veram Chriſti fidem profiteantur, in defectionis Chriſtiano nomine indignae crimen incurramus neceſſe eſt, ſi diſſimulatione et praepoſtera modeſtia juſtam adeo cauſam prodamus, et ſpecioſi nobilitatis nominis, quod tanti in rebus aliis ad vanitatem uſque facimus, obliti, in Dei cauſa nos deſeramus, propriamque ſalutem dum negligimus, alienam tot animarum perditum eamus.] Quapropter

413. 635. texerat. [*dele* Tandem pridie natalis Chriſti Carolus, cum fidele colloquium cum ſacerdote haberet, confeſſus eſt habere ſe in animo quendam hominem occidere: quo audito, cum ſacerdos delictorum gratiam impertiri recuſaret, et ille contra inſtaret, ſi fidelium menſae non participaret, ut ſibi ſaltem ad publicam offenſionem vitandam panis non conſecratus coram populo traderetur, ſacerdos pertinaciter et hoc recuſavit, remque protinus ad patrem, uti juſſus erat, detulit; qui ſtatim reſpondit, Eum ſe hominem eſſe, quem filius peteret: ceterum ſibi conſulturum.] Auditae

Ibid. Ibid. ille, [*dele* ſive ſuperſtitione ſive religionis ſimulatione,] nihil

414. Ibid. fecerunt. [*dele* Ita ille, omni ope deſtitutus, ex deſperatione in furorem vertitur; et cum a paucis cuſtodiretur, accenſo tunc luculento igne ob aſperam hyemem in prunas ſe cernuum miſit, unde vix, ambuſta veſte et tunica linea interiore nec illaeſo omnino corpore, a cuſtodibus retrahi potuit. Cum haec non ſucceſſiſſet, alia ſibi mortem via conſciſcere aggreditur. Biduo ſine potu exacto, tertio die tanta ſe frigida ingurgitavit, ut parum abfuerit quin medius rumperetur. Rurſus fame per aliquot dierum inediam collecta, paſtillis carne coctu difficili fartis tam copioſe ventrem ſaburravit, ut paene ſuffocatus ſit. Haec, ut ex ore ipſius Foxii accepi. Addit Petrus Juſtinianus patritius Venetus, adamante in os injecto Carolum ſtrangulare ſeſe conatum, ſed a cuſtodibus mature ſuccurrentibus impeditum fuiſſe.] Igitur

Ibid. 636. interpretatum eſſe: [*adde in margine*, vide auctoris correctionem in erratis annotatam, ſcil. "Ingens tamen in aula "totaque adeo Hiſpania nec ſimulatus luctus facile contrarium "evicit; cum et rex dilectiſſimam ſibi conjugem ereptam et "populi firmiſſimum pacis vinculum morte reginae, quam "propterea Irenam vocabant, ſolutum dolerent."] Hoc inſolitae

430. 655. et [*dele* theologorum] ſuorum

Ibid. Ibid. Leovitius [*dele* clariſſimus] aſtrologus

433. 658. virorum [*dele* doctrina praecellentium,] qui

Ibid. Ibid. Baſileenſis, [*dele* qui ſecundum Frobenios nulli ſumptui parcens

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. — Edit. Lond. Tom. II.

parcens induſtria ac diligentia ſua literariam rem multum promovit, editis ſumma characterum elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis, ob idque de ſuo et poſtero ſaeculo optime meritus, eoque magis, quod, dum in utilitatem publicam totis animi et corporis viribus incumbit, res privatas, quas admodum confuſas reliquit, ita contempſit, ut plus de gloria, quam de hereditate ſua cogitaſſe videatur.] Obiit

p. 438. p. 666. conjiciendam: [*dele* notam eſſe in cunctos Hiſpanorum ſaevitiam et ſuperbiam, ac praecipue in eos qui evangelio nomen dederint: plus in ferarum quam hujuſmodi hominum miſericordia fiduciae ſubeſſe.] Sex

447. 675. detonare; [*dele* ut unum id agi appareat, non ut doctrina ipſorum rejiciatur, ſed ut miſeri homines odio ac furori populi propediem mactandi objiciantur:] et

471. 704. connitamur, [*dele* Deo propitio] evertemus.

Ibid. Ibid. evertemus. [*dele* Is eſt qui exercituum Deus cognominari amat, qui bonam cauſam ſemper tuetur, qui praeſenti patrocinio nunquam ſuos deſtituit, noſque hodie proteget, ſi modo in ipſo, cujus auſpiciis arma pro animarum libertate ſumpſimus, fiduciam collocemus. Nam heic cauſa ejus praecipue agitur, quo minus ad ingentem hoſtium numerum exhorreſcere exigua manus debemus, qui mox flatu illius momento diſſipabuntur. Pugnandi, non deliberandi, hora inſtat; neque jam de receptu, niſi poſt partam victoriam, cogitare licet. Quicquid erit, commilitones, ſi quidem res proſpere cadant, quod plane confido, id ut ad Dei gloriam, ſin contra, quod avertat ille, ut in meum unius caput redundet, cum ipſum belli ac victoriarum diſpenſatorem oro obteſtorque.] Quibus

Ibid. Ibid. unius [*pro* conſtantia et prudentia *ſcribe* opera] rurſus

472. 705. habuit, [*dele* laudata Condaei, qui in defenſione tam juſtae cauſae fortem ſimul et fidam operam ad mortem uſque navaſſet, virtute ac conſtantia; ejuſque exemplo ceteros hortatur, ut conſtantiam retineant, et ad veritatem ac patriae libertatem tuendam, quae ſceleratis inimicorum armis petantur, animos obfirment: nam in Condaeo minime intermortuam eſſe bonam cauſam, neque eo caſu viros pios animis ſpem omnem abjicere debere: Deum ſuae cauſae ita proſpexiſſe, ut comites Condaeo, dum vixit, dederit, qui ei e vivis ſublato mox praeſenti ac parabili remedio ſuccederent: Benearni principem, atque adeo ipſius Condaei filium, qui ut paterni nominis ſic etiam virtutis heres ſit, adeſſe: quos et alios praeterea proceres nunquam bonae cauſae defuturos confidat. Haec illa] apud

511. 755. inter [*dele* theologos] Miſenenſeis

512. Ibid. Strigelius [*dele* magni nominis inter ſuos theologus,] qui

Ibid. Ibid. conceſſit; [*dele* tantumque aſſiduo labore in trium linguarum cognitione et philoſophicis ſtudiis profecit,] ut

Ibid. Ibid. frequentia [*dele* ac fructu] profeſſus

Ibid. Ibid. eſt; [*dele* praeter doctrinam verecundiae, ſobrietatis, ac modeſtiae laude cum primis conſpicuus,] multa

Ibid. 756. natus, [*dele* homo omni literarum genere non mediocriter expolitus; qui cum, eruditionis ſuae fama Mediolani ac Ticini ſparſa, dein Lucae, Auguſtae Taurinorum, ac poſtremo

Eporediae

Edit. Drouart. Fol. Tom. II.	Edit. Lond. Tom. II.	
		Eporediae ob religionem non citra vitae periculum exagitatus eſſet,] poſtremo
p. 520.	p. 770.	Pius V [*dele* fruſtra aſtu et per inſidias Anglorum reginam adortus eſſet, tunc demum] publico
521.	Ibid.	tamen [*dele* ingenti ſive audacia ſive temeritate] diſcuſſit
523.	777.	Thuringicos [*dele* theologos] poſt
Ibid.	778.	complurium [*dele* theologorum] ſubſcriptionibus
524.	Ibid.	Witembergenſes [*dele* theologi] ſententiam
Ibid.	Ibid.	eſt, [*dele* theologis] in
Ibid.	Ibid.	procedat. [*dele* De altero capite ſic decreverunt, coenam Dominicam duabus rebus juxta beati Irenaei ſententiam conſtare, terrena ac coeleſti, neque elementa ſignave illa nuda eſſe et vacua, ſed ſimul re ipſa credentibus exhibere ac repraeſentare fide quod ſignificent.] Cui
525.	780.	ſunt; [*dele* mirantibus tamen, imo indignantibus pleriſque, Philippum nulla neceſſitate urgente, nullo manifeſto pacis bono, aut ſpe inde propagandi imperii inductum ſororis filiae matrimonium expetiviſſe, ex quo nullum emolumentum, multum invidiae in caput ipſius redundaret, peſſimo exemplo in principe orbis Chriſtiani familia inchoato, et inde ad nobilitatem, et a nobilitate ad plebem uſque ſe extendente.] Ubi
533.	789.	prohibeantur: [*dele* Quod ſe de aequitate majeſtatis ſuae conſecuturos, tanquam rem pietati et rationi conſentaneam, minime deſperare; alioqui fore, ut apud Deum abominandae defectionis rei inter homines inteſtabiles habeantur, et rex ipſe de eorum fide merito diffidat, quos Deo fidem fefelliſſe et religionis cultum humanis commoditatibus poſthabuiſſe cognoverit;] armorum
	Edit. Lond. Tom. III.	
600.	23.	perductum: [*dele* porro ridiculum eſſe pontifici Romano deeſſe pecuniam, qui omnium facillimam illius expediendae viam habeat: nam in ore omnium eſſe, nullum opulentius vectigal toto terrarum orbe eſſe pontificis calamo, cujus ſimplex ductus quantumvis immenſam pecuniae vim momento pariat.] Moronus
622.	51.	proeliorum, [*dele* ut Hiſpani maligne jactabant] ac
Ibid.	Ibid.	acquieverit. [*dele* Sed Venerium excuſat perſpecta Hiſpanorum mens ac conciliorum ratio, qui Venetae reipublicae infeſti jam ab initio eos ſemper ludificati, et in tempore auxilio negato fruſtrati fuerant, nec, niſi pudore victi et ſpe certa ut Turci ad manus non venirent, in pugnam conſenſerant.] Itaque
637.	69.	partis [*dele* theologis] ſumma
Ibid.	70.	Chemnicenſis, [*dele* qui rem literariam non mediocriter et ſcriptis et viva voce juvit et illuſtravit, diu illuſtri] ludo
Ibid.	Ibid.	praefectus, [*dele* et poetica facultate, quam rebus ſacris fere impendit, magnam laudem inter ſuos adeptus] Eid.
Ibid.	Ibid.	Zulegero [*dele* theologis;] quibus
Ibid.	Ibid.	Neander [*dele* viri eruditione praeſtantes,] qui
638.	71.	Witembergenſes [*dele* theologi] catechiſmum
Ibid.	Ibid.	Mansfeldici [*dele* theologi] quaſi
646.	88.	et [*dele* culpam] quidem
Ibid.	Ibid.	cetera [*dele* crimina,] quod
Ibid.	Ibid.	aliud [*dele* crimen,] quo
647.	Ibid.	eſt, [*dele* ne, quod Hugo Latimerus olim pro concione Edvardi

 vardi

Edit. Drouart. Fol Tom. II. Edit. Lond. Tom. III.

vardi VI temporibus dixerat, fore, ut populi peccatis et iniquitatibus irritatus Deus bonum illum regem eriperet, idem rurſus Anglicano regno contingat, et ſereniſſimae reginae dies ob eandem cauſam contrahat: orarent igitur pro longa ipſius vita indeſinenter apud Deum, ut diu regno praeſit, ad ipſius eccleſiae pacem et Angliae ſecuritatem: ſe quidem illi, ſi fieri poſſet, vitam ad mundi finem optaturum, qui non longe ſuo judicio abſit, et quem multos ex iis qui adſunt viſuros credit. Poſtremo, aſtantes, ut pro ſe ardentiſſimas ad Deum preces funderent, obſecravit, quo ſibi jam jam morituro in pura veritatis cognitione, fide, ac miſericordiae divinae ſpe placide ac conſtanter ad Deum migrare divina benignitate concederetur.] Tum

p. 648. p. 75. exemplo, [*dele* et Joannae Aragoniae Caroli V parentis, quae propter affectatas ſecundas nuptias, quod et divinis et humanis legibus poterat, amentiae praetextu vitam in perpetua cuſtodia exegit.] Proinde

657. 96. oderat, [*dele* et intolerandam liberis hominibus in inquiſitionis munere exercendo ſeveritatem deteſtabatur.] Is

658. 100. praefuit. [*dele* In ea multa ad diſciplinae ſuperiorum bellorum licentia collapſae inſtaurationem et preſbyterii conſtitutionem pro tempore decreta ſunt, et quae ultima ſynodo indeciſa remanſerant, tunc ex communi paſtorum ſententia determinata.] Eodem

659. Ibid. ingenii, [*dele* et doctrinae, quam profitebatur, tenaciſſima, ad quam propagandam nullis laboribus aut ſumptibus tota vita pepercit, periculorum omnium ſupra ſexum contemptrix, dum cauſae, quam tuebatur, ſerviret. Itaque praeter ingentia bella, quae quantum in ſe fuit ſummis impendiis geſſit, in Cantabria juris Navarrici provincia, ut eam doctrinam promulgaret, paſtores linguam patriam, quae a nemine fere vicinorum capitur, neque vero ſcribi poſſe antea credebatur, edoctos miſit; et novum Chriſti foedus, catechiſmum et preces in Genevenſi eccleſia uſurpari ſolitas in linguam Vaſconicam ſeu Cantabricam transferri et elegantiſſimis typis Rupellae excudi curavit. Antequam moreretur teſtamentum condidit, quo poſt animam ſumma conſtantia ac fiducia Deo commendatam, eodem quo rex Henricus ejus parens loco ſine ulla funeris pompa ſepeliri mandat: tum principi filio enixe imperat, ut ante omnia pietatem colat, ſecundum eam in qua educatus fuit fidei confeſſionem, neque ſe mundi fumis, voluptatibus, deliciis et aliis vitiorum irritamentis ab ea divelli patiatur, et conſtitutiones ea de re a ſe in Benearni principatu et inferiore Navarra promulgatas ſervari curet; familiam diligenter perpurget, et ab ea pravos conſiliarios male de Numine ſentienteis, palpatores libertate praepoſtera abutenteis ac vitioſos omneis faceſſere jubeat; bonos, pios, vitae inculpatae, in iiſque Bellovarium, Francurium, et Beculum penes ſe retineat; Catharinae ſororis praecipuam curam habeat, placide, amanter, ſine ulla acerbitate tractet, eamque in eadem pietatis ſchola in Benearni pago educari curet, ut, cum adoleverit, principi pari dignitate eandem religionem profeſſo elocetur; Henricum Borbonium Condaeum patruelem tanquam fratrem amice diligat, et Franciſcum

cum

5

Edit. Drouart. Fol. Tom. II. | Edit. Lond. Tom. III.

cum Contii marchionem ejus fratrem; curetque, ut ſumma inter eos cum Colinio concordia ad Dei gloriam propagandam alatur: poſtremo filium heredem inſtituit, et regem, reginam parentem, Andinum et Alençonium regis fratres rogat, ut principis filii ac Catharinae ejus ſororis patrocinium ſuſcipiant, eique liberam doctrinae ſuae profeſſionem permittant.] Carolum

Ex ejuſdem Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum ſui temporis libris ſex, quibus reliqua Caroli IX, *quae in ſecunda parte deſiderabantur, continentur. Pariſiis, apud Ambroſium et Hieronymum Drouart*, 1607, *in folio.*

Edit. Drouart. Rel. Car. IX		
p. 2.	p. 116.	innititur, [*dele* juxta Macchiavelli doctoris ſui ſententiam] in
7.	123.	extitit? [*dele* Tum ad Maurum reginae Navarrae defunctae concionatorem converſus, haec verba pronunciavit. Hem, mi frater, nunc ſentio me a Deo diligi, quando propter ſanctiſſimum ipſius nomen has plagas acceperim. Faxit Deus ipſe ne uſitatae ſuae erga me clementiae unquam obliviſcar.] Cum
13.	129.	ſum. [*dele* Felicem me, qui me mori ſentiam, et in Deo, cujus gratia in ſpem vitae aeternae erigor,] moriturus
17.	134.	neptis, [*dele* de cetero foemina lectiſſima, neque mediocribus literis erudita,] cum
Ibid.	Ibid.	agnita [*dele* a ſicariis,] et
Ibid.	Ibid.	illa [*dele* conſtanter] facere
Ibid.	135.	tandem [*dele* ſumma immanitate] obruta
Ibid.	Ibid.	Perionio; [*dele* tamen ex eo commendatione dignus fuit, quod ingenio, diligentia, aſſiduitate et opibus etiam ſuis, quantum in ipſo fuit, rem literariam juvit ac promovit,] inſtituta
19.	138.	praeſes, [*dele* vir gravitate, doctrina, et integritate clarus,] a
Ibid.	Ibid.	impetravit. [*dele* Eadem ſaevitia ubique graſſante,] cum
Ibid.	Ibid.	coemeterio, [*dele* ſive ſponte, quod aliquando contingit, cum natura deficiente in eo planta eſt ut penitus exareſcat, ſive aqua tepida ab impoſtoribus infuſa,] alieno
Ibid.	Ibid.	omnia [*dele* factioſi ſuo furori blandientes] ad
Ibid.	Ibid.	igitur [*dele* ſeditioſi] ad
20.	Ibid.	eſſet. [*dele* Contra Proteſtantes differebant; et, ſi quidem id miraculo deputandum eſſet, hoc ſigno portendi dicebant, quamvis eo vulnere plane extincta eccleſia videretur, futurum tamen, ut admirabili et incomprehenſa hominibus ratione rurſus rediviva effloreſcat; quod etiam exemplo commonſtrati Moſi in rubo miraculi confirmabant, qui, licet inflammatus, minime conſumebatur. Addebant, et dici poſſe ad innocentiae commendationem potius quam ad lanienae approbationem id pertinuiſſe, quippe cum ſpina in loco ab innocentibus denominato effloruiſſet.] Eodem
21.	140.	habuit, [*dele* ipſumque Thuanum inprimis, virum miti ingenio et a ſanguine omnino alienum, exemplum ſcilicet et periculum ex ea impendens veritum, qui et, qua erat animi libertate, in arcano regem increpuit, quod, ſi quidem vera eſſet conjuratio a Colinio et ſuis inita, non jure potius cum iis uti maluiſſet.

Edit. Drouart. [illegible] IV. Edit. Lond. Tom. III.

maluiſſet. Certe ipſe tota vita Sanbartholomaeam diem deteſtatus eſt, illos Statii Papinii verſus in diſpari re ad eam accommodans,

Excidat illa dies aevo, ne poſtera credant
Saecula; nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte tegi propriae patiamur crimina gentis.

Ut potius aptato ad tempus et locum reſponſo, quam ex animo regis factum laudaſſe videatur.] Quaeſtionis

p. 21. p. 140. ingenio, [*dele* et qui nunquam conſilii ſanguinarii auctor extitiſſet; ſed cum factum infectum reddere non poſſet, et intereſſe exiſtimationis regis ac publicae tranquillitatis arbitraretur, ut ejus invidia, ſi non omnino aboleri poſſet, ſaltem aliqua ratione mitigaretur,] regi

22. 141. ſunt; [*dele* aliorum, ad quos ſecreta mandata, non ſcripto, ſed per emiſſarios data ſunt, ſumma intemperies fuit, Pariſienſem lanienam in exemplum trahentium.] Principium

Ibid. Ibid. procuratore, [*dele* homine profligati pudoris,] cui

Ibid. Ibid. occiſae; [*dele* quaedam etiam a violentis ſicariis violatae.] Poſtridie

Ibid. Ibid. citati [*dele* tanquam boves in macello a laniis] mactabantur.

Ibid. Ibid. jam [*pro* ſicariis *ſcribe* miniſtris] in

Ibid. Ibid. quicquam [*dele* a ſeditioſis] moveretur

Ibid. Ibid. Curtius [*dele* Textor ſeditioſorum dux] cum

Ibid. Ibid. inviſiſſet, [*dele* ille ad coenam amicos veniſſe ratus convivium parat, quo ſicarii ſumpto rem Lutetiae geſtam renunciant, ſimulque bulgam poſcunt, qua tradita, velut inter ſacra menſae hoſpitem] obtruncant.

Ibid. Ibid. elaboratis [*dele* barbara immanitate] direpta

Ibid. 142. deambularet, [*dele* crudeliter] enectus

Ibid. Ibid. et [*dele* a ſicariis] mactati

Ibid. Ibid. vinctos [*pro* eodem furore bacchati ſunt *ſcribe* animadvertere.] Franciſcus

23. Ibid. e [*dele* ſicariorum] manibus

Ibid. Ibid. dum [*dele* a ſeditioſis quaſi] in

Ibid. Ibid. praecipitati, [*dele* Boidono quodam, omni ſcelerum genere cooperto, praecipuo duce et incentore, qui poſtea dignum vitae exitum ſortitus eſt, Claromontii in Arvernis capitali judicio affectus.] Triduum

Ibid. Ibid. Mandelotus, [*dele* homo prudens, quamvis Guiſianae factioni addictus crederetur, tamen ad rei atrocitatem cohorruit, et ab inſtanti ſeditioſorum multitudine] aliquot

Ibid. 143. procurator, [*dele* homo ingenita pravitate et libidinibus probroſis infamis,] per

Ibid. Ibid. ad [*dele* horrendae] ſententiae

Ibid. Ibid. omnes [*dele* ad caedeis et rapinas diſcurrunt. Boidono Morniellus et Clavius ſe adjunxerunt, homines nefarii et ad omne facinus prompti. Cum carnificis opera in ea re patranda uti vellent, ille recuſavit, et legitimi magiſtratus ſententiae ſe parere paratum oſtendit, ceterum promiſcuis caedibus fatigari aut immiſcere ſe nolle. Cum idem praeſidiariis arcis mandaretur, illi pariter ultra modum commoti non carnifices ſe eſſe, nec militari decori tam probroſum factum

 convenire

Edit. Dronat. Rel. Car. IX. — Edit Lond. Tom. III.

convenire indignabunde reſponderunt; nullam a miſeris hominibus ſibi illatam injuriam. Itaque e macello et faece plebis profligati pudoris homines ad eam rem conducuntur. Tandem, cunctis factum deteſtantibus, ad urbanam cohortem, quae ccc oppidanis conſtat, devenitur; qui quod carnifices, quod homines externi conſtanter recuſaverant, in civeis ſuos alacriter ſuſcipiunt. Delecti igitur perditiſſimi quique ex ea cohorte, ducibus illis] ad

p. 24. p. 143. faciunt, [*dele* et crumenas prius ſagaciter ſcrutati, ſupplices ac Dei hominumque fidem imploranteis crudeliter caedunt, miſerabili utique ſpectaculo, cum filii patrum collo implicati, patres filios complexi, fratres, amici ſe ad conſtantiam invicem hortantes, ab efferatis laniis, bajulis, naviculariis, tanquam totidem pecudes mactarentur, inter ululatus, lamenta, clamores horrendos, qui tota urbe perſonabant. Quod, tanquam ſe invito et ignaro fieret, Mandelotus ſubito Guilloteria rediens, ſed re jam confecta, moleſte in ſpeciem tulit, et ad locum lanienae venit, ut de re jure anquireret, adhibito regio magiſtratu; confectiſque per notarium publicum probationibus, per praeconem edici ridicula diſſimulatione imperat, ut qui auctores tanti facinoris norint, eorum nomina edant, centum aureorum praemio delatoribus et indicibus propoſito. Sub veſperam iidem lanii ad Rodamnenſem publicum carcerem veniunt, et novo crudelitatis genere in vinctos ſaeviunt, laqueiſque in colla inſertis miſeros cruciant et ſemineces ad flumen proximum raptant. Nox ſequens rapinis ac caedibus traducta; ſupellex aedibus, merces officinis exportari, latitantes e latebris per indicia erui, frequentes in fluvium abjici.] Trucidatorum

Ibid. 144. ſexus [*dele* immaniter] occiſi

Ibid. Ibid. perculſi, [*dele* et ſceleris auctores deteſtati,] quamvis

Ibid. Ibid. potant, [*dele* ultra facinoris deteſtationem] graviſſimo

Ibid. Ibid. Provincia [*dele* praeſidum prudentia et humanitate] res

Ibid. Ibid. veneni [*dele* ei a ſeditioſorum emiſſariis propinati.] In

25. 145. noctu [*dele* immiſſis ſicariis, ex eorum praecipue numero qui juris civilis ſcientiae operam dantibus immiſti gladiatoriam in ea urbe faciunt, inter quos excellebat Turrius, et aliis perditae vitae hominibus,] ad

Ibid. Ibid. ce [*dele* crudeliter] trucidati

Ibid. Ibid. poſtea [*dele* immanitate geminata] ad

Ibid. Ibid. poſtremo [*dele* pervincente ſeditioſorum violentia, et eorum praecipue qui ſuperiori anno delegatorum ex ſenatu Pariſienſi judicum decreto proſcripti fuerant, qui ſe ita acceptam injuriam ultum ire et decreti illius memoriam inducere ſperabant,] complures

Ibid. Ibid. producti, [*dele* crudeliter ab emiſſariis illis, duce Maronimo facinoroſo homine,] interfecti

Ibid. Ibid. diſtributis, [*dele* et affectata etiam ex homicidiis apud plebem hoc facto gratia. Id in ſpeciem indigne tulit ſenatus, quaeſtione in facti auctores inſtituta; quae tamen diſſimulatione ſenſim evanuit, dilapſis ex urbe ad tempus ſicariis ac percuſſoribus.] Per

27. 148. compreſſa, [*dele* cum prudentiores, minime Proteſtantium partibus addicti, ad ſe ex triſti praeſentis ſtatus cogitatione ſenſim rediiſſent, et factum execrantes ejus cauſas et excuſationem

Ed. Dunelm. Edit. Lond.
K. Cap. IX. Tom. III.

tionem curioſa veſtigatione quaererent, ſic judicabant, nullum ſimilis ſaevitiae exemplum in tota antiquitate evolutis gentium annalibus reperiri: nam certis hominibus aut uno loco furores hujuſmodi circumſcriptos fuiſſe, ut recentis injuriae ſenſu excuſari potuerint; aut in eos bacchatam tantum rabiem, quos e medio tolli jubentis intererat. Sic enim Mithridatis regis Ponti juſſu, uno nuncio atque una literarum ſignificatione, per totam Aſiam, eodem die CL civium Romanorum CIↃ interfecta. Sic Petrum Aragonium VIII CIↃ Gallorum in Sicilia, quam ſe abſente occupaverant, trucidari juſſiſſe. Eorum longe ab hoc diverſam eſſe rationem. Nam reges illi in peregrinos et alienigenas ſaeviebant; hic vero in ſuos, et non plus poteſtati quam fidei ſuae commiſſos civeis. Illi nulla alia quam peregrinis ipſis data fide obligati erant; hic recenti foedere cum regibus principibuſque vicinis ad ſervandam, quam juraverat, pacem aſtrictus erat. Illi nullas ad fallendum artes regio faſtigio indignas adhibuerant; hic pro illecebra data dextera et nuptialibus ſacris abuſus eſt, ſororis conſanguineae geniali ſtola paene ſanguine reſperſa. Regias praedicari virtutes has ſolere, juſtitiam, manſuetudinem, clementiam; ſaevitiam ac crudelitatem in aliis omnibus, tum vero praecipue in principibus, damnari. Laudatum ſaeculis omnibus Publium Scipionem dicere ſolitum, malle ſe civem unum ſervare quam mille hoſteis interficere: eamque vocem Antoninum cognomento Pium crebris ſermonibus uſurpaſſe. Reges quidem jus vitae et necis in ſuae ditionis ſubjectos populos habere; ſed cum hoc temperamento, ut non niſi cauſa cognita et quaeſtione conſtituta in eos animadvertere liceat. Hunc furorem et mentis caecitatem Gallorum animis a divina mente miſſam propter aſſiduas ſanctiſſimi Numinis ſui execrationes ac contumelias, quibus rex ipſe, prave a matre, prave a moderatoribus ipſi a matre datis inſtitutus minime abſtineat, exemplo jam ab aula in urbes, et ab urbibus ad paganos ac ruſticos, tanta licentia graſſante, ut tertio quoque verbo Dei caput, mortem, ſanguinem, ventrem deteſtentur. Nefandis itidem libidinibus, ſcortationibus, et adulteriis, irritatam Dei patientiam: denique naturam rerum jam quodammodo cum Deo de tam diuturna patientia et manſuetudine expoſtulare, neque terram Gallicam diutius iſta portenta tolerare potuiſſe. Nam quae cauſae contra Colinium obtendantur, eas nulla vero ſimili ratione confictas vix pueris perſuaderi, nedum probari poſſe. Cui enim probari poſſe, conjurationem illam intra Lutetiae moenia Colinium feciſſe, quem conſtat ante pacem, nam hoc demus, ſontem, certe poſt edictum, ſi quidem in publica fide et regis promiſſis conſtantia eſſe debet, inſontem ad regem veniſſe, a bello civili prorſus abhorrentem et de Belgico tantum ſolicitum? Quod vero poſt vulnus acceptum conjuraſſe dicunt, minus veritati conſentaneum videtur. Nam quî Colinius duobus tantis vulneribus acceptis aeger, aetate affectus, utroque brachio captus, quorum de altero amputando medici deliberabant, CCC adoleſcentibus comitatus LX CIↃ infeſtiſſimorum ſibi hominum egregie armis inſtructorum quaſi exercitum adoriri potuiſſet; aut tam exiguo tempore de tanto ac tam immani facinore conſilium capere? Vix enim ad horas XL poſt vulnus

2 acceptum

Edit. Drouart. Rel. Car. IX. — Edit. Lond. Tom. III.

acceptum vitam perduxit, quo ſpatio illi erat a medicis omni colloquio interdictum. Tum ſi cujus criminis inſimulabatur, an non Coſſenio ejuſque cuſtodiae commendatus atque obſeſſis viis undique interclusus in poteſtate regis erat, ut momento temporis, ſi regi ita videretur, in carcerem trudi, et comparatis, judiciorum more, teſtibus in eum legibus et jure agi poſſet? Praeterea, ſi Colinius cum ambactis et clientibus in regem conjuraverat, cur eodem crimine ceteros innocenteis, tot nobileis, matres-familias, virgineſque, quae illo nuptiarum cauſa convenerant, tot praegnanteis mulieres, tot aetate affecta ſenes, tot in lectis decumbenteis aegrotos, et omnis ſexus ac profeſſionis homines de Colinii ultimis conſiliis ignaros comprehendi oportuit? Cui vero non abſurdum ac plane ridiculum videri, Colinium in Navarrum eandem cum ipſo religionem colentem, et quem quadriennium ante in poteſtate habuerit, tam alieno tempore conjuraſſe? Ita plerique diſputabant, ſicque exiſtimabant, facti hujus ratione nomen Gallicum olim invidia atque adeo infamia laboraturum, tantaeque indignitatis poſteritatem non immemorem futuram. Tunc etiam, ne quid ad ſummam inſaniam deeſſet, aemulatione veterum imperatorum laus in tam deteſtando facinore quaeſita: nam] cuſi

p. 28. p. 149. ſeptemviro [*dele* humaniſſimo] principe

Ibid. Ibid. Helvetios [*dele* benigne] ſuſcepti

Ibid. Ibid. praecipue, [*dele* ubi cum in tanta rerum vaſtitate plerique penuria laborarent, diligentia Theodori Bezae et collegarum pecuniam ad eos uſus undique corrogantium ſublevati ſunt.] Duo

Ibid. Ibid. conceſſere, [*dele* humaniter et honorifice] a

Ibid. Ibid. ſuſtinentes [*dele* violentiae] ceſſerunt

29. 150. nomine [*dele* vulgo] receptam

Ibid. Ibid. Non [*dele* ſinat Deus,] mi

Ibid. Ibid. reſponſo [*dele* modeſtiae pleno] rex

32. 154. regina [*dele* poſt ſcelus admiſſum, ut ejus invidia elevaretur,] nec

36. 158. caedeis [*dele* ac latrocinia] menſe

Ibid. Ibid. edito. [*dele* In Bellevrei familiaritatem ſe inſinuaverat Toloſas quidam, nomine Petrus Carpenterius, jus civile aliquando Genevae publice profeſſus, qui in tumultu Pariſienſi perfugium apud eundem habuit, ſicuti plerique alii minus clari nominis; nam magnae famae viros domo recipere periculoſum erat homini gratiam aulicam captanti. Petrus is fortunae obſecutus et inſita levitate in utrumque paratus, palam non lanienam illam, ſed cauſam, ita Proteſtantium factionem appellabat, deteſtari, juſtóque Dei judicio factum dicere, poſtquam religio in factionem coaluit, poſtquam religioſi illi homines pro lachrimis, precibus, jejuniis arma ſumpſerunt, urbes occuparunt, promiſcuis ubique caedibus graſſati ſunt, etiam juſtis procliis cum ſupremo magiſtratu depugnarunt, ut juſtam Numinis iram in ſe concitaverint: conciones eorum olim ad preces inſtitutas, nunc conventicula et coitiones effectas, in quibus non de pietate, doctrina, et morum emendatione, ſed de pecuniae collatione, de milite per provincias occulte conſcribendo, de arcanis cum externis principibus, cum ſeditioſis hominibus per oppida regia conſiliis agitur, ad turbandam

Edit. Drouart. Rel. Cir. IX. | Edit. Lond. Tom. III.

bandam pacem beneficio regis Proteſtantibus conceſſam: ultore ad eam audaciam Dei gladio opus fuiſſe, eamque mentem regi alioqui clementiſſimo coelitus datam agnoſcere. Haec Carpenterius in occulto primum et in privatis cum Bellevreo colloquiis, dein etiam palam cum ſaepius inculcaret, idoneus viſus eſt, cujus opera rex reginaque in eodem negotio uterentur. Nec ille gravate onus ſuſcipit, aliqua aureorum ſumma in praeſens accepta et dignitatum ac honorum grandibus promiſſis oneratus, quos ille meritis majores poſtea conſecutus eſt; et cum Bellevreo profectus, eo in Helvetiis relicto, Argentoratum, ubi etiam aliquando docuerat, conceſſit, ut rei famam colore quaeſito obſcuratam ex propinquo per Germaniam commodius ſpargeret. Ibi ad Franciſcum Portum Cretenſem, virum Graece doctiſſimum et in familia ſereniſſ. principis Renatae Ferrarienſis olim in Italia educatum, epiſtolam in Cauſarios ſcribit XVII Kal. Octobr. duoque inter Galliae Proteſtanteis horum genera fuiſſe dicit; alterum pacatorum, qui ad religionem ſolum reſpiciebant; alterum eorum qui cauſam tuebantur, homineis factioſos et a pacis conſiliis abhorrenteis; et unumquemque eorum ſuos paſtores habuiſſe, Spinam, Sorellum, Hilbraeum, Capellam, Haium, Mercurium; quorum moderatio et in omni re aſſerenda ſtudium aliis diſplicebat, inprimiſque Theodoro Bezae, quem buccinam Sebae vocat, et in quem praecipue toto illo libro invehitur, lanienamque non ſolum excuſat, ſed multis verbis et ſummo artificio jure factam demonſtrat, ut factio impia ad regiam auctoritatem labefactandam, fidem urbium ſolicitandam, tranquillitatem publicam turbandam, in perniciem denique Proteſtantium et religionis ipſorum a turbulentis hominibus et patriae hoſtibus conflata everteretur. Ad quam epiſtolam reſponſum eſt Porti ipſius, ſeu quis alius fuit, nomine, Kal. Mart. anni inſequentis, non ſine multa verborum acerbitate. Ea quoque in re Franciſci Balduini juriſconſulti, qui Proteſtantium religionem olim in Germania amplexus, poſtea ex Georgii Caſſandri nunquam ſatis laudati theologi conſilio mediam viam inſiſtens, apud nos tranſierat et tunc Andegavi docebat, opem et operam imploravit Andinus. Verum ille, acreis cum Genevenſibus contentiones cauſatus, quibus fore dicebat, ut quae ab ipſo proficiſcerentur in ea cauſa minime in bonam partem acciperentur, re vera quod factum deteſtaretur, modeſte ſe excuſavit; et lecta Carpenterii epiſtola multa in ea memoriae et exacti in hiſtoria vetere ſenſus peccata notavit. Et ſane deplorandum fuit, viros dignitate, pietate, integritate, ac doctrina praeſtanteis et ab omni fuco et vanitate alienos, Morvillerium, Thuanum, Monlucium, Pibracium, et Bellevreum, ut regni bono inſervirent, eo non metu aut ſpe, ſed praeſenti rerum ſtatu adductos, ut rem, quam intra ſe deteſtabantur, aut ſimulate laudarent aut officioſa excuſatione obſcurarent.] Interea

p. 38. | p. 161. territum [*dele* indigna] conditione

Ibid. | Ibid. ſpectavit, [*dele* rem regiis oculis indignam,] et

49. | 173. conſilium; [*dele* nam Deum haud dubie in ſua cauſa ſuis praeſto futurum. Quod ſi ad arma deveniendum ſit, nihil morte acerbius poſſe contingere, quae tolerabilior longe gladios ſtringentibus ſit futura quam ſi inermes ſe praedonibus dedant;

Edit Davent. Rel. Cir. IX. — Edit Lond. Tom. III.

dedant; a quibus non aliam quam qui Lutetiae, Aureliani, Lugduni, Caſtri, et Toloſae nuper immaniter trucidati ſunt, gratiam expectare poſſint. Optabilius eſſe mortem ab hoſte et in proelio aut pro moenibus fortiter pugnando oppetere, quam latronis aut etiam carniſicis manu mactari. Neque vero aut humano aut etiam divino jure injuſta eſſe arma, quae pro juſta defenſione non ad vim inferendam, ſed ad injuriam propulſandam ſumuntur. Nec bellum adverſus regem, ſed impios ejus conſiliarios geri, qui regia auctoritate ad caedeis ac rapinas abutantur. Nec deſperandum, ſi in manifeſta cauſae juſtitia, ſerio et vera peccatorum coram Deo confeſſione expiatis mentibus, in eum ſpes et vota ſua conjecerint, quin Deus ipſorum aliquando miſereatur, et inſperata via expediendae ſalutis rationem aliquam eis commonſtret; interea patientia et precibus graſſari: verum eſſe, ſicque exiſtimare ipſos debere, cum in feſtinatione multum periculi ſit, morae et cunctationi, quae praeclaras rei bene gerendae rationes praebere ſolent, inſiſtendum eſſe.] Ad

p. 70. — p. 197. — regno. [*dele* Mirarique ſubiit, quod Romae publicis laudibus depraedicabatur, id apud nos aeque omneis triſti ſilentio deteſtari,] regemque

Ibid. — Ibid. — extulit, [*dele* et Boidono illo lanienae immanis anteſignano palam laudato, etiam ei poteſtatis plenitudine gratiae beneficium impertivit;] et

71. — 198. — et [*dele* ſcenae ſerviens] repetita

79. — 208. — Simlero [*dele* viro ea provincia digniſſimo] qui

Ibid. — Ibid. — ortus, [*dele* magni nominis et eruditionis inter ſuos theologus;] is

Ibid. — Ibid. — quae [*dele* vir ad publicam utilitatem natus] immaturo

114. — 253. — ſunt. [*dele* Cui ſimilem opinionem a communi humanitatis ſenſu abhorrentem, contra belli jura et publicam fidem, ſciſſa factionibus Gallia, etiam noſtri theologi Lutetiae et in praecipuis regni urbibus pari temeritate, haud ſine magna ſacri nominis infamia, his ultimis temporibus defenderunt.] Praeter

133. — 275. — et [*dele* (in Erratis *ad fin.*) pro prudentia ſua, et rara in ſcribendo loquendoque facultate] negotium

139. — 283. — Galliae [*dele* duo magna, et quibus vix orbis univerſus comparanda habuit, hujus ſaeculi ornamenta,] abſtulit

Ibid. — Ibid. — Mercerum [*dele* utrumque eruditione et probitate clariſſimum;] ſed

Ed. Lon. T. II.

Ibid. — 809. — dediſſet, [*dele* et utriuſque linguae peritia apprime inſtructus, quantos in ea perplexa ſcientia progreſſus feciſſet, Harmenopuli epitoma elegantiſſime in Latinum verſa et illuſtrata ſummum ſpecimen dediſſet,] tandem

Ibid. — Ibid. — addixit, [*dele* in quo diligentia, contentione, ac rara animi perſpicacis felicitate tantum profecit, ut] cum

Ibid. — Ibid. — conſenſione [*dele* is eſſe viſus ſit, qui jacturam morte tanti viri acceptam, qualem in ea lingua nulla ante aetas audiverat, facile farciret. Itaque] Vatablo

140. — Ibid. — ſuccenturiatus, [*dele* vix credibile eſt, qualem ſe quantumque praeſtiterit; quippe qui, quatuor linguarum peritiſſimus, ad incredibilem diligentiam acerrimum judicium attuliſſet; accedente rurſus ad eximiam doctrinam candore, modeſtia, et ſumma morum innocentia, adeo ut ex ipſius paene unius

Edit. Drouart. Rel. Car. IX. — Edit. Lond. Tom. II.

ſchola prodiiſſe conſtet, quicunque in Gallia hodie paulo melius Chaldaicam et Hebraicam linguam callent.] Turbatis

p. 140. p. 809. ſunt [*dele* eruditiſſima] in

Ibid. Ibid. commentaria: [*dele* qui foetus, licet poſthumi, accuratam parentis ſui diligentiam produnt; ut vel ex iis et aliis, quae vivus publicavit, monumentis in confeſſo ſit, nunquam quenquam Chriſtianum felicius hebraiſſaſſe.] Ante

Edit. Lond. Tom. III.

148. 294. quo [*dele* magni nominis ſua aetate] juriſconſultus

167. 316. funeſtum [*dele* et Pariſienſi praecipue tumultu infame; quamvis id potius aliena quam ſua culpa accidit, neceſſitate homini feroci et ad iram praecipiti rei exequendae artificioſe injecta, nec ſpatio ad deliberationem conceſſo, ut ſuo loco diximus. Id vero cum pacis et publicae ſecuritatis vinculum ſolviſſe, ſed ſerius, animadverteret, conſultoreſque potius ad privata odia et ſuam ambitionem ſpectaſſe, quam fidei et quietis publicae, ſine qua ipſe majeſtatem regiam tueri non poterat, rationem habuiſſe indignaretur, moderatoribus illis non mediocriter ſuccenſuit, quos et ab eo tempore a conſiſtorio removere,] et

Ex ejuſdem Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum ſui temporis parte quarta. Pariſiis, apud Hieronymum Drouart, 1609. in folio.

Edit. Drouart. Fol. Tom. III.

p. 9. 329. perſeveraturum, [*dele* regni Dei] propagationem

42. 365. inſtauravit. [*dele* Dum res armis utrinque gereretur, longe diverſa facies in aula erat, ubi rex natura religioſus, et qui ſpectaculis, quae tamen fere neſcivit aut exhorruit antiquitas, maxime capiebatur, opportunam paſcendi animi harum rerum avidi in loco pontificiae ditioni ſubjecto occaſionem nactus ſupplicationibus a perſonatis hominibus in natalis profeſtis celebrari ſolitis frequenter intererat. Ante centum annos, invaleſcente religionis per voluntarios cultus luxuriantis laſcivia, exorta ſecta eſt eorum, qui poenitentiam in interiore cordis morſu poſitam publice profeſſi, eam ut exterioribus ſignis oſtentarent, ſaccum in veteri lege in luctu uſurpari ſolitum induebant, et detorto ex Pſalmiſta, qui ſe in flagella paratum dicit, loco, ita velati ſe flagellis caedebant, ob idque ſe Flagellantium nomine indigitabant. Contra quos Joannes Gerſo Pariſienſis academiae cancellarius, et ſui aevi puriſſimus theologus, jam tum ſingulari libro ſcripſit. Deinceps ea ſecta in religionem abiit pontificum favore, ſecus inſtitutum illud pietatis quam ab initio factum fuerat, interpretantium, ita ut hodie per omnem Italiam complures huic religioſae veluti militiae nomen dent, delictorum expiationem hac ratione ſe conſecuturos ſperantes. Jamque diſtincti coloribus veneto, albo, et nigro, ut olim Romae praſinae et venetae factiones in re diſpari ſtudia hominum diſtrahebant, ſic in religione pleriſque locis magnas contentiones et aemulationes excitarunt. Quae ſpectacula ad hoc tempus coelo Gallico ac regiae ditioni fere incognita, ex eo apud nos recepta, non ſolum rerum novarum materiam ambitioſis ingeniis praebuere, ſed ſuperveniente contemptu regiam majeſtatem non mediocriter labefactarunt. Dum igitur turbae Flagellantium ſe rex im-

2 miſcet,

Edit. [illegible] Fol. Tom. III.	Edit. Lond. Tom. III.	
		miſcet, et ejus exemplo aulae proceres,] Carolus
p. 54.	p. 380.	natalibus [*dele* et propter raram eruditionem] clariſſimus
59.	385.	eripuit [*dele* duo magna Italiae et Germaniae lumina] Paulum
Ibid.	Ibid.	linguae [*dele* exactam] notitiam,
Ibid.	Ibid.	notitiam, [*dele* quas et variis ſcriptis illuſtravit,] non
Ibid.	Ibid.	eſt: [*dele* ad quae omnia, quod pauci ante illum fecerant, politioris literaturae ornamenta ſemper attulit,] variis
Ibid.	Ibid.	a [*dele* tanto patre dignis] filiis
Ibid.	Ibid.	edita, [*dele* cum ejuſmodi ſint, ut iis ad rem literariam plurimum emolumenti ſit redundaturum, ſimul omnia aliquando edi reipublicae maxime intereſt.] Conſtans
Ibid.	386.	diſtinctas [*dele* ad utilitatem publicam] ediderunt
Ibid.	Ibid.	tandem [*dele* vir optimus et de republica tot exantlatis laboribus bene meritus] ex
90.	422.	Pannonii, [*dele* non ſolum literis inſigniter exculti, ſed et] rerum
100.	434.	cautius [*dele* oblatis a Deo remediis] in
102.	461.	Auguſtanus [*dele* utriuſque linguae apprime peritus, et omnis antiquitatis ac literaturae cum paucis hujus aevi comparandus, ad haec philoſophicis et mathematicis ſtudiis clarus,] dum
Ibid.	Ibid.	ille [*dele* magno rei literariae bono] vivus
Ibid.	Ibid.	promiſit [*dele* et, qua erat eruditione et ingenio, praeſtare potuit,] publico
Ibid.	436.	Kal. Octobr. [*dele* a Joſia Simlero Tigurino viro doctiſſimo, qui non diu ipſi ſupervixit, laudatus, et variis variorum carminibus epitaphiis celebratus.] Fuit
Ibid.	Ibid.	Hornano, [*dele* rara utriuſque linguae, antiquitatis et humaniorum literarum cognitione, philoſophiae praeterea ac medicinae ſtudiis praeſtanti, quod complura multiplicis doctrinae ab eo elucubrata monumenta abunde teſtantur;] qui
Ibid.	437.	animam [*dele* de republica literaria optime meritam Deo] reddidit
122.	460.	valetudinem. [*dele* In negotio autem religionis, quod in Germania multis abhinc annis agitatum eſt, eam rationem ſervavit, ut cum a ſacris majorum nuſquam recederet, non propterea Proteſtantibus ſuſpectus fuerit, mediam emendationis viam tota vita conſectatus; cui etiam poſt concilium Tridentinum ad finem perductum inſtitit, impetrato ſuis calicis uſu a pontifice; quem et pro ſacerdotum conjugio ſaepius interpellavit, ſed nullo exitu.] Huic
123.	461.	probabat [*dele* conſtantiſſimus] aſſertor
Ibid.	Ibid.	fingat, [*dele* conſtantiſſime] et
Ibid.	Ibid.	exegiſſet, [*dele* animi candore et omnijuga eruditione praeſtans,] qui
Ibid.	Ibid.	ſtrinxit, [*dele* aliis ſcientiis egregie inſtructus, ac praecipue mathematicis, quas et per ſe percepit, et ſumma cum laude diu profeſſus eſt, et inſtrumentis ingenioſiſſime a ſe excogitatis illuſtravit. In bonis literis et excelluit,] et
Ibid.	462.	commentarium [*dele* magna prudentia] ſcripſit
Ibid.	Ibid.	mors [*dele* et praeclarum rei literariae juvandae deſiderium et conceptam de optimi viri laboribus ſpem] abrupiſſet.
Ibid.	Ibid.	abrupiſſet. [*dele* Mortuum laudavit Jo. Gulielmus Stukius.] In

Hereſ-

Edit. Drouart. Fol. Tom. III.	Edit. Lond. Tom. III.	
p. 123.	p. 462.	Hereſbachius [*dele* vir dignitate et doctrina praeſtans] in
Ibid.	Ibid.	Eid. Octobr. [*dele* ad Deum] migravit
Ibid.	Ibid.	Pſalmos [*dele* eruditiſſimum] edidit
Ibid.	Ibid.	ſcripſit, [*dele* non minus morum ſuavitate de ſuis quam eruditione de republica bene meritus.] Annum
Ibid.	Ibid.	aſtronomicae [*dele* praeſtantiſſimi] quas
124.	Ibid.	plura [*dele* ab admirabili ejus ingenio,] quorum
154.	496.	ab [*dele* optima] parente
163.	508.	mentio [*dele* ex veteris aegroti ſomnio originem habuiſſe dicitur, hoc eſt,] ex
Ibid.	Ibid.	vigilaret [*dele* delirans,] ſive
Ibid.	Ibid.	quieſceret [*dele* ſomnians,] viſos
174.	520.	poſſe: [*dele* id pervidiſſe et Imperii principes, qui Auguſtanam confeſſionem amplectuntur: id et ſereniſſimam Anglorum reginam, apud quos uni tantum religioni locus, ceteris excluſis:] nec
Ibid.	Ibid.	monere; [*dele* in dictum Gamalielis reſpiciat, quae ex Deo ſunt, ea contra omneis omnium machinationes duratura; quae ex hominibus, ſenſim evaneſcere. Tum illud in republica fixum ratumque teneat, id utile quod neceſſarium. Quod in Poloniae, Hungariae, Bohemiae regnis, et in Helvetiorum republica tanquam in ſpeculo contemplari poſſit, ſi res vere et citra cavillationem excutiatur. Nam veritati facere fucum eos, qui Germaniae aliquem principem cum rege Galliae comparant. Germaniam totam cum regno Franciae comparatam optime convenire, quae cum non niſi edicto de religionis pace a Ferdinando conſtituto a tot bellis, calamitatibus, et vaſtitatibus requieſcere potuerit, documento id regi eſſe debere, ſi pacem habere velit, idem ut in regno ſuo faciat; alioqui nunquam deſituras turbas. Periculoſiſſimum autem eſſe, ut rex, cujus officium eſt, inſtar boni patrisfamilias, omneis ſuos aequabili jure complecti, ſciſſo factionibus regno, oblitus fidei datae ſe alteri parti ducem praebeat. Id ipſum etiam atque etiam videre debere, et quantum regiae exiſtimationis interſit, ut ſuos omneis in fide contineat, et fidem ſuam univerſis citra alterutrius partis diffidentiam approbet. Nam vix eum apud externos principes fidem approbaturum, cui ſui minime confidant. Quod vero de ſereniſſima Angliae regina exemplum affertur, minime ad rem facere. Nam non eandem utriuſque regni conditionem eſſe; nec in Anglia, ut in Francia, tot principes, proceres, et ex nobilitate et ceteris ordinibus praecipuos publicam ſuae religionis profeſſionem petiiſſe. Quod ſi feciſſent, et illa fidem edicto publico obſtrinxiſſet, proculdubio eam religioſe ſervaſſet: nec ut ab ea diſcederet, ullis ſibi rationibus perſuaderi, aut vi allata a ſuis cogi paſſa eſſet. Atqui meliora Proteſtanteis a ſua majeſtate ſibi pollicitos fuiſſe, cum viderint eum apud Belgii Ordines nuper partes ſuas interpoſuiſſe, ut Egmondani comitis perverſo juris ordine ab Hiſpanis ſupplicio affecti liberi bonis et honoribus reſtituerentur. Nec ſatis eſſe, quod Villoclarus addat, regem Proteſtantibus conſcientiarum libertatem relinquere, adempta tamen libera ac publica religionis ſuae profeſſione. Nam perinde facere, qui ita regi fidei edictis datae ſatisfieri contendunt, atque ii, qui quibus vitam ſalvam promiſiſſent, iis poſtea ad victum neceſſaria denegarent.] Itaque

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. p. 175. Edit. Lond. Tom. III. p. 521.

contendit; [*dele* qui poſt honorificas praefationes ad caput de unica majorum, hoc eſt, Catholica Apoſtolica Romana religione in regno juxta Ordinum poſtulationem conſtituenda longe majore temperamento reſpondit. Optandum eſſe piis omnibus, et ſe ſemper optaſſe, ut vera Romana religio ab initio a beato Paulo promulgata non ſolum in Franciae regno, ſed univerſo terrarum orbe unica et ſola celebraretur. Sed neminem latere, poſtquam deſtructo imperio Romano pontificum in majus potentia aucta eſt, adeo ut Caeſaribus, regibus, ac ceteris orbis principibus legem imponere voluerint, eam primam fidem pravo uſu, craſſis erroribus, hominum commentis, ac tandem perverſo cultu ſenſim depravatam ac corruptam fuiſſe. Fidem ejus rei facere querelas piorum virorum emendationem in eccleſia fruſtra petentium a multis ſaeculis annalium libris conſignatas. Id ſciſſurae tandem occaſionem praebuiſſe, multoſque errorum et perverſi cultus pertaeſos, poſtquam in ſublimi illo et humanum modum ſupergreſſo pontificiae auctoritatis typho nullam emendationis ſpem viderent, ſe ab Romanae ſedis obedientia ſeparaſſe; quippe qui Deo potius quam hominibus ſibi in religione parendum exiſtimarent; quos cum vi cogere periculoſum eſſe experientia docuiſſet, tandem non aliud magis opportunum remedium viſum, quam ſi libera religionis profeſſio ipſis permitteretur; quod pluribus edictis conceſſum, ut pax in regno ſtatueretur, ita revocatum mox bellum accendiſſe; itaque ſperaſſe, ut in ultimo rex ſervando ſummam curam poneret, nec quamvis de mutato conſilio ex diverſis locis, ante Villoclari adventum, ad ſe allatum eſſet, fidem addidiſſe; quippe qui ſic ſtatueret, principem religioſum et prudentem nihil fide antiquius habere; quam ſervari non ſolum ad exiſtimationem et publicam ſecuritatem pertinere, ſed violatam certiſſimo divinae ultionis flagello vindicari proculdubio ſit. Qua in re non poſſe praeterire inſigne noſtra memoria exemplum Ladiſlai Hungariae et Poloniae regis, qui dum pontifici et cardinalibus fidei vinculo ipſum ſe ſoluturos vana ſpe implentibus nimis auſcultat, fidem Amurathi Chriſtiani nominis hoſti datam temere violavit, et mox ingenti clade obrutus decus, opes, ac potentiam ſimul cum vita uno proelio amiſit. Quem enim exitum habiturum hoc bellum, ubi nulla veniae ſpes alteri parti ſuperabit; rex vero ſi bellum minus ex ſententia procedat, non habebit, rupto ſemel per fidem violatam publico ſecuritatis ac ſocietatis vinculo, quo idonee ſuis cavere poſſit? Et ut res ex voto ſuccedant, quis victoriae adeo funeſtae finis erit? cum principibus viris e medio ſublatis atque adeo propria familia regia paene extincta, et amputato veluti altero brachio rex mutilabitur, regnum ſanguine, horrore, et vaſtitate implebitur? Itaque regi imponere, qui diverſas religiones in eodem regno tolerari non poſſe, idque bellis cauſam praebere et obſequii vinculum ſolvere contendunt. Nec meliore fide in medium afferri Germanicorum principum exemplum: nam nec ſingulos principes apte cum rege Galliae comparari poſſe, nec ipſos ulla pactione ſubditis ſuis eam libertatem conceſſiſſe. Proinde quando rex in tantae molis negotio ſe in conſilium adhibere dignetur, ſic cenſere, ut depoſita belli cogitatione potius ancipitem Dei gladium ſtringat,

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. III.

hoc eſt, concilium nationale liberum ac legitimum ad componenda religionis diſſidia celebrari curet. Nam alioqui ſuorum ſanguine ab initio fundatam ac rigatam religionem, cruore ſemper majores vireis ſumpturam. De cetero, quod rex rogat, ne ſe rebus ſuorum Proteſtantium immiſceat aut illos ulla in re juvet, ſic ipſum ſibi perſuadere debere, eadem ac ſe hactenus moderatione geſſit porro ſe geſturum, et effecturum ut potius Dei gloriae ac regni Gallici tranquillitati ſtuduiſſe quam turbis in alieno excitandis favere videri debeat. Ad extremum regem orare, ut in ea re honorificum ſibi, regno ſalutare ac neceſſarium, amicis principibus ac vicinis utile conſilium capiat.] Jam

p. 178. p. 524. obteſtarentur, [*dele* majoris incommodi vitandi cauſa duas religiones tolerari poſſe multis et rationibus et exemplis demonſtrantes;] neque

193. 543. cogitaret; [*dele* ceterum ab Hiſpanorum immanitate, ſuperbia, et avaritia, ſic enim loquebatur, alienus:] vir

197. 547. jubent. [*dele* Quod indigne ferens ex ordinum numero Joannes Saliger in magiſtratus conſeſſu auditus, dira vaticinando urbi interminatus dicitur, quod ſe verbi divini praedicatione hoc pacto indignos redderent.] Antea

Ibid. Ibid. Avila [*dele* vanitate genti inſita] ſe

Ibid. Ibid. eam [*dele* vanitate Hiſpanienſi] noluit

198. 548. eluſerunt; [*dele* cum ipſe interim minime ceſſaret, inſtigante Eſcovedo novi belli in Belgio excitandi auctore, omnia ſumma faciens, ut imperium, quod ab Ordinibus in ſpeciem amice petebat, vi et inſidioſis conſiliis, ſi poſſet, reciperaret. Itaque cum Fronſbergio comite, Nicolao Polvillerio, Carolo Fokaro, et Cornelio Emdenſi Germanorum tribunis, quos licet popularibus ſuſpectos Antuerpiae manere convenerat, donec promiſſa ſtipendia plene exſolverentur, clam agit, et miſſis literis, quae poſtea evulgatae ſunt, contendit ut imperata facerent: Sic enim fore, ut et regi auctoritas ſalva maneat, nec Ordines eos ſtipendiis, quae bona fide diſſolvi rex et ipſe intelligat, fraudare poſſint. Quod ad conſilium de urbe rurſus intercipienda ac diripienda pertinere interpretati Ordines, eo rebus ſuis maturius conſulere et ab Auſtrio ſibi cavere coeperunt. Auſtrius ſub id tempus evocato Carolo Croio Cimaci principe, qui tunc Araſcotani parentis loco arci praeerat, etiam de arce in poteſtatem per ejus abſentiam redigenda cogitare creditus eſt. Auxere ſuſpicionem literae tunc temporis in Benearni pago a Navarri miniſtris, dum per veredarios in Hiſpaniam deferrentur, interceptae; quibus Auſtrius et Eſcovedus Philippum ad bellum in Belgio movendum incitabant, rationibus etiam belli gerendi adjunctis, ut nimirum cum exiguo, ſed delecto militum numero id faceret, neque munitae et in continenti ſitae urbes, ſed inſulae primo invaderentur, quibus captis ceteras facile ſub jugum miſſum iri, adempto maritimo commercio, quo ſolo totius provinciae opes conſtant. Quod ut commodius fiat, ferenda inter nobilitatem et plebem ob religionem ac conſcientiarum libertatem diſſidia. Nam inde acre certamen proculdubio exoriturum, quod nobilitati a plebis partibus diſcedendi et praeſidi ſe applicandi occaſionem et neceſſitatem ſit praebiturum. Sic autem diffidenteis et inter ſe diviſos facilius carpi,

et

et alterum alterius opera opprimi poſſe. Ad id expeditum videri, ut ſpecie auxilii regi Galliae ad bellum contra Proteſtanteis ultimis comitiis decretum gerendi Hiſpani et Itali in Gallia ſiſtantur, ut inde citius in Belgium evocari queant. Addebat ſeorſim, et quaſi inſcio Auſtrio, alias belli neceſſario gerendi cauſas Eſcovedus, quod niſi Auſtrius a Philippo pecunia et milite ad id juvaretur, ex deſperatione alio nec opinato repente diſceſſurus eſſet. Cui periculo ut praeverteret, regem demiſſe obſecrabat. Has literas Lovanio VII Eid. April. utriuſque manu ſcriptas ante reſignatas Navarrus confeſtim ad Arauſionenſem, cujus cauſam cum ſua conjunctam exiſtimabat, mittit; qui mox eaſdem ad Ordines perferendas curavit, monuitque, ut iis praelectis conſilium rebus ſuis utile caperent. Eodem tempore Auſtrius honorificam ad Caeſarem et Imperii ſeptemviros ac ceteros principes legationem decernit, et de Arauſionenſi et foederatis cum ipſo Ordinibus querelam apud eos inſtituit, belli gerendi Belgio ex ea occaſione jam tum fundamenta jaciens. Miſſus et vicecomes Gandenſis magnifico comitatu ad Angliae reginam, qui de Arauſionenſi, Batavis et Mattiacis, quod pacem non ſervarent, conquereretur. Illa vero, quae ſciret Ordines illarum provinciarum in Galliam legationem ſecretam decreviſſe, ut ſe regis aut Andini patrocinio committerent, a quo quanquam ſe rex excuſaſſet, tamen Andinum cum bona ſpe legatos dimiſiſſe, acriter per ſuos et Arauſionenſem et Ordines increpat, quod pacificationis conditionibus non ſtarent, monetque, ſi perſeverent, quando ex eo non parum publici commercii libertas detrimenti accipiat, implorata ipſius ope, fore, ut quae in ſua poteſtate ſint, remedia idonea in tempore adhibeat. Heic Ordines, qui viderent Auſtrium belli cauſas quaerere, Angliae reginam ob Gallici nominis aemulationem haud ſatis rebus ſuis aequam, Germanos adhuc ſibi ſuſpectos in viſceribus haerere, nec pecuniam ad diſſolvenda ſtipendia ſuppetere, animi anxii fluctuabant, et quid agerent in dubio erant. Tandem omnis ad rem pecuniariam expediendam converſa cogitatio, ut Germanos dimitterent. Quam in rem et operam ſuam ultro deferebat Auſtrius, addebatque, niſi aequis conditionibus Germani acquieſcerent, fore, ut ipſe vim tempeſtivam ex ipſorum Ordinum voluntate adhiberet. Haec ita palam agebantur; ſed in occulto moras nectebat, et ut idem facerent Germanis clam ſuadebat. Poſtremo cum ſuſpicionibus ſubortis conſilia ex voto minime procedere doleret, et potentioribus remediis adverſus Ordinum vireis quotidie invaleſcenteis opus eſſe cerneret, ex pecuniae Germanis exſolvendae penuria occaſionem ſumpſit mittendi in Hiſpaniam Eſcovedi, in ſpeciem ut de ſtipendiis Germanis debitis cum rege ageret, re vera ut eum de rerum ſtatu certius edoceret, et coram validioribus quam per literas, quae contradicenteis refutare non poſſunt, rationibus ad bellum tantopere expetitum accenderet. Antea inſtigante Eſcovedo, dum adhuc in Italia eſſet Auſtrius, de Angliae regno, Eliſabetha expulſa, ſub jugum mittendo apud pontificem egerat, et inſcio Philippo pervicerat, ut pontifex quaſi nullius precibus impulſus, ſed ſola Chriſtiani orbis charitate et publici boni contemplatione permotus, regem ſolicitaret de ſubſidiis in id bellum ſummittendis;

dis; quod et ipſi honorificum, Belgio ſectaria peſte ob Anglorum viciniam infecto tutum, et ad Dei gloriam ſumme fructuoſum eſſet. Quod Philippus compoſita ad tempus diſſimulatione eluſerat. Cum vero poſt Requeſenis mortem Auſtrius gubernator Belgii a Philippo declaratus mandatum de proficiſcendo quamprimum in provinciam accepiſſet, tamen ex conſilio Eſcovedi ex Italia, unde nulla mora interpoſita in Belgium tendere jubebatur, in Hiſpaniam tranſmiſit, ut regis animum periclitaretur, an propoſitum a pontifice de Anglia invadenda conſilium perſequi vellet. A quo cum alienum regem reperiret, non deſtitit, poſtquam in Belgium venit, idem negotium urgere, et inſuper petiit, ut portum in Cantabria ſibi ad claſſem parandam munire liceret, cujus cuſtodia Eſcovedo committeretur. Verum eo magis conſilium averſari Philippus; et omnia facere, ut omni ſubſidio, etiam eo quo provincia indigebat, adempto, ei ſpem omnem rei conficiendae praecideret; quod illum in ſummas anguſtias conjecerat. Eoque pertinebant literae illae Eſcovedi, quibus Philippum monebat, ne pateretur, ut frater ex deſperatione in extrema conſilia praecipitaret: nam miſerabilem conditionem ſuam in ea provincia ducere, et malle cum ſex millibus peditum duobus millibus equitum propriis auſpiciis in Gallia militare, quam diutius cum tam dedecoroſa fortuna conflictari; eaque de re ſaepius ad Antonium Pereſium, qui tunc unus ab epiſtolis ſecretis Philippo erat et in ejus gratia praecipue florebat, perſcripſerat. Cum vero videret nihil illis literis regem moveri, ad nova conſilia Auſtrii hominis elati de cetero ſecuri ac negligentis animum inclinat, et paulo antequam foedus illud clandeſtinum, de quo diximus, in Gallia ſancitum eſt, colore levium aliquot negotiorum Lutetiam homines fidos miſerat, qui aliquoties in aedibus Joannis Vargae Mexiae Philippi apud regem oratoris, ad quem venire ſe ſimulabant, diverterunt. Ceterum Varga, qui videret negotia illa non eſſe hujuſmodi, propter quae Auſtrius ſive Eſcovedus primarios miniſtros extra provinciam toties ablegaret, et alioqui ingenium Eſcovedi noſſet, obſervare coepit, quo illi, dum in urbe eſſent, commearent, et cum quibus colloquium haberent; cognitoque eos ſub noctem obſcuram ad Guiſii aedeis itare, idque ipſos apud ſe diſſimulare, ad Philippum ſcribit; et praefatus nolle principis arcanis ultra quam velit participare, tamen ratione muneris obligatum ſe exiſtimaſſe de iis, quae in ſuſpicionem ipſum adduxerint, cum ſedulo monere, ne flagitioſi ſilentii reus apud ipſum aliquando poſtuletur; et cum videat homines ſaepius ab Auſtrio Lutetiam veniſſe, et cauſas quaerenti res nihili praetexere, et clam ſe ad Guiſianorum aedeis noctu commeare, non potuiſſe non ipſum ea de re conſulere, ut ſi id juſſu ſuo fiat, ſilentium, quod ſumma fide ſit ſervaturus, ſibi imperet; ſin contra, quid ea in re voluntatis ſuae ſit, aperire ne gravetur; nam quidquid juſſerit, id ſe diligenter executurum. Ad hunc nuncium Philippus princeps rerum ſuarum ſolicitus cohorruiſſe dicitur, et cum jam ob occultas ſuſpiciones Joannem a Soto ab Auſtrio, qui bello Granatenſi et in ſacri foederis expeditione inſervierat, tacite removiſſet, et honeſta miſſione exercitus curatorem creaſſet, ſuffecto in ejus locum Joanne Eſcovedo, ſenſit perſonam, non

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. III.

non conſilia mutata. Itaque Vargae reſcribit, itationes illas e Belgio ſe ignaro fieri: proinde det operam, ut quorſum occulta conſilia tendant, indaget, et ad ſe perſcribat. Poſtea reſcitum eſt Guiſium et Auſtrium foedus inter ſe ſecretum iniviſſe, Galliae et Hiſpaniae regibus ignaris, pro utriuſque coronae defenſione, quarum illi ſibi veluti patrocinium ſumebant. Quod quo pertineret, exitus magno noſtro malo declaravit. Id cum cognoviſſet Philippus ſub id fere tempus quo Eſcovedus ab Auſtrio et Ordinibus in Hiſpaniam venit, eo magis a belli conſiliis, cujus alioqui juſtas cauſas habebat, ſe alienum oſtendit. Eſcovedus vero, ubi praeter opinionem omnem rei conficiendae ſpem praeciſam vidit, homo turbulenti ingenii et otii impatiens, ut de Antonio Pereſio, quem ſuis conſiliis adverſari ſciebat, ultionem ſumeret, et eadem opera eo amoto principem locum, ſic enim ſibi perſuaſerat, occuparet, illum per amicos emiſſarios apud Philippum criminari inſtitit, quod perfida temeritate Gomeſii Silvae Eboli in Picentinis principis ante aliquot annos defuncti uxorem, praeſtanti forma, nec minus amoeno ingenio foeminam, quam Philippus impotenter deperibat, ſolicitaret, eamque ab amore regis alienaret. Quo magis Pereſius proprio periculo incitatus apud regem inſtabat, ut hominem turbulentum procul amandaret, ubi rebus ſuis incommodare non poſſet; eaque in re Petri Faiardi Veleſiae marchionis, primariae ob prudentiam et fidem apud Philippum auctoritatis, opera utebatur, qui pernicioſa Eſcovedi conſilia ſummopere deteſtabatur. Tandem cum Auſtrius eum ad ſe remitti cum certae regis voluntatis mandatis inſtanter peteret, perſuadetur a Pereſio Philippus, ut hominem, quem ulterius in aula retinere citra manifeſtam Auſtrii offenſionem, remittere ad eundem ſine periculo non poſſet, aut veneno aut ferro tolleret; idque negotii ſibi ſumpſit, et executus eſt. Conſilii a Pereſio dati Philippum poſtea poenituit, qui ut rei invidiam a ſe et rivalem ab aula removeret, Pereſium, quaſi privata injuria incenſus nullo ſuo mandato id feciſſet, de facto a judicibus interrogari voluit. Quod multarum calamitatum non ſolum ipſi Pereſio, ſed toti Aragoniae regno initium fuit. Sed haec poſtea acciderunt. Tunc vero poſt Eſcovedi e Belgio diſceſſum] Auſtrius

p. 210. p. 563. conſtituerentur, [*dele* quam ab Hiſpanis factum eſt, qui avaritia caeci totos xxx annos mutuis lanienis miſeros indigenas in Indiis et ad extremum ſeipſos, graſſante inter eos divina ultione, confecerunt.]

218. 573. cupientes, [*dele* ex ea occaſione partem ſibi in republica arrogare voluerunt, et ſumptuariis legibus ad Laconicam parſimoniam atque adeo ſobrietatem inepte conditis ridiculi fuere, dum, quod imperiti medici faciunt, corpora nimio ſucco turgentia non purgant, ſed ad maciem adducere conantur, palamque cunctis fecere theologorum profeſſionem a civili adminiſtratione omnino ſeparatam eſſe.] His

255. 617. fuit, [*dele* ſive Pereſio credatur, ſive ipſi Philippo. Pereſius ſiquidem ſcripto apud nos diu poſt publicato id Philippi mandatu ſe feciſſe confeſſus eſt, quod Eſcovedus pravorum conſiliorum Auſtrio auctor extitiſſet, et metus eſſet, ſi ad eum remitteretur, ut jam ulterius quam oportuerat provectum magni

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. — Edit. Lond. Tom. III.

magni animi juvenem porro impellere non ceſſaret; aut ſi retineretur, Auſtrius, inde aucta ſuſpicione quaſi conſilia ſua detecta eſſent, ad deſperationem adigeretur. Philippus vero longe aliam caedis a Pereſio patratae cauſam credi voluit; quod videlicet Eſcovedus, qui Roderici Gomeſii Silvae commendationi ſuam fortunam debebat, Silvae viduam, quam Pereſius deperibat, ab amore ipſius alienaſſet. Quae ſi vera ſunt, ut certe alterutrum verum eſſe neceſſe eſt, Albanum ejuſque filios a tanto crimine abſolvunt. Certe Philippus ſtatim poſt Jo. Auſtrii mortem ſcrinia ejus ac literas diligenter conquiri et aſſervari juſſit, atque ad ſe in Hiſpaniam perferri; ex quibus cum occulti inter ipſum et Guiſianum initi foederis rationes, et quo tenderent, cognoviſſet, inde conſiliorum ſecretorum cum Guiſianis renovandorum occaſionem arripuit, et ab eo tempore cum Guiſio per oratores ſuos agere coepit, quantumvis diſſuadentibus Didaco Spinoſa cardinali Toletano, et Petro Faſciardo Veleziarum marchione, magnae auctoritatis ac prudentiae viris, ſuper ea re ab ipſo conſultis, qui rem magnae molis dubiique eventus, et majoris contra Galliae regnum periculi quam utilitatis ad rem Hiſpanam inde rediturae plenam, immenſiſque ſumptibus et non aeſtimabili hominum ſanguine conſtituram eſſe multis verbis demonſtrabant. Verum apud impatientem injuriae principem parum illorum rationes valuerunt, qui Andini in Belgium expeditione irritatus, regis licet ab ea averſi in regno bellis civilibus quaſſato infirmitatem pro excuſatione admittere noluit, quin inique juxta et imprudenter eum facere dicebat, quod ſuos, quos metu legum coercere debuerat, ut ſolute domi viveret, foris contra fidem pace inter ipſos facta interpoſitam bellum gerere pateretur.] Morte

p. 303. p. 703. duo [*dele* doctrina praeſtantes viri] Joannes

Ibid Ibid. Graecas [*dele* magna cum laude] profeſſus

Ibid. Ibid. eſt, [*dele* mathematicarum artium, quas et ſcriptis illuſtravit, et pariter linguae ſacrae ſcientia, exemplo Sebaſtiani Munſteri praeceptoris ſui, clarus,] ut

309. 686. annos [*dele* Albani odio et Hiſpanorum immanitate inaudita] parens

Ibid. Ibid. ejus [*dele* de patria optime meritus] indigno

Ibid. Ibid. eſt, [*dele* quae tamen in juvene inconſtantis animi, cujus teſtimonia pleraque edebat, cito exaruerunt.] Majoris

314. 691. addidit, [*dele* cum praefatione, qua maxime nititur demonſtrare Belgas ob tumultus exortos, quorum culpam in Albanum ac ceteros regis miniſtros rejicit, aut divinae laeſae majeſtatis aut perduellionis crimini minime affineis eſſe; inprimiſque de templis expilatis et imaginibus ac ſtatuis paſſim dejectis crimen objectum refutat, quod qui potuerunt, non prohibuerint; et factum quidem ipſum nunquam probaſſe moderatiores dicit, aut non infectum voluiſſe, ſed altius penetranti et judicia divina, quantum homini licet, rimanti in confeſſo eſſe, Deum hoc facto Ordines, populum, regemque ipſum docere ac convincere voluiſſe, ſi tam grave periculum apud Hiſpanos cenſetur ſtatuas ac imagines lapideas ac ligneas frangere ac demoliri, quanti pluris apud ipſum Deum fuerit, ſpiranteis ipſius imagines, hoc eſt, homines Chriſtiano nomine inſignitos, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine, per tot cruciatus,

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. III.

cruciatus, poenas, exilia, tot annos miſerabiliter divexaſſe ac evertiſſe. Et haec ad confirmandos in Ordinum fide, qui nutabant, animos dicta ac jactata ſunt.] Complures

p. 337. p. 721. revocaret, [*dele* vel ea maxime ratione, quam licet ineptiſſimam, tamen apud hominem ſuperſtitioſum valituram putabat, quod veneno Sectario paſſim pullulante periculum eſſet, ſi ſacris addictus uxorem duceret, id in exemplum a pernicioſis hominibus traheretur.] Verum

345. 730. regnum [*dele* non tam legitimo ſucceſſori adjudicandum, quam potentiori occupandum] reliquit.

381. 775. fuit: [*dele* ut fidem contra interponat Philippus, et inſtrumentis ac ſigillis promiſſa ſignet, cui dubium eſſe quin pontifex cum ſacramento ſolvat? Nam ſcitum eſſe in aula Romana, Haereticis, quales Proteſtantes cuncti habentur, minime fidem ſervari debere; idque ſcriptis ſuis paſſim urget is, qui Cornelii Callidii Chryſopolitani nomine Santalgondani orationi nuper in Wormacienſibus comitiis habitae reſpondit; idem clamitare Joannem Lenſaeum, nec non et Cunerum Leovardienſem epiſcopum. Nec Philippo, licet promiſſam fidem ſervare in animum induxerit, liberum per pontificem et ſacri officii miniſtros id fore; quinimo illos conſcientiae ſcrupulum religioſo principi injecturos, eumque ad bellum contra Sectarios gerendum tandem vel invitum compulſuros. Eodem quippe aſtu illos uſos, ut regem Chriſtianiſſimum nuper contra datam fidem ad facinus Lutetiae et exemplo graſſante tota Gallia patratum impellerent, cujus ipſum poſtea poenituit. Nam ingenium provinciae non eſſe tale, ut in Gallos tam diri facinoris cogitatio cadat. Id conſilii in Italia praemeditatum et in Hiſpania recoctum ad regem offenſione irritatum aliunde tranſmiſſum fuiſſe; igitur in Philippo nullam ſincerae reconciliationis et gratiae ſpem ſupereſſe. Nam ſi natura talis eſt, ut tot caedium, exactionum, proſcriptionum in Belgio auctor fuerit, proculdubio fieri, eum ſemper ad ingenium rediturum, et naturam vel furca expulſam uſque recurſuram. Quod ſi alieno inſtigatu neque ſponte ad ea impulſus fuit, cui dubium relinqui, quin eorundem, quorum ſe aſtu tranſverſum agi ſciverit, porro conſilio ſit uſurus, et pontificis inquiſitorumque hortatu eadem qua prius immanitate contra Belgas ſaeviturus?] Quam

399. 795. rapitur; [*dele* et cum Iſabella Oſoria contractas nuptias, antequam Luſitanicam infantem in uxorem duceret, ex iiſque ſuſceptos liberos objicit, parario Roderico Gomeſio Silva, et poſtea ſpe nuptiarum corruptam Eufraſiam, quam, ut erat, gravidam A. Levae Aſculi principi in matrimonio collocavit: tum uxorem legitimam Iſabellam, regis Chriſtianiſſimi ſororem, nefario ſcelere de medio ſublatam regerit, quod et probationibus, quae penes fratrem regem ſint, conſtare dicit, idque ab eo factum, ut uxore legitima extincta inceſtuoſum cum ſororis filia conjugium contraheret, et quaſi alter Juppiter, qui Junonem ſororem duxit, deteſtando exemplo honeſtatem ac ſanctimoniam nuptiarum nefaria conjunctione pollueret.] Poſtea

402. 798. addentur [*dele* literis viri inſignes;] et

Ibid. Ibid. natus, [*dele* exacta linguae Graecae cognitione clarus,] qui contu-

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. — Edit. Lond. Tom. III.

p. 402. p. 798. contuliſſet, [*dele* eas maxime ſcriptis et induſtria ſua illuſtravit,] Fuggerorum

Ibid. Ibid. illo [*dele* ſumma fide] latinitate

Ibid. Ibid. Eid. Octobr. [*dele* intempeſtiva magis reipublicae quam ſibi morte ad Deum] migravit.

Ibid. 799. natus, [*dele* linguae Hebraicae peritiſſimus,] qui

403. 800. ſuſcepit. [*dele* Sed legibus Imperii et laudabili Germaniae inſtituto, quae maxime omnium nationum honeſtatem conjugiorum juxta Dei praeceptum colit, cum nuptiae citra parentum, aut eorum qui parentum loco ſunt, conſenſum contractae minime legitimae cenſeantur; proinde neque Velſera legitima Ferdinandi uxor, neque liberi ex ea ſuſcepti tantae ſucceſſionis capaces ab Ordinibus provinciarum, quas ampliſſimas Ferdinandus poſſidebat, habiti ſunt. Itaque Maximiliano Caeſare fratre vivis exempto, cum de bonis inter ejus filios, qui complures erant, dividundis ageretur, ex Ordinum ſententia etiam ditionum Ferdinandi ratio habita eſt, et illae per deſtinationem jam tum fratrum filiis aſſignatae ſunt; cum ille aliam praeter Velſeram ſe uxorem habere poſſe ſalva conſcientia negaret; et Velſera ab Ordinibus pro legitima uxore, liberique ex ea ſuſcepti paternae hereditatis capaces minime haberentur. Ita vivo videnteque patruo fratris filii ejus hereditatem creverunt, vixque Ferdinandus ab Ordinibus impetrare potuit, ut exiguum caſtellum ex tam opulento patrimonio detraheretur, quo Carolum grandiorem natu filium ex Velſera natum cum marchionis titulo donavit. Andreas alter filius ut in collegium cardinalium cooptaretur a Gregorio XIII facile obtinuit, licet is honos non niſi ex legitimo matrimonio procreatis attribui ſoleat. Sed Romae, quod inter Germanos ducitur contubernium, pro legitimo matrimonio reputatum eſt, propterea quod accedente eccleſiaſtici ritus auctoritate id contractum eſſet. Ferdinandus, qui ex ea re non mediocriter offenderetur, tamen, quamdiu Velſera vixit, dolorem in ſinu preſſit; quem poſt illius mortem ſtatim foris eduxit, et de ſecundis nuptiis ſerio cogitare coepit, ex quibus vir jam inclinata aetate, ſi non aliud commodum, ſaltem hoc ſe conſecuturum ſperabat, ut fratris filiis certam ſucceſſionis ſuae, quam jam animo devoraverant, ſpem e faucibus eriperet. Quanquam ſecus accidit. Nam cum ille nullos heredes maſculos ex ſororis filia reliquerit, potius ſuorum rationes in dividunda Auſtriacae domus hereditate initas ad tempus conturbavit, quam ſperatum ex ea emolumentum ademit.]

448. 852. Tubingenſis [*pro* theologos *ſcribe* Proteſtantes] diu

Ibid. 853. tranſmiſerant [*dele* eo conſilio, ut poſtea ſcripſerunt, ut quia Lutheranos toto oriente quaſi Sectarios exagitari intellexerant, ab infamia, qua invidioſe onerabantur, ſe purgarent, et, ut eorum verbis utar, lucernam verbi divini minime ſub modium abſconderent, ſed ſupra candelabrum collocarent.] Ad

Edit. Lond. Tom. IV.

461. 9. praefationem [*dele* de abominabili reliquiarum et imaginum cultu, particulaque euchariſticae hoſtiae ſanguine falſo manare creditae, unde ab avaris ſacerdotibus credulae plebi pernicioſe impoſitum ſit, de Vaurenſi et B. Antonii capſis, et hujuſmodi nugamentis (ita verba edicti ferebant) concilio

ipſo

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. IV.

ipſo Tridentino vetitis ac damnatis, de reliquiis ſanctorum quae contra eccleſiae Romanae doctrinam populo obtruduntur, de particulis ſepulchri B. Virginis, et B. Michaelis cranio, de ſtatuarum quarundam capitibus perforatis, quibus impoſtores oleum aut alium liquorem inſtillabant, ut ſtatuae lachrimas aut ſudorem mittere viderentur; tandem ut tam deteſtandae ſuperſtitiones exſtirparentur, et avaritiae fomes, qui fallaciis hujuſmodi cauſam praebeat, e faucibus ſacerdotum eripiatur, his de cauſis, et aliis quas ſenatus hoc rerum ſtatu propalare nequaquam conſultum exiſtimat, ad publicam concordiam ac ſecuritatem] edicitur

p. 462. p. 26. cauſa [*dele* a ſacerdotibus] clam

Ibid. Ibid. ſibi [*dele* a ſicariis] metuens

Ibid. Ibid. faciebant, [*dele* et nomina conjuratorum ac ſociorum edebant.] Miſerat

463. 29. detexerint. [*dele* Jam enim exemplo graſſante in Hibernia ab emiſſariis illis turbare res coeperant.] Itaque

482. 44. ortum, [*dele* Graeciae ſuae magnum noſtra aetate ornamentum,] qui

Ibid. Ibid. defecit, [*dele* a Theodoro Beza, cum quo conjunctiſſime vixerat, carmine epitaphio laudatus.] Annum

514. 90. concionatores [*dele* quod violentiſſimum ad ciendam plebem telum fuit, paſſim] in

Ibid. Ibid. Sectarium [*dele* quaſi ſigno dato debacchari,] ex

Ibid. Ibid. confeſſionibus [*dele* credulas] animas

518. 95. diſputavit [*dele* literatorum hujus ſaeculi princeps] Joſephus

Ibid. Ibid. illo [*dele* admirando et ad omnem aeternitatem victuro] opere

519. 96. verti, [*dele* quam cum in dies pontifex dolis ac machinis convellere nitatur, non committendum eſſe,] ut

Ibid. Ibid. dediſſe. [*dele* Canonem vero concilii Nicaeni de paſchali celebratione non pontificis Romani, qui ea poteſtate ac auctoritate quam nunc ſibi vindicat minime tunc fuerit, ſed communi Conſtantini Caeſaris, qui ſynodo praefuerit, et patrum decreto conditum eſſe. Concilia vero ipſa non a pontifice, ſed ab imperatoribus Romanis indici ſolita, ſicuti Conſtantienſe Caeſar Sigiſmundus recenti adhuc hominum memoria indixerit; et jus conſtituendi non ſolum epiſcopos in Germania, ſed etiam pontificem Romanum penes Caeſarem ante et poſt Caroli magni tempora uſque ad Othonem I, et deinceps uſque ad Gregorii VII papae aetatem fuiſſe.] Cavendum

521. 99. deceſſerat, [*dele* vir ingenii felicitate et ſcribendi facultate, quod ejus ſcripta ad omnem aeternitatem victura, vel fatente invidia, teſtantur, noſtra aetate incomparabilis,] in

Ibid. Ibid. tempore [*dele* inſignem] illam

Ibid. Ibid. eſt, [*dele* quam tanta puritate, prudentia, et acumine ſcripſit, quamvis interdum libertate genti innata contra regium faſtigium acerbior, ut ea ſcriptio non hominem in pulvere literario verſatum, ſed in media hominum luce et in tractandis reipublicae negotiis tota vita exercitatum redoleat; adeo ingenii felicitas et animi magnitudo omnia obſcurae et humilis fortunae impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus recte de maximis rebus judicare et ſcribere prudenter

Edit. Drouart. Fol. Tom. III.	Edit. Lond. Tom. IV.	
		denter poſſet. Et ſane memini Petrum Ronſardum virum acerrimi judicii, qui licet in diſpari fortuna conſtitutus tota vita ſcholaſtico otio oblectatus fuerat, cum de Buchanano, Hadriano Turnebo, Antonio Goveano, M. Antonio Mureto, quibuſcum arcta amicitia conjunctus fuerat, verba faceret, dicere ſolitum, illos homines nihil paedagogicae praeter togam et pileum habuiſſe; et tamen de vulgo paedagogorum ſic cenſere, nunquam incorrigibilis ineptiae ex paedagogica contractae characterem vel longiſſimi aevi curriculo deleri poſſe.] In
p. 522.	p. 160.	archiepiſcopus, [*dele* exortis ob Lutherum controverſiis, cum emendationem in eccleſia ardentiſſimis votis expetere prae ſe ferret, neque negotium hoc, reipublicae Chriſtianae periclitanti adeo neceſſarium, per quorundam ambitionem ſatis ex animo procedere putaret,] a
Ibid.	Ibid.	Scavenburgicus [*dele* malam gratiam bene merito de ſe ſeni rependens] huic
527.	106.	quo [*dele* Deum homineſque teſtabatur, poſtquam benigniſſimus Deus ex tenebris papatus, haec verba edicti erant, in lucem et veram ſancti ac ſalutiferi verbi ſui cognitionem ipſum adſeruiſſet, nihil aliud exoptaſſe, quam ut in vocatione et officio cum tranquilla conſcientia vivere, et ſubditis ſibi a Deo commendatis publicum incorruptae doctrinae ac ſacramentorum uſum legitimum permittere liceret.] Interim
555.	140.	loco [*dele* formidabilem omnibus bonis] inquiſitionem
557.	141.	valeant: [*dele* neque vero ſe de praeſenti Dei patrocinio, qui bonam cauſam nunquam deſerturus ſit, deſperare, eorumque pium et religioſum propoſitum, qui omnem in eo ſpem reponant, non laudare; ſed enim ſic exiſtimare, rem arduam ac periculoſam ſuſcipere non inita ratione facultatum, aut eas praevalente avaritia aut intempeſtiva parſimonia ſupprimere et omittere, id neutiquam eſſe Deo fidere, ſed per ea Dei patientiam proculdubio tentari; contra vero occaſionibus ac facultatibus a D. O. M. oblatis uti, eundemque, ut incepta proſperet, orare, id demum eſſe in Deo ſpem ac fiduciam collocare.] Nunc
567.	164.	illud [*dele* toti academiae valde inviſum et alioqui jam prudentioribus ſuſpectum,] ob
568.	Ibid.	tot [*dele* doctiſſimis] ſcriptis
577.	174.	ſpondere, [*dele* qui prudentia ſumma praeditus periculo ſuo didicerit, religionem a Deo inſpirari, hominibus imperari non poſſe.] Eo
Ibid.	175.	captivorum [*dele* et verbum Dei ſitientium] libertatem
Ibid.	Ibid.	rogare; [*dele* praeterea, ut concionatorum vociferationibus contra Proteſtanteis ex ambone debacchantium, exemploque carnificinae Pariſienſis cunctos ad caedeis incitantium, modum faciant;] alioqui
578.	176.	ſe [*dele* non ſolum de civili adminiſtratione, ſed etiam de gloria Dei promovenda ſolicitum] ſupplicibus
Ibid.	Ibid.	coelibatum [*dele* a pontifice contra Dei verbum ſacerdotibus indictum] minime
582.	180.	ut [*dele* gratiae D. O. M. agerentur, quod archiepiſcopum luce verbi ſui irradiaſſet; itidemque Deus obſecraretur, ut perſeverantiam archiepiſcopo largiatur: tum] Gebhardo
584.	183.	ſeptemviris [*dele* pro ſua libidine] archiepiſcopum

relin-

Edit. Drouart. Fol Tom. III.	Edit. Lond. Tom. IV.	
p. 584.	p. 183.	relinquitur, [*dele* injurioſe] amoti
586.	185.	Romanam [*dele* tam indignam] ratam
Ibid.	Ibid.	pontificem [*dele* falcem in alienam meſſem immittere, et] indicta
Ibid.	Ibid.	retroceſſiſſe. [*dele* Interea pontificem Romae tanquam ex altiſſima ſpecula caedeis et Germanorum effuſum cruorem, ut nuper in ſanguineo Pariſiorum balneo fecerit, ſpectaturum. Ad extremum orat Caeſarem, ut pontificis conatibus obviam eat, neque ſuis temporibus Germanos libertatis ſuae jacturam facere, aut vim ab eo Auguſtanae confeſſionis ſociis eorumve conſcientiis afferri patiatur.] Dum
587.	187.	ferendum [*dele* inaudita juxta et iniqua pontificis audacia] imponatur
589.	189.	debacchatur, [*dele* quem et abominationem in urbe Roma, non Dei, ſed diaboli vicarium vocat, latronem, et conſcientiarum tyrannum.] Tum
593.	194.	juvenem [*dele* doctiſſimum et ingenii ſolertia praeſtantem.] Segurius
Ibid.	Ibid.	homo [*dele* probo et vivaci, nec inerudito] ingenio,
Ibid.	Ibid.	ingenio, [*dele* ceterum] credulo,
Ibid.	Ibid.	aetate [*pro* purioris *ſcribe* novae] doctrinae
Ibid.	Ibid.	eſſet, [*dele* incredibili cupiditate flagraſſe ſe viſendi eos principes, quorum opera Deus ad propagandam nominis ſui gloriam uſus eſſet: itaque] in
Ibid.	Ibid.	libidinem, [*dele* tum maxime Romani pontificis animum, qui nullum ad hoc uſque tempus lapidem non movit, ut regni florentiſſimi quietem perturbaret, in eaſque cunctos ejus Ordines anguſtias conjiceret, ex quibus nunquam eluctari poſſent.] Ea
594.	Ibid.	proponebatur. [*dele* Nam in Hiſpania et Italia quotquot in ſuſpicionem emendatae religionis veniunt, eos cruci ſubjectos antichriſti tyrannidem et inquiſitionis atrocitatem ac ſaevitiam quotidie experiri. In Gallia Tridentini concilii promulgationem, et per eam inquiſitionis inſtitutionem a legatis pontificiis adverſus ampliſſimi Ordinis interceſſionem et eccleſiae Gallicanae libertatem urgeri. In Anglia Jeſuitarum aſtu animos populorum ad defectionem ſolicitari; ac niſi faces illae reginae ſapientiſſimae prudentia extinctae eſſent, clandeſtinos coetus et nefarias conjurationes jampridem in ipſius caput et regni perniciem erupturas fuiſſe. In Scotia eam nuper pontificiorum artibus ac calliditate mutationem contigiſſe, optimis quibuſque per procerum diſcordiam et regis adoleſcentiam aula exactis, ut, niſi mature proſpiciatur, eccleſia in diſcrimen ventura videatur. Quantum ad Belgium attinet, in eo res profligatas, et ab omni exterorum auxilio imparatiſſimas, proculdubio brevi collapſuras eſſe, ac ſub pontificiae crudelitatis jugum venturas. Apud Helvetios vero portenti illius Romani largitionibus ac vafritie turbulentiſſimiſque Jeſuitarum concionibus belli civilis incendia propemodum hoc biennio excitata eſſe, ut Bernates emendatae religionis cultores Caroli Sabaudiae ducis in eos ex compoſito irrupturi armis obruerentur. Suecorum denique eccleſias, retibus pontificiis in ultima aulae penetralia jactis, in aſſiduo metu ac dubitatione verſari, ne alienatus regis animus aliquid tandem gravius in ſe ſtatuat. In Germania autem, ex quo pax decreto

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. — Edit. Lond. Tom. IV.

creto Ordinum eccleſiis conceſſa eſt, nunquam ab eo tempore ceſſaſſe pontificios, ut tranquillitatem et alcedonia conturbarent. Et nuper quid contra illuſtriſſimum Colonienſem ſeptemvirum moliti ſint, bello ob eam cauſam paſſim accenſo, cunctis notum eſſe.] Haec

p. 594. p. 195. ut [*dele* quod reipublicae Chriſtianae ac totius eccleſiae amplificationi bene cedat,] conjunctionem

Ibid. Ibid. ſocietati [*dele* Dei cauſa et ad ejus gloriam ita inſtitutae] Navarrum

Ibid. Ibid. aetate [*dele* raro Dei beneficio] duo

Ibid. Ibid. Colonienſes [*dele* ex errorum tenebris emergentes] emendatae

Ibid. Ibid. emergentes [*pro* emendatae *ſcribe* novae] doctrinae

Ibid. Ibid. exutum [*dele* in optima cauſa] ſuccubuiſſe

Ibid. Ibid. provincias [*dele* et eccleſias] confirmari,

Ibid. Ibid. aut [*dele* inſperato Dei auxilio] aliunde

Ibid. Ibid. cauſae [*dele* tam piae ac juſtae] ſublevandae

595. Ibid. omnium [*dele* inſtauratarum totius Europae eccleſiarum] ſynodus

Ibid. 196. ſunt [*dele* utriuſque partis theologi] temperetur

Ibid. Ibid. loco [*dele* Chriſtiana charitas et] fraterna

Ibid. Ibid. velint; [*dele* imo paratos eſſe omnium animos ad ea dogmata amplectenda quae Dei verbo ſint conſentanea; immerito eos Zuinglianos, Calviniſtas, ac Sacramentarios vocari, quippe qui in Chriſti ſolius verba juraverint, nullius ſententiae addicti, niſi quatenus veteris et novi foederis doctrinae congruit. Quod ſi ab ullius mortalis nomine adoptanda Gallis eſſet appellatio, potiore utique jure eos Lutheranos vocatum iri. Nam hujus nominis invidia et odio cum laboraretur in Gallia, innumeros prope per LX annos caeſos, exuſtos, equuleis admotos, praeclarum doctrinae, quam a Luthero primum acceperant, teſtimonium ſanguine ſuo obſignaſſe; neque plures martyres, quos vocant, ceteras omneis Europae regiones quam Galliam unam dediſſe. Lutherum ab eccleſiis Gallicis ut ipſarum in Chriſto parentem coli ac ſuſpici; quod illius miniſterio veritas primum eruta ſit. Ejus vero doctrinam tanti ab illis fieri, ut unum illum, repetita ab apoſtolorum ſaeculo memoria, fuiſſe exiſtiment, qui ſcriptis ſuis et laboribus plurimum eccleſiae Dei contulerit.] Non

Ibid. Ibid. carere. [*dele* Verum non decere, propter unius aut alterius acerbitatem, integras eccleſias perpetuis diſſenſionibus flagrare. Multis in Germania ſic de Gallis perſuaſum eſſe, quaſi erroneam et qualibet ſecta vel etiam pontificia deteſtabiliorem doctrinam amplectantur: quo magis deſiderare ipſos, ut palam, quales ſint, publica actione teſtentur, et, ſi errent, ex Dei verbo doceantur. Controverſiam de coena Dominica non adeo difficilem, ut ſynodo dirimi non poſſit, duobus potiſſimum argumentis colligi: priore, quod cum tria ſint, quae in hoc negotio ſpectentur, ſymbola, res exhibitae, et fructus qui inde percipitur, de his fere inter partes conveniat. Nam fateri omneis panem et vinum eſſe ſymbola, corpus et ſanguinem res exhibitas; earum vero fructum hinc cum B. Paulo ſtatui, ut fractio panis et vini ſumptio ſit corporis et ſanguinis Chriſti communio: perceptionis autem modum, in quo haeretur, ſupra naturam et ſpiritualem eſſe cun-

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. Edit. Lond. Tom. IV.

ctos agnoſcere. Sed enim in arcano illo et ineffabili modo indagando dum multi nimis laborant, plagas illas diſputationum et controverſiarum inextricabileis pertexuiſſe. Ceterum hac de re minus ſolicitos nos eſſe debere, vel ipſius Lutheri teſtimonio admoneri, qui in epiſtola ad Helveticas civitates ſe de modo laborare negat, dum de praeſentia conſtet. Alterum argumentum facilis concordiae eſſe, quod nunquam ea ſerio quaeſita ſit, quin Deus conatum proſperaverit, ut ex colloquio Lutheri et Zuinglii anno CIↃIↃXXVIII inſtituto, et triennali illo Marpurgenſi apparet, quorum utroque inter primarios utriuſque partis theologos de coenae negotio conveniſſe, formula de eo perſcripta et utrinque ſubſcriptione comprobata, conſtat. Quod vero importuna quorumdam acerbitate ab ea poſtea diſceſſum ſit, id, repugnante Luthero et bonis omnibus, factum eſſe. Itaque ſi denuo, quod a Dei benignitate ſperandum ſit, conciliatio iniri queat, ne rurſus ab ea diſcedatur, magiſtratûs auctoritatem interponi debere. Proinde rogare Navarrum, ut in eam cogitationem ſerio incumbatur, ſicque illuſtriſſimi principes exiſtiment, latiſſimum quidem eſſe virtutis ac pietatis ſuae campum; uberiorem vero religionis et pietatis excolendae materiam ac ſegetem nullam eſſe quam in hoc negotio; et principum ipſorum, qui repurgatam a ſuperſtitionibus religionem ſectantur, maxime intereſſe, ut quo arctioribus religionis vinculis ſunt obligati, eo firmior inter eos amicitiae neceſſitudo ac nexus coaleſcat.] Cum

p. 596. p. 197. Chemnitium [*dele* ſummi nominis inter Proteſtanteis theologum] per

Ibid. Ibid. VIII [*dele* pacis ſtudioſis eccleſiae Gallicanae theologis] colloquium

597. 198. mathematicis [*dele* doctiſſimum] Melanchthonis

Ibid. Ibid. illi [*dele* pontificis ſeu tyrannide ſeu libidine] injuria

Ibid. Ibid. pervolare [*dele* potuerit. Monuiſſe quidem Imperii principes, ut ſibi a Romani pontificis aſtu et inſidiis caverent, et, ſi quid ille moliretur, communibus conſiliis ac ſubſidiis rem agerent, et pro ſalute ac dignitate Imperii adverſus illius fraudes vigilarent.] Cum

Ibid. 199. dederit. [*dele* Eorum autem haec ſumma erat, ut miſerum Chriſtiani orbis ſtatum deploraret, qui ob religionis diſſidium jam viginti totos annos periculoſiſſimis juxta et calamitoſiſſimis bellis concuſſus ſit, eo exitu, ut attritis utrinque viribus potentiſſimo ſimul et impotentiſſimo Turcorum tyranno ad internecionem Chriſtiani nominis via aperiatur. Hujus mali fontem ac fomitem non alium eſſe quam Romani pontificis ambitionem, qui, ut labantem auctoritatem ſuam quavis ratione fulciat, principum Chriſtianorum animos alioqui pacis cupidos contra Proteſtanteis accendit, eorumque ope conſcientiis laqueum injicere immani crudelitate meditatur. Cum enim in tranquillitate eccleſiarum multum ad Dei gloriam amplificandam praeſidii ac momenti eſſe videat, bellorum incendia in illos ſpargit, et regnorum everſiones flocci pendit, modo ſanguinarium illum animum ultione expleat, et eadem ruina tum in Germania tum in Gallia Proteſtantium eccleſias involvat. Porro quanta fuerit ſemper pontificum ambitio et inexhauſta dominandi cupiditas, quam incredibili adverſus imperatores odio illi flagraverint, teſtari diu-

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. IV.

turna bella tot ſaeculis in Italia et Germania geſta; quorum is finis fuit, ut Caeſares cenſurarum larvis exterriti, dum imperitae plebis animis praetextu religionis imponitur, poſtremo Italia pulſi ſint, et pontificia poteſtas longe lateque toto orbe propagata. Quid item in Gallia et Anglia moliti ſint, ut regna illa turpi obſequio ſibi beneficiaria redderent; qua denique conſtantia ac virtute reges Chriſtianiſſimi creſcenti illorum tyrannidi reſtiterint, ex annalium fide conſtare. Nunc erudito hoc ſaeculo detectis eorum praeſtigiis et ſuperſtitionis, quem ambitioni praetexunt, fuco, cum non jam de imperio, ſed de ſalute propria dimicent, haud mirum eſſe, ſi tot tragoedias per orbem Chriſtianum excitent, ut principum pacificorum animos ad arma contra ſuos vertenda religionis cauſa impellant. Hoc enim ipſorum ambitioni inſitum eſſe ut florentiſſima regna in extremum diſcrimen adducere minime vereantur, ne quid potentiae decedat, quam malis artibus quaeſitam pejoribus ſervare ſtudent. Ex hoc fonte manaſſe bella in Gallia et Belgio, et nuper in Germania in cauſa Colonienſi excitata. Proinde Navarrum Caeſaream majeſtatem, quantum poteſt, enixe rogare, ut de componendis tam perniciofis diſſidiis pro ſumma dignitate ſua cum ceteris Chriſtianis principibus in commune conſulat, et rejectis pontificum conſiliis pacis ineundae rationes amplectatur, permiſſa ſubditis ſuis verae ac rectae religionis profeſſione. Sic enim exiſtimare debere, animam, hominis nobiliſſimam partem et divinae aurae particulam, verae religionis luce illuſtratam nullis bellorum aerumnis premi, nullo fidicularum aut equuleorum metu aut cruciatu cogi poſſe ad ea in religione ſuſcipienda, quae vel a ratione vel a divini verbi norma aliena judicet. Nam neque pretio ullo aut tormentorum violentia veritatem erui, ſed amica ac benevola collatione aliqua, et ejuſmodi colloquiis ac ſynodis, qualeis vetus eccleſia pleraſque novit, noſtra aetas hactenus deſiderat. Quod ſi Caeſarea majeſtas fecerit, non ſolum gratiam de univerſo Chriſtiano orbe merebit, ſed Maximiliani Caeſaris optimi parentis veſtigiis inſiſtet, qui, cum ſubditis ſuis imperii initio religionis libertatem conceſſiſſet, Chriſtianiſſimo regi e Polonia redeunti auctor fuit, ut pacem in regno coleret, neque ſuis indicto ob eam cauſam bello regnum rurſus in exitiale periculum adduceret. Alterum mandatorum caput erat, ut legationem ob id inſtitutam oſtenderet, quo interea, dum concordia univerſis ſarciretur, controverſia inter Auguſtanae confeſſionis ſocios et Helveticas ac Gallicanas eccleſias in uno articulo diſſidenteis exorta amice componeretur. Id ſaepius tentaſſe ipſius parentem Maximilianum, atque inprimis in comitiis anno CIƆ IƆ LXVI celebratis; neque proinde id novum et inſolens videri debere. Quae omnia cum nihil habeant, quod non ad Imperii pacem ac tranquillitatem ſpectet, orare Caeſaream majeſtatem, ut quod a Navarro ea in parte actum eſt, id tanquam a principe ſinceri ac candidi pectoris pleno et pacis in eccleſia conſtituendae ac Imperii dignitatis ſtudioſo profectum aequi bonique conſulat.] His

p. 599. p. 200. reſponſo [*dele* a ſocietatis Jeſuiticae, ut putatur, ſodalibus artificioſe conficto,] quorundam

601. 203. diſciplinae [*dele* ſacrae] juxta

604. 206. Milius [*dele* theologus] paſtorum

in

Edit. Drouart. Fol. Tom. III.	Edit. Lond. Tom. IV.	
p. 604.	p. 206.	in [*dele* Evangelii] doctrina
605.	207.	obviam [*dele* pontificiorum tyrannidi, ut aiebant,] ſi
Ibid.	Ibid.	et [*dele* ſalutaria] Arauſionenſis
606.	208.	Utenhovius [*dele* homo doctus] et
607.	209.	Philippum [*dele* impium, tyrannum, alterum Roboamum, Achabum, Tarquinium Superbum, atque adeo Turcam] contumelioſe
610.	212.	venit, [*dele* ſeque Petri Guionii Veſontione nati, qui olim ob religionem morte in patria mulctatus fuerat, filium mentitus, et religionis repurgatae, ita de induſtria loquebatur, acerrimum ſtudium prae ſe ferens] in
Ibid.	Ibid.	inſinuavit, [*dele* et ut opinioni fidem aſtrueret, frequens concionibus et veſpertinis precibus intererat, pſalmos et novi teſtamenti libros ſemper manibus verſans.] In
Ibid.	213.	ſe [*dele* quod tenuis fortunae eſſet, ſpe opum inde parandarum] facinus
611.	Ibid.	eſt, [*dele* praeſtitiſſe inquiens, ut opificium aliquod manuarium didiciſſet, unde ſe in tenui fortuna aleret, neque per pragmaticam in magnatum amicitiam ſe inſinuaſſet, et lucri ſpe tantum facinus aggreſſus eſſet.] Poſtea
Ibid.	214.	ſe [*dele* impia ſcurrilitate] quaſi
Ibid.	Ibid.	admirati, [*pro* plures *ſcribe* Haeretici] deteſtati
Ibid.	Ibid.	indoluerunt [*dele* ejus prudentiam, conſtantiam, magnanimitatem, aequitatem, patientiam, ac moderationem, quae virtutes vix fortaſſe in ullo mortalium tantae ſimul fuerunt, neceſſariis temporibus experti.] Eique
Ibid.	Ibid.	cum [*dele* prudentiſſimo] rerum
612.	215.	mortuus. [*dele* Paulo ante in Anglia conjuratio contra reginam jam diu inita menſe Februario detecta fuit, delatione Edmondi Nuellii, qui Gulielmum Parrium cognatum ſuum conſpirationis auctorem accuſavit. Is Parrius obſcuro loco natus, ſed animo ſupra fortunam elatus, juris ſcientiae operam in pueritia dederat, et cum totum decennium in reginae familia fuiſſet, ante triennium, rixa cum Hugone Hara nobili viro ſuborta, ipſum intra domeſticos parietes interficere molitus fuerat; ob idque cum periclitaretur, voluntarium ſibi exilium indixerat. Itaque venia petita a regina in Galliam proximam primo venit, et Lutetiae majorum religioni initiatus eſt. Cum tamen videret ſe ceteris Anglis, qui in regno ob religionem exulabant, ſuſpectum eſſe, quaſi explorator a regina miſſus eſſet, Lugdunum tendit, ubi rurſus ob exterorum nimis frequentem concurſum cum ſe in multorum ſermones incurrere doleret, latebras quaerens Mediolanum divertit, et inde Venetias perrexit; familiarique in colloquio cum Benedicto Palmio Jeſuita cum miſerae Anglorum conditionis mentio incidiſſet, valde cupere ſe iniri rationem dixit, qua laborantibus in patria Catholicis ſubveniri poſſet, et Angliae regnum ad ſedis Romanae obedientiam reduceretur, deque ea cum illo egit; cumque Palmius ejus laudabile propoſitum multum multis verbis laudaſſet, et acceſſuram, quod Parrius ad conſcientiae ſuae ſecuritatem petebat, pontificis auctoritatem pollicitus eſſet, jam tum de motibus in patria contra reginam excitandis cogitare coepit; in eamque rem literas ad pontificem dat, et ſuam operam defert, literas tam ad exonerandam conſcientiam, quam ſalvi commeatus, quaſi Romam

Edit. Drouart. Edit. Lond.
Fol. Tom. III. Tom. IV.

Romam petiturus, ab eo petens; ſed cum eae ſerius adveniſſent, et ipſe interea Lutetiam reverſus eſſet, ut ſe magis in propoſito confirmaret, cum Gulielmo Alano magni nominis theologo Anglo agere voluit. Cum ille non adeſſet, Watti doctiſſimi Jeſuitae contraria ſententia victus paene a ſua priore diſceſſit. Is ſalva conſcientia contra publicam tranquillitatem principemve, ne religionis quidem in cauſa, quidquam novari poſſe pernegabat, idque multis e ſacra ſcriptura et patrum auctoritate petitis teſtimoniis confirmabat, ac complures e Jeſuitico etiam ſodalitio adſtipulatores habebat. Sed ſtatim mutavit, a Thoma Morgano nobili Anglo ob religionem apud nos exulante perſuaſus; et libri ab eo porrecti, qui reſponſionem ad ſcriptum de Juſtitia Anglicana in reginae defenſionem editum continebat, lectione confirmatus priorem ſententiam reſumpſit; et ubi de pontificis voluntate et gratia, theologorumque conſentiente ſententia ſibi conſtaret, paratum ſe rem aggredi profeſſus eſt, in idque fidele colloquium cum Hannibale Codreto Jeſuita petiit, et poſtea cum Vindocino et Jouſa cardinalibus rei ignaris in ipſo Jeſuitarum ſacello ſacrae Dominicae coenae participavit: qua de re literas, ut certiorem conſilii ſui et conſtantis ad patranda ea quae promiſerat voluntatis fidem pontifici faceret, a collegio petiit, et incluſas cum literis, quas ad pontificem ſcribebat, Jacobo Ragazonio pontificis apud regem oratori Romam mittendas dedit. Inde profectionem ejus Morganus urget, qui Ferneherſtum limitis Scotici regulum, qui tunc Lutetiae erat, inde ſtatim in Scotiam tranſmiſſurum, et, ubi de reginae morte cognoviſſet, cum XXX CIↃ popularium veteri religioni addictorum in limite, ut reginae Scotorum quanquam facti hujus ignarae praeſto eſſent, appariturum affirmabat. Itaque, non exſpectato pontificis reſponſo, in Angliam trajicit menſe Januario anni praecedentis; ubi quo ſe in familiaritatem reginae rurſus inſinuaret, et ex eo patrandi citra periculum facinoris commoditatem captaret, per proceres aditum ad eam ſibi parat; habere ſe res magni momenti, de quibus cum illa ageret, dictitans. Ita ad colloquium ſecretum admiſſus de conjuratione ab exulibus Anglis in Gallia ſe ſolicitatum, et, quod faciendum ipſe ſuſceperat, alios moliri dicit, ut illam e medio tollerent, et ea ſublata Scotorum reginam majorum religioni addictam in ſolio collocarent. Hac delatione ſimulata cum ſe tutum putaret, eo majore fiducia rem poſtea cum Edmondo Nuellio cognato ſuo ex occaſione communicat, quod eum majorum religioni addictum ſciebat. Itaque ejus aſſerendae rationem inire cum ſibi perſuaſum eſſe diceret, nihilominus conſilium tam atrox primo diſſimulavit, et de locis in regno occupandis externiſque copiis in Angliam introducendis verba ſparſit. Haec ante prandium inter eos acta; menſis remotis idem ſermo repetitur, et poſtremo, ſive incaleſcente Parrii pectore, ſive praemeditato ante conſilio ejus detegendi occaſionem quaereret, etiam de regina occidenda loqui coepit, quod non ſolum per ſe glorioſum, ſed ejus, qui tantum facinus patraſſet, meritum magni apud Deum momenti futurum multis verbis oſtendebat. Cum non tam reclamaret Nuellius, quam difficultatibus rei exequendae propoſitis moram injiceret, allatae ſunt a Ptolemaeo Gallio cardinali

Edit. Drouart. Fol. Tom III. Edit. Lond. Tom. IV.

dinali Novocomenſi literae, pridie Kalendas Februarias Romá ad Parrium ſcriptae, quibus ille nomine pontificis benedictionem Parrio impertiebatur, et eum, ut in laudabili propoſito perſeveraret, enixe hortabatur; id cum nutantem impuliſſet, tamen, exortis novis difficultatibus, cum rurſus haeſitaret, allatus eſt Durocortoro Remorum Gulielmi Alani liber, cujus lectione ad facinus patrandum omnino animum obfirmavit. Eo argumentis ſtudioſe collectis probabatur, reges ab eccleſiae communione ſeparari, deponi, et ad officium cogi poſſe; bella ſive externa ſive civilia religionis cauſa jure et legitime ſuſcipi. Quem librum et Nuellio legendum porrexit, ratus eoſdem illum in Nuellii animo, quam in ſuo, impetus et ultionis igniculos excitaturum. Verum longe aliter evenit: Nam eo magis conſilium deteſtatus Nuellius, cum vereretur, ne, ſi per alium detegeretur, ex conſcientia in criminis partem veniret, praevertendum cenſuit; et coram Roberto Dudleio Leiceſtriae comite, Henrico Hunſdono Warvici praefecto, Chriſtophoro Hattono viceecamerario, et Franciſco Walſingamo ab epiſtolis, ſe conjurationis indicem obtulit, quam et ſcripto complexus eſt, poſtquam Parrius in Londinenſem arcem conjectus fuit. Ibi interrogatus cum factum initio pernegaret, et quae colloquio cum regina habito dixerat tantum fateretur, Nuellius cum ipſo committitur; cujus praeſentia victus rem, ſicuti habebat, niſi quod Nuellium ut facti incentorem inculpabât, tandem confeſſus eſt; conventumque inter ſe et Nuellium dixit, ut reginam, dum in hortis aut ad Jacobi fanum ſeorſim a turba ſpatiaretur, aggrederentur, diſpoſitis haud hinc longe delectis, qui ad ſtrepitum accurrerent, et rem, etiam ſtipatoribus invitis, confectam darent; tum paratam navem ad fugam conſcenderent, et re confecta Catholicos paſſim ad libertatem toto regno vocarent. Poſtea literas ad reginam dat XVII Kal. Mart. petitque, ut deteſtando conſilio, quod ab minus aequo animo profectum ſit, ignoſcat. Paulo ante, cum S. Catharinae praefecturam ambiret, a regina repulſam tulerat, eamque rem maxime ad animum revocaverat. Id conſilii cum, accedente pontificis et theologorum auctoritate, fidei in Deum ardentis, charitatis ergà patriam, virtutis apud omneis aeternum monumentum futurum ſibi perſuaſiſſet, ſe cunctis conjurationibus hactenus initis participaſſe, praeterquam ei, quae de Agni Dei nomine vocata eſt. Poſtremo monet reginam, ut reginam Scotiae humaniter tractet, ceterum diligenter cuſtodiat, neque in rege Francorum religioſis peregrinationibus intento multum praeſidii ponat; ac proinde ſibi regnique tranquillitati caute conſulat. Quarto poſt die ad quoſdam e judicibus dat literas, et publicani in evangelio celebrati crimen ingenue fatentis, non Caini de ſalute deſperantis, vicem ſuſtinere ſe profeſſus, miſericordiam eorum implorat, et duo emendandae culpae ſuae propoſita dicit, poenam et gratiam: quorum alterum deprecatur, tanquam clementia ſereniſſimae reginae minus dignum, et exemplo ad poſteritatem periculoſum; quippe novum et hactenus inauditum in hoc regno, ut ex ea cauſa et tali fidejuſſore quiſquam quidquam tale erga principem ſuum in Anglia molitus ſit: alterum ut honorificum, ſic miſericordia tantae reginae digniſſimum eſſe. Quod ſi minus tu-

Edit. Drouart. Fol. Tom. III. | Edit. Lond. Tom. IV.

tum videatur, petere ſaltem, ut, antequam in ſe ſententia feratur, coram judicibus denuo audiatur. Tum ex indicio Gulielmus Critonius Scotus, profeſſione Jeſuita, qui diſſimulato habitu in Angliam venerat, comprehenſus, cum a Walſingamo interrogatus eſſet, an de conjuratione Parrius cum ipſo communicaſſet et ad exonerandam conſcientiam conſilium rogaſſet, ille initio rem inficiatus poſtridie per literas reſpondit, meminiſſe ſe ea de re Parrium aliquando ſecum egiſſe, cumque ad ea reſpondiſſet, omnino non licere, illum multis rationibus contra diſputaſſe; rem magno Catholicorum bono ceſſuram, et alioqui ad regni miſerabili ſervitute oppreſſi libertatem pertinere. Tum replicaſſe ſe, non facienda mala, ut inde eveniant bona; hoc inſuper addito, Deum magis adverbiis quam nominibus gaudere, et magis ei placere bene et legitime quam bonum et legitimum, ita ut nullum bonum liceat facere niſi bene et legitime. Qui aliter ſentiant, hac fere ratione niti, quod unius animae perditione multas animas ſervare expediat. Sed neque hoc ſine expreſſo Dei mandato aut certa divina inſpiratione tentari debere, et ita tunc ſe cenſuiſſe et nunc cenſere. Prolatae et in reum cardinalis Novocomenſis literae, de quibus dixi, Italice ſcriptae. Tum cauſa publice, more in Anglia recepto, agitata in Weſtmonaſterienſi curia coram Henrico Hunſdono, Franciſco Knolle, Jacobo Croſto, Chriſtophoro Hattono, Chriſtophoro Veraio juſtitiae Anglicanae principe, Gilberto Gerrardo, Edmundo Anderſono, Rogero Manlibodo, et Thoma Henage equitibus, cum Parrius longa oratione habita conjurationem ingenue fateretur, ceterum de regina interficienda conſilium iniviſſe pernegaret, ex literis et confeſſionibus tandem convictus ac perduellionis reus peractus eſt. Inde per fluvium in turrim reducitur, et VI Non. Mart. crati impoſitus ac per Londinenſem urbem traductus ad locum ſupplicii trahitur. Ibi, cum in priore denegatione perſeveraret, patibulo ſuſpenditur, moxque inciſo fune pudenda ſemianimi adhuc exſecta et cum viſceribus ventre aperto extractis in ignem ſubjectum conjecta. Poſtea caput praeciſum, et corpus in quatuor partes ſectum fuit. Hic exitus primae ad interficiendam reginam initae conjurationis fuit, cujus publica ultio incuſſo talia molituris terrore non tam profuit quam exemplo nocuit, aliis confertim eadem auſis, et ſacroſancta principum majeſtate per cenſuras ac proſcriptiones ad privatorum injurias et furorem ſemel expoſita.]

p. 617. | p. 221. | Pleſſio [*dele* viro raris ingenii dotibus praedito] literis

Ibid. | Ibid. | ambone [*dele* vanis] terroribus

621. | 226. | Leunclavius [*dele* vir doctiſſimus et juris Graeci Romanique peritiſſimus,] cui

Ibid. | Ibid. | occaſione [*dele* veram] annalium

Ibid. | Ibid. | hiſtoriae, [*dele* quam luculentis ſcriptis illuſtravit,] cognitionem

638. | 245. | immunitates [*dele* falſarum inquiſitionum,] cognitionum

639. | 246. | religionis, [*dele* cujus rationem coram aequis judicibus non ſuſpectis aut omnino adverſariis in liberis ac legitimis ſynodis reddere tenerentur.] Verum

Ibid. | Ibid. | ſtatuere, [*dele* quinimo Philippum ipſum Hiſpanienſi inquiſitioni et pontificis imperio tam arctis nodis obligatum eſſe,

Edit. Drouart. Fol. Tom. III.	Edit. Lond. Tom. IV.	
		eſſe, ut quod Itali multi principes et ipſe Judaeis permittit, id Chriſtianis ſuis ſubditis indulgere non poſſit,] via
p. 644.	p. 251.	hominum, [*dele* qui rem literariam ſummopere juverunt.] Prior
Ibid.	Ibid.	et [*dele* doctiſſimi] typographi

NOTATU dignum cenſemus, Indicem expurgatorium de novo fuiſſe compoſitum anno 1640, pro Catholicis *(ut praefert titulus)* Hiſpaniarum regnis Philippi IV regis Catholici; juſſu ac ſtudiis illuſtriſſimi ac reverendiſſimi D. D. Antonii a Sotomaior, ſupremi Praeſidis, ac in regnis Hiſp. Sicil. et Indiar. Generalis inquiſitoris, luculenter ac vigilantiſſime recognitum; de conſilio ſupremi ſenatus Inquiſitionis generalis: Madriti editum 1640, in folio. *Verum etſi tota jam Thuani Hiſtoria, libros centum et triginta octo complectens, anno* 1620, *deinde et anno* 1630, *Genevae typis vulgata eſſet; novus tamen hic index, qui anno* 1667 *iterum quoque impreſſus fuit, loca ſolummodo in priore indice Hiſpanienſi ſupra deſcripta, ex primis octoginta libris Drouartianae editionis in folio, neque alia aut plura, continet.*

II.

II.

DE

THUANI HISTORIAE

Succeſſu, quem in aula Gallica experta eſt.

Les deux Lettres ſuivantes, trouvées parmi nos Manuſcrits, ne ſe rapportent pas directement au ſujet que nous allons expoſer, ſçavoir, la maniere dont l'Hiſtoire de M. de Thou fut reçue à la Cour de France: cependant nous n'avons pas voulu les ſupprimer, mais avons jugé à propos de les placer icy, comme des preuves authentiques de l'eſtime & de la conſideration particuliere que le grand Henry IV *avoit pour nôtre Auteur, avant la publication de ſon Hiſtoire.*

Ex MS. *Lettre du Roy Henry* IV. *à Monſieur le Preſident de Thou.*

Monſieur le Preſident. J'ay receu tant de preuves de voſtre affection à mon ſervice, & en ay eu tant de contentement, que je ne veux differer plus long temps à vous teſmoigner le reſſentiment que j'en ay, & l'eſtime que je fais de vous, de voſtre capacité, integrité, & preud'hommie, qui ſont des parties ſi recommandables en ce temps meſmement corrompu par la malice des ſiecles paſſez. Que deſirant d'oreſenavant le faire reconnoiſtre à tout le monde, comme je le reconnois, & pour cette occaſion vous approcher de moy & me ſervir de vous en mes plus importantes affaires, je vous ay fait expedier un Brevet de Conſeiller en mon Conſeil d'Eſtat & Finances, que je vous envoye; d'autant que je veux & entends qu'à l'avenir vous vous trouviez & aſſiſtiez en tous mes Conſeils, où je me promets que je ne ſeray ſervy de vous avec moindre fidelité & affection que je l'ay tousjours eſté juſques icy, & que j'en eſpere la continuation, comme vous vous devez attendre de moy tous les teſmoignages d'un bon maiſtre & qui vous aime, comme les effets le vous feront reconnoiſtre. Je vous ay cy-devant eſcrit pour retirer des mains du neveu du feu S[r] Abbé de Bellebranche la [1] Librairie de la feuë Reyne mere du Roy Monſeigneur, ce que je vous prie & commande encore un coup de faire, ſi ja ne l'avez fait; comme choſe que je deſire & affectionne & veux, afin que rien ne s'en eſgare, & que vous la faſſiez mettre avec la mienne. Adieu, Monſieur le Preſident. Ce 4 Novembre, à Monceaux 1598.

HENRY.

Ex MS. *Lettre du Roy Henry* IV. *à Monſieur le Preſident de Thou.*

Monſieur le Preſident. Avant que vous m'euſſiez eſcrit, ny que perſonne du monde m'euſt parlé pour vous, ſi toſt que j'eus nouvelles de la mort de l'Eveſque de Chartres voſtre oncle, je me ſouvins de la reſerve que je vous avois accordée de l'Abbaye de Bellefontaine par ſa mort. Ce ſont là des teſmoignages de la memoire que j'ay de vos ſervices; comme auſſi le Brevet que je vous ay envoyé pour eſtre de mon Conſeil ordinaire, ſur l'aſſeurance que j'ay tousjours euë de voſtre fidelité & affection; laquelle ſera que l'occaſion s'offrant encore de la reconnoiſtre à l'a-

NOT. [1] Vide Lib. i. Comment. de Vita Thuani, p. 17. hujuſce Edit.

à l'avenir, vous m'y trouverez auſſi diſpoſé que de bon cœur je prie Dieu qu'il vous ait, Monſieur le Preſident, en ſa garde. Ce 10 Novembre, à Monceaux [1].

HENRY.

Ex Pet. Burmanni Sylloge Epiſtolarum à Viris illuſtribus Scriptarum. *Leidæ* 1727, 4to. *Tom.* I. *pag.* 379.

Is. CASAUBONUS J. LIPSIO.

THUANI τοῦ πάνυ hiſtoria pauciſſimis exemplis edita fuit, non tam ut publicaretur, quam ut regi offerretur, voluntate illius caſura aut ſtatura, neque enim ambitione impulſus vir ſummus ad eam ſcriptionem acceſſit. Itaque velut periculi faciendi cauſa, edi ſuis ſumptibus pauca exemplaria curavit. Nunc cum Rex magnus patrocinium ſuum illi prolixe detulit, praelo iterum ſubjecta eſt a typographis, quae editio ubi fuerit abſoluta, ſtatim ad te mittetur: quod ut tibi ſignificarem egit mecum Thuanus. Puto inaudiviſſe te aliquid de ſermonibus multorum ad primum libri illius conſpectum. Et dubitamus adhuc μισαληθείᾳ laborare hoc ſeculum, ſi unquam ullum aliud? Atqui illorum querelae potiſſimum ſunt auditae, qui in religionis negotio idem cum ipſo ſentiunt. Indignum ſit relatu, quo proceſſerit quorundam furor: quanquam nemo ita fuit impudens, qui palam γογγύζειν auderet. Lut. Pariſ. xii Kal. Apr. 1604.

Ex MS. *Extrait d'une Lettre du Roy à Monſieur de Bethune ſon Ambaſſadeur à Rome du* 4 *May* 1604.

QUAND le Nonce m'a parlé & fait plainte du livre du Preſident de Thou, il a cogneu le deplaiſir que j'en ay receu, & comme j'ay commandé le cours & la vente d'iceluy, qui a eſté faite.

Extrait d'une Lettre de M. J. Gillot à M. Joſ. de la Scala, de Paris le 30 *Mars* [2]. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck* 1624, *in* 8vo. *pag.* 420.

MONSIEUR le Preſident de Thou a eu de grands aſſaults pour ſon livre. Tantoſt l'on le vouloit deſendre tout à faict, tantoſt cenſurer, tantoſt reformer; les Grands offenſez de la liberté & peut-eſtre de la verité. Le Roy a voulu que l'on luy en aye tourné la Preface ou l'Epiſtre, qui s'addreſſe à luy. *Tandem quieſcit*, & me ſemble un peu en repos. Et de faict, on le r'imprime en autre marge: car il n'y en a plus des premiers.

Extrait d'une Lettre de M. Vertunien à M. Joſ. de la Scala, de Poictiers le 14 *Juin* 1604. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck* 1624, in 8vo. *pag.* 355.

MONSIEUR le Threſorier Saincte Marthe me compta ces derniers jours, que le Roy avoit pris un ſingulier plaiſir au ſubject de l'Epiſtre dedicatoire de l'Hiſtoire de France de Monſieur de Thou, & luy avoit commandé la faire traduire en François & puis l'imprimer: ce qui a eſté ja faict par le fils de deffunct Hottoman Juriſconſulte.

Extrait

NOT. [1] Sans date d'année: mais Nicolas de Thou evêque de Chartres mourut en 1598.

[2] Sans date d'année.

Extrait d'une Lettre de M. Pierre Du Puy, à M. Joſ. de la Scala, de Paris le 19 *Novemb.* 1604, *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck* 1624, in 8vo. *pag.* 160.

Monsieur le Preſident de Thou outre les XIIX. livres de ſon Hiſtoire, a baillé à l'imprimeur huict livres qui ſuivent. Je voudrois qu'il luy euſt prins envie de nous donner le reſte qu'il a faict juſques à l'année M. D. XCVII. ou plus. Il m'a dict qu'il n'en ſera plus que juſques à la naiſſance de Monſeigneur le Dauphin, qui eſt en l'an M. D C. C'eſt un œuvre, à ce que j'ay ouy dire, qui eſt admirable; & toutesfois il ne manque d'avoir icy beaucoup de meſdiſances & calomnies, tant de la part des Jeſuites que d'autres telles ſortes de gens qui ne meritent pas le lire, moins de le voir, & moins encores d'en oſer parler. Il mẽ monſtra, il y a peu de jours, une inſigne meſdiſance. Il dict donc au commencement du livre III. que Henry Roy d'Angleterre ſe declara chef de ſon Egliſe, *& Epiſcopos*, inquit, *ferè bonos & doctos ordinavit*. Les Jeſuites & aultres telles gens n'ont pas trouvé cela bon. Or il a trouvé dans Sanderus qui a eſcrit *de Statu Eccleſiae Anglicae*, le dict livre eſt imprimé à Rome, lors qu'il parle de ces Eveſques, il les appelle *minimè malos*. Vous voyez donc, Monſieur, en quelle peine ſont ceux qui veulent maintenant eſcrire: car ſi l'on n'eſcrit à leur gré & ſelon leur volonté, l'on oit incontinent cenſure, & eſpluche de ſi prés qu'ils prennent garde juſques aux mots.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. le Comte de Beaumont Ambaſſadeur en Angleterre.*

Monsieur. Vous recevrez celle-cy par les mains de Monſieur de Ste Marthe, fils de M^r^ le Lieutenant General de Poictou, & nepveu de Monſieur de Ste Marthe que cognoiſſez, & duquel les vertus & erudition ſont cogneues de tous ceux qui ayment la vertu & les Lettres. Il a deſiré ceſte addreſſe & ceſte recommandation de moy, s'en allant par delà avec un [1] bon homme qui repaſſe aprés cinquante ans la mer, pour aller ſaluer le fils de ſa bonne Maiſtreſſe. Vous les aurez, s'il vous plaiſt, tous deux pour recommandez. Je vous envoyeray bientoſt ſix exemplaires de mon Hiſtoire reimprimée, pour en uſer & les diſtribuer ainſy que verrez eſtre à faire. Je ne deſire plus que ce ſoit en mon nom, & que l'on croye que je l'aye faict reimprimer; comme la verité eſt que ce n'eſt moy ny à ma pourſuite que cela ſe faict, ains pour empeſcher que les Allemans, qui impriment tout, n'entreprinſſent de la reimprimer. Les moleſties que j'en ay receu, & le peu de gré que l'on m'en ſçait, me ſont aiſément perdre toute l'envie que j'aurois d'advancer un œuvre pour le ſubject utile au public, & auquel par ma fidelité & diligence je pouvois apporter quelque choſe. Mais j'ay cogneu à mes deſpens, que le loyer de ceux qui embraſſent la verité eſt la haine des Grands, qui veulent par tout eſtre flattez; tellement que ſi aprés les avoir louez où ils ont merité, l'on vient à les deſcouvrir & ſurprendre en quelque faulte, comme il ne peut arriver que ceux qui ſont expoſez à la veue de tout le monde & employez aux charges publiques ne chancellent quelques fois, ils s'aigriſſent & mettent en oubly tout le reſte; & en arrive ce que dit le proverbe, que pour un verre caſſé l'on perd dix ans de bon ſervice. Contre tout cela je me conſole en ma conſcience, & eſpere de la poſterité, en deſpit de l'envie, ce que la malignité de ce ſiecle me denie. Cela me gardera de plus rien haſarder au public, juſques à ce que je me voye aſſeuré de garand. Mais aſſez pour ce ſubject. Voſtre paix appreſte icy à diſcourir, & aurez ſceu que l'on a deliberé ſi l'on uſeroit de l'occaſion. Celuy qui peult le plus y pouſſe tant qu'il peut, & avec de puiſſantes raiſons: mais l'amour de l'aiſe, & ceux que cognoiſſez qui ont attaché noſtre ſeureté delà les Monts, ſçavent ſi dextrement manier & meſnager ceſte inclination, qu'ils nous feront enfin perdre l'occaſion. Dieu veuille que le mal que par ce moyen ſe pouſſe-

NOT. [1] Blackwood.

Pouſſeroit au dehors, ne rentre au dedans, & excite une plus pernicieuſe guerre que celle que nous monſtrons tant craindre.

A Paris ce 3 Septembre 1604. Voſtre &c.
JACQUES AUGUSTE DE THOU.

Ex MS. *Extrait d'une Lettre de M. de Villeroy à M. de Bethune Ambaſſadeur à Rome du 5 May 1605.*

JE croy que M. le Preſident de Thou eſt marri d'avoir publié ſon livre, & qu'il ne s'y engageroit ſi avant s'il eſtoit à recommencer: mais il faut manier ce fait doucement pour y apporter quelque remede, qui ne peut eſtre autre, à mon avis, que d'en empeſcher la reimpreſſion; car pour l'amender & corriger, il faudroit changer une grande partie d'iceluy; choſe difficile de faire. Je luy en ay parlé par le commandement de ſa Majeſté. Il m'a aſſuré qu'il ſera le premier à tenir la main qu'il ſoit enſeveli, & qu'il ne s'en parle plus; non qu'il eſtime avoir failli à l'Hiſtoire, ne qu'il ſe veuille deſdire de ſes opinions en ce qui concerne la Religion; mais parce qu'il ne veut faire choſe qui deſagrée à ſa Majeſté, & porte prejudice à ſon ſervice.

J. A. Thuani Epiſtola ad V. Cl. Petrum Janinum, tirée du Recueil de Pieces Hiſtoriques & curieuſes, *imprimé à Delft en 2 Vol.* 12°. *1717.*

Jacobus Auguſtus Thuanus V. C. P. Janino S. D.

CUM me domi nuper poſt repulſam meam pro ea quae nobis intercedit amicitia et muneris conjunctione humaniſſime viſeres, injecto a te de ipſa repulſa ſermone ſtatim occupavi, et rem antea toties inter nos fruſtra agitatam nunc abſque ulla retractationis ſpe ſemel tranſactam ſilentio tegendam exiſtimavi. Cum tu nihilominus pergeres, ego qui ad primam rei mentionem commotior fueram, impetum repreſſi, et ad audiendum imperata patientia me compoſui. Itaque poſt multa verba ultro citroque inter ambulandum commutata ſic diſceſſiſti, ut et me hortatibus tuis placatiorem redditum, et ad priſtinum vitae genus redire paratum arbitrareris. Quippe hoc ipſe mihi una cum patientia imperaveram, ut nullum reſponſione mea commoti animi, vel gravius in quenquam adfecti ſignum darem. Neque ſane is erat diſceptandi aut altercandi locus, praeſertim tam recenti dolore, quem ad rationem exigere, et re prius cum amicis et familiaribus mature communicata mitigare cupiebam, quam de rebus meis et vitae in futurum genere eligendo quidquam certi apud me ſtatuerem. Igitur ſic habe; me adhuc ambigere quid in poſterum ſim facturus: an intermiſſum in ſenatu et in aula munus repetere, an, quo magis inclinat ab omni ambitu et fumis aulicis abhorrens animus, publico abſtinere omnino et vitam privatam ſectari debeam. Cum vero his Feriis Paſchalibus praeter morem meum, [a] ad vitandos in hoc caſu importunos hominum occurſus rus conceſſiſſem, a turbis procul poſitus, et defixa in pietatis ſtudiis, quae menti commotae tranquillitatem conciliant, cogitatione, prius invocata, ſicut in omnibus fieri debet, propitii Numinis gratia, coepi apud me perpendere quid in hac deliberatione conſilii mihi capiendum eſſet, ne juſto plus dolori quam par ſit dediſſe, vel dignitate mea et vitae ante actae innocentia indignum quid feciſſe exiſtimarer. Itaque ut momenta cauſae et argumenta in mentem venerunt, quaſi tecum in arcano colloquerer, ita ea nullo ordine in ſcriptum conjeci, et ad te tanquam aequum judicem, et unicum querimoniarum mearum arbitrum protinus miſi, ut pro candore tuo ac prudentia decerneres, quid viro bono et generoſo in hac occaſione faciendum cenſeas. Injuriam mihi privatim, ſed majorem Reip. factam doleo; ex eoque graviorem cepi dolorem. Quippe qui ſic animatus ad Remp. acceſſerim, ut ejus damna ac vulnera acriore ſenſu ſemper proſequerer, quam rerum mearum jacturam; quas, qui me norunt, ſciunt fere negligere, tam ab avaritia

VAR. LECT. Ex MS. [a] qui eas in urbe tranſigere ſemper antea conſueveram, ad

ritia quam ab ambitione longe poſitum. Proinde meam injuriam, non tam mei privatim, quam reipublicae ratione expendi cupio; a qua ſi ſeparari poteſt, quin mihi ſilentium in poſterum imponatur, non ultra pugnabo. A me incipiam. Ego patre et avo patritiis ortus, nam ſuperiora familiae decora praetermitto, etiam majores maternos primariis togae dignitatibus ornatos habui. Sic autem a patre inſtitutus ſum, ut praecipuam regni cauſam ſemper habuerim. Eo animo cum primum magiſtratum capeſſivi, in procerum amicitiam, qui mecum idem ſentiebant, me inſinuavi, et officia omnia quae privatim ac publice prodeſſent ſedulo exercui; dein, augeſcente cum annis dignitate, in regum ipſorum notitiam veni, et qui me adverſis temporibus, inque ſingulorum calamitatibus impigre geſſeram, pervadente ad omneis publica tempeſtate fidem meam etiam Henrico III approbavi, qui Pariſienſi motu urbe pulſus me cum paucis ſecum duxit, ac prius in Neuſtriam primariam regni provinciam cum mandatis ad ſingulos praefectos et civitatum [α] magiſtratum miſſum, rebus utcunque compoſitis, in ſacrum conſiſtorium allegit, ab eoque tempore opera noſtra uti voluit. Et cum ardeſcente vehementius bello Gaſp. Schombergium Nantolii comitem, virum regii nominis[β], ut noſti, ſtudioſiſſimum, ad auxiliarem exercitum in Germania conducendum legaret, me quoque cum illo, quicum jam arcta neceſſitudine conjunctus eram, miſit, ut milite ſcribendo et rebus ad profectionem ordinandis intento Schombergio, Caeſarem ac reliquos Imperii principes adirem, et negotiorum in dies impendentium mole ſtrenuum belli ducem levarem. In ea expeditione cum Florentiam ad rem pecuniariam expediendam Schombergius excurriſſet, me triſtiſſimus de regis caede nuncius Venetiis oppreſſit, ibique cum illuſtriſſimo cardinali Joüſa, qui manente contra Henricum interdicto Romam reliquerat, et amiciſſimo mihi Arnoldo Oſſato, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus fuit, per aliquot dies ſubſtiti. Demum, pergente in Germaniam Schombergio, ad Helvetios profectus ſum, et Soloturni apud Nicolaum Brulartum Sillerium oratorem regium, qui nunc ſolſtitium honorum, ut Budaeus noſter loquitur, attigit, aliquot item dierum moram feci. Inde [γ] in Galliam cum aliquot Helvetiorum tribunis reverſus, regem novum poſt capta Lutetiae ſuburbia Caſtelloduni conveni, et rerum Italiae ac Germaniae poſt recentem motum ſtatu expoſito, ſemper in ejus caſtris toto quinquennio manſi, niſi ſi quando in Turones, [δ] ibi tunc ſenatus habebatur, aut alias regni provincias negotiorum cauſa juſſus ſum excurrere. Demum, poſt inaugurationem, more majorum, Autrici Carnutum a Nicolao Thuano patruo meo civitatis epiſcopo celebratam, ac Lutetiam mox receptam, laribus et bibliothecae meae redditus ſatis magnum operae pretium feciſſe mihi videbar, quod, integra conſcientia ac fide regi ſervata, pacis beneficio cum ceteris omnibus, qui ab ea tantopere abhorrentes bellum contra patriam geſſerant, frui poſſem, ratus fore, ut rex caſtrenſis illius quinquennii, quo ab ejus latere nunquam diſceſſeram, memor mei rationem aliquando haberet. Tunc enim in ſumma rerum omnium anguſtia verſabar; quippe qui re omni per bella ſpoliatus, totum illud tempus ſumptu meo, ſine ullo ſtipendio aut honorario exegiſſem. Et rex ipſe vulgo dicere ſolebat [ε] me longe diverſa ab ceteris mente eſſe, qui poſt continuam rerum mearum jacturam nullum verbum facerem, cum alii ex calamitate publica quotidie lucrum facientes de damnis ſuis aſſidue quererentur. Quod in ſpeciem utique honorificum erat; verum illud mihi elogium pro ſperato ſtipendio, proque omni praeteritorum laborum praemio fuit, mutato cum fortuna regis animo; periculoque meo expertus ſum, fluxam principum gratiam eſſe, [ζ] neque eos quidquam libentius facere, quam ut in proſperis praeteritorum obliviſcantur, et eorum commemorationem ab iis qui comites fuerunt factam, pro exprobratione accipiant. Sed, quorſum haec? dices. Ut intelligas mala mea ſorte effectum, ut iis fidam operam calamitoſiſſimis temporibus navaverim, qui in proſperis tam malam gr. t.am rependerunt. Ita altum toto biennio ſilentium de me fuit; quouſque noſt.at :s Pro-

Teſtantes

VAR. LECT. [α] magiſtratus [β] et amplitudinis, [γ] petito ab eo commeatu [δ] ubi
[ε] me contrarium cunctis fere facere, qui poſt [ζ] nihilque illos libentius

teſtantes per ſuperiora edicta illuſum ſibi fuiſſe queſti ſunt, libello regi, cum caſtris ad Faram Veromanduorum ad Eſiam poſitis haereret, intempeſtive porrecto. Quorum querimoniis ut mature obviam iretur delectus ſum a rege, qui ad eos cum plenis mandatis proficiſcerer. Initio me excuſaveram, ſcit hoc D. Villaregius, animo jam tum providens quantum inde mihi invidiae ab [a] malevolis olim conflaretur. Sed me cum Schombergio ad res Armoricanas componendas miſſo, cum delegati interea inſtigatu meo fuiſſent Mericus Vicus et Sofredus Calignonus, poſtremo novis mandatis a rege allatis [b], totum biennium in eo negotio tractando effluxit, quod ut et quadriennium antea proxime elapſum hiſtoriae ſcribendae impendimus, de qua, quando primum mentio ejus incidit, et inter criminationes tanquam praecipua repulſae noſtrae cauſa objicitur, pretium videtur ut aliquid dicam. Cum me non mihi, ſed patriae et amicis natum et ſcirem et gauderem, ſummaque delectatione in legendis hiſtoriis afficerer, quippe qui ita ſentirem, non tantum praeceptis, ſed etiam exemplis vitam regi et ad felicitatem inſtrui, rem mihi honorificam, nec reipublicae inutilem facturum exiſtimavi, ſi noſtri res aevi aliquando ſcriptis mandarem, ducto initio ab eo tempore in quo P. Jovius luculentus [c] ſcriptor deſiit. In ea cogitatione jam a puero defixus, poſtea in peregrinationibus, foro, legationibus, pacis bellique negotiis explicandis in id unum laboravi, ut omnia ad eam rem neceſſaria per otium proviſa haberem. Hiſtorias omneis editas undique conquiſivi, non editas deſcribi mihi curavi, commentarios ſingulorum belli ducum, legationum acta, et eorum qui regi ab epiſtolis erant ſcrinia evolvi. Tum ex colloquiis familiaribus virorum illuſtrium qui ante me in regno floruerunt, magnam mihi rerum notitiam comparavi, et ad ipſorum judicium ac fidem res ſtudiorum aeſtu in contrarium per libellos et rumores jactatas expendi. In iis, honoris cauſa, nominare poſſum virtute et rerum agendarum peritia praeſtantes Paulum Foxium Carmanium, Vidum Fabrum Pibracium, Philippum Huraltum Chevernium ſororium meum, et Gaſparem ipſum Schombergium. His rebus inſtructus, ardente adhuc civili bello, hiſtoriam ſcribere aggreſſus ſum; in qua me ſumma fide et incorrupta, procul amore et odio verſatum fuiſſe, nihilque aliud ante oculos propoſitum habuiſſe, quam Dei gloriam et publicam utilitatem, teſtor ipſum Deum qui mihi vires et ingenium ad rem tam ſpiſſae molis abſolvendam inter has turbas et occupationes dedit. Stylo, dicendi facultate, lumine orationis, ſententiarum gravitate, ut me multis inferiorem non inficior, ita nemini eorum, qui ante me in eo genere ſcripſerunt, fide ac diligentia conceſſerim: [d] ejuſque rei arbitrium penes te et poſteritatem eſto. Jamque in opere multum progreſſus eram, cum ad me ex Germania reſcriptum eſt, extare primae partis exemplum, quod, ni praeverterem, injuſſu meo propediem ederetur. Quod curioſitate amanuenſis Germani acciderat, qui cum meas ſchedas deſcriberet, illud ſibi clam deſcriptum in Germaniam ſecum abſportaverat.

Id cum mihi ſumme cavendum putarem, per amicos ut exemplum reciperem ante omnia curavi, ſed eo tempore quo jam ſemel iterumve a curioſis item deſcriptum illud fuiſſe vero ſimile fiebat. Itaque, nec ea cautione metu liberatus, tandem ipſe ſerio de editione coactus ſum cogitare, nomenque meum, quod, ſi licuiſſet, ſuppreſſum cupiebam, non ambitioſe apponi paſſus ſum, maluique gratiae in aula, fortunarum domi et exiſtimationis foris periculum facere, quam committere ut quod ad publicam utilitatem et conſervandam rerum memoriam tanta cura ſcripſeram, praepoſtera ulla prudentia fidem apud eos qui nunc ſunt et poſt erunt amitteret. Rem minime invidia cariturum haud ignorabam. Sed vicit fidem eventus. Nam publicata prima parte, immane quam commoti ſunt plerique ſive invidi, ſive factioſi, qui mox proceres quoſdam, qui per ſe in talibus rebus nihil vident, per calumnias artificioſe confictas, ut ſcis, in me concitaverunt, remque e veſtigio Romam detulerunt, et auctore maligne exagitato, facile pervicerunt, ut moroſi illi cenſores, omnia mea ſiniſtre interpretarentur, et praejudicio perſonae opus integrum, cujus [e] et tertiam quidem partem legerant, praecipitato ordine

VAR. LECT. [a] invidis ac [b] et Schombergius et ego cum iis juſſi ſumus agere, totumque biennium rurſus in [c] hiſtoriarum [d] cujus rei [e] ne

ordine damnarent. Quod animoſe factum inſtigatu novitiorum theologorum, qui hodie ſibi rerum omnium arbitrium ſumunt, et in hac ipſa dignitate adipiſcenda, quae jam tum communi bonorum voto mihi deſtinabatur, id olim objectum iri ſibi perſuadebant. Rex cauſam meam initio quidem tuebatur, quamdiu proceres in aula infeſtos habui. Sed, mitigata cum tempore invidia, paulatim ipſe eorundem aſtu infractus eſt, cognitoque Romae per emiſſarios labare regem, poſt Oſſati et Seraſini cardinalium mihi amiciſſimorum obitum, et illuſtriſſimi Perronii ex urbe diſceſſum, ictus poſtremo in me directus eſt, qui facile vitari potuit, ſi qui circa regem erant tantae injuriae ſenſum ad ſe ac regni dignitatem pertinere vel minima ſignificatione prae ſe tuliſſent. Et quanquam in aula factionibus ſciſſa nihil certi praeſidii viderem, tamen quia, cum Romae cenſuram primo minabantur, Caſtronovio reſcripſerat D. Villaregius ſe ad Seraſinum, qui adhuc in vivis erat, nomine regis ſcripturum diligenter et rem commendaturum, idque Caſtronovius mihi adſirmaſſet, rem in tuto collocatam pro tempore exiſtimabam. Sed neque id Villaregius fecit; et cum paulo poſt Sillerius voces importunas ea de re coram rege jactatas juſſu regis mihi retuliſſet, neque pro me quidquam ſe dixiſſe oſtenderet, deſideravi in eo amici [α] mei hactenus crediti officium. Et cum de fato meo ſeculique ingratitudine ſtomachoſe conqueſtus eſſem, haec ad extremum verba indignabundo propiora juſtus dolor a me expreſſit, mihi ob tale factum honorificam inter Hiſpanos, ſi in ipſorum ditione natus eſſem, conſtituram fuiſſe gratiam, quae [β] apud Gallos negabatur: miratuſque ſum tanti viri ſive faſtidium ſive cautiorem prudentiam. Nam faſtidii ſummi fuit, cum ei librum paſſim tunc exagitatum dediſſem, non legiſſe ſaltem praefationem; quam ſi legiſſet, habebat ille quod pro me reſponderet: Si vero legit, cum non reſponderit, nimis prudenter fecit, qui amici periculum in publica cauſa auctoritate ſua non defenderit. Ita in aula omni ope deſtitutus facile Romae oppreſſus ſum; ubi haec duo tela ſimul in me ab emiſſariis conjecta ſunt, edicti videlicet in Proteſtantium gratiam facti procuratum negotium, et uſurpata in propugnandis regni juribus ac ſcribenda hiſtoria libertas coelo Romano hodie non ferenda, quae cenſuram illam in me decretam poſtremo maturaverunt. Neque tamen interea regina deſtitit opera mea uti, et dignitatis adipiſcendae, cum id Harlaeus revocata perhonorifice parentis mei feliciſſima memoria urgeret, ſpem fecit: multotieſque per quaeſtorem ſuum, qui clam inter nos commeabat, nam palam ob ſuſpicacem regis animum non licebat, mihi confirmavit; cum nihil aliud ad tam obviam benevolentiam reſponderem, quam ut ipſa me commendatum haberet, et ea in re, quod [γ] re ſua ac publica eſſet pro prudentia ſua ſtatueret. Idem ſaepius per Bullionium ducem et comitiſſam Saltuenſem, alioſque quos longum eſſet memorare repetitum. Et cum emiſſarii illi me, nec non Harlaeum ipſum, apud regem criminarentur, quid ageretur me diligenter monendum curavit, et ipſa per D. Gevreum illis poſtremo ſilentium imperavit, id ſibi diſplicere ſignificans, atque etiam interminata, ſi [δ] pergerent. Inter haec mors regis incidit, prodigio propior; ad quod conſternati, ut par erat, cuncti in ſenatu, non tamen in ea regente declaranda, quod id ſalus publica ac praeſens rerum neceſſitas a munere noſtro repoſcere videretur, nos deſeruimus; magnaque concordia ac conſtantia ſententiam diximus, in eaque dicenda ego et Harlaeus ceteris alacritate, quae in tali re eſſe poterat, praeivimus. Quatriduo poſt, cum ad ipſam ſalutandam pro officio iviſſem, prolixa cum benevolentiae ſignificatione dimiſſus ſum. Ego vero, qui non tam eam dignitatem ambirem, quam ea me dignum reddere et reginae fidem induſtriamque meam approbare cuperem, ulterius urgere deſtiti, rem totam ipſius arbitrio relinquens, et judicium ejus honorificum pro tam laborioſi muneris ſolatio ac praemio, atque adeo pro beneficio, expectans. Sed eundem in regina animum, quem prius a rege, mox expertus ſum. Quid enim eam mutaverit, aut qua de cauſa mutaverit, id vero nunc quaeritur. Amicitia mihi principis Condaei objecta eſt, et quod mihi pertinaciter in hoc negotio ſuffragatus fuit. Miſeram meam conditionem, cui amici

VAR. LECT. [α] mihi [β] Gallo apud [γ] in ea re quod [δ] pergerent, fore ut rem non mecum, ſed cum ipſa regina ſibi eſſe experirentur.

mici pariter et inimici in hac petitione nocuerunt! Atqui haec amicitia bono regni conciliata eſt, et crevit cum pace publica, nullumque alium finem habuit quam ipſius publicae rei ſalutem. Henricus IV in ipſo victoriarum curſu poſt receptam Lutetiam adhuc quaſi coelebs et nondum de nuptiis, qualeis boni optabant, ſerio cogitans, cum ad firmandum imperium munimentis domeſticis egeret, Schombergius, me inſtigante et Claudio Tremollio Condaei avunculo, auctor ei fuit, ut Condaeum tunc puerum ſeptennem, qui ad Joannis Angeriaci fanum in Santonibus, ubi parens ejus deceſſerat, cum matre erat, honorifice accerſeret, eumque ob aetatem ſibi minime ſuſpectum populis, ſi ſe ſine liberis obire contingeret, quaſi legitimum regni heredem oſtenderet. Miſſus eo conſilio poſt felicem in Sequanis ſucceſſum Jo. Vivonus Piſanii marchio, vir dignitate ac virtute praecipuus, qui Condaeum e manibus Proteſtantium, apud quos educabatur, receptum in aulam adduceret. Is et moderator ejus pueritiae appoſitus, et praeceptor ei commendatione noſtra datus Nic. Faber, vir et vitae innocentia et pietatis ac litterarum ſtudiis cum paucis comparandus. Poſtea Condaeus novis [a] ſubinde honoribus a rege cumulatus, ut de ejus dignitate ac ſtatu nemo poſſet ambigere. Haec regni bono qui procuravit, ſi ex eo ſibi Condaeum devinxit, et ille gratiam ſe debere exiſtimat, an propterea ſuſpectus eſſe debuit? Quid, quod ultima officia, quae amicitiam his initiis captam in majus auxerunt, conſcientiam ipſius reginae obligatam habent? Verum haec arcana non efferri, cum non tam mea, quam reginae, hoc rerum ſtatu interſit, his amplius explicandis ſuperſedebo. Tantum teſtem appellabo reginam, nihil me toto illo ſecreti tempore feciſſe, quod non ipſa mandante aut conſcia ſit factum. Poſtquam ex Belgio in regnum rediit Condaeus, quid non feci ut eum reginae conciliarem, et ad omnia pro regni ſalute dictis audientem efficerem? Id omnes ſciunt, nec ipſa ignorat. Nulla interim noſtri, nulla promiſſae dignitatis facta mentio: quippe cum nollem res meas cum Condaei expoſtulationibus miſceri, multumque ac diu pugnavi ne ille inter petitiones ſuas hanc mei cauſa adjiceret; quod ille nihilominus ad extremum fecit. Cum vero tandem Condaei cum regina negotium interventu meo compoſitum fuit, nullam mei mentionem fieri [b] paſſus ſum: reginam eo aequius de mea modeſtia exiſtimaturam ratus, quod ita palam teſtatum faciebam, me beneficium, quod inter perplexas illius negotii conditiones [c] extorqueri poterat, ab ipſius mera gratia expectare maluiſſe. Verum hodie, ut video, rara modeſtiae ac fidei gratia, tantumque mentiendi et fallendi egregii artifices in pretio habentur, et quo quiſque impudentior et improbior, eo in aula validior: ut mihi de ſeceſſu cogitanti ſaepius Aquinatis illud in mentem veniat: *Quid faciam Romae? mentiri neſcio.* [d] Tranſacto itaque Condaei negotio, quod unum conſilia eorum qui circa reginam erant et ſerias de republica conſultationes remorari dicebatur, pro tanti beneficii, quod mihi debebatur, gratia, maleficium ſtatim repenſum eſt. Nam cum reginae inſigni conſtaret experimento, me majorem dignitatis ejus ac tranquillitatis publicae, quam Condaei gratiae rationem habuiſſe, reſtabat, ut qui me criminabantur, cum ab ea ſuſpicione me liberatum dolerent, [e] novi criminis invidia apud ipſam onerarent. Sub id igitur cum in cardinalis Bellarmini librum grave ſenatus decretum fuiſſet factum, [f] quamvis minime interfuiſſem, non tamen defuerunt, qui Romae ſpargendum curarunt, me ultionis ob cenſuram contra me decretam occaſiones quaerentem, has turbas excitaſſe, et S. C. faciendi auctorem fuiſſe. Id eos qui cauſae aemuli favebant, comminiſci minime puduit, qui ſe re omni inferiores in hac petitione cum viderent, calumniis adverſus me ſecurum et talium rerum aut rudem aut impatientem, ſe ſuperiores evaſuros confidebant. Et quamvis Villaregius ea de re ad D. Brevium oratorem regium regis ac reginae nomine ſcripſerit, et ipſe legatus pontificius, qui hic eſt, eodem ſe officio defunctum [g] nuper mihi confirmaverit, regina ob difficilem et indignum rei exitum

VAR. LECT. [a] ſuper alios [b] paſſus ſum: plenum ejus rei arbitrium reginae relinquens, quam de mea modeſtia eo aequius exiſtimaturam confidebam, quod eo facto teſtatum [c] ab ea [d] Compoſito utcunque [e] novi me criminis [f] cui ei minime interfueram, [g] nuper, cum eum domi conveniſſem, mihi

tum [α] anxia, aliaſque hujuſmodi in poſterum cum pontifice concertationes verita, odium quod contra Harlaeum fortiſſimum regii nominis propugnatorem ob id conceperat, in me effudit; et aemuli, qui me propter arctam cum Harlaeo neceſſitudinem ac conſiliorum conſenſionem antea reginae ſuſpectum reddiderant, inde captata occaſione, facile eidem perſuaſerunt, nullum hujuſmodi diſſidiorum finem futurum, ſi Harlaeo in eo magiſtratu ſuccenturiarer. Ita quanquam calumniae paterent, eventus tamen malevolorum expectationi reſpondit. Interea qui me ob Condaei amicitiam antea in ſuſpicionem apud reginam adduxerant, cum notaſſent in Condaeo, quod me ad omnia morigerum habere non poterat, priſtinum illum benevolentiae calorem paulum refriguiſſe, reginam reſtitantem impellunt, ut ſine delatione in alium conſentiret. Nam de mea repulſa non multum pugnaturum Condaeum: [β] Hic me artibus non ſolum quaſi ſenatu motum, ſed omni ſpe gratiae in aula excluſum, non tam mea quam reipublicae [γ] vice doleo. Etenim vir bonus et bene de rege regnoque meritus, cujus fides tot egregie factis reginae perſpecta erat, dignitatis ſive promiſſae ſive debitae fructu privari non niſi ſumma cum ingratitudine potuit. Cujus ſenſus cum ad omnes exemplo pertineat, injuriam quoque meam privatam ad rempublicam pertinere neceſſe eſt. Auxit eam aemuli comparatio, hominis novi, et multis qui in ea dignitate adipiſcenda mihi ultro cedebant poſthabendi, ne quid aliud de eo dicam, qui reginae ignotus, initium gratiae ab aliena injuria fecit, et inconſiderato quorundam favore, imo turpiſſima nundinatione, poſt adfectatas tot protelationes ac ludificationes mihi tandem praelatus eſt. Atqui, ſi ita ab initio decretum fuerat, pars clementiae [δ] fuit, cito occidere. Enimvero cum nulli prenſationibus meis toto eo tempore moleſtus fuerim, neminem ex tot aulae proceribus, qui ſe ultro offerebant, advocatum allegaverim, totam rem ab initio reginae voluntati permiſerim, quid merui vita tam moderate et innocenter acta, ut mihi tam indigna repulſa ad extremum illuderetur? Non is ſum, qui genus, adfinitates, amicitias contra virtutem aeſtimem. Verum earum quoque rerum, cum cetera non deeſſent, aliquam rationem haberi debuiſſe ſi dicam, non iniquam rem peritis [ε] aeſtimatoribus dicere videbor. Nam procul dubio eſt, ſi ad togae merita etiam familiae decora accedant, dignitatem et cum dignitate auctoritatem, quae ad res gerendas plurimum confert, ei conciliari, virtutemque per ſeſe admirabilem, cumulatis aliunde ornamentis illuſtriorem effici. Opes modicas, ſplendorem frugalem, comem gravitatem in vita togata laudo. Faſtum nataleis exſuperantem, luxum cenſu majorem, impotentem dominationem non fero. Quid, quod ex aliena arca immane pretium, quod in foediſſimum illud mercimonium erogatum eſt, ſumptum dicitur? Id verum necne ſit, neſcio; hoc ſcio, non niſi cum publica indignatione id dici poſſe. Caſtos non ſolum oculos et manus, ſed lares ab omni facto turpi et opprobrio ac denique ſuſpicione puros ad ſacra juſtitiae adferri debere dico. Ganeas, aleam, comeſſationes, et hujuſmodi [ζ] impudicitiarum irritamenta deteſtor. Hoc eſt, nimirum, quod injuriam meam ex privata publicam facit. Neque vero haec a me nimia repulſae impatientia dici putes. Non is ſum qui ſuperiorem ferre nequeam. Multos hactenus patientiſſime tuli, Joannem Forgetum laudatiſſimum virum mala mea ſorte, ſed pejore reipublicae nuper ereptum ferre potui. Nicolaum Poterium, Antonium Seguierium, Edvardum Molaeum, viros graveis et irreprehenſibileis ferre poteram. Nunc mihi neceſſitas inde diſcedendi impoſita eſt, ubi non ſim qui fueram et eſſe debui. At meliore conditione in aula me futurum dicis. Quo me vocas? Ad chimaeras, phorcydas, harpyias, ſtrigas, meduſas? Ixioniam mihi nubem objicis, et amplecti ac deoſculari jubes. Apage iſta monſtra per vacuum volitantia. Solidam virtutem cubo inſidentem ſector, quae falli fallereque neſcit, vero gaudet, fucum abominatur. Ego leges colere, jura venerari, loco ſententiam dicere, alios patienter audire, fidem et ordinem [η] in omnibus ſervare qui tota vita didici, nunc ad gratiam loqui, nutus alienos obſervare, aſſentari, laetitiam pariter

VAR. LECT. [α] anxia, et ſimiles cum pontifice [β] His [γ] cauſa doleo. Nam vir [δ] fuiſſet, [ε] rerum aeſtimatoribus [ζ] impudicitiae [η] in omni re

pariter et dolorem fingere, confuſe omnia ac perverſe agere, atque, ut paucis multa complectar, inter mendacia, diſſimulationes, perfidiam, fraudes, dolos conſeneſcere jubeor. Plus quarta parte longam vitam non petenti tribuit Deus, qui me liberum et ingenue educatum ab otio honeſto iſtuc aetatis in aulam abreptum injurioſam ſervitutem ſervire in ſenectute voluit. Nam qui poſſum? Novi vireis meas, novi ingenium ac mores, et, quod pauci faciunt, novi me ipſum. Ego negotiis tractandis, ſi in meliora tempora incidiſſem, fortaſſe non impar, hodie ut res ſunt, me calumniis, potentum odiis, refrigeſcenti in horas gratiae, innumeriſque aliis injuriis, quae viro innocenti in aula ferendae ſunt, ſuſtinendis imparem ſentio. At enim triumvir aerario curando nuper, inquis, creatus es: ſiccine quod plurimi, qui ſibi ac ſuis meritis multum deberi putant, adeo cupide pro honorifico laborum praemio ambiebant, tam parvi facis? Atqui jam de mea injuria cogitabatur, cum id muneris mihi demandatum eſt. Itaque volui me ab eo excuſare, jam tum praeſentiens ἐχθρῶν [α] ἄδωρα δῶρα. Sed reginae imperiis coactus aſſenſum praebui, ne ex faſtidio meo inimici occaſionem me apud ipſam exagitandi arriperent. Et vero cum ad alia omnia ſuſpectus ſim, quid mihi cum aerario? Mene tota vita cum collybo luctari, in collybo emori? Quis putaſſet Thuanum in doctrinarum ſtudiis a puero nutritum, quem vulgo philoſophum aulici, honorifico per ſe nomine, ceterum ut ipſi putant ridiculo, in gynaeceo vocant, ex foro [β] in ſenatu inclinata jam aetate ad [γ] trapezitas et collybiſtas fuiſſe tranſiturum. Ita mea infelici ſorte effectum, ut quod aliis ornamento et pro praemio erat, mihi in contumeliam verterit. Jamque illuc revolvor, ut mihi ſicut in ſenatu, ſic in aula, quo me vocas, omnem ad dignitates et gratiam aditum interclusum exiſtimem. Nam quae me cauſae a ſenatoria dignitate, eaedem ab omni gratiae ſpe apud reginam excludunt; ita perſuaſam videlicet ab iis, qui, ignavia noſtra an imprudentia incertum, priſca factionum nomina in regno renovant, et exoletas politicorum ac zelotarum ſectas per pacem ſopitas quaſi ab inferis excitant; quo per ſciſſuram illam catholico corpore diviſo ſeditioſos ſibi addictos ad honores provehant, bonos et publicae tranquillitatis amanteis per calumnias ſuſpectos reddant, ac poſtremo ad privatam vitam adigant. Et [δ] quidem hodie nulli plus in aula, plus in civitatibus et oppidis poſſunt; ſoli commendatione ſua praefectos, provinciarum praeſides, magiſtratus, officialeis in aula creant: nemoque hodie, quamtumvis majorum religionis retinens, aut innocentia ſua tutus eſt, aut ad publica munera admittitur, niſi nomen factioni dederit, et quaſi formatas ab iis acceperit. Scio D. Villaregium multis cum dejerationibus aſſeverare, nullas pontificis, nullas legati pontificii, aut eorum quos dixi, partes in hoc negotio fuiſſe; nec prohibere, quo minus ipſe ac ceteri rerum apud reginam moderatores, a me et omnibus qui regno bene cupiunt, ſcelerati et inteſtabiles atque adeo Gallici nominis hoſtes habeantur, ſi ullus eorum interceſſionibus locus in magiſtratibus deligendis relictus deprehendatur. Et tamen cum in cauſam penitus inquirerem, nullam aliam ab eo expiſcari, nec vero divinare ipſe aut comminiſci potui. Et ut adſeverationibus tanti viri aliquid condonem, idque cauſa ejus mihi perſuadeam, vix eſt ut perſuaderi poſſit iis quos publica intereſt bene ac recte de iis rebus ſentire. Sic enim vulgo diſputant, per meam repulſam, tam diſpari ſucceſſore delecto, [ε] manifeſtiſſime id agi, ut ſoli zelotae deinceps ad rempublicam accedant, politici qui dicuntur ab ea prorſus excludantur. Itaque, ſecedente Harlaeo, et me indigne pulſo, cauſam novitiorum theologorum tanto favore in aula ſublevatam, et in ipſorum gratiam cum academia Pariſienſis contra tenderet intermiſſam, nunc vice verſa urgeri: jamque ſermones de concilii Tridentini promulgatione paſſim jactari, quae rege in minore aetate conſtituto magnum pontificiae auctoritati per regnum ſtabiliendae ac regiae dignitati infringendae momentum procul dubio ſit allatura. His cuniculis ante XXV annos tentatum, ac poſtremo convulſum imperium Henrico III rege, qui primaria urbe, atque adeo ſede ſua pulſus, dein per nefandas perduellium coitiones ad deſperationem adactus

VAR. LECT. [α] δῶρα ἄδωρα δῶρα. [β] ex ſenatu [γ] menſarios, trapezitas, ad collybiſtas [δ] tamen [ε] apparere

adactus, tandem et deteſtando parricidio ſublatus eſt. Iiſdem ſive inſidiis ſive armis Henricum IV, legitimum regni heredem, quibus deceſſor ejus oppreſſus fuerat oppugnatum fuiſſe: qui poſt pacem Franciae redditam merito Magni cognomentum adeptus ac toti Europae formidabilis, parum tot victoriis profecerit, ſi deteſtando et ipſe parricidio occiſus, homines poſt ſe reliquit, qui mutata temporum conditione eundem animum ſervaverint, eademque diſſidiorum ſemina ad labefactandam publicam quietem porro ſpargere non deſinant. Haec ita jactari minime ignoras. Quae ſi vera ſunt, non jam ad privatam meam injuriam, ſed ad [a] publicam, quae diu ſarta tecta his conſiliis conſervari non poteſt. Sin minus, quod potius credo et mihi perſuadeo, tamen quia dicuntur et a multis creduntur, longe graviſſime peccaſſe illos fatendum eſt, qui reginae auctores fuerunt, ut, me ſpreto, cujus opera cum bona omnium ordinum gratia uti poterat, alium ignotum ſibi ad hoc munus adſciverit; cujus comparatione ſive odio dirae ſuſpiciones tam altas in hominum animis radices egerunt, ut non niſi cum regni pernicie ex iis evelli poſſint. Vides ergo meam injuriam ita cum publico conjunctam, ut ab ea ſeparari nullo pacto [b] queat. Certe ſi extaret ullum poſt repulſam hanc in me reginae publicum aut aliud benevoli animi teſtimonium, haberem et quo me intus ſolarer, et inter amicos injuriam, quam multi in dies exaggerant, excuſarem; ſperaremque ut illae ſuſpicionum nubeculae, quae in ipſius et eorum quibus per calumnias a factioſis inſinuatae ſunt animo reſident, cum tempore evaneſcerent. Sed cum tantum mihi poſt tantam injuriam verba data ſint, nullaque re in praeſens, nulla in poſterum ſpe recreatus ſim, reliquum eſt ut illud uſurpem,

Spes et Fortuna, valete;
Vos alias poſthac ludificate animas:

et qui ad munia publica aut inutilis aut ſuſpectus ſum habitus, mihi privatim vivam; atque ad Muſarum ſacrarium, ex quo ad rempublicam capeſſendam in adoleſcentia prodieram, antequam ſenectus ingraveſcat, tanquam ad tutiſſimum tranquillitatis portum mature confugiam. Habes momenta et argumenta cauſae raptim, ac confuſe, ut in dolore collecta, quae in tuum ſinum, vir humaniſſime mihique amiciſſime, effudi, ut ea pro jure amicitiae et prudentia tua expendas, et quid mihi de me in poſterum ſtatuendum ſit, ipſe ſtatuas: quandoquidem plus tuo et amicorum, quam meo judicio ſtare decrevi. Nam ſi mihi in altum rurſus pandendi ſinus, ſi poſt unum et alterum naufragium renavigandum, ſi toties adverſantis fortunae denuo faciendum experimentum, pro ſolatio mihi, pro excuſatione apud omneis erit, quicquid amicorum ſuaſu et te auctore in ea re fecerim; ne, ſi mutata velificatione curſum tenere non potuero, propitium fruſtra Neptunum invocare videar, qui poſt tertium naufragium periculoſam adverſa tempeſtate navigationem ſuſcipere non dubitaverim. Vale, et ſive me collegam in aula habebis, ſive me privatae rationes domi retinebunt, porro amare perge. E Villebonio noſtro pridie Kal. April. A. S. M.DC.XI.

Ex MS. *A Monſieur le Preſident de Thou.*

MONSIEUR. Ayant appris depuis mon deſpart de la Cour le ſuccés de l'affaire dont nous avons ſouvent parlé, j'en ay le reſſentiment & deſplaiſir pareil à l'affection que j'ay touſjours euë à voſtre particulier contentement, et au bien que je m'en promettois pour le public. Mais puis qu'il a pleu à Dieu en diſpoſer ainſi, ce n'eſt pas à vous qu'il faut apprendre comme nous devons nous conformer à ſa volonté, & ne perdre point courage de ſervir le public; lequel reconnoiſtra touſjours par vos juſtes et ſages deportemens qu'il y a plus perdu que vous, qui avez eſté porté à cette affaire plus par le deſir d'autruy que par voſtre propre mouvement ou intereſt particulier. Les exemples ſi frequents de tant d'excellens perſon-

VAR. LECT. [a] publicam rem pertinere, quae [b] queat; quod initio dixeram.

perſonnages qui ont eſté exclus des charges auſquelles leurs merites les appelloient, & la façon dont ils ſe ſont comportez en tels accidens, il les faut prendre de vous. C'eſt pourquoy je ne feray que vous aſſeurer de la continuation de mon affection particuliere à vous honorer & ſervir, n'ayant point voulu m'engager plus avant en mon voyage, ſans vous en rafraiſchir la memoire, & vous teſmoigner le deſir que j'ay de meriter la conſervation de vos bonnes graces; auſquelles je me recommande d'auſſi bon cœur, que je prie Dieu, Monſieur, vous donner longue & heureuſe vie.

De Marſeille le 25 Avril 1611.

Voſtre tres affectionné Couſin
à vous ſervir,
LE CARDINAL DE JOYEUSE.

Ex Syll. Epiſt. Iſ. Caſauboni, Ed. Rot. 1709, *p.* 381.

Jac. Aug. Thuano Iſ. Caſaubonus.

AMPLISSIME praeſes. Etſi magno repente affectus ſum dolore, qui meus in te amor eſt et obſervantia, cum intellexi non eam eſſe habitam tuae dignitatis rationem, quam tua in rempublicam ſumma merita poſtulabant haberi, et boni omnes cupiebant ac ſperabant; mox tamen, ubi ex illa indignatione colligere me cœpi, et praeſentem rerum in patria ſtatum apud me reputare inſtitui, rationibus, ut mihi quidem videbantur, non levibus ſum adductus, ut tecum actum non male putarem, et dictum vetus uſurparem, *ταὐτόματον ἡμῶν πολλάκις κάλλιον βουλεύεται.* Fateor durum eſſe ea ſpe excidere, quae non ex inani arrogantia, ſed ex merito concepta primum fuerit; deinde ab iis toties firmata, quorum in poteſtate erat efficere, ne verba viro gravi videri poſſent dediſſe. At non clam te eſt, vir ſapientiſſime, rerum humanarum eam eſſe conditionem, ut ea ſaepius eveniant, quae nemo futura aut fieri debere putaverat, quam quae *ὁ ὀρθὸς λόγος* ſuadebat eventura. Hoc cum in aliis vitae partibus poteſt obſervari, tum in honorum vel maxime tributione, qui ad aulicorum ſaepius voluntatem, quam principum, qui fere in ſuorum poteſtate ſunt, certo judicio deferuntur. Ut igitur nemo prudens mirabitur, hiſce praeſertim moribus, caculam aliquem militarem, cocum, aut lenonem, vel etiam archilenonem, ad ampliſſimam fortunam et provinciarum etiam praefecturas potuiſſe pervenire; ita profecto mirari nemo debet, bonis, integris, doctis, aut quavis alia virtute excellentibus, ad ſummas dignitates aditum non patere, et debita ipſius praemia terrae filiis deferri. Quid querimur, aut miramur? *Ἐπὶ τούτοις*, hac, inquam, lege et conditione nati ſumus; neque huic malo remedium, dum ſtabunt res humanae, unquam afferetur. Feramus, vir ampliſſime, et feramus aequo animo, quod per rerum humanarum naturam emendari non poteſt. Simul providentiam divinam, *ᾗ θέμις ἐστὶ*, contemplemur & admiremur. Nam quum ſuſque deque ferri omnia forte fortuna videantur, Deo tamen optimo maximo ſingulorum, quae fiunt, ratio conſtat; neque aliquid fit, quod non ei ſit multo ante praeviſum, et *ἀνεξιχνιάστῳ τινὶ σοφίᾳ* decretum ut fieret. Sic igitur *κακῶν κακαῖς βουλαῖς* oderimus, ut in ſapientia imperveſtigabili *τοῦ ἀριστοτέχνου Θεοῦ* acquieſcamus. Tu vero, illuſtriſſime vir, tot veris bonis, quae nulla vis auferre unquam tibi poterit, a ſuperis ornatus, ſi teipſum potius quam patriam, ſi tuos, ſi ſtudia quibus delectaris, ſi denique rem familiarem tuam reſpicis, cur magnopere gaudeas juſtiſſimam, niſi fallor, cauſam habes. Quid? putaſne te eo loco poſitum vel unum diem quietum fuiſſe habiturum, quum ad te vexandum omnes certatim operam ſtudiumque ſuum conferrent, qui te propter pietatem, *φιλαλήθειαν*, et ceteram virtutem tuam, cane et angue pejus oderunt? Illine permitterent, ut moribus tuis rempublicam regeres, quibus eſt propoſitum, quocunque tandem pacto eos de medio tollere, qui nefariis ipſorum conſiliis ſeſe oppoſuerint? Quod equidem eo confidentius dico, quod recens ſum a lectione multorum librorum ab illis peſtibus profectorum, hac ſatanica doctrina plenorum.

Horret

Horret animus meminiſſe eorum quae legi, quaeque pro fidei articulis docentur. Et creſcit tamen furor quotidie, creſcit audacia quam alit ſucceſſus. Ea doctrina regem maximum nuper nobis eripuit; eadem tamen doctrina et ejus defenſores in illa ipſa urbe, ubi tantus rex χθὲς ϗ πρώην eſt occiſus, propugnatores eſt nacta, qui libris editis, vobis omnibus conniventibus qui ad clavum reipublicae ſedetis, Marianam quidem verbo tenus damnant, at reliquos omnes perfidiae, rebellionis, et parricidii magiſtros palam laudant, ne dicam excuſant. O tempora! O mores! Et erit aliquis vir cordatus, qui pro magno ducat principem locum inter eos obtinere, quibus haec ſunt ferenda, et ſuo ſilentio comprobanda! Platonem ferunt dicere ſolitum, cum apud bonos excuſaret quod rempublicam non attigiſſet, certo conſilio ſe a publicis curis abſtinuiſſe, ubi animadvertiſſet, iis legibus et inſtitutis patriam regi, quibus mores ſui congruere non poſſent. Enimvero contra torrentem jugiter niti, quis ſine certa pernicie diutius poteſt? Haec, et ſimilia his alia, ſive exempla ſive documenta, ut revocares ad animum te rogarem, vir ampliſſime, ſi, quod ſaepe multis viris bonis accidit, ab omni cura reipublicae eſſes ſummotus. Nunc quid opus? Nam, ſi vera ſunt quae mihi narrantur, κατ᾽ἀβλαβὲς ἀνέθης, et meliore loco res tuae jam ſunt, quam eſſent futurae ſi aliter contigiſſet. Opto ita eſſe; et Deum veneror, ita velit eſſe faxitque. Binas tuarum nudiuſquartus accepi; alteras earum ad regem miſi, et de tua integritate prolixe ad ipſum ſcripſi. Cottonus nobilis Anglus in hiſtoria pergit ad te mittenda. De meis rebus nihil jam ſcribam, omnia enim narrabit uxor, quam, propitio numine, brevi iſthic videbis. Vale, Londini, a. d. XI Kal. Maias, MDCXI.

Ex MS. *Monſieur De Thou à Monſieur Caſaubon.*

MONSIEUR. J'ay receu la voſtre du 20 du paſſé. Je ne ſçaurois vous aſſez remercier du conjoye & reſſentiment que vous monſtrez par icelle à voir ce qui me touche. Si ce refus ne regardoit que mon injure privée, & ne s'eſtendoit juſques au public, je n'en euſſe receu ſi grand deſplaiſir que j'ay fait. Vous me connoiſſez aliené d'ambition & d'avarice, plus porté au repos qu'au travail d'une ſi penible charge, joint les raiſons deſduites ſi elegamment par voſtre Lettre, laquelle je confeſſe en cette douleur publique m'a plus apporté de conſolation, que toutes les fumées & offres labiales, que nous diſons vulgairement, de tous nos Courtiſans. Car je ne ſuis homme qui me repaiſſe de venteuſes eſperances. Si l'on me veut permettre de me retirer, & vivre privé chez moy, hors d'injures, l'on ne me ſçauroit donner recompenſe qui me puiſſe tant contenter. Enfin, je ſuis reſolu de ſuivre celuy, qui par voyes inſcrutables aux hommes, conduit les affaires des hommes & gouverne tout l'univers. Je ſuis icy en ma maiſon, me preparant à cet honeſte loiſir avec tout contentement, ſinon entant que je ſuis privé de voſtre douce & erudite compagnie, qui me fait vous ſupplier de toute affection de m'eſcrire à toutes occaſions & bien au long. Car vos plus longues Lettres me ſont les plus agreables. Le bon homme Monſieur le Febvre eſt malade avec peril. Quelle affliction à moy, en l'eſtat où je me retrouve maintenant, s'il plaiſoit à Dieu nous l'oſter, vous abſent! Je me penſerois merveilleuſement delaiſſé: mais il faut remettre le tout à la bonté & providence du tout-puiſſant, lequel ne delaiſſe jamais les ſiens.

J'attends ce qu'il plaira au ſereniſſime Roy de la Grande Bretagne de m'envoyer, & par voſtre advis feray tout ce que je pourray pour donner contentement à S. M. J'auray auſſy ſoin de ce qui vous touche. Je crois que voſtre nepveu vous aura mandé que j'ay retiré les clefs, d'autant que l'on m'avoit averti de la Cour, qu'il y avoit des importuns aprez, que j'ay deſtourné par ce moyen. Vous retrouverez tout en ſon eſtat priſtin, quand vous ſerez pour revenir, & devez par toutes les voſtres qu'eſcrivez aux uns & aux autres, principalement à nos Grands de Cour, donner eſperance de voſtre retour, afin que reteniez par ce moyen ce qu'avez laiſſé icy. Commandez moy, & vous ſervez de moy. Ma femme vous baiſe les mains. J'eſpere que nous verrons bien-toſt Madem oiſelle voſtre femme en bonne

 ſanté.

ſanté. Je ſupplie en cet endroit noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

De Villebon ce 7 May 1611.

Voſtre bien humble & tres affectionné ſerviteur,
De Thou.

Ex Syll. Epiſt. Iſ. Caſauboni, Ed. Rot. p. 383.

Jac. Aug. Thuano Iſ. Caſaubonus.

Illustrissime vir. Quae nuper ad te ſcripſi cum tuis reſpondi, puto eſſe tibi reddita. Ex iis dolorem meum cognoviſti, quia dignitatis tuae ratio non eſt habita; quod tamen *οὐκ ἀθεεὶ* factum putamus, et magno tuo bono. Nam ſi tu illo dignus eras loco, et eras profecto digniſſimus, haud tamen ſcio an ferreum hoc ſaeculum ſatis eſſet dignum, quod te videret ad clavum illum reipublicae ſedentem. Omnes hic boni, qui tuam excellentem virtutem norunt, tibi gratulantur, et cum bonarum partium hominibus, quibus eum caſum ſcimus accidiſſe moleſtiſſimum, gemunt. Ac Deus quidem bene vertat! Multi tamen putant, majorum malorum haec eſſe praeludia. Rex ſereniſſimus literis meis factus certior de tuo conſilio, privatam in praediis tuis vitam degendi, Deum ſtatim oravit ut aliam tibi mentem daret, meque juſſit te hortari, ne rempublicam, ne patriam deſereres, in hac praeſertim tanta virorum inſignium penuria. Cogita, non eſſe te natum tibi ſolum, ſed patriae; quam difficili tempore derelinquere, prodere eſt. Cogita, omnium bonorum oculos in te eſſe conjectos; quibus ad deſperandum de ſalute patriae noli, per Deum immortalem, exemplo tuo praeire. Spero equidem, nondum omnes patriae noſtrae occubuiſſe candidos ſoles. Si tamen, peccatis noſtris exigentibus, aliter ſuperi ſtatuerint, at magnos viros, ut de imperatoribus olim dictum, ſtantes mori oportet. Tu vero mihi ignoſce, qui tam libere de his apud te. Londini, propridie Kal. Maias, mdcxi.

Ex MS. *A Monſieur le Preſident de Thou.*

Monsieur. La connoiſſance que l'on a de voſtre vertu fera tousjours juger avec quelle intention vous avez deſiré les charges, & les moyens que vous avez tenus pour y parvenir; leſquels eſtant eſloignez de ceux qui ſont les plus pratiquez en ce ſiecle, on deplorera pluſtoſt le malheur public que l'on blaſmera vos deſportemens, deſquels il me ſemble que vos amis ont avecque vous autant de ſujet d'eſtre contens que ſi les affaires euſſent eu bon ſuccés, ſingulierement de la reſolution que vous prenez de ne vous eſloigner point des affaires; leſquelles encore qu'elles ſoient auſſi eſpineuſes, que le repos ſeroit doux à une perſonne qui en ſçauroit ſi bien uſer comme vous, j'eſpere neantmoins que le contentement que vous recevrez de ſervir au public par vos travaux, mais plus encore par l'exemple de voſtre integrité & innocence, recompenſera la douceur de la vie privée. Quelque reſolution que vous y preniez, je vous prieray de croire que je correſpondray à voſtre amitié avec la meſme ſincerité & entiere affection que j'ay tousjours eue à vous honorer & ſervir, & à meriter la conſervation de vos bonnes graces; auxquelles je me recommande d'auſſi bon cœur, que je prie Dieu, Monſieur, vous donner longue & heureuſe vie.

De Rome ce 24 Juin 1611.

Voſtre tres affectionné Couſin à vous ſervir,
Le Cardinal de Joyeuse.

Comme

Comme nous n'aurons pas occaſion de mentionner cy-aprés M. le Cardinal de Joyeuſe, nous mettrons ici la Lettre qu'il eſcrivit de ſon lit de mort à M. le Preſident de Thou & à Madame ſa femme.

Ex MS. *A Monſieur & à Madame de Thou.*

MONSIEUR & Madame. Comme durant ma vie je n'ay rien tant chery & honoré que vous, la quittant je vous en ay voulu donner encore ce dernier teſmoignage, & vous apporter de plus parmy le deſplaiſir que je ſçay que vous reſſentirez de mon deceds cette particuliere conſolation, qu'ayant pleu à Dieu m'aſſiſter de ſa divine bonté il m'a donné le loiſir de le reconnoiſtre & me jetter aux pieds de ſa miſericorde, pour luy confeſſer mes fautes & luy en demander tres humble pardon. Tellement qu'ayant fait tout ce que j'ay peu penſer eſtre du bien & ſalut de mon ame, je parts de ce monde avec beaucoup de contentement ayant receu les ſacrements de la ſaincte Egliſe, & m'eſtant reſigné entierement entre les mains de Dieu, avec beaucoup d'eſperance que j'ay qu'il me recevra en ſon paradis. J'euſſe bien deſiré avant que mourir d'avoir cet honneur & cette ſatisfaction de vous voir, pour vous donner & à Mademoiſelle & à Meſſieurs vos enfans la ſaincte benediction de N. S; mais m'en voyant hors de moyen, j'ay prié le R[d] Pere de Lingendes Recteur des Jeſuites de cette ville, entre les mains duquel j'ay remis ma conſcience, de la recevoir de voſtre part, & il m'a promis de la vous rendre de la mienne, priant Dieu qu'elle vous apporte toute ſorte de bien & de proſperité. Et bien qu'ayant la connoiſſance que j'ay de voſtre bon naturel, je ſoye aſſeuré qu'il ſoit inutile de vous recommander l'amour & la crainte de Dieu, & de vivre tousjours en la meſme amitié & bonne intelligence que vous avez fait juſques à preſent, ſi eſt ce que j'ay penſé que vous prendriez en bonne part que je vous en conjure pour l'amour de Dieu & pour celle que vous m'avez tousjours fait l'honneur de me teſmoigner, aprés quoy il me ſemble que vous ne devez rien tant avoir devant les yeux que le ſervice de leurs Majeſtés, vous exhortant & vous ſuppliant, autant que je dois & qu'il eſt en ma puiſſance, de ne vous en departir jamais pour quelque conſideration que ce ſoit. Quant à ce qui eſt de mon Teſtament & de ma derniere diſpoſition, je vous ſupplie tres humblement de l'avoir agreable & la mettre à execution le pluſtoſt que vous pourrez; & outre le particulier ſoin que j'ay eu de mes ſerviteurs que vous y trouverez nommez, je deſire que vous leur faſſiez le bien de les aſſiſter de voſtre faveur, & que vous les ayez tousjours en voſtre protection. Vous voulant bien de plus recommander particulierement les Protonotaires qui ſont en mon ſervice, afin que ſuivant les bons & agréables ſervices qu'ils m'ont rendus, il vous plaiſe leur deſpartir ce qui eſt de voſtre auctorité aux occaſions qu'ils en auront beſoing, & à tous mes autres domeſtiques. La particuliere affection que j'ay tousjours reconnu que le S[r] d'Orſan a portée à tous ceux de noſtre maiſon, & principalement encore à moy, fait que je vous ſupplie tres volontiers de luy faire l'honneur de l'aimer & de l'avoir en voſtre protection: laquelle je vous demande encore pour le S[r] de Concocelles, qui eſt un fort honneſte gentilhomme du Vivarais, lequel ayant trouvé tousjours porté de beaucoup d'affection en mon endroit, & eſtant perſonne qui vous peut rendre ſervice, je vous prie de l'aimer & le proteger en ce qu'il vous en requerra. J'adjouſteray encore à ces deux le ſeigneur Angelo Badoaro, qui eſt un gentilhomme Venitien que vous avez veu Ambaſſadeur à Paris; lequel ayant tousjours fort aimé, je l'ay jugé digne d'eſtre protegé de vous en ſes affaires, pour eſtre homme de conſideration & de beaucoup de merite. Reſte maintenant que je vous demande tres inſtamment, comme je fais, les derniers offices qu'on doit eſperer des parens & amis qui reſtent en ce monde, qui eſt de faire prier Dieu pour le ſalut de mon ame; & vous diſant adieu pour la derniere fois, je le ſupplieray qu'il vous donne, Monſieur & Madame, toute ſorte de bien & de proſperité & ſa ſainte grace.

D'Avignon ce 23
d'Aouſt 1615.

Voſtre tres humble ſerviteur,
LE CARDINAL DE JOYEUSE.

III.

III.

Gaſp. Scioppii, et Jeſuitae Machaulti ſub ficto nomine Jo. Bapt. Galli ſeſe occultantis, in Thuani Historiam ſcripta contumelioſa.

Cum noſtrum ſit, ſcripta, quae collegimus, aequa lance ita diſponere, ut tam quae adverſus Thuanum, quam quae in defenſionem ejus edita fuerint, lectorum oculis pariter obverſentur; quae in Hiſtorico noſtro Scioppius reprehendit heic inſerere non dubitabimus.

Primum autem, quid ſpeciatim de Scioppio, ut etiam de aliis id genus ſcriptoribus generatim ſenſerit Thuanus, pari jure recitare tenebimur. Is enim, ut obiter illud heic notemus, ſicut aliis, quorum intereſſet, contemptu ſolum petulantes hujuſmodi ſcriptores excipere ſuaſerat, ita cum res ſuae poſtulabant, haud aliter ſe geſſit.

Quapropter nec cum Scioppio, neque cum Machaulto, in arenam deſcendere dignatus, ad actiones, mores, totamque vitae rationem provocat, quo de fide et integritate in hiſtoria conſcribenda, quid ſtatui debeat, quiſque per ſe facile intelligat.

Hac igitur de cauſa, Commentarios de vita sua *Scioppii et Machaulti conviciis proxime ſubjungere decrevimus.*

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, du 6 Nov. 1606. tiré des Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck in* 8°. 1624. *pag.* 507, 508.

Les merites que vous eſtes acquis ſur le public vous ont desja ſuſcité beaucoup d'envieux & obtrectateurs: c'eſt l'exercice continuel de la vertu & de l'excellent ſçavoir en ceſte vie, & principalement en ce ſiecle plein de monſtres, & ne faut douter que ce grand [1] chef d'œuvre ne vous en ſuſcite de nouveaux. Il y a un maraud de pedant à Rome que l'on dict eſtre gagé pour abboyer aprés tous ceux qui par leur induſtrie & doctrine ſervent au public: il le faut laiſſer pour ce qu'il vault, & le meſpriſer ſans vous en travailler ny vous divertir de vos bonnes & ſerieuſes eſtudes. La poſterité vous rendra ce que l'ingratitude de preſent vous envie; & ce peu qui reſte de blanches ames aujourd'huy, dés ceſte heure priſe & honnore tout ce qui vient de vous, ſans s'arreſter au jappement de ces chiens importuns.

Extrait d'une Lettre de M. Pierre du Puy à M. Joſ. de la Scala du 11 Janvier 1607. tiré des Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck in* 8vo. 1624. *pag.* 309.

Monsieur le Cardinal du Perron a monſtré combien il eſtoit amy de M. de Thou, & qu'il l'affectionnoit grandement, ayant commandé à ce Scioppius de ſe [2] taire, voulant au livre qu'il a fait contre vous, eſcrire contre ledict Seigneur Preſident ſur ce qu'il loue en ſon Hiſtoire pluſieurs grands perſonnages, comme Ph. Melancthon, M. Caſaubon, & autres.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Chr. du Puy à Rome, du 15 Dec. 1606.

Ex MS. *Voyez la Lettre entiere pag. 24 de la premiere Section de ce ſeptiéme Volume.*

Je baiſe tres humblement les mains à Monſeigneur le Cardinal du Perron, & ſuis de plus en plus ſon obligé. Encore que je ne me ſoucie d'un tel pedant que celuy dont m'eſcrivez, duquel j'ay veu l'infame [3] Commentaire *in Priapeia*; toutesfois je ſerois bien aiſe, deſirant

NOT. [1] Son Edition d'*Euſebii Theſaurus Temporum.*
[2] Scioppius trompa le Cardinal s'il luy promit de ne point écrire contre M. le Preſident de Thou, car il l'attaqua violemment dans le livre qu'il faiſoit alors contre M. de la Scala: comme nous le verrons cy-aprés.
[3] Ouvrage de Scioppius.

deſirant le repos, n'eſtre abboyé de tels chiens enragés. Il eſt gagé, comme vous m'eſcrivez, & de ceux que ſçavez, pour offenſer tous les gens de bien. Celuy mentionné au commencement de celle-cy [1], qui retourne bientoſt par delà, eſt ſon patron; & penſe-t-on que c'eſt luy qui le lance contre ſon ancien precepteur [2]? ingratitude puniſſable; & puis, que ſert pour l'avancement des Lettres, *ex [3] qua gente prognatus ſit ille literatorum princeps?* on ne ſçait que dire à ſes livres, l'on s'attache à ſon nom. Je crois qu'il aura fort appreſté à parler & à eſcrire par ſon Euſebe. Je devrois avoir part à l'envie [4], quand l'on verra mon nom au front du livre [5], mais il ſe ſçaura bien defendre tout ſeul ſans qu'il ſoit beſoin que je luy ſerve ou ſois appellé pour ſecond.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Chr. du Puy à Rome, du 1 Avr. 1607.

Ex MS. *Voyez la Lettre entiere pag. 26 de la 1ere Section de ce 7me Volume.*

QUANT à Scioppius, il le faut laiſſer abboyer; c'eſt un clabaud importun, il aura ſa fureur pour peine. Puiſqu'il s'eſt voulu addreſſer aux Peres Jeſuites [6], blaſmant leur diſcipline en l'inſtitution de la jeuneſſe, il peut bien eſcrire contre ceux auſquels il n'eſt obligé d'aucun reſpect: ſon Commentaire ſur les *Priapées* monſtre aſſez quel il eſt au dedans & au dehors.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, du 20 May 1607. tiré des Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck in 8vo. 1624. pag. 510.*

MAIS que dirons nous de ce maraut de Schoppius, que Monſieur Heinſius a ſi bien deſcrit ſans le nommer? c'eſt aſſez & trop pour tel clabaud maſtin: il eſt indigne de la cholere des gens de bien, & de la voſtre principalement. Son livre [7] eſt ſi bien receu icy, bien que ſoigneuſement imprimé à Mayence, que perſonne n'en achepte, & croy qu'il mourra dés ſa naiſſance s'il eſt negligé, comme il doibt eſtre. On m'eſcrit de Rome qu'il y en a un pareil contre Monſieur de Caſaubon. *Idem et de eo eſto judicium.* Tels vilains voudroyent occuper les bons & ſerieux eſprits à reſpondre à leurs ſales convices, & les irriter, voire deſpiter contre le public. Le vray moyen de ſe venger d'eux genereuſement eſt de ne faire pas ce qu'ils deſirent. Monſieur Caſaubon a pris ceſte reſolution par le conſeil de ſes amis. Vous devez faire le meſme, & ne penſer pas qu'un ſi deteſtable livre ait jamais veu la lumiere.

Thuanus, in Hiſtoriarum libro 125, ſub anno 1606, refert Iſaacum Caſaubonum Epiſtolam luculentam ſcripſiſſe ad Frontonem Ducaeum de horrenda in Anglia conſpiratione fulminali tunc temporis detecta: quae Epiſtola, in Sylloge Roterodami edita 1709 in folio, reperitur pag. 385, et ſeq. ad quam Eudaemon Joannes convicia copioſe regeſſit. De quo ſcripto, atque adeo huic ſimilibus, hanc ſententiam profert Thuanus. Vid. p. 347, Tom. VI. *hujus noſtrae Editionis.*

—— Convicia copioſe regeſſit. Et rurſus ad ea in majore opere et alieno loco Caſaubonus reſpondit, melius facturus ſi amicos audiviſſet, neque ſe cum tali adverſario commiſiſſet; nam hodie in ejuſmodi diſſertationibus a moderatione verborum quae ubique ſervanda eſt, ad jurgia et convicia per contentionem fere deſcenditur; quae homines maleferiati, et ſuo, aliorumque otio abutentes, ſcriptis mandare minime dubitant, famam, cum benefactis nequeant, ex maledictis ſcilicet aucupantes: quos probe ultus fuerit, quiſquis eorum ſcripta non reſponſione, ſed ne lectione quidem digna judicaverit.

In libro cui titulus Gaſp. Scioppii Scaliger Hypobolimaeus, *Moguntiae typis excuſo anno 1607, in 4to, haec leguntur adverſus Thuanum, a fol. 326, ad 335.*

EXEMPLUM maledicti, quo in ipſis Haereticis flagellandis uti poſſumus, eſt Pauli Act. xiii.

Paulus repletus Spiritu Sancto intuens in eum dixit: O plene omni dolo et omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis juſtitiae, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?

Digreſſio ad conciutandum Sinonis cujuſdam artificium.

Et cum tales tam malefaciendi quam maledicendi Haereticis modi uſque eo clare nobis a Spiritu Sancto in ſcripturis praecantur, ut ipſius ſolis radio deſcripti videri poſſint; quis non miretur ex conchyliatis et togatis iſtis mancipiis fortunaque dulci ebriolis, qui, ut eſt apud

NOT. [1] M. d'Abain de la famille de la Rochepozay. [2] Joſeph Scaliger avoit été Precepteur de Meſſieurs de la Rochepozay. [3] Le *Scaliger Hypobolimaeus* de Scioppius s'imprimoit alors. [4] Ce qu'il preſſentoit luy arriva. [5] Scaliger avoit dedié ſon Euſebe à M. de Thou. [6] Scioppius les déchira cruellement dans pluſieurs Libelles ſous divers maſques de nom. [7] Le *Scaliger Hypobolimaeus.*

apud Oſeam, *in malitia ſua laetificarunt regem et in mendaciis ſuis principes*, eſſe, qui cum ſe hereditarios Catholicae eccleſiae diſcipulos et Apoſtolici ac Romani ſeminis frutices haberi velint, palam nihilominus jactare audeant, ſe ex Proteſtantibus (quos, neſcio ſuone an typographi vitio, ſed certe examuſſim optime *Proſtantes* alicubi appellant) eos potiſſimum qui in literis excelluerint, hoc eſt, qui doctrinae atque ingenii praeſidia ad oppugnandam dilectam Chriſti ſponſam, columnam illam et firmamentum veritatis eccleſiam contulerint, honorifice ſemper appellare? Oseae vii.

Κέκρακα πάρεστι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.
Hoc glorior, feciſſe nec me pernego.

Quos tamen ſi minus Paulinum illud, *Non eſt bona gloriatio veſtra*, hoc certe Pindaricum, ut homines tam literis ac poetis deditos, abſterrere debuit: 1 Cor. v.

Τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν
Μανίαισιν ὑποκρέκει.
Inepte alieno gloriari tempore,
Non ſimplici concordat hoc inſaniae.

Egregiam vero laudem et ſpolia ampla referet, qui hoc nomine ſibi placet, quod eos propter neſcio quid literularum honorificentius etiam quam omnes Catholicos appellat, et *eximios Lutheri fautores, quam in hac vita nequiverint, in morte demum quietem inveniſſe, et ad potiorem vitam migraſſe* ſcribit: quos omnes Apoſtolus, ut modo audivimus, Spiritu Sancto repletus, *plenos omni dolo et omni fallacia, filios Diaboli, et inimicos omnis juſtitiae* dixiſſet.
Formula honorifice de Haereticis loquendi.
Sed neſcivit Paulus literas, (quid enim ſciret ille, qui prope a jactanda inſcitia aberat, nihilque ſe niſi Chriſtum crucifixum ſcire gloriabatur?) nec ad iſtum ſapientiae gradum pervenerat, ut iſta novi generis moderatione et τερατοφορίᾳ Haereticos petulantiſſimos et noxioſiſſimos laudandos potius, famae atque honoribus reſtituendos, dignitatibus, iiſque primariis, afficiendos; quam devitandos, ut ſubverſos et proprio judicio condemnatos; quam magiſtratui indicandos; quam ſtatim interficiendos, etiamſi filii et amici ſint; quam lapidibus obruendos, ut ſacerdotis imperium minuentes; quam denique ne minimo quidem humanitatis communis ſigno proſequendos eſſe ſciret. At enim dandum et concedendum aliquid eſt Chriſtianae charitati. Quid igitur? hic ſolus diligere didicit, noſque omnes acerbi illi et ferrei ſumus, quos nullius neque dolor, neque calamitas, neque innocentia ad miſericordiam poteſt inflectere? Age, eſto: num tandem majorem hic quam S. Paulus dilectionem habet, qui tanto amore flagravit, ut ante converſionem optaret anathema eſſe pro fratribus ſuis, poſt vero ſuſceptam Chriſti fidem, cuperet ipſe ſuper impendi pro aliis? Et hic tamen eſt ille, qui Romanos ab Haereticis declinare eoſdemque obſervare jubet, qui Timotheum, qui Titum filios ſuos tam ſolicite ut Haereticos devitent monet. Num etiam majori hunc charitate, quam S. Johannem, affectum putabimus? cui hoc in animo, in ore, in calamo denique perpetuo erat: *chariſſimi, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt.* At hujus tanta charitate inflammati doctoris praeceptum eſt:

Siquis hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec AVE ei dixeritis.

Hic contra amator et miſericors noſter, non ſolum AVE ipſis dicendum, neque in domum recipiendos eos, ſed laudibus etiam invidioſis afficiendos, primariis muneribus, in [*] primiſque bibliothecis praeficiendos, hoc eſt, oleum igni, reſtinguendi cauſa, ultro ingerendum eſſe cenſet. Quo id tandem fine, quo conſilio? Ut, inquit, doceantur, et moderata ratione ad colloquia et amicas collationes invitentur. At enim tantum abeſt, ut ideo amice et humaniter complecti Haereticos ut doceantur debeamus, ut propter hoc ipſum, ne amice habeantur et inter nos tolerentur, ne docendi quidem ſint, velut jam tot Spiritus Sancti monitis probatum eſt. At habet fortaſſe ex ſanctis patribus, quo ipſe auctore ſic in amandis tuendiſque Haereticis omnes ſuperet ac relinquat. Haud vidi magis, quanquam ut demus ei auctorem non deeſſe, et quis omnium tam inſanus eſt, qui ullum ſatis idoneum auctorem contra perſpicuum Dei juſſum atque imperium inveniri poſſe ſibi perſuadeat? Et tamen compertiſſimae falſitatis eſt, quod de ſanctorum patrum auctoritate jacit. Quid enim dilucidius his Tertulliani verbis?
SS. Patres odiſſe et fugere Haereticos jubent.

Ratio conſtat, in primis illa, quod fides noſtra obſequium apoſtolo debeat, prohibenti quaeſtiones inire, novis vocibus aures accommodare, Haereticum poſt unam correptionem convenire, non poſt diſputationem. Adeo interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam Haeretici conveniendi: et hoc, unam ſcilicet, quia non eſt Chriſtianus, ne more Chriſtiani ſemel et iterum, et ſub duobus aut tribus teſtibus caſtigandus videretur: cum ob hoc ſit caſtigandus propter quod non ſit cum illo diſputandum. Deinde
De praeſcript.

NOT. [*] *Iſ. Caſaubonum* innuit, qui Thuani commendatione bibliothecae regiae Pariſienſi ab Henrico IV praepoſitus fuit.

inde quoniam nihil proficit congreſſio ſcripturarum *(id eſt, diſputatio ex ſacris bibliis)* niſi plane ut aut ſtomachi quis ineat everſionem aut cerebri. . .

Si Haeretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non a Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati Haereticorum nomen admittunt. Ita non Chriſtiani, nullum jus capiunt Chriſtianarum literarum: ad quos merito dicendum eſt, qui eſtis? quando, et unde veniſtis? quid in meo agitis, non mei?

Quid? Sanctiſſimus et fortiſſimus Dei martyr Cyprianus neſcivit charitatis leges, cum in libro de unitate eccleſiae ſcriberet, Haereticum cum ſe Chriſtianum profitetur, non magis Chriſtianum eſſe, quam Diabolus ſit Chriſtus, quoties Chriſtum eſſe ſe mentitur? Cum etiam in epiſtola ad Cornelium LV tam diligenter ab Haereticorum congreſſu cavendum moneret:

Declinent fortiter, et evitent dilectiſſimi fratres noſtri verba et colloquia eorum, quorum ſermo ut cancer ſerpit. Nulla cum talibus commercia copulentur, nulla convivia, nulla colloquia miſceantur, ſimuſque ab eis tam ſeparati, quam ſunt illi ab eccleſia profugi.

Quid? Magnus Antonius tam fuit ab omni charitate alienus, crudus, et, ut Æſchyli verbis utar,

Σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος,

Animoque ferreo et perfectus ex petra,

ut non ipſe ſolum infinitum in Haereticos odium haberet, neque id aut precibus mitigari, aut vetuſtate ſedari pateretur, ſed illud etiam jam animam agens velut hereditatem aliquam ſuis relinqueret? Sic enim in vita ejus S. Athanaſius ſcribit:

Nunquam Manichaeis, aut aliis Haereticis ſaltem amicabilia verba largitus eſt, denuncians talium amicitiam atque ſermones perditionem eſſe animae. Sic etiam Arianos deteſtabatur, ut omnibus diceret, ad eos ne prope accedendum quidem eſſe.

Et verba moribundi haec ponit:

Haereticorum et Schiſmaticorum venena vitate, meumque in eos odium ſectamini. Scitis ipſi, quod nullus mihi ne pacificus quidem ſermo cum eis unquam fuerit.

Quid de Lucifero Sardiniae archiepiſcopo exiſtimabimus, qui ad ipſum imperatorem Conſtantium ſcribere non dubitat?

Tu, cum neges Dei filium, Gentilis aut Judaeus nobis es, teque cum tuis Arianis judicamus cultores omnium daemonum, et abominamur quo modo Judaeos.

3. de fid. cap. III. Cui ſic ſubſcribit S. Ambroſius, ut Haereticos *deteſtabiliores eſſe dicat ipſis Judaeis, qui carnem Chriſti crucifixerunt.* S. Chryſoſtomus in Matthaeum homil. XIII.

Haereticos a ſpiritu immundo obſeſſos et gentilibus eſſe pejores nemo dubitat.

Quinimmo contra Arianos ſine ulla dubitatione ſic nos argumentari docet:

Arianus eſt. Ergo Diabolus eſt.

Eat nunc bene veſtitus ille, qui Haereticos pro fratribus haberi poſtulat, eoſque ſemper honorifice ſibi appellatos gloriatur; eat, inquam, et omnes hos ſanctiſſimos patres *ſive praepoſtero religionis ardore, ſive ambitione ac rerum novandarum ſtudio* a recte conſulendo aberraſſe inſimulet? Quidni enim et hoc audeat, quem alia nihilo minori faſtu et ſupercilio, atque adeo intolerabili prorſus fraude ac fallacia ad ſublevandam Haereticorum cauſam, et onerandos invidia Catholicos in medium attuliſſe apparet? In quo non eſt quod quis maledicum me conviciatorem potius, quam accuſatorem, vel dicam Catholicorum adverſus Haereticos et eorum nutriculas propugnatorem, exiſtimet, niſi de fraude, quod inſimulo (nam de faſtu ut ipſe taceam, nemo non, ex iis quae modo attuli, judicare poſſit, cum qui ſe charitate et prudentia in complectendis et ad officium reducendis Haereticis tot patres ſanctiſſimos ſuperare, ſibique quod eos fugerit, uni potiſſimum, aut certe non niſi tribus aliquibus aut quatuor praeter ipſum laicis in mentem veniſſe perſuaſum habeat, altius quam pro hominis laici ſuique cognoſcentis modo animos ſublatos gerere) niſi, inquam, de fraude planiſſimum fecero, ut eam ab iſto admiſſam eſſe nemini non vel meridiana luce clarius appareat, quin non modo maledicus habear et improbiſſimus alieni nominis atque honoris depeculator, ſed mihi etiam calumniae notam ad caput affigant, et nemo me aditu, congreſſione, ſermone dignum judicet, omneſque, tam boni quam improbi, velut infauſti et obſcoeni ominis avem deteſtentur et abhorreant, non recuſo. Sin autem facio ut me promiſſum optima fide exſolviſſe omnes intelligant, quanquam, ut iſtius factum quam maxima concipi poteſt indignatio et odium excipiat, impetrare me tacente res ipſa debet, ſatis tamen habiturum me polliceor, ſi rationem officii mei lectoribus probem, neque a genere et inſtituto vitae meae, cujus is ſtatus eſt ut omnis mihi cura atque opera poſita ſit in Catholica eccleſia defendenda, alienum feciſſe videar. Cum igitur iſte Haereticorum patronus, *inſigne moeſtis praeſidium reis,* ſi ſuperis placet, religionis diſſidium (nam *haereſin* dicere

Faſtus Simonis [illegible]

cere

cere religio ei fuit) negaſſet ſanari poſſe, niſi alia, quam quae hactenus adhibita ſint remedia, adhibeantur, quod uſus rerum doceat, proſcriptione, exilio, ferro et flammis irritari potius et confirmari Haereticorum animos, quam ad ſanitatem revocari: alia porro remedia illa, inſtitutionem, doctrinam, colloquia et amicas collationes eſſe dixiſſet: ad extremum non modo plebem ab Haereticis deceptam (nam ſi de his tantum qui credunt Haereticis locutus eſſet, poſſet excuſari, quia eadem fere S. Auguſtini ſententia quodam tempore fuerit, quam tamen ipſe poſtea rerum uſu doctum abjeciſſe aut ſaltem correxiſſe ſe teſtatur, ut mox demonſtrabitur) ſed neque ipſa etiam capita, hoc eſt, Haereticos et exitialium doctrinarum auctores poenis afficiendos eſſe, magiſque docendo quam jubendo, magis monendo quam minando profici contendit. In quo quantum a ſacris ſcripturis et a ſanctorum patrum cum exemplis tum praeceptis diſſideat, ſatis ſuperque jam comprobavimus, neque id tamen hoc loco agito. Gravius enim eſt, quod ſequitur:

Atqui S. Auguſt. experimentis ſe probaſſe ait, multis prodeſſe cogi ad fidem, ut mox parebit.

Et certe, ſi verum amamus, in ſacrae antiquitatis vetuſtis omnibus monumentis nullum ſupplicii de Sectariis ſumpti ac probati exemplum extare fateamur neceſſe eſt, eccleſiamque priſcam a cruore fundendo ſemper abhorruiſſe; quod ſi quando accidit, id pii vere epiſcopi deteſtati ſunt, ut in Priſcilliano paruit, qui exitialis doctrinae auctor a Maximo, alioqui bono principe, cum ſectatoribus ſuis capitali ſupplicio affectus eſt, licet B. Martinus ab imperatore ſponſionem elicuiſſet, nihil cruentum contra reos conſtitutum iri, et Itacium epiſcopum alioſque inſtigatores ſedulo monuiſſet, ut ab accuſatione deſiſterent, nam et id ceteri epiſcopi tanquam inique factum improbaverunt. Et quanquam Itacius, callido jam ſcelere perfecto, invidiam verens fruſtra ſe ſubtraxiſſet, tamen poſtea a Theogniſto damnatus eſt: vixque B. Martinus, ac non niſi extrema neceſſitate cogente, cum illa Itacianae partis communione miſceri voluit. Ipſe B. Ambroſius in relatione ſua teſtatur, cum Treviris eſſet, abſtinuiſſe ſe ab iis epiſcopis qui Itacio communicabant, et a fide devios ad necem petebant.

Deum immortalem! (nec enim poſſum quin exclamem) haec tam inania, tam falſa, tamque facilem refutandi rationem habentia, talem virum effutire auſum, nec veritum eſſe, ne ipſae chartae, cum ſcribebat, ejuſmodi flagitia reſpuerent, ac vocem hanc mitterent:

Τί σε χρὴ τοῦτ' ἔειπες
Μαψιδίως ψεύδεα;

Si enim nullum Haeretici, qui jure caeſus videretur, exemplum ex omni antiquitate repetere potuit, quidni ad amicos illos ſuos Calvinum, Bezam, et iis vicinum Benedictum Aretium retulit, cauſamque occiſorum Michaelis Serveti et Valentini Gentilis ab iis ſciſcitatus eſt? quidni libros eorum, quibus jus faſque eſſe defendunt, gladio in Haereticos animadvertere, inſpexit? quid afferet? quid reſpondebit? non ſe libros Haereticorum legere ſolere? atqui laudare eos et honorificentiſſime appellare ſolet. An vero juriſconſultum eſſe ſe, nec theologorum controverſiis implicari? ſiquidem Luthero dicto audiens eſſe poſſet, id ei crederem. Divinis enim rebus admiſcere ſe juriſconſultos nullo modo Lutherus voluit, id quod ſatis loquitur totum caput de juriſconſultis, quod in colloquiis ipſius convivialibus extat, Francofurti anno 1569. in folio, ut loquuntur, impreſſis: quorum folio 406. b. et 395. haec leguntur verba, quae me pudor meus hic afferre non ſineret, niſi intereſſe exiſtimarem ei contra quem hic diſputo, ſanctitatis et gravitatis Haereticorum, quos ipſe defendendos ſuſcepit, guſtum aliquem praeberi. Sic igitur tertius ille Elias, *divinitus*, ut Beza ait, *inſpiratus* de juriſconſulti officio praecipit:

Juriſtae quid eccleſia ſit, neſciunt, etiamſi libros ſuos omnes pervolutent; quare neque hic reformari ab iis aut in ordinem redigi nos patiemur. Omnis juriſta eſt aut nequiſta, aut ignoriſta, qui in divinis rebus minus ſapit quam occiſa ſus. Et ſi quando juriſconſultum audis de rebus divinis diſputare cupientem, ſic ei dicito: Audi ſis, homo non magni pretii: juriſconſulto non prius his de rebus verba facere fas eſto, quam porcam ventris crepitum edentem audierit. Tum me meminerit aſſurgere, nudatoque reverenter capite, genuque modice ac concinne flexo, dicat: Hanc tibi, veneranda domina avia, gratiam habeo: ſiquidem diu jam factum eſt, cum concionem non audivi. Non enim nos quid ſit eccleſia doceri ab ipſis volumus. In ſumma, niſi me remiſſionem peccatorum rogabunt juriſtae, et humiles ad evangelium adrepent, ita terroris eos et metus implebo, ut quo ſe vertant, neſciant. Equidem jura ac leges non intelligo, veruntamen dominus ſum legum in rebus quae conſcientiam attingunt.

Ut paratragoedat carnifex!

Verum, eſto non legerit illos theologorum ſuorum de puniendis Haereticis libros: num tandem ne conſtitutiones quidem imperatorias legit, et domi quoque ſuae hoſpes eſt? non plenus eſt titulus codicis de Haereticis, legibus in eam rem latis? non imperatores Valentinianus et Martianus paulo poſt S. Auguſtini obitum lege lata ſanxerunt?

Nemo hujuſmodi libros et ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſervare. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur. *Eos vero*

qui diſcendi ſtudio audiverint de haereſi diſputantes, decem librarum auri jubemus ſubire diſpendium. Ultimo etiam ſupplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint. Omnes vero hujuſmodi chartae et libri incendio concrementur, ut facinoroſae perverſitatis veſtigia flammis combuſta depereant.

Ecce Sectarios ultimo ſupplicio affici juſſos.

Sed non probatae fortaſſis ſanctis viris, inprimis epiſcopis, leges ejuſmodi aut poenae fuerunt. Id quidem vel ex his paucis quae ſubjiciam patrum verbis (quorum plura, ſi ſit opus, laudare poſſim) perſpicuum fiet. Cum juſſu Macarii praefecti nonnulli ex Donatiſtis in Africa ultimo ſupplicio affecti fuiſſent, Donatiſtae occaſionem hanc criminandi eccleſiam Catholicam arripuere, tanquam ſanguinariam, neque jam Catholicam, ſed Macarianam, omneſque Catholicos Macarianorum nomine nuncuparunt. Quid cenſebimus animi tum fuiſſe vere piis epiſcopis? an, quod noſter iſte cognitor Haereticorum ac defenſor pro certo et explorato confirmat, caedem Haereticorum *tanquam injuſte factam improbarunt, ac deteſtati ſunt?* nihil minus. Quinimmo Macarium Moyſis, Phineae et Eliae zelum, et amoris erga Deum legemque ejus abundantiam, imitatum laudeque maxima digniſſimum judicarunt. Id unus Optatus, qui S. Auguſtino in libro I contra Parmen. eſt *venerabilis memoriae, et catholicae communionis epiſcopus, neque S. Ambroſio diſpar*, quem S. Fulgentius *ſanctum* vocat, *nec minus fidelem Pauli interpretem fuiſſe tradit*, *quam aut Ambroſium aut Auguſtinum*, toto libro tertio ad Parmenianum copioſe exſequitur, unde pauca haec delibare et huc referre viſum eſt:

Auguſt. epiſt. CLXI, et CLXIV. et 2 cont. Petil. c. XXXIX.

Lib. II. ad Monimum.

> Sed arguendus, ut dicitis, vobis videtur eſſe Macarius, quod ſine voluntate Dei aeſtimatis eum hoc facere non potuiſſe, *ut ſcilicet propter haereſin vel ſchiſma quenquam occideret.* Habetis hujuſmodi reos antiquos. Accuſate primo Moyſen, ipſum legiſlatorem, qui cum de monte Sinai deſcenderet, prope necdum propoſitis tabulis legis, in quibus ſcriptum erat, Non occides, tria millia hominum uno momento juſſit occidi. Macarium differte paulisper. Phineen filium ſacerdotis in judicium provocate: ſi tamen inveneritis praeter Deum aliquem judicem. Nam quod accuſatis in perſona ipſius (*caedem ſcilicet ejus qui contra legem peccarit*) a Deo laudatum eſt, quod in zelo Dei factum eſt. Placuit Deo homicidium, quia vindicatum eſt adulterium. Supprimite interim voces, quibus in Macarium dictat invidia: recurrite primum ad Eliam prophetam, qui in rivo Cyſon, cum pareret voluntati Dei, quadraginta et quadringentos occidit. Sed forte dicitis illos merito occiſos, iſtos indigne. Nunquam ſequitur vindicta, niſi ejus anteceſſerit cauſa. Vindicavit, ut diximus, Moyſes, vindicavit Helias, vindicavit Phinees, vindicavit Macarius. Videamus quare Moyſes tria millia hominum juſſerit occidi, quare Phinees duos, et quare Elias quadringentos et quinquaginta, quare Macarius duos, quorum nomina quotidie flabello invidiae ventilatis. Omnes conſtat in eos vindicaſſe, a quibus juſſio divina contempta eſt, &c.

Cap. v.

Quid? S. Hieronymus non videtur ſatis aſſentiri Optato, cum in illa apoſtoli verba, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, ita commentatur:

> Igitur ſcintilla ſtatim, ut apparuerit, exſtinguenda eſt, et fermentum a maſſa vicina ſemovendum, ſecandae putridae carnes, et ſcabioſum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, et pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arius una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt.

De ipſis porro legibus imperatorum, quae capitis poena haereſin ſanciunt, quid antiquitati videretur, non obſcure S. Leo docet epiſtola XCI ad Turbium cap. I.

Priſcilliani ſupplicium palam hic S. Leo probat. Animadverte, lector, quid de eventu ſupplicii de Priſc. ſumpti S. Leo judicet.

> Merito, inquit, patres noſtri, ſub quorum temporibus haereſis haec nefanda (Priſcillianiſtarum) prorupit, per totum mundum inſtanter agere, ut impius furor ab univerſa eccleſia pelleretur, quando etiam principes mundi hanc ſacrilegam amentiam ita deteſtati ſunt, ut auctores ejus ac pleroſque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent. Et profuit diu iſta diſtrictio eccleſiaſticae lenitati, quae etſi ſacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.

Satin' plane et diſerte affirmat, leges quae corporali ſupplicio et enſe non ſolum auctores errorum Haereticos, ſed etiam pertinaciores et importuniores eorum diſcipulos proſequuntur, prodeſſe et adjumento eſſe eccleſiae? contra quam iſte malae cauſae patronus pugnat, cum ſcribit:

At S. Auguſtinus multis utile eſſe ait, ut cogantur. Tuo judicio eadem ſuperſtitioni et haereſi, quae ſapientiae, vis eſt.

> Alia omnia pro arbitrio civilis magiſtratus atque adeo principis ſanciuntur; ſola religio non imperatur, ſed ex praecepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratia bene praeparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animos, quam frangunt aut perſuadent. Quod de ſua illa ſapientia tam magnifice praedicavere Stoici, hoc nos multo juſtius de religione dixerimus. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habet momentum vexatio et dolor, et quicquid aliud in-

commodi

commodi eſt; virtute, quae ab illa praecepta opinione ingeneratur, obruitur; nihil illi eorum, quae ferenda ſunt, diſplicet.

Nimirum S. Leo vere pius epiſcopus non fuit. Id enim ſolum adhuc inſaniae hominis deeſt, ut nominatim Optatum et Leonem vere pios neget fuiſſe. Univerſe enim jam affirmavit, nullius vere pii epiſcopi ex veteri memoria exemplum afferri poſſe, qui ſupplicium de Haereticis ſumptum non dico probarit, ſed non abhorruerit, et ut inique factum deteſtatus fuerit. At enim Auguſtinus, inquit, vir pio ac miti ingenio Haereticorum ſuppliciis nunquam ſubſcripſit. Quid tu? an vero ſi quid ipſe pius ac mitis non probavit, Optatum et Leonem, qui probarunt, continuo impios ac crudeles exiſtimare oportet? poteſt laudari vir ſanctiſſimus etiam ſine aliena contumelia, atque adeo ad duorum iſtorum maximi nominis virorum laudem adjungi, ut triumviratus vere piorum epiſcoporum, qui noſtrae ſe adverſus iſtum Haereticorum adſtipulatorem ſententiae auctores profiteantur, exiſtat. Legat, qui volet, epiſt. ejus CLXVI, in qua imperatores optimos enumerat, qui ſeveriſſimas in Haereticos leges tulerunt, unumque ſolum Julianum Apoſtatam propter Catholicorum odium Haereticis faviſſe ſcribit. Verbum quod improbet, nedum quod ut rem iniquam deteſtetur Haereticorum ſupplicia, nullum ibi legitur. In epiſtola quidem ejuſdem quinquageſima ad Bonifacium, ei, quod iſte dicit, manifeſto repugnans et adverſarium invenias. Nam iſte credi poſtulat, ſi quando de ſectario ſumptum eſſet ſupplicium, pios epiſcopos id factum noluiſſe, abhorruiſſe, et ut impium atque eccleſiae in poſteritatem pernicioſum deteſtatos fuiſſe. Auguſtinus contra docet, *nolle quidem eccleſiam ullum Haereticum occidi, tamen ſicut domus David non potuit habere pacem, niſi Abſalon exſtingueretur, et David pace regni moerorem mortis filii conſolatus eſt, ſic cum ex neceſſitate nonnunquam Haereticorum nonnullorum mors ſequitur, Eccleſiam materni cordis dolorem lenire ac ſanare tantorum liberatione populorum.* Quis non videat, quantum inter utriuſque ſententiam interſit? iſte quidem Haereticorum caedem epiſcopis vere piis impiam et cum peſſimo publico conjunctam videri ſolitam contendit. Eandem Auguſt. acerbam quidem, ſed utilem tot populis, planeque nonnunquam neceſſariam ab eccleſia judicari. Neque tamen id uno tantum loco Auguſt. docet, ſed plurimis libris ſuam de poenis Haereticorum ſententiam teſtatam reliquit. At ſecundo quidem Retractationum libro, itemque epiſt. XLVIII et L, mutaſſe ac vertiſſe ſe fatetur priorem illam ſuam ſententiam, qua Haereticos ad fidem non cogendos eſſe cenſuerat, idque ſe veris victum et multorum exemplis, qui coacti ex Donatiſtis optimi Catholici evaſerint, edoctum feciſſe affirmat: quod etiam lib. II contra lit. Petiliani c. LXXXII, LXXXIII, et LXXXIV, tract. II. in Joh. Epiſt. CLXIV, CXXXVII, CLXXII, et aliis locis compluribus luculente facit. Quorum guſtum aliquem lectori hoc loco praeberi non ab re futurum puto, ſaltem ut de veritate eorum, quae noſter iſte δοκησίσοφος ad faciendam Romanae eccleſiae Hiſpaniſque invidiam pro Haereticis attulit, facilius rectiuſque exiſtimari poſſit. Quando igitur quaeritur utrum Haeretici et Schiſmatici ſint a principibus puniendi, tota quaeſtio eſt (ait Auguſtinus) utrum nihil mali agant. Qui, ſi male agunt, habent unde timeant eos, qui non ſine cauſa gladium portant. Si roges pro quo peccato puniantur Haeretici: *Pro ſacrilegio* (reſpondebit) *Haeretici erroris digniſſimas poenas luerent, etiamſi neminem violenta inſania laedere auderent: occidunt animas, affliguntur in corpore: ſempiternas mortes faciunt, et temporales perpeti ſe conqueruntur.* Sed et ſacrarum literarum teſtimonio comprobat, haereſin et ſchiſma ſive ſummi ſacerdotis deſertionem in Core, Datan, et Abiron gravius fuiſſe punitum, quam populi idololatriam et vituli adorationem. *Non autem puniretur*, inquit, *atrocius, niſi gravius penderetur et ſceleratius commiſſum.*

[N. B. Neceſſitatem interdum evenire occidendi Haereticos.]

[Sciolus.]

[Audin' temporales mortes Haereticorum?]

Donatiſtas, inquit, per ordinatas a Deo poteſtates cohiberi atque corrigi, mihi non videtur inutile; nam de multorum jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem Catholicam tenent atque defendunt, et a priſtino errore ſe liberatos eſſe laetantur, ut eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen neſcio qua vi conſuetudinis nullo modo in melius mutari cogitarent, niſi hoc terrore perculſi, ſolicitam mentem ad conſiderationem veritatis intenderent, ne forte non pro juſtitia, ſed pro perverſitate et praeſumptione hominum, ipſas temporales moleſtias infructuoſa et vana tolerantia paterentur.

[Lethargici.]

Iſtos ergo atroces quondam inimicos, pacem et quietem noſtram variis violentiarum et inſidiarum generibus graviter inſectantes, ſi ſic contemneremus et toleraremus, ut nihil omnino quod ad eos terrendos et corrigendos valere poſſit excogitaretur et ageretur a nobis, vere malum pro malo redderemus. Si enim quiſquam inimicum ſuum, periculoſis febribus phreneticum factum, currere videret in praeceps, nonne tunc potius malum pro malo redderet, ſi eum ſic currere permitteret, quam ſi corripiendum ligandumque curaret? et tamen tunc ei moleſtiſſimus et adverſiſſimus videretur, quando utiliſſimus et miſericordiſſimus extitiſſet.

[Phrenetici.]

Sed et ex illis, qui quadam vetuſta ſocordia premebantur, nonne ſalutariter regula tem-
poralium

[Lethargici.]

poralium moleſtiarum excutiendi erant, ut tanquam de ſomno lethargico emergerent, et in ſalutem unitatis evigilarent? Quam multi nunc ex ipſis nobiſcum gaudentes, priſtinum pondus pernicioſi ſui erroris accuſant, et fatentur nos ſibi moleſtos eſſe debuiſſe, ne tanquam mortifero ſomno, ita morbo veternoſae conſuetudinis interirent? At enim quibuſdam iſta non proſunt. Numquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia; de quibus ſcriptum eſt: Fruſtra flagellavi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Puto tamen quia dilectione, non odio flagellati ſunt. Non omnis qui parcit, amicus eſt; nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici. Melius eſt cum ſeveritate diligere, quam cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, et qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus ambos amat.

Hem tibi noſter Sinon.

Corripiuntur negligentes paſtores, et dicitur eis: Errantem ovem non revocaſtis, perditam non inquiſiſtis. Et vos oves Chriſti eſtis, o Donatiſtae; characterem dominicum portatis in ſacramento, quod accepiſtis: ſed erratis et peritis. Non ideo vobis diſpliceamus, quia revocamus errantes, et quaerimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini monentis, ut vos ad ejus ovile redire COGAMUS, quam conſentiamus voluntati ovium errantium, ut perire vos permittamus.

Putas nullam vim adhibendam eſſe homini, ut ab erroris pernicie liberetur? cum ipſum Deum (quo nemo nos utilius diligit) certiſſimis exemplis hoc facere videas, et Chriſtum audias dicentem: Nemo venit ad me, niſi quem pater attraxerit; quod fit in cordibus omnium, qui ſe ad eum divinae iracundiae timore convertunt. Melius eſt quidem (quis dubitaverit?) ad Deum colendum doctrina homines duci, quam poenae timore vel dolore compelli: ſed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus) prius timore vel dolore COGI, ut poſtea poſſint doceri, aut quod jam verbis didicere opere ſectari.

Experientia S. Auguſtini.

Et dubitas nunc, lector, quin ſanctus hic vir meritiſſimo cum iſto Haereticorum advocato expoſtulare injuriam poſſit, qui ſe ſententiae illius, quam ipſe omni vi acerrime oppugnaſſet, auctorem laudare nihil veritus fuerit? non etiam videtur tibi totidem verbis in eum, quibus Philippica octava in Fuſium Calenum Cicero uti poſſe?

Hoc intereſt, Calene, inter meam ſententiam et tuam; ego nolo quenquam civem committere, ut morte multandus ſit; tu, etiamſi commiſerit, conſervandum putas. In corpore ſi quid ejuſmodi eſt quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat. Sic in reipublicae corpore, ut totum ſalvum ſit, quicquid eſt peſtiferum AMPUTETUR. Dura vox. Multo illa durior: Salvi ſint improbi, ſcelerati, impii: deleantur innocentes, honeſti, boni, tota reſpublica. Iracunde agere me tecum ſolere dixiſti. Non eſt ita. Vehementer me agere fateor: iracunde nego. Omnino iraſci amicis non temere ſoleo, ne ſi merentur quidem. Itaque ſine verborum contumelia a te diſſentire poſſum, ſine animi ſummo dolore non poſſum.

Sed hoc loco veniam mihi, lector, dabis, ſi ingenio meo utar, et ſyllogiſmum ex ſuperioribus fabricatum exhibeam. Is eſt ad hanc faciem:

S. Auguſtinus non deteſtatur, ſed magnopere probat Haereticos morte temporali affici, eorumque ſectatores ad fidem cogi, velut jam paruit.

S. Auguſtinus fuit epiſcopus pio et miti ingenio, quemadmodum iſte de eo fatetur.

Ergo quidam epiſcopi vere pii, ſive pio et miti ingenio praediti, non deteſtati ſunt, ſed magnopere probarunt Haereticos morte temporali affici, eorumque ſectatores ad fidem cogi.

Nunc inibi ſum ut promiſſa exſolvam, quodque ſupra de fraude et fallacia hominis iſtius, tam multiplicis falſitatis jam a me convicti, demonſtraturum me recepi, bona fide repraeſentem. Ut igitur doceat, vere pios epiſcopos heroicis illis temporibus ſupplicia de Haereticis, et, ut ipſe loquitur, *exitialis doctrinae auctoribus*, tanquam inique facta improbare et deteſtari ſolitos, B. Martini et S. Ambroſii exemplo utitur; quorum ille pro Haereticis imperatorem deprecatus fuerit, et eorum accuſatorem Itacium epiſcopum, ad deponendam accuſationem, ut iniquam et ſcelere implicatam, impellere cohortatione ſua ſtuduerit: uterque autem damnatione et ſupplicio Haereticorum offenſi a communione accuſatorum ſe removerint: ejuſque totius negotii Sulpicium Severum auctorem laudat; neque ego fidem ejus accuſo hactenus. Sed quod veram cauſam qua impulſus Martinus caedem Haereticorum deprecatus, quaque et ipſe et Ambroſius accuſatoribus offenſi fuerint, tam belle diſſimulat et nec verbo attingit, ejuſmodi eſt, ut ſi res ipſa minus magnum ad rempublicam momentum haberet, calliditas et ſolertia ſutelarum forenſium ſtudioſo non indigna riſum potius quam bilem movere nobis poſſet. Si enim duobus ſponſione inter ſe certantibus ni Romae ex ſummo tholo baſilicae S. Petri Venetiae adſpici poſſint, ego captus arbitrer me ſuper ſummo illo tholo conſtitiſſe et culmen turris ad S. Marci quae

Accipe nunc Danaum inſidias, artemque Sinonis.

Vene-

Venetiis eſt, clare perſpexiſſe affirmem, hacque captioſa mea ſententia alterum, qui videri Romae Venetias negarat, ut ſponſione victum ſe fateatur inducam, parum profecto viri boni officio functus merito ab omnibus exiſtimer: ſiquidem intelligunt qui dialectica didicere, in ejuſmodi ſententia ſtropham ac fallaciam ex ſophiſtarum penu et inſtrumento petitam ineſſe, quam ſive compoſitionis ſive non cauſae ut cauſae appelles licet. Neque enim aut tum, cum Romae eſſem, aut ea cauſa, quod de ſummo culmine proſpicerem, Venetias vidi, quod verba unito et conjuncto ſenſu accepta ſignificant, ſed tum, nempe cum Venetiis eſſem, et ideo, quod ad ipſam turrim propius acceſſiſſem. At eandem nobis veterator iſte Novatorum captans gratiam in re longe maximi momenti fraudem ſciens ac prudens admittit.

B. Martinus ſupplicium Haereticorum ab imperatore deprecatus eſt, et eos, qui accuſatione ſua Haereticis cauſam mortis attuliſſent, congreſſu et amicitia indignos judicavit.

Ergo vere pii epiſcopi ſupplicia Haereticorum, ut inique facta, improbare et deteſtari ſoliti fuerunt.

Verum omnino prius eſt, ſed captioſe prolatum, ob verae cauſae diſſimulationem, de qua tamen, ex iis quae modo attulimus, nemini non niſi prorſus tardo atque hebeti oboriri ſuſpicio poteſt. Quis enim temere credat, B. Martinum Haereticis ſupplicia, tanquam iniqua, deprecari potuiſſe, qui eadam S. Auguſtino et Optato ſanctiſſimis et prudentiſſimis epiſcopis tantopere probata et laudata, ac S. Leoni Priſcillianum hunc, de cujus ſupplicio nominatim agit iſte, recte atque ordine et utiliter caeſum videri ſciat? aliam aliquam igitur fuiſſe cauſam oportet, quae B. Martinum ad impediendas Haereticorum poenas impulerit. Eam duplicem Sulpicius Severus pónit. Unam, quia nefas judicabat (quid? occidi Haereticos? nequaquam, erant enim, ut ipſe ait Sulpicius, *luce indigniſſimi*, ſed) imperatorem laicum in cauſa eccleſiaſtica poteſtatem exercere et capitis epiſcopos condemnare. Altera eſt, quod epiſcopum non decere exiſtimabat accuſatorem in cauſa capitali agere. Utrumque vir ſanctus improbavit, cum quod per ſe res iniquitatem haberet, tum quod mali moris et exempli videretur; quod exemplum ſi imitarentur Haeretici, non ſolum nullam malo medicinam futuram, ſed multo majores etiam ac diuturniores in eccleſia turbas naſcituras praevidebat. Quod quidem ipſe accuſationis illius Itacianae exitus comprobavit. Eodem enim modo quo Itacius foede (ut ait Sulpicius) ſupplicando reſcriptum ab imperatore de pellendis Haereticis abſtulit, ipſi quoque, largitionibus corrupto Macedonio officiorum magiſtro, reſcriptum priori adverſarium de reſtituendis in eccleſias ſuas Haereticis ab imperatore extorſerunt: ex quo non ſolum non relevari peſtem illam eccleſiae, ſed vehementius ingraveſcere neceſſe erat. Haec conſiderans S. Martinus, et *diſſentiens*, ut ait Horatius, *exemplo trahenti perniciem veniens in aevum*, non Priſcilliani miſericordia ductus (quem, ut Haereticus non fuiſſet, propter multa turpiter ac ſcelerate ab eo facta morte affici tamen oportebat) poenis eorum intercedendum putavit. Id quod haec Sulpicii verba perſpicue confirmant:

Tum vero Idacius atque Itacius epiſcopi acrius inſtare, arbitrantes poſſe inter initia malum comprimi: ſed parum ſanis conſiliis ſaeculares judices adeunt, ut eorum decretis atque executionibus Haeretici urbibus pellerentur. Igitur poſt multa et foeda Idacio ſupplicante elicitur ab imp. reſcriptum.

Priſcillianus, ne ab epiſcopis audiretur, ad principem provocavit, permiſſumque id noſtrorum inconſtantia, qui aut ſententiam in refragantem ferre debuerant, aut, ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis epiſcopis audientiam reſervare, non cauſam imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Secuti etiam accuſatores, Idacius et Itacius epiſcopi: quorum ſtudium in expugnandis Haereticis non reprehenderem, ſi non ſtudio vincendi plus quam oportuit certaſſent. Ac mea quidem ſententia eſt, mihi tam reos quam accuſatores diſplicere. Certe Itacium nihil penſi, nihil ſancti habuiſſe definio. Fuit enim audax, loquax, impudens, ſumptuoſus, ventri et gulae plurimum impertiens.

Martinus apud Treviros conſtitutus non deſinebat increpare Itacium ut ab accuſatione deſiſteret: Maximum orare, ut ſanguine infelicium abſtineret: ſatis ſuperque ſufficere, ut epiſcopali ſententia Haeretici judicati eccleſiis pellerentur. Novum eſſe et inauditum nefas, ut cauſam eccleſiae judex ſaeculi judicaret.

Hoc fere modo homines luce indigniſſimi peſſimo exemplo necati aut exſiliis mulctati. Sic igitur in gentem ab iſto fraudem factam eſſe tam clarum feci, *quam ſolis radii olim eſſe, cum ſudum eſt, ſolent*, meumque adeo in ea detegenda et coarguenda ſtudium ac laborem ipſis etiam hominis iſtius amicis et aſſeclis minime improbatum iri confido.

In libro cui titulus Gaſp. Scioppii Eccleſiaſticus auctoritati Sereniſſimi D. Jacobi Magnae Britanniae Regis oppoſitus, *Hartbergae excuſo an* 1611 *in* 4°, *haec inſeruntur adverſus Thuanum, a pag.* 370, *ad pag.* 408.

CAPUT CVIII.

Quamvis Deus ipſe perſpicue doceat, impios Haereticos ſacerdoti ſuperbe contradicentes ad verum non converti, ac propterea morte affici debere; et ex illorum morte hanc ad ceteros utilitatem redire, quod negligentiam eorum ac ſecuritatem timor diſcutit (nam, ut Publius ait, *metus cum venit, rarum habet ſomnus locum*) et adjumenta ſive inſtrumenta veri a falſo diſcernendi, quae alioquin latent recondita, expromere, et rebus propoſitis accommodare docet, eoque pacto tandem ad veritatis cognitionem perducit; ſicut et Ariſtoteles homines metu ad conſultandum excitari ſcribit; quamvis igitur haec omnia Deus ipſe tam plane nos doceat, adhuc tamen audet *Thuanus* Pariſienſis ille praeſes, *in hiſtoriarum ſuarum praefatione*, hinc potiſſimum in Romanam Eccleſiam et in Hiſpanos invidiam quaerere, quod Haereticos eccleſiae contradicentes ſummo ſupplicio afficiant, et cum timorem illorum ſupplicio in diſcipulis excitatum, tum alia quoque poenarum iiſdem diſcipulis propoſitarum genera, magnas ad eos emendandos vires habere exiſtimant. Hos Thuanus *ſive praepoſtero religionis ardore, ſive ambitione ac rerum novandarum ſtudio perperam conſulere* omni vi pugnat. Tametſi autem ejus improbitatem et mentiendi libidinem in *Scaligero Hypobolimaeo* a pag. 326. uſque ad pag. 336. ita detexi et convici, ut omnium eorum judicio qui vel ingenui ſanguinis guttam habent, improbiſſimum ac mendaciſſimum ſcriptorem videri oporteat; quia tamen multis ſe pro Catholico probat, et ſimulatione illa ſua non modo Galliae ſuae nocere ſtudet, dum ſententia ſua libros, quibus Haeretici plurimum jugulantur, proſcribit, itemque operam *Societatis Jeſu*, praetoriae illius caſtrorum Dei cohortis tot rebus praeclare ac feliciter pro eccleſia inclytae, calumniatur et infamat; ſed etiam non minimum ad ſeditiones ac perduelliones illas, quae vos Auſtriacos principes tot jam annis exercent, momentum attulit, quandoquidem populis veſtris ab Haereticis in errorem abductis, Galliae regis exemplum, et Thuani, velut hominis Catholici curiaeque Pariſienſis praeſidis, diſputatio (velut ego in nonnullorum libellis legi, quos vobis obtulerunt) ipſis *Autonomiam*, ſive credendi quicquid libeat poteſtatem, a vobis deberi uſque adeo perſuaſit, ut vobis tanquam tyrannis et libertatis ſuae oppreſſoribus arma inferre et invitis quicquid vellent extorquere nequaquam religioni ſibi duxerint: Propter has ergo cauſas operam minime luſurus videor, ſi hominis illius in mentiendo impudentiam denuo breviter ob oculos omnibus ponam. Ait igitur primum omnium, *veram et unicam rationem qua religionis diſſidium ſanari queat, eſſe, ut cum Haereticis et cum exitialium doctrinarum auctoribus, non minus quam cum eorum diſcipulis, agatur, potius docendo quam jubendo, magis monendo quam minando*, ſive, *ut doceantur et colloquia amicaeque collocutiones cum ipſis inſtituantur.* Sed Spiritus Sanctus, velut audivimus, vetat ejuſmodi porcis et canibus ſanctum dari, aut margaritas projici, atque adeo nec Ave eis dici permittit, ſed jubet eos devitari et ejici, tanquam homines peſtilentes et contagioſos, quorum ſermo velut cancer ſerpat, et qui monita ac ſanam doctrinam neque audiant neque intelligant. Proverb. ix. *Noli arguere* ſive erudire *deriſorem, ne oderit te.* Proverb. xxii. *Ejice deriſorem, et exibit cum eo jurgium.* Proverb. xiii. *Qui illuſor eſt, non audit cum arguitur.* Proverb. xxiii. *In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquii tui.* Iſai. xxvi. *Etiamſi miſereamur impio, tamen non diſcet juſtitiam, quia in terra ſanctorum inique egit, propterea non videbit gloriam Domini.* Pſalm i. *Impii non reſurgunt in concilio juſtorum*, id eſt, non convertuntur, etiamſi juſti eos moneant, doceant et errorem eorum condemnent. Uter igitur mentitus videri debet, Spiritus Sanctus an Thuanus? Deinde contendit, *animadverſionem*, ſive poenam Haereticorum, *eſſe crudelitatem et ex odio eorum proficiſci.* Sed quanto aliter Seneca 1. de Ira cap. xv. *Corrigi nequeunt* (inquit) *nihilque in illis ſpei bonae capax eſt. Tollantur ergo e coetu mortalium, facturi pejora quae contingunt, et, quo uno modo poſſunt, deſinant eſſe mali. Sed hoc ſine odio. Quid enim eſt cur oderim eum, cui tum maxime proſum, cum illum ſibi eripio? num quis membra ſua odit tunc cum abſcindit? non eſt illa ira, ſed miſera curatio. Non ira, ſed ratio eſt, a ſanis inutilia ſecernere.* Sed etiam ſi ex odio iſtos Dei et eccleſiae hoſtes occidamus, num non eo ipſo laudem meremur? an neſcit juſſiſſe Deum Deuteron. xiii. *Si tibi perſuadere voluerit frater, filius, filia, aut uxor, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, ut religionem mutes, non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis et occultes eum, ſed ſtatim interficies eum, ut omnis Iſrael audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei ſimile?* an uſque eo in hiſtoria ſacra imperitus et hoſpes eſt, ut neſciat *quid de pio rege Aſa ſcriptum ſit* 2 Par. xv. *Intravit ex more ad corroborandum foedus, ut quaereret Dominum Deum PATRUM ſuorum in toto corde et tota anima ſua. Si quis autem*, inquit, *non quaeſierit Dominum Deum*

patrum

Thuanus eccleſiae in puniendis Haereticis morem calumniatur.

Ejus hypocriſis et improbitas.

Idem ſeditionum concitator.

Et peſſime de Auſtriacis meritus.

Primum Thuani mendacium.

Spiritus Sanctus vetat cum Haereticis diſputari.

Aliud Thuani mendacium.

Haereticorum poena eſt opus non odii, ſed charitatis.

Falſam religionem ſequentes odio habendi et interficiendi.

Edictum de occidendis falſam religionem amplectentibus.

patrum ſuorum (id eſt, ſi a majorum ſuorum religione veteri defecerit) *moriatur a minimo uſque ad maximum, a viro uſque ad mulierem. Juraveruntque Domino voce magna cum exſeſecratione: praeſtititque eis Dominus requiem per circuitum.* Non legit quae Deus Zach. xiii. de ſtatu eccleſiae praedixit. *Cum quis falſum prophetaverit*, ſive ſcripturas falſo interpretatus fuerit, *occident eum pater et mater ejus qui eum genuerunt.* Quod etiam Luc. xiv. Chriſtus ita confirmat: *ſi quis venit ad me, et non odit patrem ſuum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſi nimirum ab iis impediatur Chriſti gloria ſeu vera religio. Matth. x. *Veni ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, et filiam adverſus matrem ſuam, utque inimici hominis fiant, qui ſunt domeſtici ejus. Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Utrius ergo magis probari debet ratio, Thuani an ipſius Dei? Hoc amplius affirmat Thuanus: *Certe, ſi verum amamus, neceſſe eſt fateamur, in omnibus vetuſtis ſacrae antiquitatis monumentis nullum exſtare exemplum ſupplicii de Sectariis ſumpti ac probati, et eccleſiam priſcam a cruore fundendo ſemper abhorruiſſe; quod ſi quando accidit exitialis doctrinae auctores occidi, id vere pii epiſcopi deteſtati ſunt, in primis ſanctus Auguſtinus, vir pio et miti ingenio, qui ſuppliciis Haereticorum nunquam ſubſcripſit.* Audiamus ergo S. Auguſtinum, cujus epiſt. XLVIII ad Vincentium haec ſunt verba, &c.

Aliud Thuani mendacium.

Mea primitus ſententia ERAT, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae cum tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium converſa eſt: quam nunc videmus ita hujus veſtrae animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea nunquam fuiſſe credatur. Ita aliae multae, quae mihi nominatim commemorabantur: ut ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſa recte intelligi poſſe, quod ſcriptum eſt, Da ſapienti occaſionem, et ſapientior erit] *Haec ille.* Alia ejuſdem S. Patris verba afferre nihil attinet, cum et ex *Hypobolimaeo* peti poſſint, et haec ipſa Thuanum, plus quam ipſius honori expediat, impudentiſſimi mendacii convincant, ut mirari ſatis nequeam qua fronte adhuc in curiam venire, et collegiis ſuis, in quibus viros inſigni virtute et eruditione praeditos inveniri complures conſentaneum eſt, os ſuum oſtendere audeat. Apud nos quidem Germanos, ſi quis calceolarius, ſartor, piſtor, faber ferrarius, aut quicunque opifex, in tam turpi mendacio, imo falſi crimine deprehenſus eſſet, ceteri ejus congreſſum et convictum ſtatim adverſarentur, et ex communi corporatorum, ſive ejuſdem artificii opificum, ſententia ipſi, velut infami, opere faciundo interdiceretur. An autem in Gallia ceterarum praeſides impune et ſalvo honore tam aperte mentiri, et mendacio ſuo non tantum eccleſiae Romanae invidiam conflare, ſed etiam imperatoris, regis Catholici, ceterorumque principum Auſtriacorum ſubditis rebellandi auctoritatem dare, eoſque velut vocis [illegible] ad arma ſtimulare poſſint, id ego collegis ejus, ſenatoribus ampliſſimis, conſiderandum relinquo: quos ut patriae amantes eſſe ejuſque et utilitati et gloriae ſervire adeo non moleſte fero, ut etiam eo nomine commendare eos non dubitem, ſic nec ab ipſis vitio nimis datum iri confido, quod, ut matris eccleſiae honori ne deſim et auguſtis patronis meis ſtudiis conſiliarii ac miniſtri operam navem, fraudem et impoſturam Thuani detegendam ſuſcepi.

S. Auguſtinus prius putavit cum Haereticis agendum verbis.
Sed poſtea mutavit ſententiam.
Quanti referat Thuani, ipſum non eſſe Germanum.

CAPUT. CIX.

TAMETSI autem Thuanus nec Auguſtini nec aliorum ſanctorum patrum, imprimiſque eorum verbis quos in *Hypobolimaeo* teſtes citavi, convinci poſſet, tamen vel ſolam S. Bibliorum auctoritatem merito, ne tam aperte mentiretur, revereri debuit. Quid enim? non fuit Moyſes vir pio ac miti ingenio, de quo Num. xii. legimus, fuiſſe *virum mitiſſimum ſuper omnes homines, qui morabantur in terra?* At enim hic uſque eo zelo et odio in apoſtatas indulſit (quem Thuanus *praepoſterum religionis ardorem* vocat) ut praeciperet Levitis: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, et occidat unuſquiſque fratrem et amicum et proximum ſuum*; eiſdemque XXIII hominum millibus occiſis ſic rem geſtam gratularetur: *Conſecraſtis manus veſtras Domino; unuſquiſque in filio et fratre ſuo, ut detur vobis benedictio*, Exod. xxxii. Sed etiam *Eliam* credibile non eſt minori quam Thuanum charitate et manſuetudine affectum fuiſſe. Is tamen octingentos et quinquaginta ſacerdotes ac prophetas Baal gladio occidit, 3 Reg. xviii. quod *fatuitate ſua deciperent populum Iſrael*, velut Jerem. xxiii. Legimus *David* quoque, de cujus manſuetudine, quamque vel ab eorum qui majeſtatis imminutae ac laeſae crimen commiſerant ſanguine fundendo abhorruerit, paſſim ſcriptura teſtatur, quanto eorum odio flagraret qui a vera religione deſciviſſent, non uno loco profeſſus eſt. v. g. Pſal. xxv. *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Odivi eccleſiam malignantium, et cum impiis non ſedebo.* Pſal. cxxxviii. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, et inimici facti ſunt mihi.* Pſal. c. *Facientes praevaricationes odivi.* *In matutino* (id eſt, ſtatim ut exorti fuerant)

Thuani mendacium ex ſacris literis refutatum.
Moſes vir mitiſſimus.
Zelo religionis multa hominum millia occidit.
Idem zelus in Elia.
Et in Davide
David Haereticos ſtatim interficiebat.

rant *interficiebam omnes peccatores terrae* (qui terram ſive homines terrae, *peccare faciunt in verbo*, Iſai. xxix. *qui per dulces ſermones et benedictiones ſeducunt corda innocentium*, Rom. xvi.) *ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Sed ut nulla talis odii piorum

Thuanus ſenſu communi convincitur.

erga eos qui a vera pietate deſciſcunt, exempla extarent, ſenſus tamen communis, ſi quem modo habet Thuanus, cum docere poterat, fieri non poſſe, quin quo quiſque eſt religioſior, eo pejus impium omninoque a religione ſua quam veram putat alienum oderit; non modo quia natura fert, ut amemus eos qui eadem quae nos volunt, ac propterea res omnes, amicos et inimicos, multo autem magis deos et genios tutelares nobiſcum communes habent, ſtudiiſque ac vitae genere, inprimis autem religionis profeſſione nobis ſunt ſimiles, odio autem habeamus, ſaltem non amemus, qui contraria volunt, nobiſcum diſſident, neque eorum quae maxime vellemus, commune quicquam habere volunt: ſed etiam

In religione diſſidentes non poſſunt mutuo ſe amare.

quia putant omnes recte de Deo ſentientibus, itaque ut oportet eum colentibus, omnia proſpere cedere; illos autem qui vel in utroque vel in alterutro peccant, ſive aut nullam aut falſam religionem ſectantibus, Deum cum ipſis, tum aliis qui negotii quicquam cum iis commiſcent, infeſtum reddere et mala multa arceſſere perſuaſum habent. In quo quam non fallantur, *conſultatio* mea *de Germaniae ſtatu*, cum ratione tum ſacrarum literarum auctoritate, pluribus demonſtrat. Et vero poterit Thuanus, vel de ſe conjectura ducta, omnis

Thuanus ſuos inimicos propinquis ſuis vult exoſos eſſe.

hujus rei veritatem nullo negotio, ſi velit, invenire. Si enim ego Pariſios nunc venirem, et ipſe me a liberis, ſi quos habet, ac propinquis ſuis honorifice accipi videret, non eſt dubium quin ſe ab iis negligi exiſtimaturus, ac propterea non mediocriter ſtomachaturus ſit, quod in eum benevoli eſſe ſuſtineant, cui ſe mendaciſſimum et improbiſſimum hominem videri, et ita palam libris editis deſcribi et infamari non ignorent. *Iraſcimur*, ait Ariſtoteles, *etiam iis qui bono animo ſunt*, ſive qui nihil commoventur aut turbantur, *in rebus noſtris adverſis. Nam ſignificationem dant ſe parvi nos facere*, quaſi videlicet res frivola ac nullius momenti eis videatur, quod male nobiſcum agitur. Et quidem tanto magis iis ſuccenſemus, quanto aequius videtur eos nobiſcum condoleſcere et injuria nobis facta commoveri, tanquam quos vel ſanguinis propinquitate conjunctos habemus, vel beneficiis affecimus. Nam ad propinquos honos et ignominia noſtra pertingit, ut eos parvi facere quam bene vel male audiamus minime omnium conveniat. Qui vero beneficia a nobis acceperunt, niſi tuendo honore noſtro et odio habendis iis qui nos infamant gratiam referre ſtudeant, perinde ſe gerere videntur, (ait Ariſtoteles) quaſi ab inferioribus acceperint, ſive quaſi nos debitum ipſis tribuerimus, neque laudem aut gratiam eo nomine mereamur.

Quidni ergo velit Deus ut iraſcamur Haereticis? A quibus habetur pro mendaci.

Quid igitur? non iraſci putabimus Deum, ſi nos in tanta quam ipſi faciunt Haeretici contumelia aequis animis eſſe, et inimicis ejus familiariter uti videat? ipſe enimvero eſt, qui ſe *fortem zelotem* eſſe omniaque ad ſuam gloriam referre profitetur. Quomodo ergo non ſtomachetur, ſe pro mendaci, perfido et foedifrago ab Haereticis haberi? ipſe foedus cum eccleſia fecit, *eamque ſibi in ſempiternum ſponſavit* (Oſeae ii.) juravitque ſuum Spiritum ſuumque verbum ab ore ſeminis Chriſti ſive epiſcoporum, in primis ejus cujus fidem non defuturam dixit, in aeternum non receſſurum, velut paulo prius ipſa ſcripturae verba quibus id continetur audivimus. Sed Haeretici eccleſiam non in ſempiternum ſponſatam eſſe, adulteramque factam et paſtores eccleſiae jam inde ab apoſtolicis temporibus uſque ad Lutherum Spiritu et verbo Dei caruiſſe dicunt, quemadmodum ſupra Lutheri verba de Concilio Nicaeno primo retuli: *in eo non fuiſſe ullum epiſcopum qui vel minimum de Spiritu Sancto olfecerit.* Atqui, ut Baptiſtes ait Joan. iii. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur: qui autem accipit ejus teſtimonium, ſignavit quia Deus verax eſt.* Quaſi dicat: Deus Iſai. lix. Chriſto, quem miſſurus erat, promiſit, ſe Spiritum et verbum ſuum ei daturum: *Cum venerit Sioni redemptor ejus, hoc foedus meum cum eis: Spiritus meus qui eſt in te, Chriſte, et verba mea quae poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo uſque in ſempiternum.* Itaque non eſt dubitandum, quin Chriſtus qui jam venit, verbum Dei loquatur. Et qui ei credit, ſignavit, ſive confirmavit, ac velut conſignatis tabulis ſive chirographo ſuo ac ſigillo teſtatus eſt, ſe Deum pro veraci habere. Ergo qui Chriſto non credit, ſignavit quod Deus ſit mendax, neque praeſtet quod foedere facto promiſit. At enim ibidem Deus promiſit, etiam ab ore ſeminis Chriſti, ſive apoſtolorum, et ab ore ſeminis ſeminis Chriſti, ſive epiſcoporum, Spiritum ac verbum ſuum in ſempiternum non receſſurum: quemadmodum etiam Chriſtus Joh. xiv. eundem Spiritum ac verbum ſuum apoſtolis daturum ſe promittit, *ut maneat in eis uſque in aeternum*; quibus etiam dixit Lucae x. et Matth. x. *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Ergo qui credit apoſtolis, ſemini Chriſti, et ſemini apoſtolorum, ſive epiſcopis, *ſignavit quia Deus eſt verax; qui non credit* (quod Haeretici faciunt) *ſignavit Deum eſſe mendacem.* Cui ergo jam veriſimile fiat, Deum tanta contumelia non inflammari ad iram, ut faciat nobis quod ipſe minatur Ezech. xxi. *Ecce ego ejiciam gladium meum de vagina ſua, et occidam in te juſtum et impium?* quomodo etiam nobis non ſuccenſeat, ſi, cum filii ejus ſimus, nihil ignominia ejus commoveamur, ſed ultro etiam inimicis ejus

amici

Qui amant Deum, oderunt hoſtes Dei.

amici vivamus? *Viri mali*, ait Salomon Prov. xxviii. *qui derelinquunt legem, non cogitant judicium*, ut blaſphemantem ſcilicet impium judicent, et in eum zelo Dei accendantur, quemadmodum Judas monet ut Haereticos *arguamus judicatos:* ſed ultro etiam *laudant impium: qui autem cuſtodiunt legem et inquirunt Dominum, animadvertunt omnia*, ſive, nihil ad contumeliam Dei pertinens negligunt, *et ſuccenduntur contra impium*. Ita ſuccenſus fuit Phinees, qui arrepto pugione principem tribus Simeon occidit, eaque caede manus ſuas Domino conſecravit, ut Deus zelum hunc (*praepoſterum illum*, ut Thuanus ait, *religionis ardorem*) *ei ad juſtitiam reputarit et ſummo ſacerdotio remuneratus fuerit*, Numer. xxv. et Pſalm. cv. Rex autem Joſaphat, quamvis *ambularet in viis David patris ſui, et pergeret in praeceptis Dei, faceretque rectum in conſpectu Domini, et cor ejus audacia ſumpta propter vias Domini lucos de Juda ſuſtuliſſet, ac ſacerdotes et Levitas cum libro legis Domini in cunctas urbes Juda, ut populum docerent, miſiſſet*, ſive, quamvis Lutheri et Calvini haereſin ex regno ſuo proſcripſiſſet, et Jeſuitis ac monachis collegia ac monaſteria et eccleſias aedificaſſet (3 *Reg*. xxii. et 2 *Par*. xvii.) quia tamen cum haeretico ſive idololatrico rege Iſraeel foedus ejuſmodi fecit, quo eoſdem amicos et inimicos uterque habere tenebatur, ejuſque filiam haereticam filio ſuo uxorem dedit, Deum irritavit, velut ei propheta nunciat, 2 Par. xix. *Impio praebes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris: et idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te* (quaſi dicat: ſed es tamen bonus Catholicus, putaſque bona opera tibi ad ſalutem eſſe neceſſaria, neque ſolam fidem ſufficere) *eo quod abſtuleris lucos de Juda, et praeparaveris cor tuum ut requireres Deum patrum tuorum*, ſive, ut veterem religionem quam majores tui habuerunt defenderes. Cum autem, hac admonitione contempta, denuo cum Ochizia rege Calviniano, *cujus opera fuerunt impiiſſima, amicitias iniiſſet*, ut claſſem ad petendum ex Ophix aurum communibus impenſis inſtruerent, ex alio propheta audivit: *Quia habuiſti foedus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritaeque ſunt naves, nec potuerunt ire in Ophix*, 2 Par. xx. Quamvis autem ab hac poſtea regis haeretici ſocietate diſceſſerit, neque denuo claſſem ſuam cum navibus ejus jungere voluerit (3 *Reg*. xxii.) nequaquam tamen inter bonos ſive perfectos Judae reges numerari meruit. *Praeter David et Ezechiam et Joſiam omnes reges Juda peccatum commiſerunt: nam reliquerunt legem Altiſſimi, et contempſerunt timorem Dei*, Eccli. xlix. Joſaphat enim non quidem Altiſſimi legem reliquit, ſed tamen timorem Dei contempſit, ſive, non timuit Dei offenſam ex inito cum Haereticis foedere excipere. Hoc exemplo moniti rectiſſime vos, auguſti principes, facitis, cum foedus omne cum Haereticis et Infidelibus abominamini; ac ne inducias quidem pactumque de damno mutuo non inferendo, niſi populorum veſtrorum rationibus ita poſtulantibus, facere, potiuſque veſtra ipſi vineta caedere, (quod quidem in vobis eſt) quam gladium ab exequendo Catholicae religionis zelo feriatum geſtare animum inducitis. Felicitatem quam Galliae reges jam inde a *Franciſco primo*, ex ſuſcepto adverſus veſtros majores Haereticorum patrocinio initoque cum Turcis foedere, perceperunt, non eſt cur eis invideatis. Faxit Deus, ut hodierno regi pupillo ſanguis ille, quem per matrem reginam chriſtianiſſimam et religioſiſſimam a vobis Auſtriacis traxit, veſtram apoſtolicae ſedis obſervantiam, et Catholicae fidei, adverſus Infideles et Infidelibus longe execrabiliores Haereticos, armis et legibus defendendae ardorem excitet, neque quid Thuanus eique ſimiles apoſtatae et relapſi Haeretici, Catholicos ſe profeſſi, aliter conſulant, in aures admittere libeat, quippe quos mendacii atque fraudis palam convincere tam nullius ſit negotii, velut etiam ex his ejuſdem Thuani verbis conſtare poteſt: *Alia omnia pro arbitrio civilis magiſtratus atque adeo principis ſanciuntur, ſola religio non imperatur. Ad eam cruciatus nihil valent. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habet momentum vexatio et dolor*, &c. Deus enim diſertim et perſpicue contrarium affirmat, Iſai xxviii. *Tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui*. Et Prov. xxix. *Virga et correptio tribuunt ſapientiam*. Prov. xxvi. *Virga in dorſo imprudentium*. Prov. xxii. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, et virga diſciplinae fugabit eam*. Prov. x. *Virga in dorſo ejus qui indiget corde*. Pſal. lxxvii. *Non crediderunt in mirabilibus ejus. Itaque ira Dei aſcendit ſuper eos, et occidit pingues eorum. Cum autem occideret eos, quaerebant eum, et revertebantur*, ad veram nempe religionem. Pſal. lxxxii. *Perſequere eos in ira tua: imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum, Domine*.

Zelus Phineae.

Joſaphat erat quidem rex pius.

Tamen Haereticos non valde oderat.

Itaque Deus eum punivit.

Auſtriacorum erga Haereticos odium.

Aliud Thuani mendacium.

CAPUT CX.

FIT quidem (fateor) ut nonnullis nihil virga, nihil flagella, nihil cruciatus proſint, quorum ſcilicet adulta et corroborata eſt malitia, qui non tantum laqueo conſuetudinis vel auctoritatis, aut alicujus ſive cupiditatis ſive metus captivi tenentur, ſed etiam *ſunt in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis* (ut Simon ille Magus *Act*. viii.) qui, ut vel plus ſapere videantur et diſcipulos poſt ſe abducant vel ventri ſuo ſerviant vel denique aegre fa-

Qui ſint illi, qui neque dolore neque metu convertantur.

ciant paſtoribus et epiſcopis, diſſenſiones et offendicula facere et *ſectas perditionis blaſphemantes non metuunt introducere* (2 Petri ii.) quos etiam propterea Deus Satanae excaecandos et indurandos tradit; ut non magis quam Pharo, tot plagis affecti, reſipiſcere queant.

Quare tales occidi Deum juſſerit.

Nihilominus etiam hos occidi Deus jubet *Deuter.* xvii. non ut ipſi bonam mentem capeſſant (*nec enim reſurgunt* tales *impii in judicio et conſilio juſtorum*, Pſalm i. et *omnes* qui ſic ad Haereſin *ingrediuntur, non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitae*, Prov. ii. *Et ſi contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo*, ſive, ſi eum in mortario velut hordeum in piſtillo piſaveris, *non auferes ab eo ſtultitiam ejus*, Prov. xxvii.)

Ne alii eorum ſequantur exemplum.

ſed ut cunctus populus audiens timeat, et nullus deinceps intumeſcat ſuperbia, ſive, ut ne malum ſerpat, alioſque adhuc ſanos inficiat (*Haereticorum ſermo*, ait Paulus 2 Tim. ii. *velut cancer ſerpit*) ſive, *ne ferax lupus rapiat et diſpergat oves*, Joh. x.

Thuani ſtoliditas.

Perinde ergo facit Thuanus ac ſi diceret: Membrum hoc cancro jam infectum eſt: Itaque amputari non debet, nihil enim proficies, nec ſanitatem ei reſtitues. *Vel:* Lupus nunquam mutabit naturam, quin rapiat et diſpergat oves ubicunque poteſt: Itaque nihil proficiet paſtor perſequendo, occidendo, et de medio tollendo lupo. Quo ecquid tandem dici poteſt ſtultius? Deus *Ezech.* xxxiv. disertim eccleſiae ſuae tanquam ovibus gregis ſuae ita pollicetur:

Deus eccleſiae promittit fore ut lupi de medio tollantur. Haeretici autem ſunt lupi.

Faciam cum eis pactum pacis, et ceſſare faciam beſtias peſſimas (lupos) *de terra, ut ſecuri dormiant in ſaltibus*, ſive, *ut ſint in terra ſua abſque timore. Non erunt ultra in rapinam, neque beſtiae terrae devorabunt eos, ſed habitabunt confidenter, abſque ullo terrore.* Sed Chriſtus Matth. vii. Paulus Act xx. et 2 Tim. iii. et Petrus 2 Pet. ii. *multos lupos* fore praedicunt *rapaces, minime parcentes gregi, ac propterea paſtores jubent vigilare, attendere*, et conſequenter facere ceſſare beſtias illas peſſimas. Quomodo autem? hoc Davidis prophetia noviſſima praemonſtrat, cum eccleſiae Chriſti ſtatum deſcribit, 2 Reg. xxiii. *Praevaricatores* (qui in Dominum praevaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt, *Oſe* v. ſive, quia diſcipulos poſt ſe abduxerunt *Act.* xx.)

Itaque tollendi.
Non manu: Sed ferro et igni.
Membra cancro infecta, amputanda.

quaſi ſpinae evellentur univerſi; quae non tolluntur manibus: et ſi quis tangere ſive de medio auferre *voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque ſuccenſae comburentur ad nihilum.* Sed etiam Paulus qui cancro, contagioſiſſimo malo, ſimiles facit Haereticos, quid adverſus eos ſuſcipi debeat ſatis manifeſte demonſtrat, 1 Cor. v. *Auferte malum ex vobis ipſis: neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* fieri nimirum nequit, quin alios Haeretici ſuo fermento ſive *doctrina et hypocriſi* (velut Chriſtus *fermentum* interpretatur Lucae xii, et Marci xvi.) aut etiam velut cancer cetera membra, inficiant et corrumpant. Itaque auferendi ſunt, ac velut membrum jam infectum ferro recidendi. *In corpore* (ait Tullius) *ſi quid ejuſmodi eſt quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat. Sic in reipublicae corpore, ut totum ſalvum ſit, quicquid eſt peſtiferum amputetur.* Dura vox. *Multo iſta durior: Salvi ſint improbi, ſcelerati, impii: deleantur innocentes, honeſti, boni, tota reſpublica.* Atque hoc ipſum Salomo dicit loco ſaepius laudato, Prov. xix. *Peſtilente mulctato*, ſeu flagellato, *ſtultus ſapientior erit*; tametſi iis verbis non modo reliquos ſanos ſervari, ſed hoc amplius, jam contagione aliquantum affectos perſanari et reſtitui docemur, ut etiam Haereticorum diſcipulos recte atque utiliter timore aut dolore ad eccleſiam redigi ſeu compelli nequaquam

Thuani ſtoliditas.

ſine impudentiae aut inſcientiae nota *Thuanus* neget, cujus hujuſmodi fere eſt ratio: Oves jam longe a grege aberrarunt: Itaque fruſtra paſtor abit eas quaerere, et durus eſt ſi inventas in humeros imponat, et ſua ſponte ſive ſuis pedibus redire ad gregem renitentes reportet. *Vel:* Oves ſcabioſae factae ſunt: Itaque fruſtra eas paſtor a reliquo grege ſecludit et ſanare conatur. *Vel:* Oves ſublatae ſunt a fure et latrone, qui non per oſtium in ovile ingreſſus eſt, ſed aliunde aſcendit: Itaque nihil proficit paſtor, ſi eas vindicet et a fure repetat. Quis autem non vel hinc videat quid ſit illud quod Thuanus quaerit, tametſi verbis id promere non audeat?

Thuanus in anguſtias redigitur.

Alterutrum quidem certe ſentire ſe fateatur neceſſe eſt. Aut Proteſtantes non errare, non languere, non aegrotare, non ſcabioſos, nec furibus et latronibus in praedam ac rapinam eſſe, ſive, Calvinum et Lutherum non eſſe fures, latrones, lupos, haereticos, et qui credunt illis, atque ab eccleſia Catholica diſceſſerunt, non errare, non perire: Aut boni paſtoris et epiſcopi non eſſe quaerere oves

Ut vel improbus, vel ſtolidus videri neceſſe habeat.

quae erraront, neque inventas, ſi ſua ſponte redire nolint, in humeros imponere et reportare, nec aegras ſeu ſcabioſas ſanare, nec raptas denique vindicare. Si prius ſentit Thuanus, oportet ut ſit inſignis impudentiae nebulo, qui ſe Catholicum profiteatur, et tamen Haereticos errare neget. Sin poſterius; ſtultiſſimus eſt, et dignior qui Abderitarum dictatorem agat quam qui conſilio regio praeſit. Nam quod dicat ille, interdum medicinam aegris non prodeſſe; quod quaeritur non inveniri; quod furto ablatum eſt,

Etiamſi quidam inſanabiles, non tamen ideo negligenda medicina.

non recuperari: num tandem propterea officio ſuo deeſſe paſtores debent? an ignorat quid Seneca reſpondeat argumento, quo a ſanandis amici cujuſdam ſui vitiis jam adultis deterreri poterat: *Reſpice aetatem ejus jam duram et intractabilem. Non poteſt reformari. Tenera finguntur. An* (inquit Seneca) *profecturus ſim neſcio. Malo ſucceſſum mihi quam fidem deeſſe; nec deſperaveris etiam diutinos aegros poſſe ſanari, ſi contra intemperantiam ſteteris, ſi multa in-*

vitos

vitas et facere COEGERIS et pati. An etiam non legit quae S. Auguſtinus, quem tamen ipſe auctorem ſententiae ſuae habere ſe jactat, adverſus iſtam contradictionem diſputet? *At enim quibuſdam poenae ac moleſtiae non proſunt* (ſic enim ſibi contradici fingit, et reſpondit:) *Numquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia? de quibus ſcriptum eſt*, Jerem. ii. Fruſtra flagellavi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. *Et Jer.* v. Percuſſiſti eos, et non doluerunt: attriviſti eos, et renuerunt accipere diſciplinam. *Puto tamen quia amore, non odio flagellati ſunt. Non omnis qui parcit, amicus eſt, nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici. Corripiuntur negligentes paſtores, et dicitur eis*, Ezech. xxxiv. Vae paſtoribus qui oves infirmas non conſolidaſtis, aegrotas non ſanaſtis, confractas non alligaſtis, abjectas non reduxiſtis, errantes non revocaſtis, perditas non quaeſiviſtis. *Et vos, o Donatiſtae, oves Chriſti eſtis, characterem Domini circumportatis in ſacramento quod accepiſtis. Sed erratis et peritis. Non ideo vobis diſpliceamus, quia revocamus errantes, et quaerimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini, monentis ut vos ad ejus ovile redire COGAMUS, quam conſentiamus voluntati ovium errantium, ut vos perire permittamus. Melius eſt quidem, (quis dubitat?) doctrina homines ad Deum colendum duci, quam poenae timore vel dolore compelli: ſed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus) prius timore vel dolore COGI, ut poſtea poſſint doceri, aut quod jam verbis didicere, opere ſectari.* Quod porro contendit Thuanus vexatione, proſcriptione, exilio, ferro et flammis ſive cruciatu et dolore non modo nihil profici, ſed animos quoque Haereticorum magis irritari et obſirmari: id quam vere dicat, partim ex iſtis quae jam in medium attuli, partim hinc quoque intelligi poteſt, quod perſpicue affirmat Deus, non poenas et dolores cur animis obſirmentur Haeretici cauſam eſſe, ſed quia illudunt, et ita, cur vincula ipſorum conſtringantur, ſive, cur a gratia Dei deſerti a Satana magis vinciantur, mereant, Iſai. xxviii. *Et nunc nolite illudere, ne forte conſtringantur vincula veſtra.* Prov. v. *Iniquitates ſuae CAPIUNT impium, et funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam* (quia pertinaciter in ſententia manſit et ex ſuperbia noluit obedire ſacerdotis imperio, occidetur, Deut. xvii) *et in multitudine ſtultitiae ſuae decipietur*, nam *ſtultitia impii ſupplantat greſſus ejus*, Prov. xix. Perſuaſio ſcilicet ſcientiae, qua ſibi ſapientior videtur epiſcopis et doctoribus nec eorum audit monita, Prov. xii. *Via ſtulti recta in oculis ejus: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Hujuſmodi ergo ſtultitiae ſive ſtultae perſuaſionis vis et multitudo decipit Haereticos, non virga, ſive poena: cujus Deus hanc eſſe vim teſtatur, ut fuget ſtultitiam, et velut gladius vinculum, quo cor ſtulti obligatum eſt, diſſolvat, Prov. xxii. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, et virga diſciplinae fugabit eam.* Utri ergo credi jam aequius putabimus, Deo an Thuano?

Haereticorum diſcipuli ſunt oves Chriſti, ſed errantes. Itaque debent a paſtoribus requiri.

Experientia S Auguſtini in cogendis Haereticis.

Aliud Thuani mendacium.

Quare Haeretici magis obdurentur.

CAPUT CXI.

Qui quod poſtremo ad eventum provocat, et ex eo quod vobis Auſtriacis, tibi praecipue, rex Catholice, negata Haereticis *Autonomia* male verterit, et provincias aliquot a ditione et imperio veſtro alienarit, male et imprudenter a vobis factum; contra regem Galliae, nuper certa *Franciſci Ravaillaci* manu caeſum, in permittenda Calviniſmi libertate multum vidiſſe, ex eoque feliciter et ex ſententia rem geſſiſſe, cogit; haud ſane ſcio, num plus etiam quam in ſuperioribus inſaniat. Si enim *Divus Philippus* tuus, rex Catholice, parens, propterea imprudenter feciſſe nulloque conſilio uſus videri debet, quod ob negatam Haereticis impietatis ac perfidiae ſuae libertatem Hollandiam ac Selandiam emiſit; quantam *Henrici Burbonii* imprudentiam vel ſtoliditatem fuiſſe oportebit, cui ſuſceptum Haereticorum patrocinium non unam alteramque provinciam, non regnum, non imperium, ſed ipſam vitam, atque utinam ne ſimul alterius vitae ſpem omnem eripuit? Quis eſt qui tam inopinato tanti regis ac bellatoris caſu non attonitus ſtatim Pſalmi verbis exclamandum putarit? *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, et praevaluit in vanitate ſua? Soles* quidem, ait poeta, *occidere et redire*, ſimiliterque provinciae amitti et recuperari *poſſunt*, ac fortaſſe novus aliquis jam orbis, qui Batavorum et Selandorum jacturam penſet, enaſcitur, ut denuo Pſaltae verbis gloriari, Philippe rex, poſſis: *Populus quem non cognovi ſervivit mihi:* ſed Burbonio, poſtquam *ſemel occidit brevis lux, nox eſt perpetua una dormienda*, neque quo jacturam ſoletur habet. *Viderunt oculi ejus interfectionem ſuam, et de furore Omnipotentis bibit. Donec atteratur coelum non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.* Quae tamen ita accipi velim, ut eum mala in hac vita accepiſſe, cumque occideretur Deum quaeſiiſſe, nequaquam deſperandum putem: ipſi quidem ſingulari alioquin aetatis noſtrae ornamento ſic eveniſſe, ceteris vero exemplo ejus doctiores fieri, neque committere ut eorum obitu plus Haeretici, Turcae et Athei, quam Catholici fideles ac pii doleant, ex animo precor atque opto. Veruntamen

Thuanus ex eventu conſilia judicat.

Utri felicius rem gerant, Galli an Hiſpani.

Quid lucri Galliae rex fecerit ex Haereticorum patrocinio.

Meum de exitu Galliae regis judicium.

Auſtriacorum mala unde veram originem duxerint.

runtamen ut longe plura etiam perdidiſſetis, neque eorum ſive recuperandorum ſive longe luculentiore ſorte compenſandorum ſpem ullam haberetis; nondum tamen vos quicquam in eo quod Haereticorum hoſtes vos profeſſi incrementis ipſorum reſtitiſtis, a prudentia alienum feciſſe inſimulari poteſtis, cum multae aliae cauſae commemorari queant, propter quas minus ex ſententia res adverſus Haereticos et rebelles veſtros ſubditos proceſſerit.

Negligentia nimia: erga miniſtros indulgentia. Eadem David laborare ſolitus.

Quid enim, ſi non nemo veſtrum alias res egit, neque condignam rebus tanti momenti diligentiam et proviſionem adhibuit, ac miniſtrorum fidei nimis confiſus fraudi eorum oportunum ſe praebuit, num tandem aliter multa cecidiſſe, neque quantum oportuit actum eſſe mirabimur? Davidem optimum ac ſapientiſſimum regem, qui *Pſal.* c. ſic de ſe gloriatur: *Facientes praevaricationem odivi: detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar:* Siba nihilominus ſervus Miphiboſeth officii ſpecie adeo circumvenit, ut omnia heri ſui bona ab eo dono acciperet.

Graviſſimas ejus poenas dedit.

Et quamvis non multo poſt fraudem ac mendacium ejus David perſpexiſſet, non modo crucem nequiſſimo mancipio non fixit, ſed etiam dimidium bonorum herilium ei reliquit. Et vero ſi bene calculum ponimus ac politice rem diſputamus, omnium calamitatum quae Davidem exercuerunt unquam, nimia ejus lenitas, quodque ſcelera familiarium, propinquorum ac filiorum ſuorum propter nimiam facilitatem et intempeſtivam clementiam vindicare non auderet, cauſa fuit, velut in *conſultatione mea de Germania* ex hiſtoria ſacra luculenter demonſtravi.

Auſtriacis facilitas et indulgentia ſua, noxia.

Quod ſi ergo nimia facilitas et quaedam diſciplinae diſſolutio (quam fere natura vobis Auſtriacis inſevit) multa miniſtros veſtros male docet, et horum peccati impunitas, aliorum libidinem ad idem tentandum accendit, non eſt quod aut praeter ſententiam multa vobis evenire miremur, aut cauſas mali longe arceſſamus.

Miniſtri principum eccleſiarum vexatores.

Quid autem? *Si anathema fuit in medio veſtri*, hoc eſt, ſi quid vobis inſciis miniſtri veſtri ſive jurium ſive bonorum eccleſiae invaſerunt, ſeque utilitati veſtrae vindicandis anathematis, ſive rebus Deo conſecratis, bene conſulere perperam exiſtimant: num tandem idem vobis, quod Joſuae fortiſſimo et ſanctiſſimo imperatori, uſu venire mirum eſt, ut ſcilicet exercitus veſter etiam in cauſa juſtiſſima ab inimicis Dei et eccleſiae ſuperetur?

Rerum Deo ſacrarum violatio quantum reipub. noceat.

Cum enim unus tantum vir ex toto exercitu Iſraelitico, inſciis ceteris, aliquid ſpoliorum urbis Jericho Deo conſecratorum attigiſſet, iratus Deus pavorem et fugam in copias Iſraeliticas immiſit, et non paucos eorum ab hoſtibus, quamvis impiis, caedi fecit. Quaerenti cauſam Joſue, reſpondit Deus: *Peccavit Iſrael, et praevaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, et furati ſunt atque mentiti, et abſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate: non ero ultra vobiſcum, donec conteratis eum qui hujus ſceleris reus eſt, et combuſſeritis eum cum liberis, jumentis et omni ſubſtantia ſua.* Et mox ad univerſum populum proclamans: *Anathema* (inquit) *in medio tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere*, Joſ. vii. Simile mendacium ac furtum ſive ſacrilegium in Anania et Saphira ſubita morte Petrus punivit. *Act.* v. Qui tamen de eo quod ipſi ad apoſtolorum pedes depoſituros ſe voverant, non de aliena largitione, delibatam partem retinuere, ut quam ingentis ſe ſceleris alligent illi, qui in res eccleſiae quas alii Deo conſecrarunt involant, vel hoc ſolo exemplo moniti ſcire poſſint.

Regum, res ac jura eccleſiae violantium, poena.

Regibus quidem ac principibus, qui opes eccleſiarum fiſco vindicant, vel etiam qui athei ſunt, nec Deo de rebus noſtris curae eſſe credunt, et velut veſte peregrina induuntur, ſimiliterque palatinis eorum miniſtris et conſiliariis, qui, propter eccleſiaſticorum hominum contemptum ac ſuperbiam, dominis ac patronis ſuis occupandorum vel retinendorum bonorum Deo ſacratorum auctores ſunt, merito metuendum eſt ne fidem prophetiae illius *Soph.* I. ſuo maximo malo impleant: *Et erit in die illa, viſitabo ſuper principes et ſuper filios regis, et ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina, et viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen* (qui in alienam domum, ſive in eccleſiam, intrat ejuſque bona attingit) *qui complent domum Domini ſui iniquitate et dolo, qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus et non faciet male. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in deſertum: et aedificabunt domos, et non habitabunt: et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum.* Hujuſmodi comminatio quantopere regibus, principibus ac regnis metuenda ſit, teſtatur *Carolus magnus* libro ſeptimo *Capitulorum*, ſive legum eccleſiaſticarum et civilium, *Pariſiis* anno 1588. editorum cap. CIV, et CV, et CLXXXVIII.

Caroli magni judicium de iis qui eccleſiis moleſti ſunt.

Novimus, inquit, multa regna et reges eorum propterea cecidiſſe, quia eccleſias ſpoliaverunt, reſque earum vaſtaverunt, abſtulerunt, alienaverunt vel diripuerunt, epiſcopiſque et ſacerdotibus, atque, quod magis eſt, eccleſiis eorum abſtulerunt, et pugnantibus, *ſive militibus*, loco ſtipendii dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt; ſed terga multi vulnerati et plures interfecti verterunt, regnaque et regiones, et, quod pejus eſt, regna coeleſtia perdiderunt, atque propriis hereditatibus caruerunt et hactenus carent, &c. Qualiter Dominus talium criminum ultrices poenas per Saracenos et alios populos venire permiſit, cunctis earum geſta legentibus liquet, et, niſi nos ab his caveamus, ſimilia nobis ſupervenire non dubitamus. Prohibemus ergo omnino *ſub poena*

ſacrilegii

ſacrilegii generaliter omnibus, cunctarum eccleſiaſticarum rerum invaſiones, vaſtationes, alienationes, ſacerdotumque et reliquorum ſervorum Dei oppreſſiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, &c. Si quis ex jure eccleſiaſtico hactenus noſtra largitate aliquid poſſedit, ſi illa deinceps habere voluerit, praecipimus ut ad proprios epiſcopos veniat, et ab eis et a praepoſitis eccleſiarum unde eſſe videntur, quocunque modo juſte potuerit, eam impetrare ſatagat, et nihil ex eis aliter ambiat aut concupiſcat,* vel accipiat, ne cupidum ſanctarum rerum ignis qui in eis eſt favilloſius exurat. Unde et in ſacris canonibus, Spiritu Dei conditis, decretum habetur ita: *Si quis oblata dederit vel acceperit praeter epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema ſit.* Scimus autem anathematos homines et in praeſenti ſaeculo infames eſſe ac perditos, et a conſortio fidelium in omnibus abſque pane et aqua fieri alienos, atque ſi abſque eccleſiae ſatisfactione de hac vita receſſerint, a regno Dei fore extorres. Quam foveam cavere diſſimulans vel recuſans, noſtra ſe ſciat per omnia ſocietate carere, quia non ſolum qui faciunt, ſed et qui facientibus prava conſentiunt, rei ſunt. Satius enim nobis eſt regnum non habere terrenum, quam aeternum perdere. Plus vero me credo Deum poſſe per ſanctorum ſuorum merita adjuvare, quam omnem militiam ſaecularem. Quapropter omnes ſcire cupimus, ſi ſuper his quibus fruimur bonis, univerſum mundum lucrari potuiſſemus, noſtram veſtraſque animas perdere noluiſſemus, nec ſe pro praedictis cupiditatibus perdere volentibus conſentire, &c. Hanc porro legem Carolo non modo aſſentiente ratamque habente, ſed ultro etiam poſtulante univerſo Germaniae Galliaeque populo, ad comitia Wormatiam anno 770 congregato latam fuiſſe, ex eorundem capitulorum libro VI. cap. CCLXXXV, diſcimus. Ibi enim legitur *generalis totius populi ſupplicatio apud principem pro ſacerdotum cauſa*, in qua etiam haec ſunt: Scimus res eccleſiae Deo eſſe ſacratas, ſcimus eas eſſe oblationes fidelium et pretia peccatorum; quapropter ſi quis eas ab eccleſiis, quibus a fidelibus collatae Deoque ſacratae ſunt, aufert, procul dubio ſacrilegium committit. Offerunt enim illas Deo fideles pro remiſſione peccatorum ſuorum, ac parentum et filiorum, aut pro quocunque voluerint, ad ſerviendum ex iis Deo in ſacrificiis, miſſarumque ſolenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, et ceteris divinis cultibus et eccleſiae utilitatibus. Qui ergo inde eas aufert, quid agit niſi ſacrilegium? Talis autem in ſacris canonibus *Anathema* pronunciatur. Scimus autem anathematos homines, vel ſacrilegos, non ſolum infames eſſe, ſed etiam a regno Dei extorres fieri, ſi in talibus defecerint, non dubitamus. Et hoc vobis omnibuſque fidelibus ſanctae Dei eccleſiae et noſtris notum eſſe cupimus, quod cum his, qui abſque voluntate aut conſenſu vel datione rectoris illius eccleſiae cui ipſae res juſte eſſe debentur, et maxime proprii epiſcopi, res eccleſiae a regibus petere aut retentare vel auferre aut invadere vel vaſtare praeſumpſerint, nec in hoſtem nec ad pugnam ire nec cibum ſumere, nec ad eccleſiam vel ad palatium aut in itinere pergere, nec etiam noſtros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora noſtra cum eorum pecoribus, aut ad paſtum ire, aut ſimul habitare, vel manere, nec ullam participationem cum eis, niſi pro emendatione ante publicam emendationem et eccleſiae ſatisfactionem, unquam ſcienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis, una cum eis nos et noſtri, quod abſit, pereamus. Scimus enim quia perit juſtus pro impio. Tales vero a nobis, ſi nos fideles habere vultis, ſegregate, et in ergaſtulum ſub publica poenitentia redigite, et poſtulata concedite. Ut ergo haec omnia a vobis et a nobis, ſive a ſucceſſoribus veſtris et noſtris futuris temporibus abſque ulla diſſimulatione conſerventur, ſcriptis eccleſiaſticis inſerere jubete, et inter veſtra capitula interpolare praecipite. Et capite inſequenti Carolus hoc eorum poſtulatum ſibi aequiſſimum videri affirmat, ſeque quod petierint lege lata mox ſancire velle pollicetur.

Ejuſdem ſanctio de ſecuritate et immunitate eccleſiaſtica.

Ejuſdem de excommunicatis judicium.

Carolus magn. plus clericorum, quam militum auxilio contidit.

Comitiorum Germaniae et Galliae adverſus Proteſtantes decretum

Ad quem finem eccleſiae fundatae fuerint.

Qui finem illum impediunt, ſunt ſacrilegi.

Et infames.

A regibus res eccleſiaſticas impetrantes ſunt infames.

Audiant Proteſtantes hunc receſſum Imperii.

CAPUT CXII.

ATQUE utinam eadem nepotibus Caroli mens manſiſſet! fortaſſe ſtaret adhuc imperium et regnum Carolingorum: Reſpublica quidem, certe Chriſtiana, minus multis cladibus ſaepe affecta fuiſſet. *Carolus* enim *Calvus* Galliae rex cum multa eccleſiaſticorum praedia, praecipue Rhemenſis epiſcopatus villas comitibus ſuis in beneficium dediſſet, quod metueret, ne ſi quando a fratribus bellum ſibi fieret, ſuorum ope deſtitueretur, quemadmodum ipſi facturos ſe minati fuerant, ſtatim ultorem Deum expertus eſt, Nordmannis in Galliam inundantibus, eamque ferro et flamma paſſim infeſtantibus, quibus etiam Carolus bonam Galliae partem cedere neceſſe habuit. Similiter *Carolus Craſſus*, quod theſauris eccleſiae Metenſis pacem a Nordmannis redemiſſet, occulto Dei judicio ita punitus fuit, ut ſui eum repudiarent, et imperiali ac regia dignitate exuerent, ipſeque vix panem ab Arnolpho imper. fratris ſui filio emendicare poſſet. Ipſe quoque *Arnolphus* pedicu-

Poena, quá Caroli M. poſteri fuerunt affecti, ob neglectum ſuperius decretum.

pediculari morbo conſumptus miſere periit, quia ipſo imperante ſacerdotes (ut Luitprandus auctor eſt) vincti trahebantur, nulla eccleſiaſticae juriſdictionis habita ratione. Ad extremum, cum nihil tot exemplis profectum eſſet, et anno 990, *Caroli* Lotharingiae ducis, Carolingorum ultimi, milites Rhemenſem civitatem proditione cepiſſent, totumque epiſcopatum illum depraedati eſſent, *omniaque principi ſuo etiam in locis ſacris licere dicerent*, fidem comminationi ſuae ſupra prolatae facturus Deus, ut Carolus ab Hugone Capeto caperetur, et cum ipſo Carolingi extinguerentur permiſit. Sapientiores his fuerunt illi ex Saxonibus Germaniae reges et imperatores. *Henricus* enim *Auceps* proelium cum Hunnis commiſſurus, tametſi cauſam juſtiſſimam tuebatur, quod tamen anathema in exercitu ſuo eſſe ſciret, multis laicis imperatorum largitione res ſacras poſſidentibus, ipſis quoque eccleſiaſticis ſimoniae palam obnoxiis, votum Deo fecit de criminibus ejuſmodi penitus recidendis et ex regno ſuo proſcribendis, ſi victoria potitus eſſet. In quo Deus ipſi annuit, ut eo conflictu XXXVI. M. Hunnorum caeſi fuerint. Ejus filius *Otto Magnus* cum a fratre Henrico rebelli ingenti exercitu undique ſeptus eſſet, plurimique ejus milites ad hoſtem transfugerent, ac Germanus quidam princeps, qui magna militum manu ei ſuppetias venerat, quod ſibi ab eo in tantas redacto anguſtias nihil negatum iri perſuaſum haberet, ea fiducia Abbatiam Laureſheimenſem, ex cujus opibus ſtipendium militi ſuo perſolveret, donari petiiſſet; hujuſmodi oratione improbitatem ejus coram univerſo exercitu confutavit: *Obedire Deo magis oportere, quam hominibus. Quis ſapiens non videat te haec non humilitate petitionis, ſed comminationis auctoritate dixiſſe? Scriptum eſt:* Nolite ſanctum dare canibus. *Itaque ſi vis cum ceteris Infidelibus ad hoſtes transfugere, quanto citius tanto melius.* Princeps ergo tanta regis conſtantia perculſus et rubore perfuſus, ad pedes ejus accidit, ac taſſus culpam ſibi veniam dari petiit, nec multo poſt duces Ottonis inſignem de rebellibus victoriam retulere, ipſo interea in eccleſia orante ſuamque cauſam Deo commendante. Cum autem quarto decimo poſt anno, ſui male memor in gratiam conjugis ſuae, ſocrum Bertam Abbatia Merenſteinenſi donaſſet, ſtatim ei filius Luitholpus rebellis factus arma movit. Adeo verum eſſe conſtat, quod de ſe Deus profitetur: *Glorificantes me glorificabo: qui autem me contemnunt, contemnentur.* Itaque ſi Carolus magnus et Otto magnus cum cognatione ſua nunc in terras redeant, et a vobis Auſtriae gentis principibus conſulantur, quid eſſe cauſae putent quod minus proſpero ſucceſſu adverſus Infideles et Haereticos rem geratis; equidem dubium nullum habeo, quin ſtatim *anathema in medio veſtri* eſſe ſuſpicentur, voſque rebus relictis omni cura inveſtigare moneant, utrum miniſtri veſtri, ſive ſuae utilitatis cauſa ſive quod ſe bene in rem veſtram conſulere perperam exiſtiment, rebus ſacris manus admoverint et eccleſiae hominibus moleſtiam exhibeant. Quod ſi autem et Haereticorum et Haereticis credentium atque Acatholicorum, non modo militum, ſed et ducum ac tribunorum opera vos uti ac fidei eorum primaria chriſtianitatis propugnacula credere audiant, nempe vos poenas ejus rei dare nihil omnino mirentur: quippe qui ſcriptum ſciant, Iſai. XXI. *Qui incredulus eſt, infideliter agit: et, qui depopulator eſt, vaſtat.* Et 1 Reg. XXIV. *Ab impiis egreditur impietas.* Et Oſeae IV. *Populus tuus, ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti*, id eſt, ita moratus eſt quomodo eos oportet qui pontifici non obediunt; quales porro ſint eorum mores, ibidem ſic declaratur: *Non eſt veritas, et non eſt miſericordia, et non eſt ſcientia Dei in terra eorum.* (Nam ſacerdotis labia cuſtodiunt ſcientiam, *Mal.* II. hanc autem repellunt iſti, et ſacerdoti eos ſcientiam docenti contradicunt) *Maledictum*, ſive, ut eſt in Chaldaeo, *perjurium, et mendacium et homicidium et adulterium inundaverunt, et ſanguis ſanguinem tetigit*, ſive, ut habet Chald. *et peccatum peccatis aggregant. Periit ſanctus de terra eorum* (Mich. VII.) *et rectus in hominibus non eſt. Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: et qui rectus, quaſi ſpina de ſepe. Nolite ergo credere amico, et nolite confidere in duce*, qui nempe ſacerdoti contradicit. *Nam omnes in ſanguine inſidiantur*, vir, ſive unuſquiſque eorum, *fratrem ſuum ad mortem venatur, malum manuum ſuarum dicunt bonum. Propter hoc ſuper adoleſcentulis ejus* populi *non laetabitur Dominus*, (Iſai. IX.) *et pupillorum ejus et viduarum non miſerebitur: quia omnis* (non tantum *caput et cauda*, ſive magiſtratus et propheta docens mendacium populumque ſeducens, ſed etiam ſubditi, tam parvuli quam adulti, tam viri quam mulieres, omnis denique) *hypocrita eſt et nequam, et univerſum os locutum eſt ſtultitiam*, ſive, *mendacium*, ut eſt in Chaldaeo, hoc eſt, ad tempus aliquod ſimulant quidem integritatem et candorem, ſed occaſionem nacti, aut cum tanti eſſe putant, fidem fallere nequaquam religioni ſibi ducunt. Nam *malus eſt qui obedit linguae iniquae, et fallax qui obtemperat labiis mendacibus*, ſive, qui falſum doctorem ſequitur, Prov. XVII. *Quod ſi ergo, vivit Dominus, dixerint: et hoc falſo jurabunt* (Jer. V.) neque ii modo *pauperes et ſtulti, ignorantes viam Domini*, ſed etiam *optimates qui cognoſcunt judicium Dei ſui, quorum domus plenae dolo, unde magnificati ſunt et ditati, incraſſati et impinguati, et praeterierunt ſermones Dei peſſime. Omnes iſti principes declinantes* (ſive apoſtatae a majorum fide) *ambulantes fraudulenter*, ſeu, *proditorie*, ut Lutherus interpretatur: *quibus cum dixiſſem: State ſuper vias, et videte, et interrogate de ſemitis antiquis, et ambulate*

Diſcite, reges, quid miniſtris ſacrilegii auctoribus reſpondeatis.

Auſtriaci ſi Carolum et Ottonem magnos conſulant, quid reſponſi accepturi ſint.

Haereticorum auxilio atque opera utentes plecti mirum non eſt.

bulate in iis, reſponderunt: Non ambulabimus, (Jerem. vi.) *et miſi eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum: Sed hos proteſtantes illi audire noluerunt,* 2 Paral. XXIV. Quam vero parum gratam Deo rem faciant principes, qui auxilio hominum ejuſmodi ſacerdoti contradicentium in bellis quamvis juſtiſſimis et ad coercendos infideles et rebelles ſuſceptis utuntur, 2 *Paral.* xxv. Amaſiae regis Judae exemplo docemur. Is enim Edomitas rebelles ſuos armis ad officium redacturus, *mercede conduxerat de Iſrael centum millia robuſtorum centum talentis argenti; venit autem propheta ad illum, et ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael, non eſt enim Dominus cum Iſrael et cunctis filiis Ephraim* (quia ejecerunt ſacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas; et fecerunt ſacerdotes de noviſſimis populi, qui non erant de filiis Levi, 3 *Reg.* xii. et 2 *Paral.* xiii. ſuntque abſque Deo vero, et abſque ſacerdote doctore, et abſque lege, 2 *Paral.* xv.) *Quod ſi autem putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te Deus faciet ab hoſtibus. Dei quippe eſt adjuvare et in fugam convertere. Dixitque Amaſias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quae dedi militibus Iſrael? Et reſpondit ei homo Dei: Habet Deus, unde dare tibi poſſit multo his plura. Separavit ergo* ſive dimiſit *Amaſias exercitum Haereticorum, et confidenter eduxit populum ſuum, percuſſitque Edomitas.* Nimirum perinde facit qui cauſam Dei ope Haereticorum tuetur, ac ſi Deo diabolum adjutorem advocet; quaſi Deus ſuam gloriam aliter vindicare nequeat, niſi opem ferente diabolo ejuſque filiis. Quod ſi Carolum magnum, quae ipſius ſit de fide Haereticorum ſententia, conſulatis, ad *ſeptimum Capitulorum* ſuorum *librum* vos, opinor, remittet, cujus *Capitulo* 401. haec ejus verba lego: Volumus atque praecipimus, ut omnes ſuis ſacerdotibus, tam majoris ordinis quam et inferioris, a minimo uſque ad maximum, ut ſummo Deo cujus vice in eccleſia legatione funguntur, obedientes exiſtant. Nam nullo pacto agnoſcere poſſumus, qualiter nobis fideles exiſtere poſſint, qui Deo infideles et ſuis ſacerdotibus inobedientes apparuerint; aut qualiter nobis obedientes noſtriſque miniſtris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei cauſis et eccleſiarum utilitatibus non obtemperant. Potius namque, juxta veritatis vocem, ille metuendus eſt qui poteſt animam et corpus perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere et honores temporales poteſt auferre. De illis dictum eſt: *Qui vos audit, me audit: et qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit.* Et multa alia horumque ſimilia. His ergo fulti oraculis jubemus ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda miniſteria, et ad malos et peccatores atque negligentes homines diſtringendos (*ſive puniendos*) ſummopere obedientes exiſtant. Qui enim in his, quod abſit, aut negligentes eiſque inobedientes fuerint inventi, ſciant ſe nec in noſtro imperio honores retinere, *licet etiam filii noſtri fuerint*, nec in palatio locum, neque nobiſcum aut cum noſtris ſocietatem aut communionem ullam habere, ſed magis ſub magna diſtrictione poenas luere. In his namque omnium noſtrorum fidelium volumus agnoſcere fidem ac benevolentiam: Quoniam ſi haec fideliter et utiliter impleverint, tunc Deo et nobis fideles erunt. Si autem, quod abſit, ſecus egerint, tunc non ſolum infideles, ſed etiam *infames* atque reprobi ac manifeſte apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, et ipſi exiliabuntur. *Haec Carolus ille maximus.* Ceterum quibus et quantum tuto credant reges ac principes (nec enim Haeretici et qui eis credunt eodem ordine habendi ſunt, atque adeo nec diſcipulis falſorum doctorum idem omnibus ἦθος et ingenium eſſe ſolet, multique naturae bonitate vincuntur, ut vivant melius quam credant, quamque vivi oportere exiſtiment) partim ea quae ſupra expoſui ſignificant, partim *conſultatio* mea *de Germaniae ſtatu*, quo proprie omnis haec diſputatio pertinet, diſtinctius exequitur. Hoc loco ſatis eſſe debet, quod eos qui Catholicos pro Antichriſtianis habent, eorumque potentiam ac proſperitatem Deo ac verae religioni adverſari perſuaſum habent, niſi ſint ipſorum Catholicorum principum ſubditi, non ſatis tuto rebus gerendis adhiberi, multo minus autem praefici, et vel hac una in re cur ſaepe ſpe veſtra fruſtraremini, ſatis cauſae fuiſſe ex ſacrarum literarum auctoritate, et prudentiſſimi maximique imperatoris ſententia demonſtravi.

Deum offendunt, qui Haereticorum auxiliis utuntur.

Haereticorum auxilium eſt auxilium Diaboli.

Caroli magni ſententia de fide Haereticorum et ſacerdotibus inobedientium.

Haec nempe Carolus V. magno malo ſuo vera eſſe ſenſit.

Intelligite reges, et erudimini, qui judicatis terram.

Sacerdotibus inobedientes declarantur infames.

CAPUT CXIII.

QUID autem ſi hoc quoque uſu venit, ut ſive vos ſive majores veſtri, plus quam par eſſet cauſae quam tuebamini juſtitia freti, ac viribus copiiſque veſtris confiſi, Haereticos ac rebelles veſtros ad poenam expeteritis: Num tandem videri novum debet, minus ex ſententia vobis proceſſiſſe? Quid enim refert cauſam juſtam, atque adeo ipſius Dei honorem armis vindicari, ſi Dei honos interea cum re creata quacunque communicetur? quod ab illis fit, qui ſuas vires ad reportandam ab hoſte victoriam ſolas ſufficere exiſtimant, aut certe Deo ſoli, niſi ipſi annitantur, non ſatis virium eſſe arbitrantur. Itaque exercitus Iſraeliticus *Judic.* xx. quamvis cauſam juſtiſſimam ipſius Dei mandato bello proſequerentur, bis nihilominus a Benjamitis caeſus et in fugam verſus fuit. *Erant enim in fortitudine ac numero confidentes*, ac dubium prorſus nullum habebant, cum ipſorum eſſent quadrin-

Nimia fiducia in cauſae bonitate ſuiſque viribus quantum hominibus nocet.

quadringenta millia, Benjamitarum vero nonniſi viginti quinque millia et ſeptingenti, quia victores diſcederent. Quamvis ergo Dei oraculum prius conſuluiſſent quam pugnam inirent, non tamen quaeſiverunt, utrum Dominus ſecum eſſe ſive victoriam tribuere ipſis vellet, (quippe quam exploratam ac domi conditam habere ſibi videbantur) ſed hoc modo, quamnam tribum principatum et ſummum imperium in eo bello obtinere vellet. Suo ergo malo docti ſunt, *equum* quidem *parari ad diem belli, ſed Dominum eſſe qui ſalutem ac victoriam tribuat.* Prov. xxi. Fortis nimirum zelotes eſt Dominus, qui *gloriam ſuam nequaquam dat alteri.* Iſ. xlviii. ac propterea Gedeoni de XXXII. hominum millibus, quae adverſus CXXXV. millia Madianitarum coegerat, non niſi trecentos permiſit, quibus hoſtes conficeret: *Multus tecum eſt populus* (inquit Gedeoni Judic. vii.) *nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Iſrael, et dicat: Meis viribus liberatus ſum.*

Fides in Deum eſt, quae bella conficit.

Sed, ſi verum quaerimus, nihil eſt quod homines, etiam pios, pro juſtiſſima cauſa propugnantes, in bello magis vel juvet vel victoria fruſtretur, quam ſi vel multum vel parum de Dei potentia et opis ferendae facultate ſibi polliceantur: *Fides tua ſalvam te fecit*, ait mulieri Chriſtus, a qua tanta potentia affectus credebatur, ut vel contacta fimbria veſtimenti ejus a morbo ſe liberatum iri nihil dubitaret, *Matth* ix. Tanquam diceret Chriſtus: Non tam mea omnipotentia, quam fides tua qua me omnipotentem credidiſti, te ſanavit. Nam ſi non credidiſſes, ſanare te non potuiſſem. Sicut mox eodem capite, cum duo caeci viſum ſibi reſtitui petiiſſent, *creditis* (inquit) *quia hoc poſſum vobis facere? Si creditis, ſecundum fidem veſtram fiat vobis.* Et Marci ix. viro illi, cujus filius a ſpiritu muto vexabatur, cum dixiſſet, *ſi quid potes, adjuva nos miſertus noſtri.* Ex quibus dubitatio ejus vel modica fides tam de eo quid poſſet, quam quid vellet Chriſtus, perſpicitur.

Fides de omnipotentia Dei quam ſit efficax:

Sed de voluntate dubitare, culpa fere caret. Itaque Chriſtus fidem tantum de ſua omnipotentia requirens, *ſi potes* (inquit) *credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et Marci v. Jairo, cui obitus filiae nunciabatur, ac ſimul ne Chriſto fruſtra moleſtus eſſet ſuadebatur: *Noli timere* (inquit) *tantummodo crede.*

Etiamſi cum dubitatione de voluntate Dei conjuncta ſit.

Sed centurio ille itemque leproſus, *Matt.* viii. tametſi maximam de omnipotentia Chriſti fidem haberent, de voluntate tamen ejus adhuc dubitabant: *Domine, ſi vis* (ait leproſus) *potes me mundare.* Chananaea vero mulier illa *Matth.* xv. cujus filia a daemonio vexabatur, parem de voluntate ac potentia Chriſti fidem habebat, itaque nec ſilentio nec repulſae Chriſti ceſſit, adeoque audire meruit: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Petrus vero, *Matt.* xiv. juſſus a Chriſto ambulare ſuper aquas, *cum videret ventum validum*, de potentia Chriſti dubitavit et in fide infirmus factus fuit, ac propterea mergi coepit. Similiter Moyſes, *Num.* xx. juſſus a Deo virga petram percutere ad eliciendam aquam, de potentia Dei dubitans, ſemel fruſtra percuſſit, neque niſi recollecto fidei robore et ictu repetito aquas eduxit. Itaque negat eum Deus ſibi credidiſſe, ſed *incredulum fuiſſe, neque ſe coram multitudine ſanctificaſſe.* Tres autem viri illi, *Dan.* iii. de potentia Dei maximam fidem habebant, quamvis de voluntate incerti eſſent. *Ecce Deus noſter, quem colimus* (inquiunt regi) *poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod ſi noluerit, tamen notum tibi ſit quia deos tuos non colimus.* Hac autem tanta ſua fide *extinxerunt impetum ignis*, velut apoſtolus ait *Heb.* xi. quo loco etiam docet, *fidem ex qua juſtus vivit*, ſive juſtificantem (de illa enim loqui illum ex clauſula capitis decimi et principio undecimi ſatis manifeſte perſpicitur) etiam ad victoriam armis parandam valere. *Deficiet me tempus* (inquit) *enarrantem de Gedeon, Barac, Sampſon, Jephte, David, Samuel, et prophetis, qui per fidem devicerunt regna, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.*

Etiam minus pii et impii per fidem de potentia Dei miraculoſas victorias obtinent.

Neque tamen non niſi ſancti et pii homines fuerunt, qui per fidem, quam de Dei omnipotentia habebant, res tam ingentes patrarunt. Nam eorum quoque habemus exempla qui quamvis vitam ac mores ſuos Deo minus probarent, aut etiam graviſſimis ſuis ſceleribus ejus iram in ſe commoviſſent, fidei tamen magnitudine admirandam ab hoſte victoriam retulerunt. Exempli gratia: *Abia* rex Juda, de quo teſtatur ſcriptura, 3 Reg. xv. *ambulaſſe eum in omnibus peccatis patris ſui, qui dereliquerat legem Domini* (2 Paral. xii.) *nec fuiſſe cor ejus perfectum cum Domino, ac toleraſſe ſodomiam publicam et participem fuiſſe idololatriae, paſſumque eſſe ut uxor ſua Priapi ſacerdos eſſet ejuſque ſimulacrum turpiſſimum religioſe coleret*, hic ergo rex per fidem exercitum Jeroboami regis haeretici, octingentis millibus electorum et ad bella fortiſſimorum militum conſtantem, profligavit, et quingenta millia ex iis occidit. Cujus verba, quibus Iſraelitas hoſtes ante proelium compellavit, audire eſt operae pretium, 2 Par. xiii. *Num ignoratis* (inquit) *quod Deus dederit regnum Davidi ſuper Iſrael in ſempiternum? Nunc ergo dicitis, quod reſiſtere poſſitis regno Domini, quod poſſidet per filios David: Habetiſque grandem populi multitudinem atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in Deos: Et ejeciſtis ſacerdotes Domini filios Aaron atque Levitas, et feciſtis vobis ipſi ſacerdotes: Noſter autem Dominus Deus eſt, quem non reliquimus: Sacerdoteſque miniſtrant Domino de filiis Aaron, et Levitae ſunt in ordine ſuo: Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies. Ergo in exercitu noſtro Deus eſt et ſacerdotes ejus, qui clan-*

gunt

gunt tubis et reſonant contra vos. Nolite ergo pugnare contra Deum patrum veſtrorum, quia non vobis expedit. Haec magna profecto fides fuit regis, qui nihilo ipſis Iſraelitis et eorum rege haeretico melior erat, niſi quod ſimul cum haereſi, ſive idololatria, veterem quoque et Catholicam religionem toleravit et ſacerdotes legitime ordinatos ſecum habuit. Ejus filius *Aſa* quamvis longe patre melior, *excelſa* tamen *in Iſrael dereliquit*, 2 Par. xv. (quod perinde fere eſt, ac ſi hodie Catholicus quiſpiam princeps cives quidem et agricolas ad eccleſiae communionem redigat, equeſtrem vero ordinem reguloſque provinciae, quo minus quod quiſque velit credat, non impediat) nihilominus, per fidem quam de potentia Dei habebat, decies centena hoſtium millia aggredi nihil dubitavit. *Domine* (inquit in oratione ſua) *non eſt apud te ulla diſtantia utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. Adjuva nos, Deus noſter, in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es: non praevaleat contra te homo.* Quaſi dicat: Nos quidem neque ipſi hoſti viribus pares, neque quorum cauſa miraculum facias, quibuſque victoriam tribuas, digni ſumus: Sed agitur hoc bello potius de nomine tuo quam de nobis. Si enim nos vincamur, ſcandalum accipient cum hoſtes tum alii, putabuntque noſtram religionem eſſe falſam, ſive te quem colimus non eſſe Deum omnipotentem. Potes ergo nos propter peccata noſtra alio tempore et modo punire: nunc autem exiſtimationi et honori tuo conſule. Hoc erat *corde perfecto in Deum credere*, et per fidem hoſtes vincere, velut Deus ipſe per prophetam, 2 Par. xvi. regi Aſa teſtimonium perhibet. Quis autem rege *Achab* magis impius et ſceleratus commemorari poteſt? Is tamen cum credidiſſet Deo, ſive maximam de Dei potentia et auxilii ferendi voluntate fidem habuiſſet, duabus vicibus ingentem regis Syriae exercitum, in quo triginta duo reges auxiliarii numerabantur, paucis copiis, *quaſi duobus parvis gregibus caprarum* (apparet fuiſſe tantum ſeptem millia) vicit, profligavit, in fugam vertit, centum millia occidit, ipſum quoque Syriae regem cepit. Ergo, dices etiam Haereticis nonnunquam victoriam Deus largitur: Quid ni? Sed nempe cum gloria Dei agitur, quemadmodum hoc bello erat. Rex enim Syriae Infidelis ſive Ethnicus erat, Achab vero Haereticus quidem, ſed tamen Iſraelita, qui *claudicaret in duas partes*, et tam Deum Iſraelis quam idolum Baal coleret, 3 Reg. xviii. 21. Itaque ſi viciſſet rex Syriae, non minus adverſus Deum Iſraelis, quam adverſus Baal gloriatus fuiſſet, quaſi neuter Deus ſuis viribus reſiſtere potuiſſet. Deus ergo non propter Achabum, ſed propter ſe ipſum et gloriam ſuam, ultione peccatorum Achabi in aliud tempus prolata, victoriam Iſraelitis tribuit, velut ex Scripturarum contextu manifeſtum eſt: *Dixerunt Syri: Dii montium ſunt Dii Iſraelitarum, ideo ſuperarunt nos* (id eſt, non ideo quod Deus Iſraelitarum ſit potentior Deo noſtro, nos in priore proelio ſuccubuimus, ſed quia montibus defenſi vel adjuti fuerunt, ubi nos copias noſtras explicare non potuimus, aut etiam quia peculiares Deus ipſorum in montanis vires habet) *ſed melius eſt ut pugnemus contra eos in campeſtribus, et obtinebimus eos. Accedens ergo propheta ad regem Iſrael dixit: Haec dicit Dominus, quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus et non Deus vallium: Dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et ſcietis quia ego ſum Dominus.*

Haereticis quando Deus victoriam tribuat.

CAPUT CXIV.

Est ergo haec prima cauſa, cur Deus etiam iis, qui non modo non perfecti, ſed etiam atrocibus ſceleribus cooperti ſunt, victoriam adverſus Infideles pugnantibus impertiatur, ne ſcilicet opinio divinitatis ac potentiae ſuae inter homines minuatur; quam cauſam etiam, *Deut.* xxxii legimus: *Incraſſatus eſt dilectus populus et recalcitravit, receſſit a Deo ſalutari ſuo* (deſeruit veterem religionem, ſi minus totam, ſaltem magna ex parte:) *Immolaverunt diis quos ignorabant, qui novi recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus eſt, et ait: Abſcondam faciem meam ab eis: In gente ſtulta irritabo illos* (id eſt, dabo victoriam hoſtibus eorum, qui adhuc ſunt ſtultiores ipſis) *foris vaſtabit eos gladius et intus pavor. Sed propter iram inimicorum diſtuli, ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, et dicerent: Manus noſtra excelſa, et non Dominus fecit haec omnia.* Et Iſai xlviii. *Audite haec qui vocamini nomine Iſrael, et de aquis Juda exiſtis: Qui juratis in nomine Domini, non in veritate neque in juſtitia. De civitate enim ſancta vocati ſunt, et ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt,* (quaſi hodie quis dicat de Haereticis: Vocantur nomine Chriſti et baptizati ſunt ac profitentur Chriſtum, ſed perperam: Nomen eccleſiae ſibi vindicant ſeque ſuper Chriſtum fundatos eſſe et in ipſo fiduciam omnem habere vane gloriantur) *ſcio quia praevaricans praevaricaberis*, ſive praevaricari in fide ſoles, *et tranſgreſſorem ex utero vocavi te*, quia adhuc puer haereſin didiciſti, adeoque pertinaciter eam tueris. Nihilominus *diligens te feci voluntatem tuam ſuper Babylonem, ut auferrem ſemen Chaldaeorum* (ſic enim habent LXX. interpret. q. d. Etiamſi Haereticus es, tamen, quaſi te diligerem, feci quod voluiſti, ut Turcas ſcilicet proelio vinceres) *propter nomen meum longe faciam*

Prima cauſa cur Deus etiam impiis victoriam tribuat,

Ne Infideles Dei potentiam contemnant.

Gloriae ſuae Deus conſulit, cum impios ab Infidelibus ſuperari non permittit.

etiam furorem meum (non patiar te a Turcis ſuperari) *et laude mea infraenabo te, ne intereas: Ecce excoquam te, ſed non quaſi argentum, eligam* vel electum reddam *te in camino paupertatis* (quaſi dicat: Merebaris quidem ut te a Turcis ſuperari et prorſus deleri permitterem: Sed quia Turcae nomen meum blaſphemarent, ſi Haereticis quidem, tamen nomine ſaltem Chriſtianis, ſuperiores extitiſſent, propterea tibi victoriam quidem tribuam, ſed egeſtate tamen te puniam) *propter me, propter me faciam, ut non blaſphemer, et gloriam meam alteri* (Mahometo) *non dabo.* Nimirum quando ſive impii Catholici ſive Haeretici armis ſe contra Infideles tuentur, habent cur bene de victoria ſperent, neque quicquam adverſi timeant, quamvis etiam nulla haereſios aut aliorum peccatorum poenitentia ducantur. *Attendite, omnis Juda, et tu, rex Joſaphat* (ait propheta, 2 Par. xx.) *Haec dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem* (quamvis tu, rex, *iram Domini merebaris, praebendo ejus inimicis auxilium*, et contrahendo cum Haereticis amicitiam filioque tuo haereticam uxorem dando, 2 Par. xix. et *non auferendo excelſa*, 3 Reg. xxxii. 44. quamvis etiam vos, Judaei, *adhuc ſacrificetis in excelſis*, 3 Reg. xxxii. ac *nondum direxeritis cor veſtrum ad Dominum Deum patrum veſtrorum*, ſive nondum ex haereſi ad veterem religionem vos convertere cogitetis, 2 Par. xx. 33. tamen non eſt quod fidem de potentia Dei dimittatis et de victoria deſperetis) *non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Adeoque nec vos eritis qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate et videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Alia cauſa cur Deus etiam impiis et mediocriter tantum bonis victoriam largiatur, neque propter peccata eos in bello puniat, haec eſt, quam propheta reddit, 2 Par. xix. *Iram quidem Domini merebaris*, o Joſaphat, *ſed bona opera inventa ſunt in te.* Quae autem? *Primum*, ambulavit

Secunda cauſa cur etiam impiis Deus victoriam tribuat. Si habeant quaedam bona opera.

1. in viis David primus, et non ſperavit in Baalim, ſicut ejus majores aliquot fecerant. *De-*
2. *inde*, ſumpta audacia propter vias Domini, ſive propter veram religionem animoſior redditus, lucos ſuſtulit, quod perinde eſt ac ſi eccleſias Lutheranorum incendio conſumpſiſſet.
3. *Praeterea*, miſit ſacerdotes cum libro legis per cunctas urbes ſuas, ut docerent populum, et ad Deum patrum ſuorum ſive ad veterem religionem revocarent, quibus etiam auctori-
4. tatis et ſecuritatis cauſa principes ſive magiſtratus ſaeculares adjunxit. *Adhaec*, tribunal ſupremum emendavit, et proregem in juriſdictionem eccleſiaſticam invadere iiſque cauſis quae ad Deum pertinent admiſcere ſe vetuit. Summum vero conſilii praeſidem, pontificem conſtituit, et ſacerdotes ac Levitas conſiliarios, ſive aſſeſſores, ſimul cum ſaecularibus laicis creavit, quemadmodum Deus, *Deut* xvi. 18. et *Deut.* xvii. 9. et 12. *Deut.* xix. 17.
5. praeceperat. *Poſtremo*, ut accepit nuncium de hoſtium adventu, humiliavit ſe coram Deo, praedicando ſive indicendo jejunium univerſo populo, ac publice Deum orando, et virium ſuarum imbecillitatem confitendo. *In nobis quidem* (inquit) *non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hujuſmodi ergo bona opera iram Dei, quam graviſſimis illis peccatis ſuis, foedere nempe cum haeretico rege inito et data filio ſuo uxore haeretica excelſiſque non ſublatis, meruerat, mitigarunt. *Fides* autem de potentia Dei miraculoſam victoriam obtinuit: *Credite*, inquit ad populum ſuum, *in Domino Deo veſtro, et ſecuri eritis: Credite prophetis ejus, et cuncta evenient proſpera.* Sed etiam ubi tot bona opera non ſunt, ſola humiliatio Deum placare et poenam commeritam amoliri poteſt, velut 2 Par. xii. legimus. *Haec dicit Dominus: Vos reliquiſtis me, et ego reliqui vos in manu regis Ægypti. Conſternatique principes et rex dixerunt: Juſtus eſt Dominus. Cumque vidiſſet Dominus quod humiliati eſſent, factus eſt ſermo Domini ad Semeian: Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis pauluum auxilii. Et averſa eſt ab eis ira Domini, nec deleti ſunt penitus: Siquidem in Juda inventa ſunt opera bona.* Quaenam? Primum, adhuc habebant ſecum ſacerdotes legitime vocatos, qui quotidie Deo ſacra faciebant, quamvis etiam idola colerent et ſodomitam tolerarent. Deinde, quia, quamvis poenitentiam non agerent, *delictum* tamen *ſuum cognitum fecerunt, et injuſtitiam ſuam non abſconderunt*, ſive, non defenderunt peccata ſua, ſed faſſi ſunt: Quod humilitatis genus per ſe ſolum ac ſine emendationis propoſito ad avertendas hujus vitae calamitates ſatis efficax eſſe ſolet. Quemadmodum etiam Achab 3 Reg. xxi. audita Dei comminatione ob caedem Naboth, *ſcidit veſtimenta ſua, et operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, et dormivit in ſacco, et ambulavit demiſſo capite:* Ac tametſi nullam idololatriae ſuae poenitentiam ageret, Deum nihilominus placavit, et ab eo temporalis poenae remiſſionem obtinuit. *Factus eſt ſermo Domini ad Eliam: Nonne vidiſti humiliatum Achab, coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Hinc diſcimus, ſi quando rex quiſpiam aut princeps Catholicus pro Catholica religione adverſus Infideles aut Haereticos, maxime ſubditos ſuos, propugnans, iram Dei meruiſſe ſe recordatus, tantum fateatur male ſe feciſſe neque peccatum defendat, etiamſi propoſitum ab eo peccato abſtinendi non habeat, ſatis tamen eſſe cauſae cur victoriam ſine omni prorſus dubitatione ſibi deſpondeat. Nam primum pugna Dei eſt, non ipſius: propter quam cauſam, exemplo Joſaphat, nihil metuere debet, quamvis ab omnibus belli ſubſidiis turpiter imparatus, atque etiam ſua culpa neque opibus neque

Ira bonis operibus mitigatur. Fide autem victoria paratur.

Sola etiam humiliatio iram Dei mitigat.

Humiliatio externa, etiam non acta poenitentia, Deum placat.

Catholici quomodo adverſus Haereticos et Infideles victores fieri poſſint. Primum ſi faciant, ut pugna ſit Dei, in ipſum credendo.

que copiis ſatis inſtructus ſit, ſed velut Achab *cum parvulis ſuis gregibus caprarum ex adverſo proficiſcatur, etiamſi hoſtes repleant terram* (3 Reg. xx.) et ſicut Joſaphat *ſlet tantum confidenter et credat in Domino.* Ezechias quidem ſua culpa et nimia credulitate ſive imprudentia, non ſolum quas in fiſco ſuo habebat pecunias, ſed etiam omne argentum quod repertum fuerat in domo Dei, imo etiam ipſas valvas templi Domini et laminas auri refixas regi Aſſyriorum miſerat, ut ab eo pacem redimeret, adeoque ad ſummam rei nummariae difficultatem, vel potius egeſtatem redactus fuerat; nihilominus quia in Deo credidit, cujus cauſam in bello, quod ipſi rex Aſſyriae inferebat, agi non ignorabat (*ſalvos nos fac de manu hoſtis*, ait ad Deum, *ut ſciant omnia regna terrae quia tu Dominus Deus es ſolus*; et ad populum: *Viriliter*, inquit, *agite, nec paveatis regem Aſſyriorum cum univerſa multitudine quae eſt cum eo, multo enim plures nobiſcum ſunt quam cum illo. Cum illo enim eſt brachium carneum: nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis*) propterea venit Angelus Domini et percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Quae autem res tam admirabilem victoriam peperit, ſive, ob quam cauſam Deus Ezechiae, qui merito imprudentiae ſuae, quodque neceſſariis belli gerendi praeſidiis atque nervis, pecuniis videlicet, ſe ipſe ſpoliaſſet, poenas luere debebat, adverſus hoſtes opem tulit? In Ezechia quidem cauſa fuit fides de omnipotentia Dei, velut modo ex verbis ejus conſtitit: In Deo vero zelus gloriae ſuae et amor Davidis. *Protegam civitatem iſtam, ut ſalvem eam propter me et propter David ſervum meum. Deſpexit quidem et ſubſannavit te rex Aſſyriorum, filia Sion: Sed revera mihi exprobravit, me blaſphemavit, et ſuper me exaltavit vocem, et levavit altitudinem oculorum ſuorum*, quaſi dicat: Mea haec eſt pugna, non veſtra. Itaque nihil nunc attinet, conſiderare utrum vos extraordinario et miraculoſo auxilio digni ſitis, qui ordinaria media ſive belli inſtrumenta imprudenter e manibus dimiſiſtis et velut intecta latera hoſti obtuliſtis. Poteſtis alio quovis tempore ob errorem iſtum plecti: Nunc autem fieri nequit ut ab hoſte ſuperemini, niſi cum exiſtimationis et gloriae meae detrimento. Nam videbor non potuiſſe ſervare quod Davidi promiſi, neque vos a rege Aſſyriorum liberare. *Propter me igitur, propter me faciam, ut non blaſphemer, et gloriam meam alteri non dabo.* Aliam cauſam rex aut princeps Catholicus, quamvis iram Dei peccatis ſuis promeritus et prorſus ab omnibus rebus imparatus, ex bello in quo gloria Dei agitur, victoriam ſibi certiſſimo pollicendi, neque quicquam Haereticos aut Infideles eorumque vires et copias pertimeſcendi, hanc habet, quod in eo inveniuntur bona opera, et v. g. habet ſecum ſacerdotes et Levitas, qui, licet minus innocentes, *colunt Deum patrum ſuorum, clanguntque tubis et reſonant contra Haereticos*, quae res regi Abiae, ut ſupra dixi, victoriae fiduciam praebuit: Item peccata ſua ſi minus palam confitetur et emendare conſtituit, ſaltem non excuſat nec defendit. Nam vel in hoc ſatis momenti eſſe ad differendam peccatorum poenam Robami exemplo jam didicimus. Sed nullum commemorari bonum opus poteſt, quod plus regi Catholico ad victoriam obtinendam ſuffragetur, quam maxima fides de potentia Dei et prompta pro honore Dei depugnandi voluntas. *Oculi enim Domini* (ait Hanani propheta 2 Par. xvi.) *contemplantur univerſam terram, et praebent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Hi in curribus, et hi in equis* (Pſal. xix.) *nos autem in nomine Dei noſtri recordati ſumus. Ipſi incurvati ſunt et ceciderunt, nos autem ſurreximus et erecti ſumus.*

Ezechias meruerat ab Aſſyriis vinci.

Nihilominus Aſſyrii fuerunt caeſi.

Propter fidem in Ezechia. Et propter zelum gloriae ſuae ac Davidis amorem in Deo.

Alius modus quo Catholici victoriam conficere poſſunt.

Fides omnium operum bonorum ad reportandam victoriam efficaciſſima.

CAPUT CXV.

Haec ſi bene didiciſſent illi qui *Carolo* V. *Caeſari* a conſiliis fuerunt, aut quorum ille conſiliis plus uti fere neceſſe habuit (nam ſanctiſſimas ejus cogitationes aliena plerumque conturbavit ambitio, velut in conſultatione de Germania demonſtravi) nae nos hodie vix ulla haereſis veſtigia videremus, neque vos, auguſti principes, tot ſubditorum veſtrorum rebelliones exercerent, atque a fide Chriſti inter Infideles propaganda retardarent. Si enim verum dicere velimus, *modica fides* de Dei auxilio, ſive *diffidentia* aut *incredulitas*, omnium eorum, quae a Carolo in religionis tuendae negotio peccata ſunt, cauſa fuit. Niſi enim conſiliarii ac miniſtri ejus magnopere metuiſſent, ne vires ejus tantae non eſſent quibus Dei gloriam et Catholicam religionem adverſus Germanorum principum potentiam tueretur, omnium primum nequaquam incolumem Wormatia diſcedere Lutherum permiſiſſet, ſed velut Haereticum convictum et condemnatum, vel propterea quod
is Witteberga Wormatiam iter faciens, contra quam Caeſar in diplomate ſalvi conductus e-
dixerat, cum alibi, tum Erfurdiae (teſte *Matthaeo Dreſſero* Erfurdienſi Lutherano in Ger- 1.
maniae urbibus pag. 247.) conciones habuerat multoſque in haereſin ſuam pellexerat,
ſummo ſupplicio affeciſſet: Deinde non paſſus fuiſſet anno 1530. confeſſionem Luthera- 2.
norum in comitiis Auguſtanis palam recitari, neque pertinaces Haereticos incolumes inde
abire, ſeque ad bellum civile comparare: Tum anno 1531. non feciſſet cum Lutheranis 3.
inducias, neque ſuſpendiſſet executionem decreti comitiorum adverſus ipſos facti: Multo 4.
minus

Cauſa omnium eorum, quae Carolus V. in religionis negotio peccavit.

Mendae aliquot ſive errata actionum Caroli V.

minus anno 1532. edicto publico pacem Lutheranis Noribergae dediſſet, ut ab iis adver-
5. ſus Turcam auxilia impetraret: Sed neque anno 1541. eundem ob finem privatis literis
cauſam eccleſiae et Catholicorum Imperii ordinum Proteſtantibus prodi permiſiſſet, ſuſpen-
ſo Auguſtanorum comitiorum decreto, et admiſſis in Spirenſe Imperii tribunal Haereticis:
6. Neque anno 1542. copiis Imperii adverſus Turcam miſſis Joachimum electorem Branden-
7. burgenſem Lutheranum ducem praefeciſſet: Neque anno 1543. cum Angliae rege ſchiſ-
8. matico adverſus Gallum foedus feciſſet, nec etiam cum Bonnam venit, *Hedionem* et *Bucе-
9. rum* haereſin ibi docentes, incolumes dimitti paſſus eſſet: Et anno 1544. nequaquam Fer-
dinandi fratris cauſa, ut is rex Romanorum ab omnibus haberetur, eique auxilia adverſus
Turcam decernerentur, publico decreto Lutheranis libertatem religionis et jus utendi
raptis eccleſiae bonis locumque in Spirenſi camera tribuiſſet, cum praeſertim Catholici or-
10. dines omnes vehementer contradicerent: Neque anno 1546. bello Lutheranis illato negaſ-
ſet ſe pertinaces Haereticos et ſacrilegos eccleſiarum ac monaſteriorum praedones ad ſup-
plicium expetere, ſed rebelles tantum et laeſae, non divinae, ſed humanae ſive Caeſareae
11. majeſtatis reos in ordinem velle redigere; neque haereticorum principum auxiliis adverſus
hoſtes uſus fuiſſet, iiſque ſuae religionis, ſive perfidiae, liberum in caſtris ſuis exercitium
12. permiſiſſet: Neque victoria poſtea potitus, rebelles, ſacrilegos et haereticos in gratiam
recepiſſet, nec Wittebergae et Lutheri ſepulchro ibi peperciſſet; quae res quanto multis
13. ſcandalo fuerit, ex his *Matth. Dreſſeri* verbis in Wittebergae deſcriptione apparet pag.
615. et ſeq. Quid tam (*inquit*) mirum eſt, quam victorem Caeſarem victae urbi, quae
omnium haereſion ſentina putabatur, adeo peperciſſe ut ne lapidem quidem loco move-
rit? Hiſpani quidem in arcis templo in Lutheri ſepulchrum inſultarunt, ſed effodere ta-
men illud auſi non ſunt. Imo, cum Caeſar ſepulchro Lutheri inſiſteret, et Hiſpani cor-
poris effoſſionem atque concremationem impenſe urgerent, Carolus V. fide dignis teſtibus
id referentibus, dixit: Sinite ipſum quieſcere uſque ad diem reſurrectionis judicii omnium.
Quod vero Caeſar in tanta victoria hanc urbem laedere veritus eſt, id abſque dubio fecit,
motus quadam reverentia erga domicilium muſarum et religionis ſacratiſſimum: Quem-
admodum Alexander magnus, Jaddi ſacerdotis ſummi et collegii ſancti reverentia adductus,
Hieroſolymis olim pepercit. In his verbis quae de Caroli verbis narrat non facile mihi
perſuaderi patior, qui penes me habeam nobilis cujuſdam Saxonici de Saxoniae ſtatu
relationem ante hos XIII. annos ſcriptam, in qua et haec ſunt: Cognovi ex quodam
mercatore Italo ſemicatholico, Wittebergae commorante, Hiſpanum militem qui cum
Carolo V. Wittebergam venit, quaeſitum cadaver Lutheri in tumba non reperiſſe:
Ne tamen abſque mulcta maneret infamis locus, erecto ſuper eam quaſi parvo pa-
tibulo ad ventris exonerationem ſimul accommodato, ex eo publicam cloacam feciſſe. Ir-
ridet etiamnum hic mercator Lutheranos, atque ſe melius ſcire quid in tumba illa lateat
quam ipſi. Nam fuerat et ipſe miles ea tempeſtate. Et revera ſub illo lapide non eſt
Lutheri corpus, ſive a ſuis ſectatoribus alio tranſlatum ne cremaretur ab Hiſpanis, ut
Lutherani credunt, ſive a diabolo ablatum, quod eſt veriſimilius. Sed quidquid ſit de Lu-
theri cadavere (nam nec ego nec Michael archangelus cum diabolo eo nomine diſputan-
tes altercabimur) illud dubitationem nullam habet, ex eo quod Wittebergae pepercit Ca-
rolus, Haereticos *ad ruinam aedificatos* (quemadmodum Tertullianus loquitur) ſive in erro-
re ſuo non mediocriter confirmatos fuiſſe, quaſi Deus, in cujus manu cor regis eſt, in hoc
14. evangelii ſui domicilium non ſaevire Carolum permiſerit. Sed etiam niſi Germanorum
principum offenſam excipere metuiſſet, nequaquam *Mauritium Saxonem*, hominem verſi-
pellem, et ab ipſis Lutheranis, ut Sleidanus ſcribit, violatae fidei, proditae religionis et
ſummae ingratitudinis palam editis libellis inſimulatum, electori a ſe devicto ſucceſſorem
dediſſet, nec ſupremam totius Imperii dignitatem, et ſolo Caeſareo faſtigio humiliorem,
15. cooptando Haeretico profanaſſet: multo minus autem *tranſtuliſſet terminos*, hoc eſt, in pon-
tificis provinciam invaſiſſet, religionis formulam, quae Interim dum concilium Tridenti-
16. num finem caperet, ab omnibus in Germania obſervaretur praeſcribendo: minime vero
omnium *tranſactionem* illam *Paſſavienſem* anno 1552. extorqueri ſibi paſſus fuiſſet, qua
Landgravio, perduellium duci atque auctori, libertas, Lutheranis aſſeſſoribus in ſupremo
17. Imperii tribunali locus, ſacrilegis eccleſiarum occupatoribus impunitas dabatur: Cum eti-
am eodem tempore *Auguſtae Vindelicorum* reip. formam ſuo arbitratu conſtitueret, nequa-
quam praedicantes qui haereſin docerent ibi toleraſſet, quod cum feciſſe et magnas ab
haeretico populo gratias iniiſſe his verbis Sleidanus commemorat: *Caeſar dies aliquot Au-
guſtae commoratus priorem reipublicae formam et ſenatum a ſe conſtitutum reſtituit, et e miniſtris
eccleſiae tres removet; aliis autem, ut juxta confeſſionis Auguſtanae formulam doceant et agant,
18. permittit. Ea res pro concione recitata magnam excitavit laetitiam.* Sed nulla ex re, quam
parum in Deum fiduciae tum habuerit Carolus, aeque manifeſte apparet, atque ex tranſ-
actione illa, quam cum *Alberto Brandeburgico*, teterrima illa Germaniae peſte, eodem anno
fecit. Quod ut tanto diſtinctius ſciatur, operae pretium fuerit Sleidani de damnis, quae
furia

furia illa eccleſiaſticis, nullam aliam ob cauſam, niſi quia belli pro Lutheraniſmo adverſus Caeſarem ſuſcepti participes eſſe nollent, intulit, narrantem audire: *Vicinis* (inquit) *ex nobilitate et aliis, jam ante, niſi parerent, bellum denuntiaverat; inprimis autem epiſcopo Bambergenſi et Wirciburgico, quos etiam in hoc rerum ſtatu ad graviſſimas conditiones adegit. Et Bambergenſis quidem, ut ſe ſuamque provinciam periculo jam imminenti ſubduceret, pacem ab eo maximis jacturis redemit. Nam ſuae ditionis oppida et praefecturas ad viginti coactus fuit ei dare, confectis ea de re literis, ſimulque clientelas et beneficiarios omnes ei permittit. Wirciburgicus autem aureorum millia ducenta viginti dependit, et ſimul ejus debita, quorum erat ſumma circiter trecenta quinquaginta nummûm aureorum millia, in ſe recipit et perſolvere pollicetur. De hac tranſactione ut audivit Caeſar, illam reſcidit, et epiſcopis ne ſervarent mandavit, propterea quod eſſet mali res exempli, cogere aliquem imperata facere propter officium Caeſari praeſtitum et Imperio. Sed cum poſtea Albertus cum Caeſare Metim obſidente aliter paciſci non vellet, niſi pactiones illae juberentur eſſe firmae, haberetque L. ſigna peditum et equitatum non parvum, Caeſar ut eum in ſuas partes perduceret, obſecundans tempori, culpam omnem ei condonat, et actionem in eum inſtitui belli cauſa vetat, et tranſactionem cum epiſcopis factam confirmat.* Veritus ſcilicet fuit Carolus, ne Deus ſatis virium non haberet ad tuendam cauſam ſuam, niſi ei diabolus ejuſque milites, nempe Haeretici, opem ferrent. Quare ſtatim *factum eſt ei ſecundum fidem ſuam*, hoc eſt, nulla re memorabili geſta, imo prope tertia exercitus ſui parte deſiderata, cum haud exigua honoris ſui ſugillatione Metenſem obſidionem ſolvere neceſſe habuit.

Caroli V. mala fides.

Ob eam punitus.

Quae poſtea fuerunt conſecuta, non tam ad Carolum jam de actorum poenitentia meditantem, quam ad fratrem et collegam, vel potius ſucceſſorem *Ferdinandum* pertinent; cujuſmodi eſt illa tantopere celebrata *pax religionis*, omnium tam Lutheranorum quam Catholicorum Imperii ordinum conſenſu, in comitiis Auguſtanis anno 1555. ſancita, quae non modo haereſios profeſſionem et retentionem eccleſiaſticorum bonorum ſacrilege raptorum liberam omnibus faceret, et eccleſiaſticis haereſin amplexuris honorem ſalvum fore caveret, ſed etiam omnem juriſdictionem epiſcopis in Lutheranos eriperet, hoc eſt, paſtores munere ſuo fungi et poteſtate a Deo accepta uti prohiberet.

Egit poenitentiam.

Ferdinandi Caeſaris errata in negotio religionis.

Neque vero dubium habeo, quin *Matthias Heldus* Caeſaris Caroli conſiliarius, pro ſummo ſuo Catholicae fidei zelo et haereſion odio, mature officii Caeſarem admonuerit, et quanta in ejuſmodi actionibus peccarentur, quamque parum ex ſententia propter Dei offenſam res evaſurae eſſent, fideliter expoſuerit. Sed quia Ferdinandus rex Ungariam opem ferentibus Lutheranis tueri, et imperium in ſe ac filium transferre jam diu imbiberat, adeoque multa Lutheranorum gratiae danda judicabat, perfecit Granvellani opera, ut Caeſar tam ſpectatae fidei conſiliarium a ſe dimitteret: Qua de re Sleidanum audire ſatius fuerit: *Gliſcebat* (inquit) *inter Granvellanum et Heldum aemulatio quaedam atque ſimultas, quae tandem hunc exitum habuit, ut Heldus loco ſummotus curia decederet, ac vitam privatam ageret. Nam ille praeſtabat auctoritate, et Heldum in crimen odiumque vocabat, quod in conſiliis et actione nimium eſſet vehemens, quod Caeſarem nihil tale cogitantem et invitum propemodum in bellum pertraxiſſet. Cumque non obſcuram ſuae voluntatis daret ſignificationem Granvellanus, quaſi concordiam* (cum Haereticis, ſive conſociationem juſtitiae et iniquitatis, lucis et tenebrarum, Chriſti et Belial) *et otium publicum amaret, interpellatus a Proteſtantibus ad pacis conſilia Caeſarem inflexit. Poſtquam vero Heldum eliſerat, Joannem Navium Lucenburgium, velut magis obſequentem ſuis moribus adſcivit, in ejuſque locum ſubſtituit.* Nimirum hoc illud eſt, quod Diocletianus aiebat, ab iſto miniſtrorum genere, *bonum, cautum, optimum vendi imperatorem*, nam Caroli animum, alioquin egregie ad pietatem factum et gloriae divinae zelo inflammatum fuiſſe, et a mollibus id genus conſiliis, quibus Haereticorum vires ali et incrementa ſumere non ignorabat, abhorruiſſe, cum multae ipſius actiones, inprimiſque ſanctiſſima illa vitae ejus clauſula ſatis declarat, tum inimicorum Hiſpanici et Auſtriaci nominis, praecipueque *Thuani* confeſſio luculenter teſtatur.

Heldi Catholicae fidei zelus.

Ferdinandus quare in Lutheranos fuerit indulgentior.

Heldus a Caeſare dimiſſus, ob Catholicae religionis fervorem.

Granvellani [illegible] et Macchiavellianus.

Caroli V. zelo aulici illuſerunt.

CAPUT CXVI.

Quoniam vero idem *Thuanus* quaedam de eodem Carolo ſcribit, quae non modo virtutem ei ac prudentiam defuiſſe vincunt (in quo dolus, quo in laudando Caeſare Carolo uſus eſt, deprehenditur) ſed etiam iis, quae jam diſputavi, magnopere contradicunt; non debeo committere, ut ſilentio meo aſſentientis ſpeciem praebeam. Scribit ergo Thuanus libro ſecundo: *Exorto Luthero diſtractis principum et populorum animis, Carolus V. tot ſucceſſibus elatus, arridente fortuna, occaſionem arripuit Imperii ſibi ſuiſque proprio jure aſſerendi, id ſibi tot victorias ſpondere, atque adeo ſibi deberi tum confidebat, tum vero etiam rem tentare honorificum et quodammodo neceſſarium exiſtimabat.* His verbis perfidiae ſeu perjurii palam Carolum inſimulat. Is enim, referente quoque Sleidano, jusjurandum dederat, et tabulis conſignatis promiſerat, *nullum ſeſe conſilium initurum, quo dignitatem Imperii ſuae familiae peculiarem et hereditariam faciat, ſed liberam et integram permiſſurum ſeptemviris eli-*

Carolum Thuanus inuidioſe laudat.

Eundem perjurii inſimulat.

gendi facultatem juxta Caroli IV. *legem et juris pontificii praeſcriptum.* Quod vero imprudentiſſimus fuerit, cum ſe viribus ſuis Germaniam in fide ſua ac familiae tenere poſſe crediderit, libro IV. Thuanus ita commemorat: *Huic victoriae a Proteſtantibus reportatae, fortunae Caeſaris virtutem et prudentiam* (militarem ſcilicet) *adjuvante partae, defuit animus qui ea moderate et SAPIENTER uti ſciret; nam cum nec ea MENS Caeſaris eſſet nec vires, ut tot urbes, populos, principes, quos inſolita felicitate in ordinem coegerat, vi et praeſidiis tenere, et Germaniae rempublicam in regnum hereditarium transformare poſſet, reliquum erat ut humanitate et clementia majeſtatem et exiſtimationem tueretur.* Si non habuit eam mentem eaſque vires Carolus, quae ad continendam in officio Germaniam neceſſariae erant, certe imprudens et ſtolidus fuerit neceſſe eſt, qui rem tentare honorificum, et quodammodo neceſſarium putarit, neque moderate et ſapienter uti victoria ſciverit:

Et in ſuſpicionem imprudentiae ſeu ſtoliditatis eum vocat.

Τὸ γὰρ τολμᾶν ἀδύνατα, ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Audere namque inconceſſa haud ſapientis eſt.

Caroli conſilium non fuit Imperium facere hereditarium.

At enim turpiter Thuanum mentiri, hoc eſt, officium ſuum facere, cum Carolum occupandi et familiae ſuae vindicandi Imperii conſilia agitaſſe et victoria intemperanter atque impotenter uſum fuiſſe ſcribit, nemini qui Sleidanum, cujus fidei tantum tribuit Thuanus, vel ſemel legerit obſcurum eſſe poteſt. Nam victoria quomodo uſus fuerit, ita palam eſt, ut verbis opus non habeat; quamvis enim extremo anno 1530. a ſeptemvirali electorum collegio, uno Saxone excepto, ut fratrem Ferdinandum Romanorum regem crearent, impetrarit, qua quidem re jusjurandum et datam Imperio fidem violari contendebant Lutherani principes, ex quorum ad Caeſarem epiſtola haec Sleidanus verba recitat: *Scire ipſum, quam accurate, quam ſancte, quibus verbis atque pactis Imperio ſe devinxerit et obligarit: quomodo fide data per jusjurandum promiſerit ſervare legem Carolinam: quomodo ſpoponderit neque ſe quicquam eſſe contra facturum, nec aliis etiam ut faciant permiſſurum. Haec nimirum pacta violari non poſſe, neque reſcindi aut mutari, niſi de communi omnium ordinum conſilio ac voluntate,* &c. quia tamen idem Sleidanus narrat, id eum, *editis et allatis in medium argumentis, electoribus perſuaſiſſe*, nec ullam in eo vim aut terrorem adhibuiſſe, nemo niſi improbus quicquam eum contra fidem datam et jurejurando firmatam feciſſe inſimulare poteſt.

Ferdinandi deſignatio in regem Romanorum.

Eam Lutherani jurijurando Caeſaris adverſari contendebant.

Sed in eo mentiuntur.

Saxonis proteſtatio erat frivola.

Quod enim Saxo ſibi creationem regis tanquam vitioſam nequaquam probari proteſtatus eſt, quantum referat non video, quippe qui ſolus eſſet, et Haereticus, ac paulo prius decreto omnium ordinum Imperii Dei ac reipublicae hoſtis declaratus. Sed ſi omnino Caeſar fratrem ſuum vel nolentibus et invitis, tam Catholicis quam Haereticis, Imperii principibus atque ordinibus regem imponere tentaſſet, aut etiam opere ipſo impoſuiſſet, nequaquam conſiliariis et theologis ejus argumenta defuiſſent, quibus factum ejus omni peccati et violatae fidei crimine carere ſpecioſe ac probabiliter defenderent. Sic nempe diſputare poterant. In jurejurando ſeu ſacramento illo, quo ſe Carolus Imperio devinxit, primum locum tenet eccleſiae ac pontificis defenſio: Quemadmodum et Sleidanus ſcribit: *Conditiones ſive leges, quas Caroli legati praeſcriptas ab electoribus ratas habuerunt, et per jusjurandum probarunt ipſius Caroli verbis atque nomine, literis etiam ea de re confectis, ſunt ejuſmodi: Tueatur rempublicam Chriſtianam, pontificem et eccleſiam Romanam, cujus ipſe ſit advocatus: Jus aequabiliter adminiſtret ac paci conſulat.* Et rurſum: *Colonienſis archiepiſcopus electum Caeſarem Latinis verbis rogat: An fidem Catholicam ſervare, defendere eccleſiam, adminiſtrare juſtitiam, reſtaurare imperium, tueri viduas, pupillos et id genus calamitoſos homines, an honorem debitum Romano pontifici velit exhibere. Ubi annuit, ductus ad aram conceptis verbis jurat.* Jam vero qui jurat ſe tutorem fore eccleſiae Romanae et auctoritatis pontificiae, idem ſimul jurat, ſe bona fide adhibiturum omnia adjumenta ſeu media, quae ad tuendam eccleſiae ac pontificis auctoritatem et incolumitatem pertinere uſuique fore ex animi ſententia judicarit. Advocatus enim, qui praetermittit quicquam quod ei cui fidem ac patrocinium ſuum profitetur, utile fore exiſtimat, praevaricatur ac perfidiae ſe alligat.

Etiamſi Carolus Imperium voluiſſet facere hereditarium, potuiſſet ſpecioſe defendi.

Juraverat enim ſe defenſorem fore pontificis et eccleſiae.

Putabat autem ad id requiri, ut Imp. faceret hereditarium.

At enim Carolus Caeſar ex animi ſententia ita judicat, nunquam in tuto fore, ſed ſemper graviſſime periclitaturam Catholicam in Germania fidem et eccleſiae ac pontificis auctoritatem, niſi univerſam Germaniam ſibi obnoxiam reddiderit, ſuaeque ditioni etiam in poſteritatem ſubjecerit. Quamdiu enim iſta nimia libertate fruimini, neque vos Caeſari in iis, quae ad conſervandam religionem pertinent, dicto audientes eſtis, neque vobis alii obediunt, ut fiat quod *Judic.* xxi. ſcriptum eſt: *In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Itaque niſi Caeſar praevaricari ac fidei ſacramento firmatae parum memor eſſe velit, non poteſt ſalvo officio facere quin hoc conſervandae Catholicae religionis et tuendae eccleſiae Romanae medium prorſus neceſſarium arripiat, hoc eſt, licentiam iſtam veſtram reſcindat, atque in veram libertatem convertat. Nam poſſe malum non libertas eſt, ſed licentia: cum *liber* ſit, *qui poteſt vivere quemadmodum vult*, non quemadmodum concupiſcit: Quorum illud eſt cum ratione, hoc praeter rationem.

Idque nihil adverſari libertati Germaniae. Quis ſit liber?

tionem. Qui ergo illud expetit quod rectae rationi ac legibus eſt conſentaneum, id eſt, quod nec vis nec jus prohibet (nam cupere quod non poſſis, dementis eſt: quod non debeas, improbi) is enimvero *velle* dicendus eſt, quemadmodum in Pſalmo ſcriptum eſt: *In mandatis tuis volet nimis.* Et qui poteſtatem habet vivendi ſecundum leges, ſive faciendi quod recta ratio jubet, is demum *liber* eſt: Non autem qui poteſt facere, cuique licet quod ipſi libet, ſive, quod non ratio, ſed affectus et cupiditas ſuadet. Non ergo nunc liberi eſtis, vos Germani, cum poteſtatem habeatis non parendi legibus. Nam, exempli cauſa, anno 1521. Wormatiae in comitiis decretum Caeſar edidit communi principum ordinumque conſilio, in quo damnatur ac proſcribitur Lutherus, *ut auctor ſchiſmatis, ut manifeſtus ac pertinax Haereticus, et potius daemon humana ſpecie quam homo, cujus immanitas atque rabies nullius oratione ſatis explicari queat, quippe in cujus libris nihil aliud quam ſeditiones, bella, diſcordiae, incendia, caedes ac rapinae contineantur: mandaturque omnibus ut illum capiant et in poteſtatem ſuam reducant; eos vero qui quocunque modo faveant aut operam ei ſuam communicent, aeque proſcribit: Libros etiam Lutheri aboleri et cremari jubet:* Atque hoc ſuum decretum ſive edictum magno omnium ordinum aſſenſu promulgatum, omnique abrogandi difficultate, imo, ut ita dicam, impoſſibilitate ſeptum, eſſe ſacroſanctum mandat. Quanta ergo haec veſtra licentia eſt, cum anno 1524. ſimul omnes in Noribergenſibus comitiis, abſente Caeſare, per legatum tamen ſuum conquerente, quod edictum illud Wormatienſe communi veſtro conſilio ac voluntate factum, maximo Germaniae detrimento, violaveritis, idque impoſterum magno ſtudio ſervari praecipiente, novo decreto, in pontificem, eccleſiam, et Caeſarem denique nimis contumelioſo, prioris illius exſecutionem ſuſtuliſtis: Quo etiam nomine mox a Caeſare literis ex Hiſpania datis graviter objurgati eſtis; quarum literarum argumentum Sleidanus lib. IV. ſic exponit: Quod conventum alium indixerint, in quo rationem inire velint conſtituendae religionis ad tempus uſque concilii; quod etiam delectis aliquot viris doctis et ſacrorum peritis judicium de ſumma doctrinae permittant, minime omnium aut poſſe aut velle ſe concedere; ſed pro ſuo munere, quandoquidem ſit eccleſiae tutor atque patronus, modis omnibus decretum hoc improbare, ne videlicet tum Dei tum pontificis iram adverſum ſe concitet: Quid enim in eccleſiam Chriſtianam contumelioſius fieri poſſit, quam ſi reverentia ſummae poteſtati debita ſic projiciatur? ſi Germania, quae primam ſemper habuit pietatis et obſequentiae laudem, tantam rem ſola moliatur, quam nulli principes, ne pontifex quidem ipſe Romanus audeat ſubire; videlicet ut eam religionem, quae tot ſaeculis valuit in orbe Chriſtiano, repudient et aboleant? Orare ſe Deum, ut Germaniam benigne reſpiciat, neque ſe vivo tantum malum patiatur inundare. Pareant igitur edicto Wormatienſi, niſi poenam ſubire velint; et actionem omnem religionis differant, dum et ſummi pontificis, et ſuo etiam juſſu concilium habeatur, qui ſint ipſorum ſupremi magiſtratus. Quoniam etiam in iiſdem Noribergicis comitiis Caeſari reſpondiſtis, parituros vos edicto Wormatienſi, *quantum omnino facere poſſetis*, rurſumque anno 1526. in Spirenſibus comitiis decreto ſanxiſtis, *ita ſe gerat quisque in ſua provincia, ut facti ſui rationem Deo et Caeſari reddere queat:* Quo quidem decreto deinceps Proteſtantes ſemper uſi ſunt ad tuendam cauſam ſuam, quippe quo Wormatienſe edictum fuerit antiquatum. Certe vos poteſtatem non habere faciendi quod juſtum eſt legibuſque conſentaneum, adeoque nec liberos eſſe, ſatis aperte fertis. Itaque ſi faciat Caeſar, ut poſſitis omnino parere edicto Wormatienſi, neque impediamini quo minus eccleſiae et pontifici debitum honorem exhibeatis, ejuſque hoſtem Lutherum ac libros ejus de medio tollatis, hoc eſt, ſi veſtras vires compeſcat, ſuas vero augeat, voſque pluſculum in ordinem redigat, cum optime libertati veſtrae conſulet, tum adjumento ad tuendam fidem Catholicam et eccleſiae auctoritatem utiliſſimo, imo prorſus neceſſario utetur. Poterat etiam ab iiſdem Caeſarianis defendi, quod conceptis verbis juravit Caeſar, *ſe velle imperium reſtaurare*, hoc eſt, in priſtinum ſtatum reducere. Itaque neceſſe eſt, ut publica Imperii vectigalia ambitu Caroli IV aliorumque impp. probroſis largitionibus alienata vindicet, ac principibus velut male fidei poſſeſſoribus eripiat. Hoc autem, et multa alia conſimilia ad inſtaurandum imperium pertinentia praeſtari ab imperatore nequaquam poſſe, niſi totum Imperium ſuae ac poſterorum ex familia ſua ditioni ſubjiciat. Poterant in eandem ſententiam alia multa, ut principum aſſentatoribus plauſibiles id genus rationes quantacunque cum injuſtitia conjunctae nunquam deeſſe ſolent, ab iiſdem diſputari: Quae alio loco accuratius excutiam, mihique patriae noſtrae libertate nihil charius et antiquius eſſe planiſſimum omnibus, Deo juvante, faciam.

Germani non videbantur eſſe liberi:

Cum haud poſſent vivere ſecundum leges.

Principes Germani [illegible] ſe non eſſe liberos.

Recte ergo Carolus facit, ſi eos in libertatem aſſerat.

Alia Caroli Caeſaris excuſatio.

Ex Continuatione Hiſtoriarum Thuani *Francof.* 1628. *in folio, pag.* 314. *ſub anno* 1612.

In catalogo librorum nundinis Francofurtenſibus autumnalibus anni 1611 edito, inter libros qui proximis demum nundinis prodituri eſſent, hic titulus repertus fuit: *Gaſparis Scioppii Eccleſiaſticus, auctoritati ſereniſſimi Domini Jacobi, Magnae Britanniae Regis, oppoſitus. Hartbergae: proſtabit apud Nicolaium Steinium.* Nomen auctoris hominis maledici, et Hartbergae oppiduli in Weſtphalia, in quo conſtat nullam eſſe typographiam, conjectare fecit librum illum aliquid monſtri continere et ex meris invectivis conſarcinatum eſſe. Neque iſthaec feſellit opinio. Nam cum hoc anno in Galliam fuiſſet allatus, cum alibi tum in primis cap. CXI. compertus eſt memoriam Henrici magni, regis defuncti, contumelioſis verbis proſcindere, conſequentias abominandas ex genere mortis, quo ſcelere nefario Ravaillaci interemtus fuit, ducens, et malitioſe ad tantum regem verba hieropſaltis accommodans. *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum* &c. qui locus tam male ad ipſum applicatur, ut nullus ſit Gallorum, praeſertim ex iis, qui apud illum aſſidui fuerunt, qui Scioppium illum inſignis mendacii non arguat: cujus verbis ſi fides ſit adhibenda, omnes reges et principes, qui, propter tranquillitatem ſuorum regnorum et quietem ſubditorum, pacem concedunt religionem Catholicae contrariam amplexis, hoc encomium poſt mortem reportabunt, quod Haereticorum, Turcarum et atheorum, quam Catholicorum, fidelium et piorum partibus addictiores fuerint. Verum homo iſte non tantum Galliae regem, ſed ipſum pontificem, imperatorem, adeoque omnes reges principes et reſpublicas in orbe chriſtiano impudenti ore perſtringit: quorum nemo eſt qui non in ſuis ditionibus vel Judaeos, vel Graecos, vel Lutheranos, vel Calviniſtas, vel Huſſitas, vel alios ſimiles toleret. Quapropter ſenatus Pariſienſis ſequenti decreto librum illum damnavit: “ Poſtquam ſenatus, claſſe primariorum, decuria Tholenſi, et curia edicti coactis, vidit librum a Gaſpare Scioppio editum, cui titulum fecit, Eccleſiaſticus, ſuppoſito nomine Hartbergae, quaſi illic excuſus eſſet, anno CIↃIↃCII. qui multas blaſphemias et execranda maledicta contra ſanctiſſimam et laudatiſſimam memoriam Henrici IV defuncti (quem Deus abſolvat) aliaſque propoſitiones ad turbandam quietem totius chriſtiani orbis, et regum ac principum ſupremorum vitam, regna et principatus in diſcrimen adducenda tendentes continet, auditis concluſionibus cognitoris regii et habita deliberatione, decrevit et decernit, ut liber iſte a carnifice publice in area palatii exuratur: ſimulque interdicit omnibus typographis et bibliopolis ne eum excudant, venum exponant, recipiant, publicent: iiſdem et aliis, cujuſcunque ſtatus et conditionis ſint, fas non erit eum habere, retinere aut communicare. Si quis illum habeat, is tenebitur intra viginti quatuor horas a publicatione hujus decreti, quae tum in hac urbe cum clangore tubae et voce praeconis, tum in aliis praefecturis ſub hujus parliamenti juriſdictione fiet, eum afferre aut mittere ad graphiarium rerum capitalium hujus curiae, aut ad aliarum urbium tabularia, ut flammis tradatur, poena criminis laeſae majeſtatis in eos qui huic mandato non paruerint conſtituta. Dictum et factum VIII kal. xbr. CIↃIↃCXII. Subſcripſit,

VICINUS.

Ex Paediis Scioppianis, *Amſt.* 1666, 8vo. *pag.* 30.

Cardinalis Bellarmini epiſt. ad Scioppium 22 Januar. 1612.

Ecclesiasticum tuum ſummo pontifici laudavi, quia laude dignus erat. Quamvis enim in paucis quibuſdam doctrinae capitibus a me diſſentias, ego tamen non tanti me facio, ut exiſtimem injuriam mihi fieri, ſi unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Laudavi in te peritiam ſcripturarum ſacrarum, laudavi zelum converſionis Haereticorum, laudavi libertatem in Thuano reprehendendo, laudavi prudentiam et ſapientiam in rege Anglorum exagitando, laudavi multa alia, quorum memor jam non ſum, quae docte et luculenter in libro tuo explicabantur. Quare Deo gratias agere debes, qui tibi ingenium ad excogitandum, et facundiam ad ſcribendum et eloquendum praeſtitit; non mihi, qui quod facere debui feci, ac de cetero ſervus Dei inutilis ſum. Vale, vir optime, et me, ut facis, amare perge. Romae.

Ex Petri Lambecii tomo 1mo. Commentariorum de Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, *pag.* 50. *Vindobonae* 1665 *in folio.*

Gaspar Scioppius, homo, ut notiſſimum eſt, ingenii maligni et oris maledicentiſſimi, qui propter praeſtantiſſimorum et de re literaria optime meritorum virorum invidas ac injurioſas calumniationes merito *Canis Grammaticus* appellandus eſt.

Ex

Ex Jo. Geor. Graevii epiſtola, Danidis Eremitae lucubrationibus a ſe editis Ultrajecti 1701, praefixa.

ERAT Scioppius latinae linguae ſane quam peritus; ſed ut aſpero erat ac violento ingenio, ſic et aſpera erat et horrida ejus dictio, ſine palaeſtra, et in qua nihil elucebat venuſtatis, ac ne mica urbanitatis, ſed ruris et inſulſitatis omnia ſunt plena; ut Scioppius videatur natus eſſe in trivio, et educatus in cauponum et lenonum contubernio, in quo didicerit obſcoeniſſimis et homine indignis conviciis inſectari praeſtantiſſimos quoſque viros, et quidem nulla laceſſitus cauſa et injuria, ſed ſtimulante livore et inſita illa malignitate trucis ingenii, frigidiſſima uſus religionis calumnia.

Denique, ut omnes Scioppii in Thuanum cenſurae, quaecunque in manus noſtras pervenerunt, lectori pateant, excerpta quaedam ex libro ſuo, quem Judicium de Stylo Hiſtorico *inſcripſit, heic ſubjunguntur; quamvis liber iſte non niſi Thuano jam multos annos mortuo in lucem prodiiſſe videtur: prima enim editio, quam nobis unquam aſpexiſſe contigit, alteri ejuſdem auctoris ſcripto, cui titulus* Infamia Famiani, *adjecta, anno* 1658 Sorae *in* 12mo *publicata eſt. Extat quidem diſſertatio Scioppii ſub ficto nomine* Paſcaſii Groſippi, de rhetoricarum exercitationum generibus, *in qua multa ſermonis Thuani vitia notantur; nulla tamen quae non pluribus verbis in hoc ſuo* Judicio de ſtylo Hiſtorico *exagitantur.*

Exempla barbariſmi.

JACOBI Aug. Thuani latinitatem multi laudant, Burdo inprimis, ne fides veteri verbo deſit: *Multa multi.* Sed is in praefatione hiſtoriae ſuae *ſubſtraxit* et *ſubſtractio* habet, ab elegantiſſima, ſi ſuperis placet, praepoſitione *ſubs.* Ejuſdem eſt *aboletus* pro *abolitus,* non ſemel, elegantiae credo cauſa, uſurpatum. Et lib. XV. amicitiam regis *ſe coliturum* promittit: Puer autem decennis *culturum* dixiſſet, aut nates perdidiſſet. Idem lib. XXVI. *perculſit* habet, neſcio an Calepino auctore; Priſcianus quidem docet *perculit.*

Exempla ſoloeciſmi.

FOEDUS Thuani ſoloeciſmus eſt hiſt. lib. X. *Menzanum caſtellum aggrediuntur, ſed irrito ſucceſſu; qui intro erant, ſe graviter defendentibus.* et lib. XI. *Domibus, quae ex adverſo arcis intro ſunt, terra oppletis.* Jam enim neque qui grammaticae rudimentis operantur ignorant, quod Caper vetuſtiſſimus grammaticus monuit, *intro* ſignificare locum, *intus* in loco. Lucilii de eadem re verſus ſunt:

Nam velut intro *aliud longe eſſe atque* intus *videmus,*
Sic et apud *longe aliud eſt, nec idem valet atque* ad:
Intro *nos vocat ad ſeſe, tenet* intus *apud ſe.*

Quod ſi poetae credendum non putavit, quid fuit cur Fabii doctrinam contemneret? Is lib. I. cap. V. planiſſime ſic ſcribit: Intro *et* intus *loci adverbia.* Eo *tamen* intus, *et* intro ſum, *ſoloeciſmi ſunt*, qua tamen culpa Thuanus vacare poterat, ſi *introrſus* vel *introrſum* dixiſſet, quod quidem promiſcue pro *intus* et *introverſus* uſurpari conſtat. Horatius, *Introrſum turpis, ſpecioſus pelle decora.* Caeſar, *introrſus inſpicere.* Varro, *introrſus ſpectare.* Livius, *nihil introrſus roboris ac virium eſſe. Hoſtem introrſum in media caſtra accipiunt.* Non minus flagitii facit Thuanus, cum l. V. ſic ſcribit: *Tantum terroris oppidanis injecit, ut tandem poſitis armis deditionem faciunt, et quem modo tanquam civem admittere noluerunt, ſaeviſſimum tyrannum experti ſunt.* Quis eum grammaticas regulas didiciſſe credat? Scribit etiam lib. XXVI. *Pulcherrimam rei bene gerendae occaſionem elabi paſſus eſt: quod magnorum deinde tumultuum cauſa extitit*, pro *quae cauſa extitit. Incommodare aliquem*, pro *alicui*, ſine ſoloeciſmo dici nequit: Neque tamen Thuanus lib. X. ſic loqui dubitat. Cujus et hoc eſt lib. IX. *Ne aut arma ſumatis ipſi, vel auxilia illis contra me ſubminiſtretis:* Quam ſtribliginem vel puer emendaverit, et *ne vel arma ſumatis* ſcripſerit. Non longo hinc intervallo apud Thuanum legimus: *Ferdinandus reſpondet, et, cum ſummus ſit magiſtratus, mirari ſe dicit quomodo obedire ſibi nolint, potiusque novitiis quorundam opinionibus auſcultantes curioſitate quadam et ſuperbia tranſverſos agi ſe ſinere, et a via majorum deflectere*, pro *tranſverſos agi ſe ſinant et deflectant.* Cujus ſimiles ſoloeciſmi maximo numero in hiſtoria iſta reperiuntur.

Exempla peregrinitatis.

EJUSDEM farinae eſt hoc Thuani in hiſtoriae praefatione: *Remittentibus cum tempore odiis, ſc. col tempo* Etruſci vulgo uſurpant. Tullius, *procedente tempore, in poſterum, in reliquum tempus, temporis intervallo. Laurea amittit longo tempore viriditatem.*

tatem. Qui etiam, quod Thuanus diceret *omnes cum tempore fiunt tardiores*, hoc modo effert: *Quo plus cuique aetatis acceſſit, eo fit tardior.* Ejuſdem Ciceronis eſt: *Opportunitas non fit major productione temporis.* Et 10 ad Attic. ep. 1. *Quae tu ſcelera partim parari et jam cogitari, partim ex tempore futura cenſes?* Quo loco *jam* et *ex tempore* opponuntur. Plautus *in aetate* dicere ſolet, ut Trinum. *Amicum caſtigare ob commeritam noxiam, immane, ſive injucundum eſt facinus, verum in aetate utile ac conducibile*, id eſt, aetatis progreſſu, *col tempo.* Hoc etiam Livii lib. XLII. non alium habet ſenſum: *Si poſſeſſio haud ambigua regni maneret, multa diem tempuſque afferre poſſe, quibus amiſſa recuperare poſſet.* Pro quo Thuanus dixerit: *Eum quae amiſit cum tempore recuperare poſſe.* Paris elegantiae eſt hoc Thuani lib. I. Rex *epiſcopum aliquando deponere* poteſt, pro *epiſcopatu depellere, abigere, exuere, movere, removere, dimovere, detrudere, dejicere, abire, cogere*, aut, Livii imitatione, *epiſcopatum alicui abolere*, aut Velleii, *abrogare.* *Probare*, pro *experiri*, ſive *experimento capto cognoſcere*, nemo niſi valde in Latio hoſpes dixerit. Hoc tamen Thuanus facit lib. XVIII. *Qui tantam humanitatem in exteris ac diverſa ſentientibus probavit, longe contrariam fortunam inter ſuos expertus eſt.* Citat quidem Briſſonius juriſconſultorum loca, ubi *probare* ex vulgari Italorum idiomate pro *experiri* legatur; ſed accuratius ea intuiti, *probare* pro *approbare, laudare, probum judicare*, dictum inveniunt, v. gr. Gaius l. XV. ff. de peric. et commodo rei vend. *Sive emptor non deguſtarit vinum, ſive deguſtando male probavit, de ſe queri debet:* Hic *probavit* ſignificat *approbavit, bonum cenſuit.* Modeſtinus l. XXXII. ff. ad l. Corn. de Falſis. *Menſuras vini aut frumenti publice probatas corrumpere*, id eſt, quas auctoritas publica pro probis agnovit. Mela l. XXXIX. ff. De ſolut. *Si ſoluturus tibi pecuniam, eam apud numularium, quoad probaretur depoſuerim.* Hoc loco *probaretur*, non ſignificat, *ad obruſſam exigeretur*, ſive *inſpiceretur*, aut *examinaretur*, ſed *pro ſpectata et probata agnoſceretur.* Seneca tamen, *effectu probare* videtur dixiſſe pro *ipſo opere experiri*, epiſt. XXIV. *Haec ſaepe audiſti, ſaepe dixiſti; ſed an vere audieris, vere dixeris, effectu proba.* Quamvis *proba* rectius interpretemur *demonſtra, approba nobis, planum fac.* Inquinatiſſimum eſt hoc etiam Thuani, quod in lib. XIII. lego: *Viginti ad minus dies hoſtem in obſidione moraturum:* [Quia ſcilicet Galli dicunt *au moins*, Itali *al meno*, Hiſpani *a lo menos*, quod Latinis eſt *minimum, ſaltem, duntaxat, quod minimum eſt.*]

Exempla novitatis, ſeu novationis.

THUANI hiſtoria neque ipſa πανταχομῶν non eſt pleniſſima, v. gr. *Alias* pro *alioqui.* *Noſtra eſt retro ſaeculorum memoria. Juxta veterem ſententiam. Multoties, gratitudo, ingratitudo, in ditione epiſcopi, ſubditi alicujus. Tenetur revocare ſententiam viginti ad minus dies. Impraeſentiarum. Nullatenus ea de re actum eſſe*, pro *omnino non* aut *nihil penitus*, quae quam ſint lutulenta, ſupra demonſtravimus. Sunt et iſta nove ab eo dicta: *Pejerare in Deum, impares contra tantam multitudinem. Vir nupſit puellae*, pro *uxorem duxit puellam*, cum tamen amiculus ejus Joſ. Burdoſc. nuptos viros ita deteſtatus fuerit: *Apage, apage viros nuptos. Hic in Gallia viri non nubunt, ſed foeminae.* Literas quibus fides alicui fit ſive teſtimonium praebetur, quas priſci *auctoritates*, vulgo *literas credentiales* vocant, Thuanus, Sleidanum ſecutus, inſulſiſſime *fiduciarias* vocat: cujus ſordibus accenſeas licet, *Caligae* pro *femoralibus. Moroſa tergiverſatio*, quod moram afferat. Obiter notandum, *improperare alicui* pro *exprobrare, vitio vertere, ingerere, executioni demandare. Concivis*, pro *civis* aut *popularis. Dejeramenta in Deum*, pro *dirae* aut *blaſphemiae. Injuriae memoriam ad animum revocare*: Ridicule. Juris conſulti *injuriam revocare ad animum* habent, non *memoriam injuriae.* Aeque ridiculum eſt hoc: *Aſſeveranter negare.* Perinde enim valet *aſſeveranter* atque *affirmative*, quod vulgo dicunt. Sordide haec quoque, *ad mortem damnare aliquem*, pro *capitis condemnare. Ne ipſorum dignitati tractu temporis praejudicetur, diſtributo unicuique viritim aureo*, ubi τὸ *unicuique* miſſum fieri debuit, tametſi ſimillime Seneca III. de ira II. dicat: *Ambitio viritim ſingulos occupat.* Eſt etiam Thuani, *gratiam alicujus demereri*, pro *aliquem demereri*; *dietim*, pro *in ſingulos dies. Brumoſo aere*, pro *hiberno* aut *brumali. Ultroneus* et *ſpontaneus*, pro *voluntarius. Mercimonium*, pro *mercatu*, cum *mercem* ſignificet. *Singulis quatuor menſibus ſtipendium militibus dependit*, pro *quarto quoque menſe.* Vel potius, *quot quadrimeſtribus*, ſicut, *quot annis, quot calendis*, ubi ſubauditur verbum *ſunt.* Integra enim oratio eſt: *Siculi quotquot annis tributa conferunt*, ſive *tot annis quot ſunt tributa conferunt:* pro quo Cic. ἐλλειπτικῶς, *Siculi quotannis conferunt.* Plautus Stich. *Meminiſtis quot calendis petere demenſum cibum*, pro *tot calendis quot ſunt petitis cibum*, id eſt, omnibus vel ſingulis calendis. Horat. *Non ſi trecenis, quotquot erint dies, Plutoni tauros immoles.* Recte Muretus eum notat, qui dixerat, *Singulis quinque annis.* Singuli enim eſſe nequeunt, qui ſunt quinque: cum *ſinguli* voce unitas ſeu μόνας ſignificetur. Cic. *Saepe ſingulis utendum eſt, plerumque binis, non fere ternis amplius. Vix ſingulis aetatibus ſinguli, vel bini oratores tolerabiles inventi ſunt. Caeſar, Tarenti, Brunduſii, Siponti, ſingulas legiones*

poſuit, id eſt, in unaquaque trium civitatum unam legionem. *Binos aureos ſingulis diſtribuit*, id eſt, unicuique duos. Plautus, *Indies qui ſingulas eſcas edunt*, id eſt, qui quotidie ſemel tantum cibum capiunt. Idem Ciſtellar. act IV. ſc. II. *Singulum video veſtigium*, pro *ſingulorum*. Varro, *neſciebamus ſemel unum ſingulum eſſe.* Livius, *ex ſingulo ligno ſcapham* dixit, pro quo Polybius μονόξυλον πλοῖον. Falſum proinde eſt, quod Priſcianus veteres negat in unitatis numero ſingulum dixiſſe. Agellius l. XVIII. c. 13. *Numo ſingulo multabatur.* Et lib. XIX. c. VIII. *Singulum* et *pluratívum* numerum dicit, pro *ſingulari* et *plurali.* Fugit tamen Muretum ratio, cum pro *ſingulis quinque annis* dicendum putat, *quinto quoque anno.* Nec enim eadem utriuſque dicti eſt ſententia. Si quid enim fiat, quod quinquenniis, ſeu ſingulis quinquenniis ſemel, nihil neceſſe eſt id quincto ſemper anno fieri, cum etiam primo, ſecundo, aut quocunque quinquennii anno factum intelligatur. Rurſum Thuani eſt: *De rerum ſtatu optime inſtructus*, pro *edoctus*. *Per tranſennam* appellare, pro *praetereundo, in tranſitu*, ὡς ἐν παρόδῳ. *Tranſenna* Latinis nihil eſt aliud quam funis extentus. Qui aliter accipiunt, ſibi a mendoſo Ciceronis loco turpiter imponi patiuntur. Is in primo de Orat. ſic recte legitur: *Petes a Craſſo, ut illam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco quaſi praetereuntes ſtrictim adſpeximus, in lucem proferat, ac ſuo quidque loco collocet.* Hic *praetereuntes* valet illud ipſum, quod vulgo *obiter* dicunt, id eſt, aliud fere agentes, et in tranſcurſu. Sic alio loco Cic, *Nemo poteſt uno adſpectu neque praeteriens in amorem incidere. Uno adſpectu et praeteriens judicat. Quaſi praeteriens ſatisfaciam univerſis.* Hoc verbum *praetereuntes* ſciolus quiſquam corrigere conatus fuit, ex eoque facere *pertranſeuntes*; niſi tamen id oſcitanti librario inter ſcribendum excidiſſe putabimus. Utroque poſtea a conſecutis librariis in contextum recepto, ut eſſet ſic: *Quaſi pertranſeuntes, praetereuntes, ſtrictim adſpeximus:* Occaſio nata fuit Nonio, ſtolidiſſimae pecudi, ſeu cui alii paris ſtuporis grammatico, experiendi ingenii, cui indulgens, ex verbo *pertranſeuntes*, fecit *per tranſennam:* Quod nullo negotio iis probavero, qui Nonium non prorſus ignorant, et librorum MSS. uſum habent.

Exemplum archaiſmi, ſive obſoletorum verborum uſus.

In *Thuano* nihil hujus generis legere memini, quam quod hoc l. XVII. *Guiſius quaſi parto triumpho* vitulabundus *in Galliam advolat.*

De

De auctore Notationum inſequentium in Jac. Aug. Thuani hiſtoriarum libros.

Iſaacus Caſaubonus in epiſtola, paulo ante mortem ſuam ſcripta, Lond. VIII *Eid. Jun.* 1614. *Edit. Roterodami* 1711 *in folio, pag.* 565. *haec habet.* Vidimus hic librum adverſus ampliſſimum Thuanum, a Gretſero Jeſuita nuper editum. Ibi obſervat rex optimus [Jac. I.] et non minus Chriſtianus quam illa familia eſt Satanica, probro illi verti quod infamem lanienam, anni 1572, non laudarit. O virum beatum hoc crimine!

Franciſcus Sweertius in epiſtola ad Gul. Camdenum dat. kal. Julii 1614, *in ſylloge a Tho. Smitho Londini edita* 1691. *in* 4to. *pag.* 147, *ſic ſcribit*, Legiſtine ſcriptum quoddam Ingolſtadii impreſſum contra praeſidem Thuanum? Ego ſum in ea opinione Gretſerum Jeſuitam auctorem.

Denique Philippus Alegambe, in Bibliotheca ſcriptorum ſocietatis Jeſu, Antuerpiae 1643. *in folio, pag.* 201. *inter opuſcula Jacobi Gretſeri quoddam inſerit ſub hoc titulo generali et indefinito* Notae in libros hiſtoriarum Jac. Aug. Thuani.

Sed D. d'Iſs auctor verſionis Gallicae commentariorum de vita Thuani, Amſt. 1713. *in* 12mo. *pag.* 277. *aliter cenſet. ſcil.* En 1614. un Jeſuite nommé le P. *Jean Machaud* fit imprimer en Allemagne un libelle intitulé Remarques ſur les Hiſtoires de J. A. de Thou. Il s'y deguiſa ſous le nom de *Joannes Baptiſta Gallus*, & quoiqu'il ne ſoit point parlé de la ville où ces remarques ſont imprimées *, cependant le titre porte, qu'elles le ſont avec privilége de l'Empereur, chez *Eliſabeth Angermaer*, & de l'imprimerie *d'Eder*. Tous ces noms, auſſi bien que ce privilege (qu'on n'y voit point) ſont ſuppoſez.

Hoc confirmat Jacobus le Long in Bibliotheca ſua hiſtorica Galliae, Paris 1719, *in folio, pag.* 443, *viz.* Jean de Machault, Jeſuite, eſt l'auteur des *Notationes J. B. Galli in J. A. Thuani hiſtoriarum libros, Ingolſtadii*, 1614. Il eſt mort en 1619: Alegambe, dans la Bibliotheque des Ecrivains de ſa Compagnie, attribuë un ſemblable ouvrage à Jacques Gretſer, ſans marquer le lieu ni la forme de l'edition. Il pourroit bien ſeulement avoir eu ſoin de l'impreſſion de ces remarques.

In JACOBI AUGUSTI THUANI HISTORIARUM *libros NOTATIONES, lectoribus et utiles et neceſſariae. Auctore* JOANNE BAPTISTA GALLO, *J. C.*

S. Bernardus ſerm. LXV. in Cantica. *Longe plus nocet falſus Catholicus, quam ſi verus appareret Haereticus.*

Cum gratia et privilegio Caeſar. majeſtat. Ingolſtadii, typis Ederianis, per Eliſabetham Angermayrinam. Anno Redemptoris 1614.

S. Bernardus ſerm. LXVI. *in Cantica.*

Hi ſunt, qui boni videri, non eſſe: Mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, et videri boni volunt, ne ſoli ſint mali. Mali videri timent, ne parum ſint mali. Etenim minus ſemper malitia palam nocuit; nec unquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergo in malum bonorum boni apparere ſtudent, mali nolunt, ut plus liceat malignari.

INDEX CAPITUM.

I. Vaniſſima Thuani hiſtoria.
II. Thuanus ſcriptorum haereticorum admirator.
III. Thuanicae quaedam loquendi formulae.
IV. Collecta a Thuano apophthegmata.
V. Thuanus in Sectarios propenſior.
VI. Probis omnibus et Catholicae religionis aſſertoribus perinfenſus Thuanus.
VII. Suſceptum a Thuano bellum in Jeſuitas internecinum.
VIII. Contumelioſe reges chriſtianiſſimos appellat Thuanus.
IX. Convicia in Romanos pontifices tota paſſim hiſtoria a Thuano ſparſa.
X. Implacabile Thuani odium in ſedem Romanam.
XI. Thuanus pſeudotheologus.
XII. Malignae aliquot Thuani fraudes.

PRAEFACIUNCULA in NOTATIONES.

JAcobus Auguſtus Thuanus, clariſſimi viri Chriſtophori Thuani principis ſenatus Pariſienſis filius, hiſtoriam ſui temporis libris viginti ſupra centum eſt complexus. Speravit, credo, hac tot librorum editione ſarcire jacturam aliquot decadum Livii, aut forte (nam hoc ingenium eſt Haereticorum, τῷ πλήθει τῶν βιβλίων φιλοτιμούμενοι *ait S. Nazianzenus) tot lucubrationibus gloriam*

NOT. * Il y a *Ingolſtat* dans le titre de nôtre exemplaire.

riam apud poſteros immortalem conſequi. Verum quod his libris plurima inſperſerit, quibus ſe Haereticorum partiarium eſſe non obſcure ſignificavit, eos apoſtolica ſedes tanquam peſtilentiſſimos cenſura notavit, anno 1610. Et quoniam plerique ſunt, qui niſi quod agunt nil recte factum putant, referam paucis in aliquot capita quae mihi libros illos decurrenti viſa ſunt inconſideratius et irreligioſius eſſe dicta.

CAPUT I.

Vaniſſima Thuani hiſtoria.

SOLENT quae corpore quaeſtum faciunt calumniari matronas honeſtiſſimas, et, quae vis eſt conſcientiae, priuſquam accuſentur ſe purgare. Πόρνη σώφρονα, ut ait ſanctus Nyſſenus. Eſt in Thuani hiſtoria quiddam huic ingenio affine. Nam in ipſo ſta- Praefat. hiſt.
tim limine ait ſuam ſe conſcientiam ſaepius interrogaſſe, an, dum hiſtoriam texeret, ullius rei ſenſu acriore tangeretur, quae ſe in opere inſtituto tranſverſum ageret. Quid illa reſponderit non explicat: Niſi forte ſatis ab ea reſponſum putat, cum paulo poſt ſancte profitetur homo religioſus, cui jurato vix quiſquam Catholicus credat; Privatas ſi quae ſubeſſent injurias ſic fuiſſe oblitum, ut omnem illarum ſenſum publice privatimque depoſuerit. Habemus igitur hiſtoricum e vetere Stoicorum ſchola, Ariſtidi non imparem, vel etiam quovis Origeniſta et Pelagiano ἀπαθέστερον, qui iraſci cuiquam ſcelus nefarium ducat, et injuriarum acceptarum ne meminiſſe quidem, ſi velit, poſſit. Sed ad populum haſce phaleras, Thuane: Loquere, aut etiam ſcribe, ut te videam. Nam quae omnino in opere tanto pagella eſt, quae impotentis animi tui affectus indomitos non aperiat? Hic in pontifices Romanos Bacchae in morem furis, illic in reges chriſtianiſſimos, quod in Haereticos animadverterint, maledictorum plauſtra convehis; in paginae cujuſvis opiſthographo, mirum ni tu in Guiſianam domum ſtylum ſtringis: Vix foliolum unum eſt, quod inſanum tuum in Haereticos amorem non arguat: Melanchthonem, Oſiandrum, Scaligerum, Bucerum, delicias tuas, diſſuaviaris: Si tantillum in legendo progreſſus fuero, Catholici cujuſpiam hominis te cenſorem oſtendam, ejus dictum factumve, licet ad memoriam inſigne, elevas; et hoc ſcriptionis genus ad calcem a carceribus perducis, tui ubique quam ſimillimus, et tuam nobis conſcientiam dilaudas vir antiquae probitatis; et ſuaſurum te putas, ſtylum tuum ab omni odio amoreque liberum, a via veritatis regia nunquam latum unguem deflexiſſe?

CERTE cum libris quindecim prioribus multa retuliſſes, quae, ut ſpero, multi ſincerius quam tu ad poſteros literis taanſmittent, deventurus ad ea quae his quadraginta annis in Gallia geſta ſunt, ne quis de fide hiſtoriae tuae dubitaret, haec praefatus es: *Ex actis ip-* Lib. xv.
ſis, et iis quae jam tum quidem recentibus adhuc odiis ſcripta ſunt, verum ad optimorum poſtea virorum fidem a nobis expenſa, citra livorem et amorem ſequentia perſcribemus; petita interim venia, ſi quorundam ambitio, avaritia, perfidia, fraudes et pernicioſa adverſus rempublicam conſilia interdum perſtringentur. Nam veritatem profeſſis ea lege, ſed temperate ac citra maledicentiam, hiſtoria ſcribenda eſt. Me vero, ut ſpero, longinquitas temporis ab odii ſuſpicione facile liberabit.

HAEC legenti venit in mentem Horatianum illud dicere: *Quid tanto feret hic dignum promiſſor hiatu?* Sane tam liberalis et magnifica Thuani pollicitatio perpulit me, ut quae decimo ſexto libro et conſequentibus habet, legerem attentius. In iis vero, pro Deus immortalis, ut alia omnia, quam quae in ſe recepit, praeſtat! Nam in illo loco aperte ſe factionis haereticae partiarium aperit: Calviniſtarum aliorumque Sectariorum pleno ore doctrinam, pietatem, innocentiam, denique conſtantiam in ſubeunda morte depraedicat: Omnia per vim aut fraudem a chriſtianiſſimis regibus Henrico II, Franciſco II, Carolo IX geſta contendit: Guiſios turbarum omnium cauſam fuiſſe decernit: Si qui in ſenatu ſententiam contra novatores dixerunt, ii ſocordes, obnoxii Guiſiis, turbulenti homines, aut voluptuarii. Quo de genere plura ſuis locis adnotabo. Denique Burgus, Foxius, Valla, Ferrerius, Placius, et alii ob haereſim notati infamia, viri nobiles, acri ingenio, ſumma probitate, ad imitandum poſteris a Thuano proponuntur, homine ab omni affectu prorſus libero.

NUNC inquiramus, ſi placet, quaenam habuerit adjumenta hiſtoriae ſuae contexendae: Fatetur ingenue ſe, ut loquitur, *ex actis ipſis, et iis quae jam tum quidem recentibus adhuc odiis ſcripta ſunt, verum ad optimorum virorum fidem a ſe expenſa.* Rem planius explicabo, quam a graviſſimis autoribus acceptam nefas eſt obrui ſilentio. Repertam olim ferunt ſacrarum literarum tranſlationem ex Hebraeo in Graecum ſermonem, in quadam Syriae urbe, idque, ut aiunt, ἐν πίθοις, *in doliis:* Et Thuanum quoque rumor increbruit, adeuntem paternam hereditatem, inveniſſe in parentis ſui libraria ſupellectile dolium refertum libellis, quos temporum illorum licentia in dies plurimos praelo dabat: Ex iis denique ſtylo eleganti ſuae hiſtoriae telam perpetuam texuiſſe. En illa Sibyllae folia Thuano di-

 vina

vina ſorte miſſa; hoc ipſum eſt, quod obſcurius verbis illis innuit *ex actis ipſis, et iis quae jam tum quidem recentibus adhuc odiis ſcripta ſunt, verum ad optimorum virorum fidem expenſa:* Quae ſane quiſquis attente leget, tuam magnopere prudentiam requiret, Thuane, qui, ex iis quae recentibus adhuc odiis ſcripta ſunt, putaſti veritatem hiſtoricam peti potuiſſe. Nam in odii, maximeque recentis, regno quis eſſe poteſt veritati locus?

Julianus ille parabates negavit, teſte S. Cyrillo Alexandrino, quidquam a Chriſto ſervatore memoratu dignum geſtum eſſe, licet quae in ſacris hiſtoriis de eo relata ſunt, non ignoraret. Tanta vis eſt odii ubi mentem hominis occuparit, ut quae maxime videt tangitque, nec videri tamen neque omnino tangi perſuadeat. Nemo in cauſa ſua judex aequus; adeo ſibi quiſque favet, ut quod placet id aequum eſſe judicet: φιλαυτίας id in nos imperium, cui minime qui paret, is proxime ad virtutis faſtigium accedit. Et tu e duobus illis rivulis coenoſis ſtillam ſincerae veritatis elici poſſe credis, Thuane? et tu ab odio maxime recenti, aut amore proprio, libellos cudi fidei indubitatae putas? Probamus quotidie quam vana ſint quae Mercurii illi Gallobelgici comminiſcuntur. Tu quaſi de tripode dicta venditabis, quae tranſcripſiſti ex illis leviſſimis foliolis, quae ante annos triginta aut quadraginta e chalcographiis Haereticorum prodierunt, cum maxime ſtudia partium ferverent? Nimis faciles et inconſiderati ſimus, ſi te audiamus: Tu nimium praefidentis animi, ſi ſperaſti te prudentibus viris hiſce fabulis fucum facere poſſe.

At enim quod ſcires, Thuane, talium libellorum fidem plerumque vacillare, ne quid niſi conſideratiſſime ſcripſiſſe viderere, addis; te libellos illos *ad optimorum virorum fidem expendiſſe:* Audio ſane; ſed tamen ſcire pervelim, qui tandem optimi illi viri, quorum fidem imploraſti: Non, opinor, Catholici, quos fere conviciis proſcindis; quibus etiam nunquam probabuntur tot calumniae in probos omnes effuſae; neque adducentur, ut ſubſcribant vaniſſimis laudibus, quas plenis, quod aiunt, manibus in Apoſtatas et Haeticos confers. Henricum certe quartum, aeterna memoria dignum principem, nemo neſcit et graviſſimorum et plurimorum hominum querimoniis monitum ac interpellatum de hujus hiſtoriae vanitate, ſevere edixiſſe Thuano eam ut recognoſceret et innumeris mendis purgaret; quod ab eo tentatum eſſe dicunt poſteriore editione: Quanquam Lutherani et Calviniſtae priorem, ut pleniorem et magis ad guſtum ſuum, hoc eſt, convitiis in Catholicos omnes longe impudentioribus refertiſſimam, iterum praelo commiſerunt.

Necdum optimos illos viros ad quorum fidem Thuanus hiſtoriam ſuam expendit reperi: niſi forte illi ſunt, quos extremo quoque libro laudare conſuevit, Lutherani, inquam, et Calviniſtae ſcriptores, quos e remotiſſimis plerumque Boruſſiae, Pomeraniae, Hungariae, et Hollandiae latebris eruit, ne ſequens aetas tam bene meritos de re Chriſtiana homines vixiſſe ignoret. Hos Thuanus optimos cenſet, alias nunquam tam magnifice praedicaturus; horum ſtat judicio, a quibus ſine dubio ſperat, quae ſcripſerit, omnia comprobatum iri. Quare quis eſt qui libellos iſtos famoſiſſimos, recentibus adhuc odiis ſcriptos, a circumforaneis librariolis clam diſtractos, et, quod caput eſt, a miniſtris haereſeos approbatos, non ſtatim judicet omni exceptione majores eſſe? aut quis divinam Thuani mentem, ingenium ſolers ac grave judicium, non admiretur, prae ſe ferentis ingenue, imo alta voce praedicantis, hiſtoriam ſuam ex his fontibus hauſtam eſſe? Homo omnium vaniſſime, et ab omni luce judicii ac rationis derelicte, quos te in laqueos imprudens induis; neque vides, ut hiſtoriae tuae fidem dum concilias, detrahis? replica veterum annales, evolve Paulum Aemylium, Philippum Cominaeum, ſexcentos alios; diſpice ecquid e talibus libellis hiſtoriam ſuam, quod tu feciſſe te fateris, emendicarint.

Sed permitte, quaeſo, Diogenes noſter, dolium tuum tantiſper excutiamus: Magnae apud te autoritatis librum in eo Paſſavantium imprimis reperio, eo tibi gratiorem, quod et Bezam ciet autorem, et artificioſe ridiculus eſt, et Lizetum abbatem lancinat elegantiſſime: ex eo quaſi locupletiſſimo penu, non dubito, quin plurima dicteria in pontifices deprompſeris. Alium ecce librum ex bibliotheca illa tua doliari, Tigrim; nam ei crudelis et ferox haereſis titulum hunc praefixit. Ejus meminiſti quodam loco: *Evulgatus eſt iiſdem diebus,* ais, *libellus in Guiſianos ſcriptus, cui ob id* Tigridi *titulus praefixus erat, quo eorum crudelitates ſumma acerbitate exagitabantur.* Nondum quidem ille liber in meas manus venit, ſed eo doctore te plurimum profeciſſe auguror, adeo foecundus es et facundus quoties in cardinalem Lotaringum ceteroſque Guiſios, quod tibi ſaepe evenit, facis impetum. Nec vero diſſimulare potuiſti quam graviter tuleris quod de Martino Lometio, pauperculo, ut ais, librario, ſumptum ſit Lutetiae ſupplicium, ob diſſeminatum illum libellum: Neque Leontium ſenatorem expertem cenſurae tuae quieſcere ſiviſti. quod huic judicio praefuiſſet, atque *in Guiſianorum gratiam*, quemadmodum inquis, *ſeverius quendam alium Rotomagenſem inſtitorem plecti juſſiſſet.* Interroga ſis nunc conſcientiam illam tuam, quaere de ea quam ab odio libera fuerit haec dum ſcriberes. Adeone vero in antiquo jure rudis es et peregrinus, ut ignores quae in libellorum famoſorum diſſeminatores decreta ſint? Aut tantum juris in te habet odium, quo in Catholicos abriperis, ut tan-

Lib. xv.

quam

quam infames beneficio legis frui debere neges; et quaſi laterum tuorum oppoſitu legum ſeveritatem a librariolis haereticis arcere velis, ut impune quidquid libuerit in nos ſpargant?

Eodem refero, quae tu alio loco memoras, cum a Ponſenatio et Albaſpinaeo in Haereticos nonnullos lege actum eſſet. *A Proteſtantibus*, inquis, *cuncta in rem ſuam interpretantibus notatum, quod Albaſpinaeus, qui oris miniſtris obſtruendi (quo populum alloquendi facultas eis adimeretur) autor fuerat, paulo poſt inſano foeminae cujuſdam amore correptus, ex eoque furore contracto, accedente adhaec pediculari morbo, inter graviſſimos cruciatus expiraverit, fraeno ab amicis in os injecto, ut cibum reciperet, quem ob doloris impatientiam, cum fame mori decreviſſet, homo rabie efferatus reſpuebat. Ponſenatius vero grandi aere obrutus, cum patrimonium omne ſuum et uxoris dotem belluaſſet, ex malae actae vitae conſcientia in furorem conſimiliter inciderit, ex quo de ſalute aeterna deſperans, a ſuis vinctus, inter ejulatus ac diros laniatus in ſumma inopia vitam finierit.*

His affine prorſus eſt et eodem artificio contextum, quod de Henrico ſecundo memoras; *Ferunt, cum, accepto vulnere, efferretur, ad Baſtilliam adverſam reſpexiſſe, et ſenatorum* Lib. xix.
qui in ea nuper capti detinebantur (Annam Burgum et alios haereſi notatos intelligis) *recordatum ſaepius dixiſſe, Vereri ſe ne injuriam innocentibus feciſſet.* Exclamare nunc libet vetus illud ὦ Δίκη: Et paene venit in mentem dicere, quod olim Aegyptii aquis intercluſi, Fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat pro eis: Cavete, principes Chriſtiani, quidquam gravius in Lutheranos et Calviniſtas ſtatuere, monet Thuanus. Cum ſophiſta Libanius Julianum apoſtatam, altero anno excitatae in Chriſtianos perſecutionis, ſubito oppreſſum in Perſide accepiſſet, exclamaſſe fertur, ait S. Hieronymus; Quomodo Chriſtiani Deum ſuum ἀνεξίκακον eſſe dicunt? Nihil hoc furore praeſentius. Idem hic Thuanus; Cavete, judices, ne quid acerbius in hoſce novos antiquae religionis cenſores ac reformatores decernatis: Male Ponſenatio et Albaſpinaeo vertit, cum in illos aſperiores fuiſſent, et ora miniſtris juſſiſſent obſtrui, ne ad populum morti proximi verba facerent de ſua innocentia doctrinaeque ſanctitate: proſpicite, ne quae in eos deſaeviit praeſentiſſima ira Dei, vobis non parcat.

Μορμολυκεῖα tua ſunt iſthaec, Thuane, quibus non obſcure haereſi patrocinaris: Non te puduit nugas iſtas ex libellulis tuis tranſcribere, et ſperare tam hebetes fore poſteros, ut crederent ſummam illam primamque veritatem pro miniſtris haereſeon contra doctrinam Catholicam teſtimonium dicturam? Alia omnia potius, quam ut Deus Haereticis atteſtetur, eoſve defendat, quos per eccleſiam proſcripſit. Nihil Albaſpinaeus fecit in vita ſapientius, quam cum juſſit impietatis praeconibus os obſtrui, ne, dum infelices animas exhalarent, pergerent Deum lingua contumelioſa laceſſere. Et Nicaeni concilii patres refert magnus Athanaſius, cum Arii liber legeretur palam, aures obſtruxiſſe, veritos, ne quid peſtilentis illius doctrinae per auditum in animos illaberetur: Juſſiſſeque campſe ob rem Conſtantinum Magnum librum illum flammis ultricibus donari, memorant rerum eccleſiaſticarum ſcriptores: Tu reprehendas eum, qui miniſtros peſtilentis doctrinae vetuerit e rogo ferali ad populum Catholicum verba facere, cum venenata quaeque animalia, maxime dum intereunt, virus ſuum evomant? Neque nos terres, Thuane, aut Henrici ſecundi ſiniſtro caſu, aut Ponſenatii θεηλάτῳ, quam dicis, ξυμφορᾷ, quaſi eis ab irato numine haec illata ſint ob ſumpta de Calviniſtis ſupplicia: Quae ut minime miror reperiri in illis tuis libellis, quos ardentibus adhuc odiis ſcriptos eſſe agnoſcis, ita miſeret me tui, qui haſce nugas in hiſtoriam tuam tranſtuleris. Nihil illi ad famam tota vita glorioſius peregerunt, quam cum divino zelo permoti ſtuduerunt, ne cancer ille haereſeos latius in reipublicae Chriſtianae perniciem ſerperet. Si tu, quod ab eis hac in parte geſtum eſt, aliter interpretaris, facis tuo more, qui Catholicorum omnium praeclara facinora mavis ambitioni aut avaritiae, quam pietati ac boni communis ſtudio accepta ferre.

Jam opinor vides, Thuane, qui ex illis turbulentis fontibus coenoſos rivulos in tuam hiſtoriam derivaris, quam inconſulte feceris. Atque ut imperiti rerum et viarum, aeſtivo tempore nocte concubia, fatuos, ut vocant, ignes dum ſequuntur, incurrunt in praecipitia locaque paluſtria, quibus extricare ſe nequeunt; ſic tu, dum praeluces illos libellos e tenebricoſis Haereticorum praelis depromptos ſequeris, Deus bone! in quam aperta mendacia impingis? Quorum ſane chiliadas hic texere poſſem, ſi vacaret; pauca tantum de multis perſtringam.

De Henrico octavo, poſtquam eccleſiae Anglicanae caput haberi voluit, haec habes: *In* Lib. i.
reliqua vita ita ſe geſſit ille rex, ut eum ſi aequiores et prudentiores pontifices nactus fuiſſet, ſponte ſe ſubjecturum ipſorum poteſtati fuiſſe appareret. Cum vero nullis ſe conditionibus cum pontifice in gratiam redire poſſe animadverteret, &c. Mitto cetera pertaeſus levitatis tuae et calumniarum, quas quoties Romam propius adis, pleno ore effutis in pontificem furioſiſſime. Verum ſi ab illo rege contra pontificem ſtare tibi certum eſt, quin conditiones exprimis quas Romana ſcilicet illa aſperitas admittere nunquam voluit? An tu putas licu-

cuiſſe ſummo pontifici mulieroſiſſimum principem, qui divortia divortiis cumularet, ut agnoſcis ipſe, ubi de repudiata Clivia loqueris, in filiorum eccleſiae numero cenſere? Eum qui ſacras virgines et innumeros homines religioſae continentiae voto aſtrictos, ne ſolus turpiter vivere diceretur, ſolutos ad innuptas nuptias convolare juſſit; eum, inquam, qui ſacrum patrimonium omne uſurparat, paucisque annis in profundiſſimum ſuarum voluptatum gurgitem profuderat; qui denique, ut alia praetermittam innumera, B. Thomae Cantuarienſis archiepiſcopi ſacrum mauſoleum expilarat, et, quod longe omnium ſceleratiſſimum judico, ſacros cineres ſuffoderat, et, lite quaſi vivo intentata, mulctam foediſſimam irrogarat? Is tibi videtur, Thuane, *in reliqua vita* ſe geſſiſſe, quemadmodum Chriſtianum principem decuit? Non dubito quin haec omnia quae de illo ſcripſiſti, ad optimorum virorum, Buceri, Fagii, Cranmeri, fidem religioſe expenderis, ut de iis dubitare nefas ſit.

Lib. VIII. EANDEM vanitatem olet, quod de Hermanno quondam archiepiſcopo Colonienſi refers, *virum fuiſſe miti ingenio, qui ſuorum periculo potius, quam rei familiaris ac dignitatis diſpendio territus, ultro archiepiſcopatu ceſſerit.* Nae felices Lutherani, qui te laudum ſuarum
Lib. III. praeconem nacti ſunt. At te meminiſſe oportuit eorum, quae aliquot ante libris dixeras, *et a pontifice Romano proſcriptum coetuque fidelium depulſum eſſe*, (licet cauſam maligne ſuppreſſeris) *et miſſos a Caeſare, qui ſententiam pontificiam exequerentur.* Scio quid addas, viros principes perfeciſſe, ut Hermannus lubens volens jure ſuo cederet. Habes quod optaſti, Thuane, ſi et pontificis cenſuram et Caeſaris auctoritatem nullius in hoc negotio ponderis fuiſſe evinceris. De hoc mendaciorum genere pleraque ſunt alia tuis paſſim hiſtoriis inſperſa: Ut Nantolium Lenoncuriis ereptum malis artibus Joannis cardinalis Lotaringi: Marcheſias per vim Longavallio poſſeſſore dejecto, ceſſiſſe Carolo cardinali Joannis nepoti, quae certiſſimis tabulis conſtat juſto pretio coempta. Sed ut telum quodcunque ira facit, ita malevolo ingenio omnia in convitium famulantur.

Lib. LII. AT ſine me, obſecro, Thuane, unum hoc tot vaniſſimae tuae hiſtoriae praeconiis addere, quod de parente tuo viro optimo habes. Ais enim, Carolum nonum poſt Sanbartholomaeam caedem in ſenatum veniſſe, ibique Chriſtophorum Thuanum ſenatus principem, *Tempori accommodata oratione regis prudentiam laudaſſe, eundem vero in arcano increpuiſſe; certe tota vita Sanbartholomaeam diem deteſtatum eſſe, et quoſdam Papinii verſus eo retuliſſe*, Excidat illa dies aevo, *&c. ut potius aptato ad tempus et locum reſponſo, quam ex animo factum regis laudaſſe videatur.* Haec tu. Quid autem Genevae putas dixiſſe miniſtros, Thuane, cum haec legerent? Conſtantiorem adhuc in ſua cauſa tuenda inventum eſſe neminem, cujus gratia ne parenti quidem parcat ſuo, quem malit a cunctis haberi praevaricatorem, cothurnum, chamaeleontem, καιρῷ πολυτρόπῳ θεραπεύοντα, ut loquitur S. Nazianzenus, quam ut ab eo vere et ex animo damnata Calviniſtarum factio eſſe videatur: Et miramur adhuc ſi tanti faciant hiſtoriam tuam Sectarii?

CAPUT II.

Thuanus ſcriptorum haereticorum admirator.

MUTUUM muli ſcabunt, ait vetus proverbium; hiſtoriam Thuani quaſi Alcoranum Turcae, aut Heſceſaitae ſuum illum quem ἱερογραφὴν nominabant, Sectarii omnes deoſculantur: Ille viciſſim, ut eis gratiam rependat, quidquid ſcribunt obviis manibus excipit; ut nemo unquam juſtius audierit, Haereticorum mirio, quemadmodum de Thuani majoribus loquebatur Tertullianus. Nihil homini affingo, ſtylum ipſe ſuum et manum agnoſcet.

PHILIPPUS Melanchthon Lutheri anteſignanus, atheiſmorum ingenioſus artifex, qui ut aliquando lateret ſe Hippophilum Melangaeum dixit, habuit ille tamen laudum ſuarum
Lib. IV. praeconem Thuanum, qui ubi copioſe vitam ejus, ſtudium pacis, obitum, filias Haereticis elocatas non ſine laude commemoravit, lectorem ablegat ad legendam ejus vitam a Joachimo Camerario Lutherano conſcriptam, atque *a ſe*, ut ait, *jucunde perlectam*, ſpondetque fore, ut ea lectio non ſit inutilis iis qui paci eccleſiae conſultum volunt. Deus tales ab eccleſia irenarchas et adiaphoriſtas avertat.

Lib. IV. JOACHIMI Camerarii hominis haereſeos nota infamis libros eccleſia jubet nos de manibus deponere, nomen ejus in primam claſſem auctorum improbatae lectionis rejicit: At Varius Succronenſis Thuanus nos ad ejus legenda monimenta invitat: Utri credent Catholici?

JOANNES Sleidanus Calviniſta, mendaciorum loquaciſſimus, hiſtoriam ſcripſit Thuanicae quam ſimillimam: Eam olim Carolus quintus imperator mendis et mendaciis refertam eſſe confirmavit: Quin etiam cum Cominaei hiſtoriam donaret latinitate, ea plagi-
Lib. XI. arius impudens ſubtraxit omnia quae Catholicam pietatem ſapiebant. Et tamen Thuanus,

aut imprudens, quod vix credo, aut adſavens improbitati hominis, eum vocat *diligentiſſimum rerum Gallicarum obſervatorem*, et negat a Catholica religione fuiſſe alienum; quem alieniſſimum fuiſſe omnes ſciunt: niſi forte Catholicae nomine Calviniſticam intelligit Thuanus.

NICOLAI Gerbellii et Cuſpiniani laudibus librum primum hiſtoriarum, tanquam inſigni coronide, concludit idem Thuanus; et geminum par Haereticorum a doctrina ſingulari et morum ſuavitate praedicat; hoc eſt forte quod aiunt, *et graccus gracco*. Lib. I.

JOANNES Knoxus Scotus, ex ſacerdote Catholico nefarius apoſtata et patriae ſuae fax teterrima, cujus extant ſcripta peſtilentiſſima, quibus omnem principibus, ſi forte Calvini placitis contraveniant, auctoritatem abrogat: Nactus ille tamen eſt laudatorem Thuanum. Lib. III. Fecerat jam hoc olim Calvinus, et Knoxo primas detulerat reformatae, ſi ſuperis placet, in Scotia religionis. Ejuſdem apoſtatae improbiſſimum facinus alio loco refert idem Thuanus, neque vocula una perſtringit. Lib. XV.

PARENTAT etiam Juſto Jonae, vultque poſteros omnes ſcire eum fuiſſe, Thuani verba ſunt, *Martini Lutheri fidum ac conſtantem miniſtrum* (de Sila quopiam S. Pauli comite ab Lib. XI. eccleſiis ordinato loqui diceres) *ut in cujus ſinu ille veluti animam expiraverit*. Nam profecto magnam aetas ſequens memoriae rerum praeteritarum jacturam feciſſet, hoc ſi neſciviſſet, quo tandem in ſterquilinio putidiſſimum illud inferni monſtrum vivere deſiiſſet.

Sed amabo, lector, ſanum ſapiebat Thuanus, cum Olympiam Fulviam Moratam Ferrarienſem his ornabat elogiis? *Foeminam morum ſanctimonia, ingenio, et eruditione cum quavis priſci aevi comparandam: Eam Proteſtantium hauſiſſe doctrinam, ideoque coactam natale ſolum vertere, Heidelbergae larem fixiſſe, ubi medico nupſerit.* Lib. XI. Nam haud dubie ſupra ceteros mortales ſapit novus iſte Calvinianarum Amazonum laudator, qui in eis tantam morum ſanctimoniam tantumque et ingenii et eruditionis deprehendit, ut longe poſt eas Catharinae omnes, Eudoxiae, et Probae Falconiae ſint ponendae. Quid enim aut argutius ſcriptis, aut gravius placitis, aut ſanctius vita junioris illius Epicuri, Lutheri inquam? *E tenebris tantis tam clarum extollere lumen Qui ſolus potuit:* Nam et Thuanum ſuum habuit Lucretius. prior Epicurus. Itaque, ut aequiſſimus ille rerum ſacrarum aeſtimator praeclare ab ſe dictum putat, Fulvia Morata prorſus morum ſanctimonia inſigni et magno judicio ac eruditione eſſe debuit, quae, relicta religione majorum, ſeſe in Lutheri ſinum cum Bora contulerit.

NEC minus laudum prodigus eſt Thuanus in beatum Renanum Seleſtadienſem, improbum interpolatorem veterum patrum, quos falſiſſimis adnotationibus foede corrupit. Lib. III. *Fuit tamen*, inquit ille, *in literis humanioribus, antiquitate, et pia doctrina exercitatiſſimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de conſtituenda omnium conſenſu in religione concordia conſenuerit, ſummus Deſiderii Eraſmi obſervator.* Hoc unicum a Thuano vere dictum eſt. Nam qui Renani ſcripta legerit, quem cum Eraſmo potius componat inveniet neminem. Adeo uterque veteris pietatis oſor eſt, amator novitatis; utrique ſacra omnia et religioſa diſplicent; incertum uter improbius veterum patrum auctoritatem elevet: et hujuſcemodi homines a pia doctrina commendaret, ſi pius eſſet, Thuanus; niſi de illis eſſet qui *bonum malum dicunt?*

JAM quae de Petro Martyre Calviniſta narret audiamus: *Cum ille ſacras literas*, inquit, Lib. III. *in ſuo Patavienſi coenobio ſumma cum laude profiteretur, et in mores fratrum ſuorum ſeverius animadverteret, magna invidia laborare coepit, eamque ut amoliretur Neapolim contendit, tum Lucam profectus eſt: Ubi cum ei conſiſtere non licuerit, Tigurum Helvetiorum conceſſit; unde, aſſumpto comite Bernardo Ochino Senenſi magnae eloquentiae concionatore, Baſileam abiit; deinde Argentinam, Martino Bucero adnitente; denique Oxonium in Angliam evocatus eſt, ubi vivendi finem fecit.* Haec Thuanus longe pluribus et maximo verborum apparatu; ut paene videatur voluiſſe imitari D. Lucam relegentem in Actis peregrinationes laborioſiſſimas S. Pauli, quo novum hunc apoſtolum, aut potius teterrimum apoſtatam, in divos referret. Diſſimulamus, Thuane, cur Petrus ille pſeudomartyr religioſa vota quae ſancte in S. Auguſtini ordine nuncuparat ejerarit; cur monaſticum habitum cum profano commutarit: *Quod in fratrum ſuorum mores ſeverius animadverteret*, inquis. Perſuadebis id ſcilicet ſano cuiquam. Nam quis credat eum ſanctioris vitae deſiderio et odio laxioris diſciplinae deſeruiſſe clauſtra, vota violaſſe, in ſinum et amplexus haereſeos ſpurciſſimae advolaſſe; aeſtuantem innocentioris vitae cupiditate aſciviſſe ſibi comites nefarios apoſtatas, Ochinum et Bucerum? Denique pertaeſum religioſi coetus abiiſſe in Angliam ſub Henrico octavo, ibique facem praetuliſſe iis qui ſacra omnia violarunt quis neſcit? Cur ergo, Thuane, honeſtatis velum improbiſſimae praetexis apoſtaſiae? Quaſi neſciamus, quod a S. Baſilio veriſſime dictum eſt, Haereticos eſſe *σηπεδόνα ἐκκλησιῶν*; et, quod olim Tertullianus ſcriptum reliquit, eos facilius *apoſtaticum* quam *apoſtolicum cenſum* proferre poſſe.

ET hoc debueras bona fide, Thuane, mandare literis (ſi tamen veritate praeluce hiſtoriam texere inſtitueras) cur Petrus ille tuus Martyr, mulierculaarum poſt ſe greges trahens,

neque Neapoli neque Lucae conſiſtere potuerit: Philumenen, mihi crede, non ſolus Apelles habuit: Ingenium hoc Haereticorum eſt omnium, γνωστικῶν praeferre ſpeciem quandam, reapſe vero ſeſe in ſpurciſſimarum voluptatum coeno volvere. Hoc tuus ille Petrus Martyr, Thuane; hoc Bernardinus Ochinus, ceterique quos tu laudas, egregie praeſtiterunt.

Lib. xxxv. ETIAMNE portentum illud hominis, Calvinum inquam, laudet Thuanus? *Joannes Calvinus*, inquit, *acri vir ac vehementi ingenio, et admirabili facundia praeditus.* Annon habuit aliud quod de illo ſcriberet? Neſcivit, credo, ut repente ex cauſſidico theologus, patrum veterum cenſor, eccleſiae univerſae reformator haberi voluit: aut ignoraſſe potuit impuras hominis libidines, praefractam audaciam, animum acceptae injuriae perquam memorem? Satis illud fuit Thuano commendare hominem ab ingenio et facundia, quo efficacius omnes ad evolvenda ejus peſtifera ſcripta perpelleret. Non ita meridie lucet, Thuane, ut tu quo propendeas, quos doctores audias, quos lubenter evolvas libros, omnibus aperis. Lib. lii. Qui porro Bavium non odit, et habuit quod in Calvino praedicaret, reperit etiam in Theodoro Beza plurima quae laudaret, nihil omnino quod reprehendi poſſet. Ejus ingenioſiſſimam poeſin ſaepe admiratur; mirum ni quae propudioſus homo ſerio luſit in Candidam et Audebertum canticis Salomonis accenſeat. Similes habent labra lactucas. Mirum ſi neſcivit quae ſenatus in ſpurciſſima illa juvenilia ſtatuerat: utque facti, ſcilicet, poenitens ſe in aſylum impuritatis, quo impunius quae ſcripſerat patrare pergeret, contulerit. Haec Thuanus ignoravit omnia; quae de Beza viro laudatiſſimo ſcivit, memoriae commendavit; *Cum plerique e Catholicis urbibus Genevam fugerent ſuppliciorum in Haereticos decretorum metu, ille corrogatis undique eleemoſynis eos alebat.* Abdiam diceres prophetarum ſub Jeſabelis perſecutione nutricium. Jam vereor, Thuane, ne te etiam derideant tui, tam inſulſe corrogantem vaniſſimas laudes, quibus manifeſtiſſima tuorum doctorum flagitia nequicquam vis obtegere.

Lib. lxxvi. ET Buchananum laudat Thuanus, quem impudentiſſima μωρίᾳ excuſat. *Interdum*, inquit, *libertate genti innata contra regium faſtigium acerbior.* Unde autem derepente mollis ille cenſor, qui ſcripta Buchanani paene dicam ſanguine humano exarata, quibus ille populum ad arma contra principes ſumenda convocat, tam levi brachio caedit? Nec vero acer- Lib. lxxiii. bior fuit in reprehendenda Hottomanni Francogallia, aut Anthenotico Boetiani ſenatoris Burdegalenſis, quibus illi monarchiae Gallicanae hoſtes capitaliſſimi plebeculam quaſi claſſico ad defectionem excitant. Si quid tale a Catholico quopiam, Deus immortalis, quibus diris caput ejus Thuanus devoveret?

QUID vero de Petro Ramo? *Opibus ſuis*, inquit Thuanus, *juvit rem literariam.* Juvit autem? qui potuit hoc vere dici de eo, qui nova docendi ratione omnium in ſe concitavit odia; quem vir doctiſſimus Jacobus Carpentarius, quaſi alterum Theſſalum methodicum, tam ſaepe exagitavit? Hoc forte Thuanus abs ſe dictum noluit; ſcholam matheſeos Petri Rami liberalitate inſtitutam praedicare voluit. Quod etſi non inficior, tamen ne laudandus fuit homini qui ſe Catholicum profiteretur Ramus haereticus, cujus hoc unum fuit ſtudium ut haereſim ſuis opibus juvaret, et pauperum ſcholaſticorum, quos e Picardia ſua evocabat, Lutetiae ſeminarium inſtitueret, quorum animos non tam literis imbueret quam inficeret haereſi.

CAROLI Molinaei J. C. ſcripta omnia, cum alii ſummi pontifices, tum non ita pridem rejecit in claſſem librorum improbatae lectionis Clemens octavus anno Domini M DC II. Lib. xxxviii. Thuano viſum aliter, qui de eo haec: *Carolus Molinaeus vir bonus ac ſimplex, qui patriae charitate ſupra quam dici poteſt inflammabatur: Indignam meritis ſuis gratiam retulit, ut ſolum vertere cogeretur.* Nimis profecto laudum largus es, Thuane, ſi Catholicus es, qui hominem peſtilentiſſimum, eccleſiaſtico civilique foro damnatum, ita propugnas ut exortem omnis culpae fuiſſe dicas. Miror hominem in foro verſatum non provocaſſe ad te a pontificiis regiiſque ſententiis in eum toties pronunciatis.

Lib. lii. CLAUDIO Gaudimelo Lutetiae ob haereſim caeſo parentat etiam Thuanus: *Fuit*, inquit, *excellens noſtra aetate muſicus, qui pſalmos Davidicos vernaculis verſibus a Clemente Marotto et Theodoro Beza expreſſos ad varios et jucundiſſimos modulorum numeros aptavit; quibus et hodie publice et privatim in concionibus Proteſtantium decantantur.* Nam aequum cenſuit Thuanus, ut ſcriptura Idithun, Aſaph, Core filios, principes ſacrorum carminum a David inſtitutos commemorat; ſic reſcire poſteros quae graves theologi et prophetae novae religionis, Marottus et Beza, verſibus molliſſimis compoſuerant, a Cl. Gaudimelo numeris ſuaviſſimis maximeque ſonoris eſſe aptatos. Itaque quantum operae ponunt pii omnes ut Catholicos avocent ab ejuſmodi cantiuncularum auditione, quod, ut vere a Platone dictum eſt, *plures aure quam ore venenum hauriant*, tantum adhibuit ſtudii Thuanus, ut omnes ad Lib. xxxv. illos Sirenum cantus alliceret. Audiamus nunc grave Thuani judicium de Tigurina bibliorum editione. Ubi enim Haereticos, qui in ea operam, ut ipſe cenſet, utiliſſimam poſuerunt, recenſuit, haec habet: *Quod eo commemorandum duxi, ut verſionis, tanti apud nos et Hiſpanos ipſos Judaeos, origo cognoſceretur, et inſigne documentum extaret quid utilitatis ex ad-*

verſariorum

verſariorum libris et induſtria, ſi ſemotis odiis charitatem et aequitatem induamus, ad Dei gloriam capi poſſit. Nec enim placent Thuano cenſurae librorum improbatae lectionis; vult nos comportatas ab Haereticis merces libere quaſvis excipere, pharmaca ab ignaris tractari; Tros Rutulusve fuat, nullo diſcrimine apud illum eſt. At Catholicorum alius eſt ſenſus, mens prorſus alia; Timent Danaos, et vera ferentes; gnari ſaepenumero ſub Hebraicae vel Graecae voculae elegantiori expoſitione, quaſi illecebra, latere peſtilentis doctrinae hamum. Legat ille non gemmas, ſed venena de ſtercore haeretico; malo ſucco turgeat ſerpens mala gramina paſtus; nos Eccleſiae communi noſtrum omnium matri morem geremus, et iis libris abſtinebimus quos illa ſuo graviſſimo calculo improbavit.

At Scaligerum quod Thuanus laudat non aegre fero: fuit enim in illo homine non vulgaris literarum humaniorum cognitio: Verum cum eum divini ingenii hominem et rara morum probitate vocat, quis veri amans ferat? Ignota nimirum eſt cuiquam Joſephi Scaligeri arrogantia? qui prae ſe neminem quidquam ſciviſſe cenſet, de quo Ariſtophaneum illud jure dici poteſt, Ἀκόλαςον ἔχει γλῶτταν, αἰσχρὸν νόον. Nicolaus Serrarius, vir ſolide doctus, faſtuoſum illud apoſtema non ſemel ſtylo pupugit.

Venio ad Iſaacum Caſaubonum, quem ſane poteſt ſuo jure Thuanus a bonarum artium Lib. 1.
ſcientia commendare: At quis ferat eum dicentem, Caſaubonum a Chriſtianiſſimo rege Geneva evocatum academiae Pariſienſi reſtaurandae? Apage mihi reſtauratorem hunc, quem academia nunquam ſivit apud ſe docere, ne cum bonis literis haereſeos virus, ut fit, in juvenum animos ſenſim demitteret, experta olim quantum detrimenti juventus Catholica cepiſſet in Rami ſcholis. Nimis ſim prolixus, ſi quae de Jacobi Sturmii, Conradi Pelicani, et aliorum Proteſtantium ſcriptorum probitate Thuanus habet: quem jure putet aliquis non alio conſilio hiſtoriam ſui temporis conſcribendam ſuſcepiſſe, quam ut libere catalogum ſeu potius bibliothecam haereticorum auctorum contexeret, addito cuique perhonorifico elogio. Niſi forte fallimur, cum Haereticos eſſe dicimus, quos ille pro Orthodoxis habet. Nam apud eum et haec notare me commemini, *a pio quodam Leontio* Lib. xxviii.
dictum olim, Hac nive ſoluta multum cogetur luti: Verba ſunt Leontii pſeudoepiſcopi An- Lib. iii. cap.
tiocheni, Arianae haereſi perquam addicti, ut eſt apud Sozomenum: quare μνημονικὸν ἁμάρ- 19.
τημα putarem eſſe Thuani, niſi cum utique animadverterem Proteſtantibus pietatis, morum ſanctimoniae, virtutum denique omnium palmam decernere. Itaque antiquatae L. ult. de Haeret. in C.
ſunt apud eum leges veteres, quae Haereticorum libros damnant flammiſque addicunt; ſanciuntque eum capite luere qui apud ſe habuerit illa, ut S. Nazianzenus loquitur, aſpidum ova, non ſane inania et ſubventanea, ſed e quibus baſiliſcus ſemper aliquis erumpit. Orat. ii. de pace.

CAPUT III.

Thuanicae quaedam loquendi formulae.

SI modo, quod a philoſopho dictum eſt, verba quibus utimur, σημεῖα εἶναι τῶν ἐν ψυχῇ ἐννοιῶν, quaſi gnomon eſſe debent ad exploranda ſenſa animi tui, Thuane, intelligemus facile quam non procul abſis ab erroneis opinionibus Calviniſtarum, quorum idioma tam libenter uſurpes. De interpret.
Sua cuique genti dialectus eſt; itaque et Ioniſmos in Herodoto, et in Theocrito Doriſmos tam frequentes deprehendimus: Nec aberravit muliercula illa, quae ſanctum Petrum ex idiotiſmo Galilaeum eſſe dixit: Facit enim aſſuetudo, ut eorum quibuſcum verſamur diutius, et loquendi et pronunciandi morem hauriamus. Thuanus is eſt, qui ſic a puero libris Haereticorum aſſuevit, ut quos penitus imbibit ſtylo referat. Paucos de multis hujus generis idiotiſmos referam. Religioſi ſcilicet Calviniſtae, veriti ne Chriſti laudibus detrahant, apoſtolorum neminem aut martyrum aliorumve quos eccleſia pie colit, Sancti nomine cohoneſtant. Id ſolenne etiam Thuano noſtro eſt; Petrum, Dionyſium, Quintinum, nominat, licet materna lingua et vetus eccleſiae mos eum doceat honorificentius eſſe compellandos; ſive Sanctorum appellatione abſtinuerit, ut Genevenſibus, quibus ſcribebat potiſſimum, gratior eſſet; ſive ut veteres iconomachos expreſſius imitaretur. Theophilus quidem certe imperator et ſui ſaeculi Nero, vetans edicto Sanctos dici Petrum Paulumve, aiebat id praenomen Chriſto uni deberi. Sed nos 4 in Marc.
illo metu jam olim liberavit Tertullianus, admonens Chriſtum ipſum affectaſſe chariſſimo cap. xiii.
diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare: Itaque qui ſanctum Petrum, petram, paſtorem, eccleſiae fundamentum dixit, non aegre feret Sanctum etiam nominari: Et B. Paulus Sanctos vocabat primos Chriſtianos: Quin Syri etiamnum non ἁπλῶς Petrum Paulumve, ut Haeretici, ſed Mar Phetras, Mar Phaulos, Dominus Petrus et Dominus Paulus, de more veteri indigitant: neque neſcimus priſcam Graecorum loquendi rationem cum de ſanctis viris loquebantur, ὁ ἐν ἁγίοις, quam vix credo ignotam fuiſſe Thuano. Quid ergo cauſae eſt, cur ſemitam Haereticorum malit inſiſtere? cur ico-

Annal. IV. p.
Lib. III. cap. 20.
Homil. VII. ad popul.

nomachorum Leonis Iſaurici et Conſtantini Copronymi, ab eccleſia jam olim proſcriptorum, placitis haeret, quos Glycas refert vetuiſſe beatis martyribus Sanctorum nomen addi? Quod etiam iconoclaſtarum pſeudoſynodo decretum fuiſſe reperio anno Domini DCCLIV. Niſi forte, ut *aſpis a vipera*, quemadmodum loquitur Tertullianus, ita iconomachi a veteribus Gnoſticis hoc virus hauſerunt, quod Irenaeus refert. Profecto enim ferendum non eſt, aiebat S. Chryſoſtomus, cum ſine praefatione honoris dominum ſervus non appellet, homulos iſtos e limo Genevenſi nuper effictos, gigantum inſtar, in coelum pugnare, et beatos qui cum Chriſto aevum agunt, meritiſſimis titulis velle ſpoliare.

Lib. XVII.

OLET etiam haereſeos ſcholam illud familiare loquendi genus Thuano, cum Haereticorum miniſtros paſtores eccleſiarum vocat. *Chandaeus, eccleſias Pariſienſis*, inquit, *paſtor.* Falleris, Thuane, graviter, et fallis impudenter, ſi tu eos eſſe paſtores putas ac non potius fures, quibus nec eſt commiſſa gregis cura ab ſummo paſtore et epiſcopo animarum, ut loquitur apoſtolus, nec per portam patet aditus in ovile, ſed aſcendunt aliunde, ut princeps paſtorum ait. Itaque tantum abeſt ut illi gregem paſcant et tueantur, quos divina ſcriptura teſtatur nihil aliud moliri quam ut Chriſti oves ab eo avocent, cui ſuprema paſcendi gregis cura in terris eſt demandata. Et tu mihi hos, Thuane, pro paſtoribus eccleſiarum venditas? Lupos debueras dicere, ſi verum dicere voluiſſes.

ET prophanum neſcio quid ac haereticum in illa tua vulgari loquendi formula ineſt, cum eccleſias Deo poſitas et alicujus ſancti viri nomine inſignitas, tu, elegantioris ſtyli ſtudio, Fana Pauli, Ægidii, Quintini nominas. At meminiſſe tamen debueras S. Auguſtinum, bonum opinor loquendi magiſtrum, monuiſſe, falſorum deorum ſeu idolorum fana recte dici: cur ergo profano hoc nomine ſacra illa loca dehoneſtas, cum pleriſque e veneranda antiquitate petitis abundares? Nec abludit ab Haereticorum ſeu phraſi ſeu ingenio, quod Statuas et Simulacra plerumque nominas, quas Chriſtiana omnis antiquitas ſynodique ſacras dixere Imagines. Injicis ſuſpicionem, Thuane, ne ſenſa eorum animo penitus hauſeris, quorum voces ac loquendi morem tam lubenter uſurpas.

QUID? quod Catholicos ſaepenumero Pontificios appellas? quod unde tandem niſi ex Haereticorum habes officina? qui ſe nobis magnam facere injuriam putant, ſi Pontificios, hoc eſt, Romano pontifici obnoxios, vocent. Nolo hic, Thuane, veterum annales replicare, quibus perfacile confirmarem eos demum olim pro Catholicis habitos qui Romano pontifici literarum formatarum commercio conjungerentur. Neſcio an Auguſtanus an Genevenſis dici malis; nos certe Romani ſumus, hoc eſt, antiquae fidei depoſitum a beatis apoſtolis Petro et Paulo eccleſiae Romanae commiſſum cuſtodimus. Offendit quoque non leviter Catholicas aures petitum e Genevenſi ſchola Coenae nomen pro auguſtiſſimo ſacramento, quo tu tam ſaepe uteris, Thuane, ut videaris a prophanis Haereticorum myſteriis non eſſe alienus.

JAM vero quod de haereſeos ſeu architectis ſeu fautoribus agens jactas eos plerumque theologicis ſtudiis apprime imbutos fuiſſe, pluresque annos theologiam Baſileae, Tiguri, Genevae, docuiſſe, quis Catholicorum ferat? *Faciunt et favos veſpae*, ait Tertullianus, *habent et eccleſias Marcionitae:* Dicam pari jure, docent et theologiam miniſtri haereſeon, quia Thuano placet. Erras, grammatice, neque theologia quid ſit intelligis: Qui enim fidem et ſcripturam ſacram evertunt invertuntque (quibus tamen fundamentis nititur ſacra illa de Deo ſcientia) qui poſſunt theologi nominari? Eorum theologiam ſi ſaperes, Thuane, mataeologiam diceres, quae de Deo nec bene ſentit nec recte loquitur.

HUIC affine eſt quod ſaepe inculcas, ob religionem ſupplicio affectos, quos conſtat ob haereſim damnatos eſſe. Erras enim ſi perverſam de Deo opinionem, dici religionem putas poſſe: Deus unus, una fides, unica religio; ea non alia quam Catholica, Apoſtolica et Romana, extra quam (verba ſunt S. Hieronymi, non mea) quiſquis agnum comederit profanus eſt; ſi quem extra hanc arcam diluvium deprehenderit, ait idem, peribit: Cur tu ſectarios ab eccleſia, ſolaque et vera religione diſſectos, aſſeris ob religionem mulctatos eſſe? niſi forte hoc intelligi voluiſti, quod apertius eloqui non es auſus, ob religionem ſpretam atque violatam eſſe punitos. Sed alia eſt tibi mens, Thuane, ſexcentis aliis locis expreſſa;

Orat. conſulari.

Tu religionum omnium capax, forte cum Themiſtio cenſes, Deo cordi eſſe immenſam illam vaniſſimarum religionum varietatem; neque a Turcarum opinione magnopere diſſides, qui in ſua religione quemque ſervari dicunt poſſe: Catholicorum alia mens eſt et ſententia, qui quid tu ſentias non morantur.

NEQUE diſſimulari poteſt aut latine parum aut parum vere abs te dictum centies de Proteſtantibus ob haereſim ſupplicio affectis, *Eos ſumma conſtantia mortem oppetiiſſe:* Pervicaciam et contumaciam debueras dicere, non conſtantiam in iis fuiſſe, qui obfirmato animo in haereſi ad mortem uſque perſtitere: aut jam nihil eſt quod vetet nos virtutum nominibus teterrima quaeque vitia cohoneſtare, ſi pervicacem Haereticum, conſtantem dicere liceat.

CAPUT IV.

Collecta a Thuano apophthegmata.

FUIT ea veterum in conſcribenda hiſtoria prima cura, ut quaecunque graviter a ſapientibus viris dicta fuerant colligerent, ut eo poſteritati ad virtutem praelucerent. Aliam prorſus rationem Thuanus iniiſſe videtur. Collegit enim fere quaecunque aut ridicule aut etiam impie vel dicta a principibus viris, ſeu de iis ficta a malevolis: Quo vero id conſilio fecerit, cogitationum noſtrarum arbiter ille Deus novit. Itaque non abs re virum quendam gravem dicere ſolitum memini, hiſtoriam Thuani quaſi ſupplementum quoddam Rabeleſii ſibi videri; adeo crebris perſperſa eſt dicteriis ſive apophthegmatis quae Lucianicum quiddam olent. Seligam ejus generis pauca quaedam; nam plura me pietas vetat.

SUMAM initium a pontificibus maximis. Refert, *Hadrianum quartum dicere conſueviſſe, Non videre ſe quomodo qui faſtigium pontificatus maximi tenerent, ſaluti ſuae conſulere poſſent: Et id etiam aliquando a Marcello Cervino deplorante miſeram pontificum Romanorum conditionem eſſe repetitum.* (Lib. xi.) Nam vir optimus Thuanus, de omnium ſalute ſolicitus, timet parenti communi omnium noſtrûm, cui magna illa totius eccleſiae cura incumbat, quem tot undique premant paeneque opprimant negotia: B. Petrum Moronaeum cuperet omnes imitarentur, ponerent inſulas, clavum abjicerent, ventis et procellis Petri naviculam permitterent, ſibi ſuaeque ſaluti caverent, captata ſecretioris loci quiete, quod, ut ille vult, in illo rerum ſummo faſtigio omnis ad ſalutem via ſit intercluſa. Recte mones, Thuane, cui cum tertius in ſenatu gradus occupationum ſatis et periculorum non afferret, principem in eo locum maximis dimicationibus expoſitum omni ratione conatus es aſſequi. Sed hoc alii in ceteris elogiis tuis ponent, nunc quod coepimus agamus. Neque enim tam ab Hadriano dictum, quam confictum a Thuano aut Haeretico aliquo crediderim bellum illud apophthegma. Ain' tu, nullam pontifici Romano ſalutis conſequendae reliquam eſſe viam? Qui in eccleſiae ſpecula vigilat, qui lupos ab ovili Chriſti arcet, qui morbidas pecudes ab integris ſecernit, qui gregem ſuum a noxio pabulo avocat; dicam planius, ut me intelligas; qui verbi divini praecones in Germaniam, Angliam, Hollandiam, erudiendo populo, confutandis Haereticis, diſpenſandis Chriſti ſacramentis in dies ſubmittit; qui ad Indos uſque et ad ultimas orbis partes apoſtolico ſpiritu afflatos homines amandat, exterminandae idololatriae et ſerendi evangelii cauſa; qui Romae, qui tota Europa, et in pleriſque Aſiae et Americae partibus ſeminaria juventutis Chriſtianae fidei praeceptis imbuendae ſumma liberalitate fundat; qui libros haereticos, quaſi peſtilentes et noxias herbas, cenſurae eccleſiaſticae virgula ſubmovet; qui aſſidue pro domo Dei contra Haereticos excubat, huic tu ſalutis ſpem nullam eſſe reliquam cenſes? An vero ſplendor ille dignitatis pontificiae, qui, ſat ſcio, perſtringit oculos tuos et quarundam noctuarum tibi ſimilium, vetuit quo minus Damaſus, Leo, Gregorius, Zacharias, Adrianus, plerique alii praeclare officio fungerentur? Audirem libens quid de Aarone pontifice ſentias: quem ſi tu quoque, ut ille quondam Alexander magnus in Jaddo ſucceſſore, vidiſſes, lamina aurea, tiara magnifico, podere decentiſſimo, rationali pulcherrimis gemmis interlucente, ut obſtupuiſſes? an tu etiam manibus ſacrilegis aut ſcripto virulento ſacrum illum habitum a Deo et inſtitutum et definitum auderes violare? Ad Judaica me provocas, inquis; cultum hunc omnem reſpuit Chriſtianae religionis modeſtia. Ain' tu? qui neſcias S. Joanni evangeliſtae πέταλον aureum, utpote epiſcopo Aſiae, fuiſſe, quemadmodum olim S. Polycarpus ejus diſcipulus apud Euſebium retulit: aut vero non audieris ex S. Hieronymo, ut olim ad pedes S. Epiphanii Salaminae epiſcopi populus accidere conſueverit (Epiſt. ad Joan. Hieroſ.) oſculi gratia? aut ignores veterem morem Chriſtiani populi religioſe manum epiſcopi diſſuaviantis? Eum te, ſi neſcias, S. Ambroſius docebit. Quod ſi tam avide S. Hieronymum legeres quam ſtudioſe incubas libellis famoſis ex odii officina depromptis, ſcires S. Damaſum, cujus ille amanuenſis Romae fuit, tanta circumfulſiſſe gloria in illa ſumma pontificia dignitate, ut longe omnibus gentilium flaminibus, adeoque ipſi ſacrorum regi anteiret. Quod ſi prophanis auctoribus quam S. Hieronymo mavis credere, habes Ammianum Marcellinum referentem magni Athanaſii Alexandriam ineuntis glorioſiſſimum triumphum: Fuit olim tempus, cum nemo his offenderetur, ſtatuerentque omnes dignitati a Deo tot immunitatibus cohoneſtatae ſatis ab hominibus deferri non poſſe. Eruperant non ita pridem ex inferi antris myopes et tenebriones quidam, qui ſplendorem dignitatis pontificiae ferre nullo modo poſſunt, in eam furenter invehuntur, belluam ſeptifrontem, Vaticanam, diadematam per ſummum ſcelus vocant. Ego tibi te, Thuane, hoc eſt tuos verſiculos commodiore loco objiciam, ut quid de ſacra pontificum dignitate cum Haereticis ſentias, omnes ex te ipſo intelligant. Expectaſne tamen dum ſol radios ſuos ſubtrahat, quod a caeculis neſcio quibus Vulcani filiis improbe laceſſatur? Scimus a S. Chry-

S. Chryſoſtomo dictum eſſe, *καὶ τὰς ὗς τὸ μύρον πνίγειν εἴωθε, καὶ τὸ φῶς τοὺς ἀσθενεῖς ὀφθαλμοὺς σκοτίζει.*

Lib. x. VENIO jam ad aliud dignum Thuano apophthegma: *Cum Corneus quidam Santacii fraude in hoſtium manus deveniſſet, fertur Julius tertius*, inquit ille, *dicterio ſe et Corneo digno, facta ad Santacii nomen, quod Italica lingua obſcurum ac nullius virtutis ſanctum ſonat, alluſione, triſtem nuncium more ſuo excepiſſe: Mirari ſe nimirum qui Corneus, qui minime veros ſanctos ac ne Deum ipſum quidem crederet, ſe temere Santacio credidiſſet, et fidem ejus promiſſis tam inconſiderate adhibuiſſet.* Haec Julius, aut, ut veroſimilius eſt, Thuanus de Julio commentus eſt: nam Calviniſticum quiddam olet jocus iſte; nec enim agnoſcit eccleſia ſantacios ſeu ſanctulos iſtos, quos e calendario ſuo petiit Thuanus et obſcuros ac nullius virtutis ſanctos eſſe definit. Caveſis amabo, Thuane, maledictis ſanctos laceſſere, ne quid virium ac virtutis habeant tuo malo edoctus ſcias: Nam ſi periculoſum fuit in eum ſcribere qui potuit proſcribere, quanto inconſideratius eſt in eos maledicum ſtylum exercere quorum apud Deum ſumma poteſtas eſt? Monet Gregorius

In S. Cypr. ille, meritiſſimo cognomento theologus, te longe et ſapientior et religioſior, *ἅπαντα δύναται Κυπριανὸς καὶ ἡ κόνις*: Itaque, ſi ſapis, luxuriantem illum ſtylum tuum, et ex vicinia haereſeos irreligioſum neſcio quid haurientem, pauliſper ſtringe: Suorum perſaepe gravius quam ſuam Deus ulciſcitur injuriam.

Lib. iii. NEQUE religioſius eſt quod Thuanus retulit, dictum a neſcio quo Joanne Mendoza regiorum diſpenſatorum principe Sorbonenſibus theologis, cum hi Petro Caſtellano controverſiam moviſſent, quod de ignibus expiatoriis dubitare viſus eſſet. Quibus autem te laetitiis efferri credam haec tuis athea dicteria narrantem? quanta porro animi voluptate cenſes ingentes trepidare Titos, cum graviſſima ſcilicet illa tua apophthegmata tam ſtudioſe collecta perlegunt? nec tam, opinor, ſuum cuique nomen cognitum eſt quam illud mendaciſſimi Mendozae dictum de rege Franciſco decurrente quovis ocyus euro loca expiatoria: Te doctore ſcilicet et altero ſaeculi noſtri Livio, haec poſteritas omnia ſciet; te magiſtro, cum ridere volent Epicuri de grege porci in ſuis illis putentibus gurguſtiis, habebunt ad manum ſcommata quae in veritatem Catholicae religionis evoment: Cumque Tullius hiſtoriam dixerit eſſe magiſtram vitae, nova tuae nobis definitio quaerenda erit: Excogitabunt alias alii; haec mihi certe optima videtur, ſi quis eam hiſtoriam dicat magiſtram improbitatis, calumniarum officinam, armarium atheiſmorum: Si cui non videor ſatis expreſſiſſe quidquid in ea eſt aut vanitatis aut nequitiae, addat ſane quod volet, per me licebit.

Lib. xii. JAM excutiendum illud quod de Cardinali Caraffa memoras: *Is cum Lutetiam tanquam pontificis legatus ingrederetur*, ais, *et ſignum crucis, ut fit, ederet, verborum quae proferri mos eſt loco, ut erat ſecuro de numine animo et ſummus religionis deriſor, occurſante paſſim populo et in genua ad ipſius conſpectum procumbente, ſaepius ſecreta murmuratione haec verba ingeminabat: Quandoquidem populus iſte vult decipi, decipiatur.* At tu ipſe, Thuane, niſi fuiſſes ſummus religionis deriſor et parum certo de Deo animo, haec ſcripſiſſes? haec in odium pontificis, cardinalium, ſacraeque benedictionis formulae commentus eſſes? Non maluiſſes aeterno haec omnia ſilentio obvolvere, ut veriſſima eſſent, nec a te, ut apparet, conficta, quam literis in contemptum religionis conſignare? Nam cui tandem bono haec omnis narratio? non placebat tibi tuiſque pontificio legato delatus honor: Satis intelligo; nec illa ratio benedictionis eccleſiaſtico more impartiendae, quam ne nominaſti quidem, ſatis probabatur; ideone petulanti illo maledicto concidenda fuit graviſſimi principis ad Chriſtianiſſimum regem miſſi exiſtimatio? Certe interdum venit mihi in mentem ſubvereri, ne Lutheranus quiſpiam amicus tuus aut Calviniſta ejuſmodi ſeu hiſtorias ſeu dicteria tuae hiſtoriae quaſi plagulas aut lemniſcos addiderit: Nam quis credat a Catholico talia proficiſci potuiſſe? Tamen cum ſtylum tuum aequabilem videam, et idem maledicentiae virus tuis omnibus libellis offuſum deprehendam, dubitare non poſſum quin tu horum ſis omnium artifex. Ac vide, quaeſo, quantum in ea re profeceris. Memini quendam principem ſenatus tibi perquam ſimillimum, ſeu linguae petulantiam dicas ſeu laxiorem religionis diſciplinam, cum de re pia et ad eccleſiae utilitatem pertinente in illo ſenatu ageretur, obluctaretur porro paene ſolus ille omnibus, ubi ſe ſuffragiorum numero vidit obrui, exclamaſſe illud tuum, ſeu Caraffae mavis, Si populus iſte vult decipi, decipiatur. Ita enim ſumus jam uſu naturaeque vitio comparati, ut id genus dicteria longe tenacius haereant animis quam quae ad mores formandos recte a ſapientibus viris dicta ſunt.

Lib. xi. NEC omittenda mihi videntur quae Thuanus noſter de Claudio Eſpencaeo doctore theologo refert: *Actum fuerat*, inquit, *Romae de eo in cardinalium collegium cooptando, ſed ab aemulis apud pontificem delatum eſt, quod ille quaedam perperam inter concionandum, de Aurea, quam vulgo appellant, Legenda locutus, cum Ferream potius vocandam eſſe contenderet; quare poſtea publice recantare coactus fuiſſet:* Atque ut id ne temere abs te dictum putetur, gravem auctorem laudas Joannem Sleidanum Calviniſtam. At ne nos doce, quaeſo, Thua-

ne, quas et quam graves ob cauſas Eſpencaeo, alioqui docto viro, clauſus ille fuerit ad ſacros honores aditus: Nec enim ſola illa cauſa quam tu praetexis calumnioſe, nec bellula illa, quam tu quaſi filiolam tuam diſſuaviaris, alluſio legendae aureae ſeu potius ferreae, ut dicebat, ei obſuit: Multa peccarat alia homo quidem a literis humanioribus ſatis inſtructus, ſed in theologicis paene rudis: quique deſtitutus iis adjumentis, quae ſcholaſtica quam vocant theologia ſolet afferre ad difficiliores ſcripturae et ſanctorum patrum nodos explicandos, impegit non ſemel, et ſane magno bonorum omnium moerore graviter. Conveniemus eum in ſequentibus agentem de ſacris imaginibus tollendis e ſacris locis et omni cultu ac veneratione ſpoliandis. In quo errore quamvis te fautorem et partiarium habeat, evincet tamen catholica veritas tot teſtata ſacrorum conciliorum contra vos decretis. Et ſane id fere vobis contingit, quod a poetis vel Accurſio ad ſacras literas illotis manibus ſaepe convolatis; aut quod parta nonnulla Graeci Latinive ſermonis cognitione, confeſtim ſacraria omnia myſteriorum fidei vobis patere vultis; et, antequam veterum qui vobis et aetate et ſcientia et auctoritate praeierunt ſententias rogetis, imo ne audita quidem ſacroſancta eccleſiae deciſione, de abſtruſiſſimis rebus pronunciatis; quod in reculis illis veſtris et negotiis quotidianis, cum arbitri judiceſve ſedetis, nunquam ageretis: Quamobrem deſine, Thuane, judicium pontificis de Eſpencaeo criminari; noli vaniſſimam cauſam afferre praeteriti illius hominis in legendo cardinalium ſenatu: Qui ſibi privato tantum attribuit, ut leges eccleſiae novas praeſcriberet, abrogaret veteres, quid faceret in illo ſummo dignitatis gradu conſtitutus?

Quanquam non neſcimus, Thuane, quam multa in legenda illa aurea, ſeu ferrea cum Eſpencaeo mavis, perperam conſcripta ſint: audivimus haec ab illis qui rerum eccleſiaſticarum quam tu ſcientiores ſunt. Neque tu ſolus fidem illius libri elevas: faciunt id tecum qui de Lutheri et Calvini ſchola ſunt, quod in eo, praeter illa quae vel ab imperitis vel a malevolis aſperſa ſunt, pleraque inveniantur quae te tuique ſimiles mordeant; qualia ſunt, delatus a Chriſtianis omnibus primae ſedi honor; frequentes ad beatorum apoſtolorum limina ex orbe toto peregrinationes; religioſae vitae inſtitutum, quod tu ſummopere quodam carmine deteſtaris; excommunicationis, quae nervus eſt diſciplinae Chriſtianae, quanta ſemper vis fuerit; Haereticos quantum ſemper majores noſtri ſint averſati: Eae ſunt cauſae, mi Thuane, ſi veri amantes ſumus, cur legenda illa ferrea non ferenda vobis eſſe videatur: Paſſavantii tibi jucundior eſt, ſat ſcio, lectio; Proteſtantium libelli, quorum nundinae Francofurtenſes feraciſſimae ſunt, tibi plus voluptatis afferunt: Ex iis in hiſtoriam tuam derivas plurima, illi tibi affatim ſufficiunt quae in Romanum pontificem, cardinales, epiſcopos, religioſi inſtituti ſectatores, probos denique omnes quaſi ex plauſtro maledicta deoneras. Et miramur eam a Romano pontifice anno ſuperiore inter libros damnatae et improbatae lectionis eſſe recenſitam?

Lib. xvi.

At illud quo tandem loco reponemus quod tu vis reſcire poſteros Annam Burgum, apoſtatam omnium teterrimum, quem tu tamen quaſi unum de priſcis martyribus oblique commendas, *cum epiſcopi Pariſienſis juſſu ſacerdotali charactere*, (ut loqueris imperitiſſime) *tanquam indignus ritu recepto privaretur, teſtatum ſe lituram hanc libenti ac laeto animo pati, quod ita ſigno a beſtia, cujus in Apocalypſi ſit mentio et quam pontificem Romanum interpretabatur, deleto, nihil ſibi porro cum antichriſto commune futurum eſſet.* Quid ergo jam reſtat, Thuane, niſi ut omnia Calvini, Bezae, Lutheri, aliorumque improbiſſimorum hominum in res ſacras convicia percenſeas? Nam iis te mirifice delectari ſatis ſignificas, adeo ſtudioſe omnia quae a nefario homine infelicem animam exhalante, et a temporariis ignibus ad perpetuos, duce haereſi, properante dicta ſunt collegiſti, verbiſque elegantibus exornaſti. Quaerat qui volet in illo bene magno hiſtoriae tuae volumine, ſi quid unquam ſit praeclare a doctiſſimis viris dictum ſcriptumve ad confutandas haereſes iſtas nuperas: Mirum de iis apud te ſilentium: Quaſi tu Genevae aut Magdeburgi natus et educatus nunquam Chriſtianae lac inſtitutionis ſuxiſſes; ita tibi inaudita et incomperta illa omnia. Si quid improbiſſimus quiſpiam perfuga in ſummos pontifices, cardinales, praelatos, religioſae vitae ſectatores commentus eſt; ſi quid Marſaeus, aut Burgus, aut Colinius ceciniſſe ferunt in morte ob haereſim obita, id tu quaſi trophaeum quoddam in aede Memoriae vis conſecratum.

Nam quod tu ſacerdotalem characterem vocas attonſam illam in ſacerdotum apice comam, inſulſe deliras, et erras, tuo more, ſacrarum rerum ignorantia. Veros theologos conſuluiſſes, non illos nuperos et e lapide emptos, quorum legendis commentis potius quam commentariis plus aequo te addixiſti, ſcires quid character, ubi et quibus ſacramentis imprimatur, quam nulla eum temporis intercapedo ſit obliteratura. At dum bonas horas legendis malis libris Chytraei et aliorum Calviniſtarum, de beſtia, de antichriſto, ejus nomine, numero, charactere impendis, non vacat tibi ea perdiſcere quae animae tuae ſalus ſibi depoſceret. Sed oſtendam alio loco pluribus, quam tu implacabili odio in Romanum pontificem feraris: Nunc tantum hoc dico, tibi tuique ſimilibus in firmiſſimam

illum

illam eccleſiae petram incurrentibus id certiſſime eventurum quod api contingere ſolet, quae, ubi furenter in ſaxum irruit, et ſtimulum et vitam perdit. Aliis, Thuane, petra illa pulſata ventis eſt; non ceſſit hoſtibus quam tu ſis potentioribus: Aliae ante te veſpae, fuci alii et crabrones in petram hanc ſtimulos fruſtra ſtrinxerunt; audita ſunt eorum in primam ſedem murmura; mendacium veritati, rationi furor, ſchiſma et haereſes ceſſerunt eccleſiae: Tu, ſi quid ſupra reliquas inferi portas, aut potius ſupra Chriſtum, potes, eccleſiae ſponſum et protectorem, age.

CAPUT V.

Thuanus in Sectarios propenſior.

MULTA nos ut id conſtanter aſſeramus perpellunt, quae paſſim hiſtoriae ſuae quaſi teſtatiſſima animi ſui ſenſa inſperſit. Pauca de plurimis producam. Cum Lutherana lues integerrimum hactenus Galliae corpus inficeret, chriſtianiſſimi reges Franciſcus primus, Henricus ſecundus, Franciſcus item ſecundus, et Carolus nonus, cenſuerunt peſtilentiſſimam illam gangraenam ferro flammaque curandam eſſe, ne latius ſerperet. Puniti ſunt audaciores nonnulli, ut poena paucorum exemplum eſſet omnium. Diſplicuit vehementer Thuano homini mitiſſimo ea chriſtianiſſimorum regum et ſapientiſſimi ſenatus in novatores ſententia: quare nulla ſe obtulit occaſio quam non arripuerit avidiſſime ut ſe in alia fuiſſe ſententia probaret Genevenſibus, Tigurinis, Valdenſibus, Sectariis denique omnibus. Id vero perſuaſiſti, Thuane; ſaxis ne jam animo tuo hic ſcrupulus haereat; ſatis intelligunt illi tui fraterculi quantum abhorrueris ab illa legum regiarum ſeveritate. Rem aliquot teſtimoniis hiſtoriae Thuanicae confirmabo.

LABORIOSISSIME tranſcripſit ex Haereticorum kalendariis ſutores, lanarios, cerdones omnes qui in Anglia, Gallia, Germania multati ſunt juſſu catholicorum principum, quod haereſim obfirmato animo tuerentur, callideque diſſeminarent; paene diceres cum acta proconſularia, quibus veterum martyrum certamina continentur, texere voluiſſe: Ita ſedulus eſt in loco, tempore, perſonis, verbis ultro citroque habitis percenſendis: Denique ſuppliciorum genera quibus iſtorum hominum compreſſus eſt furor, ita et tragice et enucleate perſequitur, ut ſua ſibi viſcera hac juris acerbitate divulſa diſtractaque ſatis ſignificet.
Lib. IX. Ludovici Marſaci hominis militaris, cum ad rogum impietatis titulo duceretur, dictum conſtantiae animique plenum refert, ut paene martyrem vindicatum pronunciare velle videatur.
Lib. XII. In Anglia brevi temporis ſpatio ſub Mariae catholicae imperio ſeptuaginta ſex
Lib. XVI. ſupra centum numerat, ob religionem, ut loquitur, ſupplicio affectos. Alibi refert Lutetiae quoſdam delatos fuiſſe, qui in Mauberti platea coitiones facerent; *Delatione*, inquit, *inſigni mendacio cumulata: nam non ſolum conventus nocturnos haberi, ſed etiam in iis promiſcuos concubitus exerceri extinctis luminibus aiebant:* Mitto cetera, in quibus hiſtoricum ſe eſſe Thuanus oblitus, haereſeos patronum non obſcure agit; caſtiſſimae ſcilicet, et de qua veterum Gnoſticorum coitiones ſuſpicari grande nefas ſit. Illud non omitto quod eodem loco, lamentabiliter, ut eſt apud Plautum, paratragoediat. *Hac inquiſitione*, inquit, *multi ut periculum anteverterent fuga ſaluti conſuluere:* (Miror Thuanum ſacrarum literarum ſcientiſſimum, non ſtatim hic laudaſſe apoſtolum conſolantem Hebraeos talia ob Chriſtum paſſos, " Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio accepiſtis) *eorum bona annotata, et mox ſub haſta publicata ſunt. Ac videre erat paſſim per urbem omnis generis variam ſupellectilem praeconis voce divendi, abſentes reos tribus edictis citari, vacuas aedes proſcribi, in quibus tantum relicti erant puerulı infantes, qui quod fugitivorum fortunae comites eſſe non potuerant, lamentabili ejulatu vicos et plateas rumpebant. Quo ſpectaculo*, inquit, *nemo non vel Proteſtantium cauſae infeſtiſſimus ſummopere commovebatur.* Quam putas gratiam iniit Thuanus apud Genevenſes, Rupellanos, Argentinenſes, Hollandos, deſcriptione hac tam eleganti perſecutionis acerbiſſimae Calviniſtarum et Lutheranorum?

Lib. XVI. QUID? Annae Burgi ſenatoris Pariſienſis obſtinatum in haereſi animum quibus verborum pigmentis ornat? Nunquam Caeſarienſis Euſebius, licet facundiſſimus, ita res veterum martyrum celebravit. Sic enim Burgum cauſam dicentem ponit ob oculos Thuanus, ut Polycarpum quempiam vel Laurentium martyres ſanctiſſimos coram Decio aliquo conſtitutos diceres: Ejus reconditam ſcientiam dilaudat: Majores ciet: Exitum veris optimorum virorum lacrymis condecoratum aſſeverat; denique, *Ex ejus cineribus*, inquit, *ampla defectionum ac conjurationum ſeges enata creditur.* At parcius iſthaec, Thuane, ne te tandem prodas penitus, et unus plus toto ſenatu ſapere velle videare: quin ab illo ad Genevenſem eccleſiam aut inquiſitionis Anglicanae ſeverum tribunal provocas?

VENIO ad aliud quod idem Thuanus omnibus ſane ingenii nervis expreſſit; triſte nimirum ac funeſtum ſpectaculum: Fuit id ſumptum ſupplicium de Lutheranis pleriſque, inquiſitionis Hiſpanicae decreto; eique Philippus ſecundus rex partim Pinciae, partim

Hiſpali voluit intereſſe: *Plenum inde miſericordiae ſpectaculum,* inquit, *inde invidiae, ex eo auctae, quod Roborquia* (Lutherana) *ceteris aetate minor, vix enim vigeſimum primum annum attigerat, ſumma conſtantia mortem ſubiit. Sed quod Vaeniae aedes coetibus ad ſacras faciendas preces patuiſſent, eadem qua illa damnata eſt ſententia, a fundamentis dirui juſſae ſunt.* Et paulo poſt: *Auxit eorum numerum Franciſca Chaveſia, virgo Deo dicata, &c.* Praetermitto cetera quibus carpit laceratque judicium illud omne; illa tantum duo triave in hac tragica deſcriptione concoquere non poſſum: Qui Lutherana Chaveſia, virgo Deo dicata poſſit adhuc dici, ſi modo verum eſt quod dixit S. Chryſoſtomus, παρθενεύουσαι apud Haereticos ὅμοιαι ταῖς πορνευούσαις? Adhaec cur debuit a conſtantia laudari, obſtinata in haereſi foemina? ſed de hac catachreſi Thuanica dixi ſuperius, capite de Formulis loquendi Thuano propriis: Cur autem mirum ei videtur, homini ſcilicet ſapienti et rerum praeteritarum non ignaro, eas aedes in quas perduelles convenerant, eſſe a fundamentis everſas? Nunquam id, opinor, in ſimili cauſa factum meminerat. Aut cur ſacras preces nominare auſus eſt prophanas illas Haereticorum cantiunculas, mulcendis auribus, non placando Deo aptas? Negavit certe jam olim Euſebius, loca in quae Haeretici precandi cauſa conveniunt, ἐκκλησίας dici jure poſſe: Praeivit nobis Spiritus Sanctus per apoſtolum quid de iis ſentire debeamus, cum ejuſmodi coetum ſedem ſatanae dixit eſſe: et tu in iis ſacras ad Deum preces fundi putas, Thuane? quid jam obſtat quin et conceptas a Mahumeti myſtis pari titulo cohoneſtes, quando tibi pectus eſſe videmus omnium religionum capax? Sed me prae omnibus iſtud movet, quod, qui tam acerbe fers inquiſitum a Chriſtianis principibus in Lutheranos et Calviniſtas, nullum uſpiam ſignum das averſi animi a teterrima crudeliſſimaque Anglicana inquiſitione, qua tot ſanctiſſimi viri mactati ſunt ab Henrico octavo, Edvardo et Elizabetha: Hoccine credibile eſt neſciviſſe te? aut vero ſubſcripſiſſe damnationi nobiliſſimorum martyrum, Thomae Mori, Joannis epiſcopi Roffenſis, Carthuſienſium, aliorumque paene innumerabilium, quos ille ſui ſaeculi Nero ſuſtulit, quod ejeratam abs ſe ſummi pontificis auctoritatem, ſed divina voce confirmatam, ipſi prodere nullo modo vellent? fugiſſe te dices quae lippis et tonſoribus nota ſunt, quaeque tabulis pictis expreſſa paſſim vaenierunt; ſupplicia, inquam, illa crudeliſſima de ſanctiſſimis viris ſumpta, renovata vetera et a Nerone, Decio, et Diocletiano excogitata tormenta, equuleos, cataſtas, uncos, ſartagines, viſcerationes, ſuffixa contis caeſorum capita, diſpoſita paſſim Londini aliiſque in Angliae urbibus pro turrium et murorum pinnis ad horrorem ſpectantium: Haec ſcilicet neſciviſti omnia, Thuane, vel approbaſti, qui ne vocula quidem una perſtrinxiſti, effuſus in eorum commendationem qui ſub Maria Angliae regina catholica haereſeos nefariae poenas luerunt. Jam non auſim fruſtra illud Joſuanum abs te ſciſcitari, *Noſter es, an adverſariorum,* qui tam manifeſtis indiciis quarum ſis partium prae te feras, cum furenter in eos incurris qui ſeverius aliquid in Calviniſtas vel Lutheranos ſtatuerunt? Atqui non neſciviſti et Michaelem Servetum Calvini juſſu Genevae extremo ſupplicio ob haereſim affectum fuiſſe, et eoſdem tempore ſcriptum a Calvino librum de puniendis Haereticis, quo factum ſuum probaret; et Valentinum Gentilem Bernae eodem nomine vita privatum judicio ſenatus: Quae tamen omnia ſummis digitis attigiſti; ne quos hactenus propugnaveras, vel leviſſime in toto tuo opere perſtrinxiſſe putarere.

3 de v. Conſt. cap. LXIII.

Lib. IX.

Et offendit ſane illud graviter piorum omnium animos, quod cum Thuanus paucis expoſuiſſet quae, Maria catholica Anglis imperante, a ſenatu decreta fuerant in cadavera Buceri et Fagii haereticorum, praetereaque uxoris Petri Martyris item apoſtatae, (quam demortuam impii homines foeminam haereticam condiderant cum cineribus beatae Friſvidae, quae in iis locis maxima olim veneratione colebatur) mox non expectata ſerie temporum, ubi imperatam a catholicis judicibus ſub Maria, ut dixi, exhumationem illorum cadaverum retulit, convolat ad tempora Elizabethae haereticae, et de reſtitutis ejus juſſu honoribus Bucero, Fagio, et Vermilii ſcorto, verborum magnifico apparatu agit; ut paene cum Haereticis triumphare ſubſaltans illius dictio videatur. Quinetiam homo ad omnes calumniarum artes intentus, ſimile quiddam factum olim refert a Stephano ſexto et Sergio tertio pontificibus Romanis in Formoſum: adeo ſcarabaeis volupe eſt in fimo lutoque verſari. Nec minore, ut videtur, voluptate, *Matthaei Parkeri archiepiſcopi,* inquit, *Cantuarienſis, Edmundi Grindalli Londinenſis et Richardi Gloceſtriae epiſcoporum* memorat auctoritate haec omnia perfecta eſſe: Quanquam quos ille vocat epiſcopos, S. Athanaſius, haud paulo ſaniore vir judicio, κατασκόπους, S. Stephanus junior, inſignis ille ſub iconoclaſtis martyr, ἐπισκότους, S. Petrus epiſcopus epiſcoporum ἀποστρατηγοὺς dixerunt: Nos cum Ezechiele propheta, paſtorum ſeu epiſcoporum larvas et idola nominamus, quibus ſcilicet foemina, eccleſiae Anglicanae caput, jus omne auctoritatemque tranſcripſerat. Sed relicta Anglia redeo in Galliam noſtram.

Lib. XII.

Ubi Thuanus ea percenſet quae anno ſexageſimo nono ſuperioris ſaeculi contigerunt, Ad annum
Andelotum quaſi unum e priſcis illis heroibus praedicat, eique hoc epitaphium dicat: 1569.
Obiit Andelotus, vir prudentia et aequitate praecipuus: quem paulo ante dixerat, *abiiſſe Pictonas,*

ut pecunias undique, maxime ex ſacro patrimonio, corrogaret, et res Proteſtantium iis in locis labefactatas reſtauraret. En illa, Thuano ſapientiſſimo judice, commemoranda Andeloti nequiſſimi Sectarii aequitas! en prudentia ſacrilegi praedicanda! res Haereticorum labefactatas reſtaurare, poſitas Deo aedes expilare, eccleſiae patrimonio contra eccleſiam pugnare, ſacris rebus ad uſus prophanos abuti! utrumne improbior qui haec patravit Andelotus, an Thuanus qui haec aequitatis et prudentiae immeritis titulis exornat impudentior?

Lib. XLVIII. HABUIT fratrem Andelotus Odetum Colignium, qui cardinalitiam purpuram graviſſimis flagitiis ac perfidia denique haeretica foedavit: Et Thuanum ille tamen nactus eſt laudatorem: Ait enim eum, *ſuſcepta procuratione cauſae Proteſtantium, demoratum in aula Elizabethae reginae Angliae.* Tum de ejus ingenio judicioque graviſſimo plura. Jam non miror fuiſſe olim qui freti acumine ingenii et dicendi facultate paradoxa neſcio quae pertractarint, cum video ſuſceptum patrocinium nefariorum apoſtatarum, ab eo maxime qui et ampliſſimi ſenatus praeſes ſit, et Catholicum ſe haberi velit. Nam et Petrus Placius, qui, anno M D LXXII, cum ceteris Haereticis Lutetiae caeſus eſt, eidem Thuano videtur, *vir gravitate, doctrina, et integritate clarus:* Gravitatem hominis in eo, ut opinor, ſtatuit, quod de prava opinione ſuſcepta nunquam ſe dimoveri paſſus eſt: Doctrinam vero Placii ſingularem, Thuano judice, fuiſſe fatendum eſt, qua plus unus ille viderit in religionis negotio quam omnes retro eccleſiae magiſtri, licet ſacras literas nunquam attigiſſet, ſed in foro et rationibus regiis tractandis aetatem omnem triviſſet ſuam: Denique quidni illius integritas ab eodem Thuano praedicetur, qui cum perduellibus et Dei regiſque Chriſtianiſſimi hoſtibus conſilia communicarat? Si hoc ſapere eſt, Thuane, quid tandem deſipere eſt?

Lib. LII. CAVAGNIUS et Bricomotius Catholicorum hoſtes infenſiſſimi capite luerunt Lutetiae anno Domini M D LXXII. Hic laſcivit Thuani ſtylus, praedicantis mirifico verborum apparatu fortem Cavagnii novi martyris animum, Bricomotium exhortantis ad gravia omnia perferenda: Vincentium quempiam invictiſſimum martyrem diceres ſub Deciano acerbiſſima quaeque patientem, ſi neſcires Cavagnium et Bricomotium, geminum par improbitatis ob graviſſima flagitia in ſcalas gemonias pertractum, et hactenus expertus non eſſes Thuani vanitatem et malam in ſcribenda hiſtoria fidem. *Triborio toto*, de Cavagnio moriente loquitur, *Latine pſalmos defixis in coelum oculis mortem opperiens recitavit.* Tum paulo poſt: *Nec ſatiata plebs ſupplicio, etiam in mortuos indigne ſaeviit, quibus interula ſpoliatis etiam pudenda abſcidit.* At hic opportune poteras et debebas, Thuane, Dei vindicem manum in ſceleratos praedicare; et de Bricomotio nominatim id dicere, quod de Albaſpinaeo, Ponſenatio, cardinali Santandreano et aliis in Haereticorum gratiam vaniſſimorum rumorum auceps dixiſti, ἑτηλάτῳ συμφορᾷ, ut eſt apud Euripidem, in eas miſerias prolapſis juſtiſſime quas aliis injuſtiſſime intulerant; cum non ignorares ſolitum Bricomotium ſacerdotes catholicos excidere et eorum auriculis contexto torque ad pompam uti.

Lib. XVII. NEQUE ſe minus acrem haereſeos patronum profeſſus eſt Thuanus, cum eo venit ubi ſumpta de reis Amboſianae conjurationis ſupplicia recenſenda ei fuerunt. Quas non ſpiras molitur tortuoſus anguis, ut veritatis caput obtegat? qua non diſſimulatione utitur? *Praecipitata*, inquit, *multorum judicia ac ſupplicia, cum alii noctu ad pinnas arcis ſuſpenderentur, alii quorum ſpectaculo permoveri homines poſſe metus erat in profundum mergerentur. Interdiu vero permulti ad ſupplicium, more inſolito, rapiebantur, ſine elogio ac criminis titulo, et ſine vocali carnificis praeconio, denique nominibus damnatorum ſuppreſſis, ita ut flumen cadaveribus ſupernataret, oppidi vici ſanguine exundarent, plateae hominum patibulis ſuffixorum ſylva horreſcerent.* Quaeſo potuiſſetne pictius Nerones aut Diocletianos ſanguinis Chriſtiani ſitientiſſimos repraeſentare? I nunc, Thuane, et te adeo graviter et ὑπερβολικῶς mentientem, profitere nullo impulſum odio vel amore haec ſcripſiſſe.

Anno 1561. EODEM prorſus artificio deſcribit ea quae Lutetiae anno CIↃ D LXI contigerunt ad D. Medardi eccleſiam: *Catholici fragorem campanarum excitarunt*, inquit, *ſive ex uſu, ſive ut moleſtiam faceſſerent auditoribus Joannis Malonis miniſtri, qui in vicinia concionabatur. Ab iis miſſi duo inermes, qui curionem et aedituos rogarent ut a pulſatione illa horrifica abſtinerent: Rejecti illi cum jurgiis, et ſtatim obſeratis templi valvis intercluſus ex iis unus, qui cum vim facere vellet ut egrederetur, ſtrictoque cultro ſe defenderet, crebris contorum ictibus poſtremo confoſſus eſt.* Et hunc, Thuane, ceteris martyribus Calvinianis accenſe. Pergit, *Cum iterum ſtrepitus campanarum excitatus eſſet, miſſus a magiſtratu apparitor armatus: Verum cum occluſas templi portas offenderet, ſaxorum grandine ex templi turre in ſubjectum locum depluente, affuit Gabaſto praefectus vigilum, &c.* Male profecto ceſſit Calviniſtis quod hoc patrono per illud tempus non ſunt uſi. Quam dilucide et vero ſimiliter ſeditionem ab illis excitatam purgaſſet? Nunquam ſenatus in crucem egiſſet Gabaſtonem et Argyrothinum, haereticos ſeditionis principes. Pro veſanum hominem, qui non ſit veritus tam mala fide veritatem hiſtoricam Haereticorum gratia intervertere! ita quondam, ut in fabulis eſt, lupus ovem criminabatur aquae perturbatricem.

UT

Ut autem ad Sanbartholomaeam diem devenit, ſatiſne ſe aperit; pro Haereticorum Lib. LII. et
tum caeſorum innocentia, quaſi pro aris et focis, decertans, et maledictorum genus omne LIII.
in Catholicos tanquam perfidos et barbaros homines evomens? Non arbitror ab ullo Beza dolentius caſum illum deplorari potuiſſe. Negat in primis, *ullum ſimilis ſaevitiae exemplum in tota antiquitate evolutis gentium annalibus reperiri: Hunc*, ait, *furorem et mentis caecitatem Gallorum animis a divina mente immiſſam propter aſſiduas nominis ſui execrationes et contumelias, quibus rex ipſe prave a matre, prave a moderatoribus ipſi a matre datis inſtitutus minime abſtineret.* Sed hic, quaeſo, ſiſte gradum, homo religioſiſſime: An putas dirius a quoquam divinum nomen numenve violari quam ab Haereticis? Sancto Hieronymo quam tibi, Lib. VII. in
opinor, praeſtat credere, aſſerenti nullum eſſe crimen quod haereſis improbitate non ſupe- Iſaiam.
ret: aut etiam nos ſines magno illi Epiphanio Salaminæ præſuli fidem adhibere, docenti, *ὅτι χείρων ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας*: An vero ſceleratiores eſſe ducis qui ira ac furore de mente dejecti, caput, mortem, ſanguinem, ut tuis formulis utar, irreligioſe dejerant, iis quos tu quaque pagella effers in coelum, quique et ſcriptis et concionibus ſuis perſuadere populo volunt, Deum auctorem eſſe peccati, praeſcripta ab eo mandata hominibus quae obſervari nullo modo poſſint, negaſſe nobis *τὸ ἀντεξούσιον*, et tamen aeternis poenis mactare eos qui non paruerint, promiſiſſe quidem eccleſiae corpus ſuum, ceterum praeter ejus figuram dediſſe nihil: Hoc eſt, ut planius loquar, eripere Deo veritatem, juſtitiam, bonitatem, res ipſi penitus cognatas: Tune putas, Thuane, divinum numen ab ullis gravius quam ab hjs violari? at haec ſunt myſteria eorum quos tu in ore et ſinu habes: hanc tu malorum quae patimur vel primam cauſam allegaſſes, ſi quid in te judicii veraeque lucis fuiſſet.

Et quoniam in Sanbartholomaea tragoedia verſamur, animadverti te nullum non mo- Lib. LIII.
vere lapidem, ut Gaſparem Colinium maris Gallici praefectum, rebellium Haereticorum ſine controverſia principem, fuiſſe tamen innocentiſſimum evincas. *In ejus ſcrinio intercepto et reginae juſſu diligenter excuſſo*, ais, *nihil repertum fuiſſe quod illius ſincerum in Carolum nonum regem ejuſque fratres animum non probarit.* Sobrius eras, Thuane, cum haec ſcriberes? An ebrietas neſcio quae ſicca odii in Catholicos amoriſque praepoſteri in Haereticos te de gradu mentis deturbarat? omnemque memoriam eripuerat, rerum perfidioſiſſime a Colinio geſtarum contra reges Chriſtianiſſimos? quot Galliae urbes qua fraude qua vi occuparat? quot in patriam conflarat exercitus? quoties ſigna cum Carolo nono contulerat? quoties externum militem in Galliae viſcera conduxerat? Quid enim nefarie in Gallia totis decem aut duodecim annis, niſi Colinio duce, tentatum fuit? Et audes, reclamante tota Europa, innocentem eum dicere; et tantum non dicere, ſanctiſſime diem ultimum clauſiſſe? *Colinius*, inquit, *in pedes ad preces fundendas erigitur parieti innixus, praeeunte Merlino paſtore.* Quin etiam vale ſuis dicentem audiſti, Thuane; *Felicem me qui me mori ſentiam, et in Deo cujus gratia in ſpem vitae aeternae erigor moriturus ſum.* Tunc excurris in ea quae illo mortuo geſta ſunt, et lamentabili naenia funus proſequeris: *Colinii corpus deformatum, pudendis item et manibus ac pedibus truncatis per vias ad Sequanae ripam tractum eſt.* Nam quod aliud manupretium debebatur homini ſacrorum, ſi quiſquam alius, oſori? aut quae unquam Jeſabel plus innocentis ſanguinis effudit? Nec vero temere hujus mulieris incidit mentio. Ut enim prophetes ei interminatus fuerat, fore ut aliquando de ſuperiore loco dejecta eſca et ludibrium canum eſſet: Ita vir quidam religioſus de ſacra D. Franciſci familia, Jeſſaeus nomine, inſignis eo tempore divini verbi praeco, Colinio, cum ejus juſſu Amboſiae ad furcam raperetur, praeſago ſpiritu denunciarat fore ut aliquando de feneſtra deturbaretur poenaſque ſexcentorum ſcelerum penderet. Hoc, Thuane, non e libellis tuis quos ardentibus adhuc odiis ſcriptos dixiſti petitum, ſed tota Gallia decantatum, non omiſiſſes, ſi bona fide res uti geſtae ſunt, ac non in Haereticorum gratiam narrare ſtatuiſſes.

Atque ut his finem imponam, quibus quam bene in Lutheri Calvinique dogmata eſſes animatus non obſcure ſignificaſti, de oxyacantha ſeu alba ſpina, quam illo ipſo tempore quo de agimus, in S. Innocentii apud Pariſios coemeterio, effloruiſſe praeter naturae ordinem viderunt innumeri, quid cenſes? *Sive hoc ſponte, quod aliquando contingit*, ais, *cum natura deficiente in eo planta eſt ut penitus exareſcat, ſive aqua tepida ab impoſtoribus infuſa id factum eſt.* Quarum conjecturarum altera ab ingenio malevolo, altera ab animo ita cauſis naturalibus affixo, ut ſuperiorem vix ullam cauſam agnoſcat, profecta eſt. Sed pergis in illo tuo graviſſimo de re tanta judicio: *Quae omnia factioſi*, inquis, *ſuo furori blandientes ad Deum, his indiciis quae patrarentur ſibi grata eſſe ſignificantem referebant: Itaque et coelum exultabundum Proteſtantium lanienam aſpicere aiebant: Et Jacobus Carpentarius illam lucem (ad menſem alludens) Auguſtam ſcripto edito depraedicavit.* Maluiſſet, ſat ſcio, et nefaſtam dici, et nigerrimo lapillo notari, quod ea virtus Catholicorum de Haereticorum perfidia triumphaſſet. Atque ex his ſat ſuperque intelligimus in quorum verba jurarit Thuanus.

CAPUT

3

CAPUT VI.

Probis omnibus et catholicae religionis aſſertoribus perinſenſus Thuanus.

Quisquis hactenus in Thuani ſcriptis notata ſpectavit attentius, non dubitabit eum qui pro Sectariis ſemper pugnarit, nunquam probis viris et religionis catholicae aſſertoribus aequum fore. Nec enim fieri poteſt, ut qui Sectariis patrocinetur, Catholicis faveat. Ceterum non immorabor iis recenſendis, quos extra Galliam poſitos ob ſuſceptam catholicae religionis defenſionem Thuanus maledico ſtylo pupugit; intra regni hujus conſiſtam fines, et quibus convitiis eos laceſſerit qui laterum ſuorum oppoſitu Galliam olim ab haereſeos lue puram, hoc etiam ſaeculo ſartam tectam tutari conati ſunt, dicam.

Lib. xv. Ac in primis nullam praetermittit occaſionem lacerandi Guiſios: Ut paene jam mihi perſuaderi ſinam principes hoſce viros perquam regno Gallicano periculoſiſſimis illis temporibus neceſſarios fuiſſe, quos tam obſtinato animo perſequitur Haereticorum fautor et patronus. Nam aliud fere nihil agit libro decimo quinto et aliquot conſequentibus, quam ut eos, *odium commune populi Gallicani*, quemadmodum loquitur, eſſe et fuiſſe contendat; ab eis tyrannidem occupatam; nihil contra reges ſive Amboſiae ſive Meldis tentatum; omnes illorum qui tum in armis fuere conatus eo tantum ſpectaſſe ut ne libertas Gallicana ab regulis hiſce novis violaretur; quidquid ſanguinis fuſum ſit religionis cauſa ſeu Lutetiae ſeu in aliis regni urbibus, id totum Lotharingorum principum maximeque Guiſiorum conſiliis ac machinationibus eſſe fuſum; damnatorum bona non tam fiſco adjudicata quam eorum condonata cupiditati; omnia denique ab eis per vim ac fraudes geſta eſſe. Haec Thuanus ille ἀπαθής generatim de tota Guiſiorum familia; nunc quibus ſingulos cohoneſtet laudibus audiamus.

Lib. v. *JOANNES Lotharingus cardinalis, ſolo libidinum miniſterio et ſtolida liberalitate Franciſco charus erat*, inquit: Quanta et quam multa paucis convicia homo nefarius in virum principem deonerat! cujus piam in pauperes munificentiam ſtolidam liberalitatem vocat; et obitas ſaepe de maximis rebus pro Franciſco primo cum dignitate legationes, libidinum regiarum miniſterium nominat. Quid eo improbius homine, qui regi Chriſtianiſſimo crimen hoc impingit, ut cardinali ampliſſimo, illuſtriſſimo principe, homine antiquae probitatis quaſi lenone quopiam ſit abuſus? quod tamen utrum e trivio petierit convicium, an e libellorum ſuorum lacunis hauſerit dubius animi ſum. Sed undecunque petitum, Thuano perinde eſt, dum hamentatam odio in Lotharingos haſtam torqueat.

De Carolo item Lotharingo cardinali Joannis nepote quid attinet plura dicere? Cum eum ſibi Thuanus quaſi Antonium quendam in oculos poſuiſſe videatur, quem maledicentiſſimis Philippicis tota hiſtoria proſcinderet. Lib. v. *Nullum non ab eo ſuſceptum ſcelus*, ait, Lib. xvi. *nullum ſine eo tota Gallia commiſſum:* Eum cum Perrenotto de prodenda externis Gallia clam egiſſe, eundem fictis criminibus quoſcunque libuit vita ſpoliaſſe: Denique, quidquid ſexcentis libellis famoſis haereſeos hydra, totis paene quinquaginta annis, in Carolum et Franciſcum Guiſios, quidquid in eos veneni ſparſit, id totum ſumma diligentia, etiam cum auctario non mediocri, collegit bona fide Thuanus. Id autem quo conſilio fecerit, ſi cui eſſet dubium dicerem. Nam etſi nulla quod ſciam ab eis injuria ſit privatim laceſſitus, tamen fieri non potuit quin eos odiſſet graviſſime quos cerneret Proteſtantium infenſiſſimos hoſtes eſſe. Difficile eſt tacere cum doleas, aiebat Romanus orator; et filiolo Croeſi quem natura loquendi uſum negarat, repente dolor reſtituit: Taceretne de iis Thuanus, quos animadvertebat quaſi hereditario quodam odio ferri in Lutheranos et Calviniſtas, ſuas, ut vere loquar, delicias? Eorumne famae parceret, quos videbat ferro flammaque perſequi haereſes, quarum propugnandarum cauſa hiſtoriam texere videbatur? Pauca quaedam Lib. v. de Thuani ſcriptis huic rei confirmandae ſeligam. *Carolus cardinalis Lotharingus, ut regis* Lib. xxxiii. *animum occuparet, turpiter ſe obſequiis Valentinae inſinuavit. Is Tridenti cum eſſet, audita Franciſci Guiſii fratris morte, literas ad matrem dedit conſolationis plenas, ad oſtentationem diſ-* Lib. lix. *ſimulato dolore, quae ab emiſſariis ejus publicatae ſunt. Idem levitate inſita, et omnem modum ſupergreſſa ambitione, non ſolum Galliae, ſed etiam ſuis fatalis fuit. Adhaec ſumme tota vita inaequalis, et in proſperis inſolens, et in adverſis infractus. Aliquando fuerat in confeſſionem Auguſtanam propenſior: Obiit in ſummo omnium odio.* Sic eſt, Thuane, nullum neque Haeretici neque tui ſimiles Ecebolii magis oderant, nullum ſenſerant graviorem novorum dogmatum hoſtem, reique publicae Gallicanae amantiorem. Itaque eum cane pejus et angue oderant, quaeque agebat omnia ſiniſtre interpretabantur. Ut enim quoſdam cernimus tam pravo eſſe ſtomacho, ut optimos quoſque cibos in vitioſos humores convertant; ſic judicia quaedam ſunt adeo a vero devia, ut eis ſupera infera, nigra candida, vitioſa Lib. v. laudabilia eſſe videantur: Quale iſtud eſt quod uſpiam habet Thuanus: *Carolus Lotha-*

riagus cardinalis Remorum praeſul academiam in urbe ſuae dioeceſeos primaria conſtituit: Id ambitioſe ab eo affectatum, qui ſciret et maximi momenti eam rem ad famam exiſtimationemque, et, ſi tempus aliquando incideret, ad res novas moliendas ac commovendos plebis animos potentiſſimum telum ſubminiſtraturam. Mala mens, malus animus: quam ſiniſtre quaecunque aguntur a laudatiſſimis viris interpretatur! Sic eſt omnino, ut vetus quidam auctor cenſuit, calumnia inſtar veneficae Circes facit τὲς μὲν ψευδομένους ὡς δεξιωμένη, τὲς δὲ μηδὲν ἠδικηκότας δοκεῖν ἀδικεῖν; denique rebus omnibus vultum mendacem induit. Thuani animus hoc humore vitioſiſſimo praeſtrictus, quam maligne, Deus bone! pulcherrimum cardinalis factum intuetur! Quod enim ſemper habitum eſt glorioſiſſimum utiliſſimumque reipublicae Chriſtianae, ut ubique juventutis erudiendae gymnaſia ſtatuerentur, quod nunquam magis Gallia noſtra ſibi depopoſcerat, inſeſſa tum undique ſciolis quibuſdam grammaticulis, qui ſe cornicum oculos confixiſſe et ignota priſcis ſaeculis fidei myſteria ſibi ſolis patuiſſe denique jactabant; quod Catholici omnes gratulabundi exceperunt, quaſi firmiſſimum praeſidium in illis Campaniae oris Sedano Victoriacoque proximis contra haereſes nimis foecundo ſatu illis locis ſuccreſcentes, conſtitutum munificentia vigilantiſſimi praeſulis, hoc Thuanus ſuo more ambitioni mavult et novarum rerum molitioni aſcribere!

Atque ut non ſoli Guiſii rem Catholicam turbulentis illis temporibus gnaviter tutati ſunt, ita non eos ſolos maledicus Thuani petit ſtylus. Fuit enim patrum noſtrorum memoria C. V. Santandreanus tribunus equitum: *Eum decoctorem luxuque perditum hominem fuiſſe*, ait Thuanus. Crederem id facilius, ſi de iis fuiſſet quos ubique noſter hiſtoriographus praedicat: Nunc cum fortiſſimi viri et in defendenda Catholica religione conſtantiam, et fidem erga patriam regemque Chriſtianiſſimum morte ipſa, quam in perduelles haereticos fortiter dimicans oppetiit, teſtatam habeamus, apage te cum ſolennibus illis tuis formulis, Thuane, quibus proborum omnium praeclara facinora inobſcurare fruſtra conniteris. Colinius, Andelotus, Bricomotius, quia Haereticorum principes, homines frugi et modeſtiae laude clari, Santandreanus et quotquot a Catholicorum partibus ſteterunt, Thuano judici aequiſſimo, perditi luxu homines, decoctores, perfidi, et ſi quid gravius fingi poteſt, dicentur. Et diſſimulamus adhuc, Thuane, quarum partium ſis? Sorex indicio perit.

Nunc de aliis quoque viris optimis quid ſentias audiamus. Profecto enim, ut argute In apolog.
olim a Tertulliano dictum eſt, hoc maxime argumento Chriſtianae religionis probari integritatem, quod ea Neroni homini ſceleratiſſimo improbaretur; ita credibile eſt poſteros pro fidei Catholicae aſſertoribus conſtantiſſimis habituros dumtaxat eos quos tu vituperas
maxime: adeo tute tibi in hoc ſcriptionis genere quam ſimillimus es. Georgius cardina- Lib. XVIII.
lis Armeniacus, Lugdunenſis primas, maximis pro Dei eccleſia perfunctus laboribus, divino conſilio datus Galliae tunc videtur cum Lutheri Calvinique furiae in ſacra omnia convolarunt. At modeſtiſſimus homo Thuanus de eo ſic loquitur: *Georgius Armeniacus cardinalis, homo gloriae ad vanitatem cupidus.* Nam quid aliud a vaniſſimo ſcriptore alteroque noſtri aevi Palaemone judicium expectes? qui cum ſibi cenſoriam in omnes virgulam arrogarit, in eas judicii praecipitavit tenebras, ut dignitatem pontificiam ſuperbiam, haereticam inſolentiam modeſtiam nominet? Lutherus diſertis verbis ſuum judicium patrum omnium decretis antepoſuit; negavit quenquam prae ſe ab apoſtolorum aevo fuiſſe qui ſcripturae fideique nodos diſſolveret accuratius: Calvini dictum perfrequens eſt, allatis patrum contra ſe ſententiis, Sed veteres omnes nihil moror: Idem, diſturbatis Chriſti ac divorum imaginibus, ſuas ubique circumferri ſinit, nunquam vocula homuncionum iſtorum incredibilem neque ferendam ſuperbiam attigit Thuanus. Si quis ſummus eccleſiae pontifex tiaram ab Oſtienſi epiſcopo ſolenni ritu accipiat; ſi quis archiepiſcopus auctoritatem ſuam tueatur, et, de veteri more, clero ſacris infulis inſigni ſtipatus procedat, mox Thuanum audies Stentorea voce detonantem in faſtuoſam eccleſiaſticorum ambitionem. Laudo hominis ingenium, qui, cum placere maxime cuperet iis quibus eccleſiae ſplendor in primis diſplicet, eo collimavit toto hiſtoriae ſuae contextu, ut praecipua eccleſiae capita deprimeret conviciorum mole ſi poſſet: minuſque, me judice, ſapienter proviſum eſt a Tacito imperatore, cum edixit Cornelii Taciti gentilis ſui hiſtoriam in ſingulis bibliothecis imperii aſſervari, quam a Thuano: Qui, ut perficeret ne qua Haereticorum aut Atheorum bibliotheca hiſtoriam ſuam non haberet, eam id genus calumniis referſit et iis illecebris condiit quibus vulturios illos ſaginari ſolere ſcivit. Videamus quid de aliis ſenſerit.

PETRUS Lizetus primarii praeſidis in ſenatu Pariſienſi locum diu magna cum laude te- Lib. V.
nuerat, inquit. *Is Sanvictoriano coenobio donatus reliquum aetatis in illo ſuburbio exegit, extrema clauſula minime priori vitae et famae reſpondente; dum literarum ſacrarum homo rudis theologicis libris in illo otio ſcriptis ſe deridendum propinat. Quibus contrario ſcripto artificioſe ridiculo ſub Benedicti Paſſavantii nomine a Theodoro Beza, uti creditur, reſponſum eſt.* Nam gravis hiſtorici partes fuerunt libellum illum Lucianico ſtylo exaratum et ab impuriſſimo ſcriptum homine in cauſa fidei contra virum optimum et doctiſſimum commemorare: ne-

que veritus eſt Thuanus ne ſe quoque probis omnibus deridendum propinaret, non modo cum ſeceſſum Lizeti religioſum et libros ibidem ab eo pro Catholica religione ſcriptos poſtpoſuit Genevenſis rabulae ac infamis ſtigmatiae nugis artificioſis; ſed etiam cum illum carpere auſus eſt qui a rebus forenſibus ad theologicas, ſacrarum literarum, inquit, homo rudis, ſeſe contulit: Quaſi ſcholam theologicam Thuanus ipſemet ullam unquam adierit, qui tamen ſubinde theologum agit, tam inepte quam temere, ut alias docebimus.

Lib. LV. Eo in ſenatum, ubi eoſdem reperio et haereſeos et Thuani hoſtes. *Jacobus Magiſter, princeps ſenatus, in cauſa Annae Burgi* aſperior ipſi videtur: *Is conſilii machinator*, inquit, *vehementius in Sectarios peroravit.* Lib. XVI. *Renatus Bailletus homo bonus, ſed ſecors. Joannes Santandreanus itidem praeſes, re in majus exaggerata, Lutheranos quoſdam coram Catharina ſiſtit.* Lib. XVII. *Aegidio Burdino cognitore regio inſtante, antea Sectariis ſemper infeſto, et rem in majus augente, quia Guiſianorum literae acceſſerant, nulla mora interpoſita, promulgatum fuit in Haereticos decretum. Antonius Minarius et ipſe praeſes, praecipuus Henrici incentor, et alioqui vitae ſolutae et ad voluptates projectae: Quem etiam monuerat Annas Burgus, niſi rogatus ſponte abſtineret, fore ut ex alia cauſa coactus judicio non intereſſet: Quod a praeſaga potius quam a conſcia mente profectum* aſſeverat Thuanus, apud quem non modo martyres, ſed etiam prophetas haereticos habemus. At vero Annas Burgus, Ludovicus Faber, Arnoldus Ferrerius, Paulus Foxius, Euſtochius Porta, et quotquot jam tum in illo ſenatu Lutherana lues afflaverat, illi, eodem judice, *viri probitate ac gravitate morum conſpicui, acri judicio, generoſo ingenio, conſtantia et animi firmitate cum veteribus illis Papinianis aut Catonibus comparandi.* Pro quam mihi haec omnia Thuani deliramenta vaniſſimam illius aevi opinionem ad vivum exprimunt! Sic enim jactabant novarum opinionum ſatores et venditabant ſuos ſectatores, ut dicerent per ingenii judiciique imbecillitatem fieri ſi quis adhuc in veteri religione conſiſteret, ab ſe doctrinam rerumque ſacrarum cognitionem ſtare, meram barbariem in Catholicis eſſe. Sed nunc lucet, mi Thuane; ſerius ades qui haec nobis poſt tot veritatis de haereſi triumphos occinis; ψευδώνυμον illam, ut loquitur apoſtolus, Gnoſticorum ſcientiam vera religio eademque vetus et catholica falſitatis jam ſatis ſuperque arguit. Itaque laudari a te laudatiſſimi illi viri quos tu maligne deprimis nolunt: eamque rem unam illis poſt obitum feliciſſimam eveniſſe cenſeo, quod eodem ſtylo qui Haereticos et flagitioſos omnes exornavit, ſint dehoneſtati.

JOANNES *Tilius primus curiae notarius, juris*, inquis, *noſtri apprime ſciens, ſed obnoxius, edito libello regis Franciſci et Catharinae matris reginae auctoritatem ſuffulciit. In eo haud obſcure Proteſtantes ſugillavit quaſi turbarum Galliae ac rumorum auctores, miniſtroſque ſeditionum tubicines dixit, adverſus quos tanquam Sectarios arma jure poſſe ac debere ſumi cenſuit.* Sed bona fide dic, Thuane, quid tandem horum tibi non probetur? anne moleſte fers a viro probo et juris Gallici, ut tute fateris, ſcientiſſimo pro rege et regina contra maledicos eſſe ſcriptum? Crimini dabis Tilio, quod pro Sectariis novas res indies molientibus contra veterem et religionem et Galliae morem non ſcripſerit? Modeſtius, Thuane, non potuit vir optimus, qui ſe et Catholicum et Gallum eſſe meminiſſet, eandem quam tu ſcribendi viam inſiſtere: Neque putavit quenquam fore qui ſe Catholicae matris filium diceret, et ſtylum in curiae lumina, ob ſuſceptam religionis contra perfidos novatores defenſionem, exerceret: aut ſi unquam ſuſpicatus eſt quenquam eo amentiae progreſſurum, non eum certe qui, Chriſtophoro Thuano viro optimo et avitae religionis retinentiſſimo natus, primos annos Lutetiae inter primarii templi canonicos poſuiſſet, deinde ſacris initiatus ſpem dediſſet ſuis certiſſimam fore ut in altaris miniſterio conſeneſceret: quanquam ſi eundem praeſagiiſſet ſuſceptis ſacris ordinibus ad ſecundas etiam nuptias convolaturum, ſpreta voti religione, non dubito quin de eo ſiniſtri quidpiam eſſet auguratus. Sed ad rem qua de agebam redeo: Anne graviter fers, Thuane, a Tilio haereſes nuperas earumque adminiſtros dici ſubjeciſſe faces iis ſeditionibus quibus Gallia jam tot annos ardet? nondum tibi homini perſpicaci clarum eſt a Proteſtantibus Germaniam, Galliam, Angliam, aliaſque regiones omnes quas peſtis illa pervaſit eſſe perturbatas? Lutherus, Zwinglius, Muncerus, Calvinus, Beza, quoties ſervitia in dominos armarunt ſcire te diſſimulas? quot principum Catholicorum urbes occuparunt, expilarunt, inflammarunt? quot ſacras aedeis ſacrilegis manibus ſolo complanarunt? quoties veterum eccleſiae perſecutorum in Catholicos, maximeque ſacerdotes, immanitatem renovarunt? quot ubique divorum exuvias jam tot ſaeculis religioſiſſime aſſervatas in profluentem ſparſerunt? quot regum Chriſtianiſſimorum mauſolea impie ſuffoderunt? quot quamque maledicis libellis, quaſi lituis quibuſdam ac tubis bellicis, in reges populos concitarunt? Et tamen haec qui patrarunt omnia, te judice, ſunt innocentes; Tilius, qui bellorum tubicines eos vocat, haud aequum facit! Jam non miror fuiſſe olim qui ſe philoſophos dicerent et aſſeverarent ſibi nivem atram videri, coelum conſiſtere, terram perpetua eaque circulari motione cieri: Haereticos etiam tam perverſo judicio, qui Cainum, Judam, Pilatum, Sodomitas, pro ſanctiſſimis viris haberent, prophetas vero et apoſtolos infra omnes ſontes

1 Epiphan. de Ophitis.

laeſaeque

Google

laeſaeque divinae majeſtatis reos amandarent, quando hominem qui Catholicus audire velit tam ſiniſtram de viris optimis opinionem concepiſſe video.

Quod ſi quis plura volet in hoc genere, evolvat libros LII et LIII hiſtoriae Thuanicae, videbit quam illi homini frequens ſit et ſolenne probroſis eos verbis lacerare qui re- Lib. LII. Lib. LIII. gum juſſa capeſſentes poenas de Haereticis ſumpſerunt. *Eodem die quo Lutetiae res geſta eſt*, inquit, *ducenti amplius Meldis in carceres conjecti ſunt a Coſſeto fiſci procuratore, homine profligati pudoris.* Et paulo poſt: *ii tanquam boves a laniis in macello mactabantur.* Tantum non illud Virgilianum Thuanus intonat, *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.* It Lugdunum: *Maxima omnium lanienа Lugduni edita eſt, Bordono quodam omni ſcelerum genere cooperto praecipuo duce et incentore.* Neque multo poſt: *Petrus Antiſſiodorenſis homo ingenita pravitate et libidinibus probroſis infamis.* Et, *Opimiora vero cadavera ad adipem conficiendam pharmacopolis id depoſcentibus conceſſa ſunt.* Unde autem haec, Thuane, tibi perſpecta? *Id ab iis*, ait, *qui haec recentibus odiis ſcripſerunt, proditum eſt.* O peponem et bardum, qui e tam coenoſis fontibus putidiſſima illa cadavera eruit, quibus monſtruoſum hiſtoriae ſuae corpus compaginaret! E vipera ſat ſcio et e bufone ab empiricis utilitatis aliquid elici; ſed ab illis cadaveribus tuis opimioribus, Thuane, quid tandem boni? niſi forte illud dicas, quod ab imperatore neſcio quo argute reſponſum ferunt, graveolentiam hoſtilium cadaverum quibuſvis odoribus et pigmentis eſſe fragrantiorem.

Lugduno Tholoſam concito ac furenti curſu rapitur Thuanus: *Tholoſae*, inquit, *a Turrio et aliis perditae vitae hominibus idem factitatum.* Tholoſa Rhotomagum tranſvolat; *Rhotomagi*, ait, *duce Maronimo facinoroſo homine caedes patratae.* Denique cum de diruenda Gaſtinaea cruce, quae Lutetiae in Sandionyſiano vico proſcripti ante aliquot annos Haeretici Gaſtinae bonis SC. aedificata fuerat, agit, *Seditioſi*, inquit, *et factioſi homines obſiſtebant ne ea crux dirueretur.* Quid plura? aequiſſimus judex Thuanus, ubique ſui ſimilis, Haereticos innocentes pronunciat, Catholicis qui regis juſſu arma ſumpſerunt infamiae notam inurit. Itaque ſic cenſeo: *Quod Jacobus Auguſtus Thuanus bene de Haereticis meritus, in eorum gratiam longiſſimum hiſtoriae corpus produxit; ei ab iiſdem ſtatuam ſive equeſtrem ſive aſinariam poni, et in ejus baſi vetus Ennii epitaphium tantiſper immutatum tranſcribi:*

Aſpicite, o cives, Livî novi imagini' formam.
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.

CAPUT VII.

Suſceptum a Thuano bellum in Jeſuitas internecinum.

QUAESIVI, Thuane, ex omni antiquitate quem maxime tecum quaſi παράλληλον componerem. Appionem Grammaticum tandem reperi, meo judicio tibi quam ſimillimum, nec tam ovum ovo, quod aiunt: Uterque grammaticus, uterque populo Dei perquam infeſtus, uterque πολυβιβλιογράφος, uterque gloriolae appetentiſſimus, utrique perſuaſum donari immortalitate quos ſcriptis ſuis infererent. Tiberius certe Appionem vocabat cymbalum mundi, Plinius publicae famae tympanum: Tu quid de te tuiſque ſcriptis ſentias aut ſperes videris; ego ſane haud diuturniora commentariis Appionis fore auguror; nec permittet ille Deus, niſi forte ſit Galliae iratiſſimus, peſtilentes tuos libros diutius hominum manibus teri, quandoquidem hunc unum ſcopum tibi videris ob oculos poſuiſſe, ut improborum omnium ſuſcepto patrocinio, maledicentiſſimum ſtylum in omnes probos exereres. Itaque jam non miror te Jeſuitico ſodalitio, quemadmodum loqui ſoles, capitales inimicitias denunciaſſe: quos enim perſentiſcis eccleſiae Catholicae acerrimos eſſe defenſores, qui amare potes fautor et patronus hoſtium ejuſdem eccleſiae? Quare perge Apolog. ad Theodoſ. operam dare gnaviter hoſti generis humani, Thuane: Monuit me S. Cyrillus Alexandrinus, hoc illi eſſe in more poſitum quoties veritatis doctrinam adulterare nititur, excitare in primis ſycophantas qui probris impetant propugnatores veritatis Catholicae: hos praemittit quaſi fundibularios antequam explicata acie pugnet, his, ut ſcriptura loquitur, utitur emiſſariis. Vide igitur ne in te illud etiam S. Hieronymi belle quadret, Maledicto- Epiſt. LXVIII. rum pannos hinc inde conſuitis, et eorum carpitis vitam quorum doctrinae reſiſtere non valetis: Num idcirco vos non eſtis Haeretici, ſi nos quidem aſſertione veſtra crediderint peccatores, et os foedum non habebitis ſi cicatricem in noſtra aure potueritis monſtrare? Et quanquam de tot doctiſſimis viris quibus abundat ille religioſus ordo, quem tu tam ſaepe et maledice carpis, non defuturos pleroſque putem qui tibi tuiſque calumniis reſpondeant, tamen haec etiam habe a me pauca, quae tua ſcripta decurrenti notata ſunt. Debeo laborem hunc et veritati quam propugno, et probitati eorum quibuſcum familiariter ante hos annos paene triginta Biturigibus ſum verſatus.

Ac

Ad annum 1563.

Ac inprimis, cum hujus ordinis inſtitutum refers, haec ſcribis: *In ſpeciem omni ambitionis et divitiarum ſuſpicione a novo ordine remota tantum crevit ſocietas, ut principibus ipſis formidoloſa eſſe coeperit.* Quanquam cur ab ordine illo remotam tantum in ſpeciem eſſe dicas ſuſpicionem ambitionis et divitiarum non video; cum reapſe voto ejeret omnem dignitatum ambitum, et ex tanto numero praeſtantiſſimorum patrum illius ordinis duo tantum hactenus in collegium cardinalium ſummi pontificis juſſu ſint cooptati, cum illi religioſi voti ſui memores nunquam honorem illum prehenſaſſent. Etſi non me fugit pleroſque de eodem ordine patriarchas, archiepiſcopos et epiſcopos creatos eſſe; ſed qui in Aethiopiam, Indiam, et Japonios ultimos ad apoſtolicum munus, certiſſima pericula, graviſſimos labores, mitterentur: Haec tu, ſi hiſtoricum potius quam ſycophantam agere decreviſſes, Thuane, debueras non obvolvere ſilentio, iiſque potius percenſendis immorari quam miniſtrorum proteſtantium, quos tu paſtores eccleſiarum vocare ſoles, et pſeudoepiſcoporum Anglorum nugaciſſimis ſanctionibus enarrandis.

Nam quod ſocietatem illam formidoloſam ais eſſe coepiſſe principibus, quin clarius aperuiſti, quibus tandem? Anne Catholicis? atqui ea ab illis certatim evocatur, nemoque jam fere eſt tota Europa, qui non ei ſuas academias moderandas committat, ejuſque operam in maximis negotiis non depoſcat. Haereticis forte? apud quos ſane ſi verſarere, haud aegre ſubſcriberes illis edictis quae toties in Catholicos, ac nominatim in Jeſuitas, et eos qui in ſeminariis excoluntur fidei Catholicae rudimentis fulminarunt: quae tu, ut talium es curioſus indagator, accurate retuliſti in hiſtoriam tuam; hoc etiam de tuo addens, quo ſignificaſti nihil potuiſſe a ſenatu Anglicano juſtius decerni: *Jam enim*, inquis, *exemplo graſſante in Hibernia, ab emiſſariis illis turbari res coeperant.* Nam notae ſunt veſtrae illae artes, ſi quid in Catholicos crudelius ſtatuatur, negare id religionis nomine fieri, neque quaſi Catholicos plectere, ſed ut publicae quietis perturbatores. Sed vetus et rancidum eſt hoc ſatanae artificium: Jamque pridem Nero in Chriſtianos quaſi urbis incendiarios vaniſſimo colore quaeſito, Diocletianus in eoſdem quaſi qui palatium Nicomedienſe (quod ſciebant omnes de coelo tactum eſſe) inflammaſſent, deſaeviit. Et vetus eſt Tertulliani querimonia, *circa majeſtatem imperatoris infamari a gentilibus Chriſtianos:* Praetexebat, quod etiamnum agit, has furori ſuo cauſas ſatan, quem tu tuique perbelle imitamini.

Lib. LXXIV.

In Apol.

Sed aveo ſcire quid etiam comminiſcare de iis quos ex ſacro illo ordine quotannis ad barbaros religionis Catholicae proſeminandae cauſa navigare inaudiimus; videamus quam fauſto celeuſmate noſtri ſaeculi apoſtolos proſequare, qui periodos Petri Martyris Vermilii Martinique Buceri teterrimorum apoſtatarum accuratiſſimo ſtylo es perſecutus. Quanquam cur haec abs te expectem, cum ea lego quae tu uſpiam habes de infami illo Jacobo Soria Calviniano pirata cum claſſe Hiſpanica confligente, qua de ſic loqueris, ut, te judice, nihil ab eo tota vita glorioſius geſtum ſit: *Suorum*, inquis, *clade irritatus Soria, repertos in navi Hiſpanica Ignatium Azebedam et Didacum Andradam occidit.* Imponis tuo more, Thuane, et veritatem ſolita diſſimulatione intervertis: Religioſi illi patres ſexaginta de ſuis fratribus in Braſiliam ad barbaros Chriſtiana fide imbuendos deducebant: Reſcivit nefarius praedo ac ſectarius Soria, neque tam avaritia quam crudelitate duce innocentes illas tot victimas jam Deo devotas, et ſuſcepta tam periculoſa navigatione martyrii candidatas, crudeliſſime mactavit, ſub hoc praeconio; *Excindantur ii funditus qui papiſticam religionem in Braſiliam devehunt.* Quid tu aliam caedis illatae cauſam, homo verſipellis, allegas? Aut vero indignum tuis annalibus eſſe putaviſti inſerere praeclarum illum tot religioſorum patrum conatum, qui tam accurate miniſtros haereſeos qui cum Villagnone in Franciam antarcticam ſunt profecti recenſuiſti; de qua ſane profectione alius erit dicendi locus.

Lib. XLV.

Nunc reſumo praeclaram illam tuam de Soria ſuſceptam narrationem: *Projectis Soria in mare ſigillis, calculis, roſariis, reliquiis, et hujuſmodi myſticae ſupellectilis inſtrumentis, quibus religioſi illi patres novitios Indos Chriſtianae pietatis ſacris initiant.* Itane vero ſentis, Thuane? Credis Jeſuitas non aliter novellos Indiae Chriſtianos initiare? non eos catechiſmo erudire, Catholico illo ſane, non Genevenſi tuo? non baptiſmo tingere? non miniſtrare ex ſacro eccleſiae ritu poenitentiae et euchariſtiae ſacramenta? non diſcernere quae fidei capita, quae adjumenta pietatis? Vin' tu illos haec docere? Sus Minervam, quod aiunt! O te infulſiſſimum calumniatorem, qui, cum religioſos illos patres quam maxime laedere velis, laudas maxime! Et verſiculos tuos ſane infectos ac averſo Phoebo fuſos legimus *in parricidas*, quibus illos denotas; ibi quid de roſariis et ſacris ſigillis ab eccleſia religioſe uſurpatis ſentias, prae te fers; neque diſſimulas quam ingratis auribus excipias, quae religioſi illi patres pro religione Chriſtiana illis in oris propaganda magna cum laude perficiunt: Agnoſciſne bubonis feralem cantum?

Quin procul ad fuſcos gens dira remittitur Indos?
Illic mira canunt edere facta patres.
Illic relligio per ſola ſilentia creſcit,
Nec res verbo agitur, juſſit ut ille, Dei.

Conſita ſed granis in ſacra roſaria ramos
Fundit, et in ramis muta ſigilla gerit.
His quibus inter nos perit artibus, incipit illic
Religio. [a]

Certe

NOT. [a] Hoc Thuani in parricidas poema, a Mamerto Patiſſonio Lutetiae anno 1599 in 12mo excuſum, heic integrum ſubjungere viſum eſt.

IN PARRICIDAS.

RURSUS ab immiti furiae bacchantur Averno,
Vipereaſque rotat torva Megaera comas:
Rurſus Trinacriis puer ablactatus in antris
Sacrilega ſtringit tela cruenta manu:
Notus et eoo tantum aſſaſinus in axe,
Pro pudor, in noſtro viſitur orbe frequens.
Scilicet has arteis nuper gens gnara nocendi
Exitio invexit, Gallia, nata tuo,
Heſperiae fuſcis gens emiſſaria ab oris,
Fucum affectata quae gravitate tegit,
Nata magiſtratum convellere, nata miniſtris
Subtrahere obſequium praeſulibuſque ſuum:
Geryonae quae dum placeat faveatque triſauci,
Terrarum reliquos non facit aſſis heros,
Et coelo facinus dignum putat, omnia ſaevi
In regis longas tradere ſceptra manus.
Quae diſciplinam morum, quae Gallica vendit
Exuto legum ſolvere jura metu,
Et vileis regnantum animas ipſoſque necandos
Horrenda reges proditione docet,
Servandamque fidem negat, argutiſque cavillis
Detorquet magni juſſa ſevera Dei.
Sunt tamen, et cur ſunt? qui nunc quoque crimine in iſto
Obtendant cauſam religionis agi;
Accuſentque bonos ultro, excuſentque nocenteis,
Et patrocinio conſilioque juvent.
Hoſne ſuperſtitio male ſanos excitet aeſtus,
Quique atra vexat pectora bile furor,
An pietas ſimulata, mea nil quaerere refert,
Damnandum in magnis cum ſit utrumque viris;
Quos magicis aureis claudentis cantibus anguis
Eſſe inſtar cautos pagina ſacra jubet,
Candoremque ſimul mitis ſervare columbae,
Fallereque et falli grande putare nefas.
Nos patimur ſegnes, lentique ſedemus ad iram,
Et pietas ipſa religione perit;
Si modo religio eſt, alere intra viſcera tetram,
Quae jam ſe corpus fundit in omne, luem:
Si modo religio eſt, patriis ſine murmure ſulcis
Accipere hoſtili ſemina jacta manu;
Semina corrupti ſucci, lentique veneni,
Noxia doctrinae ſemina peſtiferae.
Concipit inde malum quippe inconſulta juventus,
Mox concepto alios inficit ipſa malo:
Jamque fere totus ſacer ordo et Gallica pubes
Plebſque avido virus combibit ore nocens.
Jam turgent venae, cor palpitat, ilia tendunt,
Nullaque pars toto corpore ſana manet.
Atque utinam nunquam tibi crus, dux Loiola ſectae,
Iciſſet laeva miſſa ſagitta manu;
Gallis Cantabrico cum quondam et Iberis bello
Pro patriis facerent praelia aperta focis.
Quam bello plus pace noces, et ad otia verſus
Crudeleis animum vertis ad inſidias;
Gallia et in media conſcripto milite regnas,
Diraque fraterno nomine bella geris!
Nempe tua a bello cunctarum fonte malorum
Secta ſata eſt: bellum hinc nunc et adulta ſerit.
Aſpice Carrafam, placidae qui tempora vitae
Impendit ſtudiis, tecta profana, tuis:
Mox ſeptem impoſitas inſedit collibus arces,
Cornua terrificis intonuere minis.
Tympanaque Italiam confeſtim audita per omnem,
Urbs et ad portas Hannibal alter adeſt.
Noſque leves adeo, nos, credula pectora, Galli
Ad bellum infauſta ſollicitamur ave.
Protinus induciae violantur patre Quiritum
Auctore, et Martis nuncius urbe venit.
Pignora jam belli rutilant, micat igneus enſis
Livida adhuc ſtridens a Phlegethontis aqua.
Haec infelicis Gallis primordia belli,
Quod nos exitio noſtraque paene dedit.
Huc ergo, huc animos, terrae qui ſceptra tenetis:
Nunc velo amoto cernere vera licet.
Cauſa heic veſtra agitur; nam credite, veſtra potentia
In vita HENRICI vertitur ecce ſalus.
Ille quidem petitur, ſed per latus illius omnes
Credite, vos, reges, mens niſi laeva, peti.
Nullus jam miſeris toto patet orbe receptus;
Praeſentem oſtentant obvia cuncta necem.
Nil ſecurum uſquam eſt; ſtimulis furialibus actus
Percuſſor, quoquo verteris ora, latet.
Nam quibus excubiis majeſtas regia poſthac,
Aut quo ſtipata vivere tuta queat;
Si pueri diſcunt his vitam odiſſe magiſtris,
Extrema et mortis temnere ſupplicia?
Si tormenta pati poſſunt, atque inde fateri,
Hacque polum ſperant ſcandere poſſe via?
In vitam alterius nil non permittitur illi,
Cui propria eſt odio negligiturve ſalus:
Mentibus hinc teneris gliſcit praepoſterus ardor,
Et caecos juvenes in ſcelus omne rapit.
Heu ſapimus ſero, ſapimus tamen, atque potenti
Eſſe Deo curae Gallica ſceptra patet:
Qui nos admonitos, tacta tam leniter aure,
De propria memores eſſe ſalute jubet.
Hoc Veneti vidit prudentia cana ſenatus,
Vidit, et eſt noſtris reddita cauta malis:
Dum timidae ſecreta his credere mentis ephebos
Vulpibus atque animi pandere vota vetat:
Dumque ſub his operam ſtudiis navare magiſtris,
Et ferulae prohibet ſuppoſuiſſe manum.
Vos quoque, quos coeli rector diademate cinxit,
Hoc ſapere exemplo diſcite; noxa prope eſt:
Nec temere errones in regna admittite veſtra;
Hoſtis, ſi quis erit, praebeat hoſpitium.
Sentiet is praeſto damnum, ſeſeque monenti
Flebit, at heu ſero, non habuiſſe fidem.
Mitior infameis exercuit ira volucres,
Quas Phinei menſis incubuiſſe ferunt.
Nempe per hos factum, divinae ut vocis apud nos
Eſſet ubique fames, eſſet ubique ſitis.
Quis Deus alipedes arctoo ex axe gemellos
Miſit, et aetheria monſtra fugavit ope?
Fercula nunc nullo foetentia ſumere tacta,
Nunc licet e puro fonte levare ſitim.
Reddita libertas nunc priſtina, reddita regno
Majeſtas; ſacris nunc quoque conſtat honos.
Dicere nunc verum licet atque audire viciſſim,
Inque Dei templis nunc bona verba ſonant:
Nullaque mendaci ponet jam praemia linguae,
Venaleiſve animas ſtator iterus emet.
Turba inimica, vale; non extra iſte furore
Centauros tanto fabula priſca refert,
Marte Pelethroniis auſos confligere iniquo
Convivae rapta conjuge Pirithoi:
Quos pius Alcides caſum indignatus amici
Lernaea fixos grandine ſtravit humi.
Quid loquor? Alcidae eſt inflicta injuria noſtro,
Nec tamen Alcidae eſt ultio facta manu:
Nempe quod hic Graio generoſior Hercule Gallus;
Turba Ixionio pejor ut illa grege eſt;
Quae gremio ſponſam conata revellere noſtro
Sacra inter menſae bella cruenta movet,

Monſtro-

Certe apud te tuique ſimiles, Luciane noſter, jampridem omnis religio periit: Non magnus ille Dominicus ſanctiſſimi ordinis inſtitutor religionem Catholicam perdidit, ut tu nefarie calumniaris, cum ante quadringentos annos pium Roſarii uſum afflatus divino numine ſuos docuit; ille Albigaeos quorum ſemitam teris, qua fuſis Roſario ad B. virginem precibus, qua concionibus ſaepe profligavit. Itaque nunc video cur Jeſuitas tantae virtutis aemulos calumnieris, et tam jejune patres illius ordinis qui martyrium fecerunt glorioſiſſimum ſub illo tuo archipirata laudes. Non enim debuere ſancti illi viri eo ſtylo celebrari, quo toties haereſeos impuriſſimae miniſtri falſis laudibus exornati fuerant; neque permiſerunt olim Athenienſes ab homine improbo bonam in ſenatu ſententiam dici.

ITAQUE diſpudet me ineptiarum tuarum, Thuane, ac vereor ne cui videar inſulſiſſima tua ſcommata in illum ordinem contorta magni pendere ſi ad ſingula reſpondero. Quare id cenſeo de calumniis in Jeſuitas tuis dicendum quod a S. Hieronymo de haereſibus vere pronunciatum eſt, eas aperuiſſe confutaſſe eſt, adeo utraeque ſunt ab omni veriſimilitudine
Lib. LXV. alienae. Leges a Jeſuitis ſumptuarias in Luſitania conditas eſſe nugaris. Catones mihi cenſorios effingere videris velle. Ab iiſdem negatum rebellibus in Belgio, contra legitimo principi datam fidem juramentum, et in eo, verba haec tua ſunt ipſiſſima, *[illegible]*: Nam tu alter Ecebolius et quovis cothurno mutabilior, aut de iis quos Themiſtius notabat vocabatque purpurae non regis amicos, fidem Chriſtianiſſimo regi datam non aegre cuicunque novo incubatori ac tyranno in Galliam irrumpenti
Lib. [illegible] dares. Ab Emundo Augerio Jeſuita, inquis, perſuaſum Franciſco Bauloni ſenatori Burdegalenſi admodum locupleti, ut ab uxore diverteret, illumque hujus opibus ſublevatum opimam in ea civitate ſcholam inſtituiſſe. Maledicendi te effraenata libido, Thuane, in inſulſiſſimas nugas praecipitem rapit: Jam ab uxore diverterat Baulo, cum Augerius, quem tu criminaris, Burdegalam attigit: Et opima illa Baulonis fundatio ſummam duorum millium Francorum non exceſſit, quod Burdegalenſis ſenatus omnis ſaepe agnovit, cum cauſa illa omniſque donatio ab Elia Franciſci fratre diſcuteretur.
Lib. LXXVI. JAM vero, cum de divo tutelari tuo Joſepho Scaligero Calviniſta agis, haec habes: *Ejus elenchum anni Juliani confutare conatus eſt Chriſtophorus Clavius Jeſuita.* Conatus vero? annon etiam maniſeſtiſſimae inſcitiae arguit? nihil ego quid ſentias moror, doctorum omnium ſto judicio. Clarior eſt ille mathematicorum omnium noſtri aevi ſol Clavius, quam ut aut tuae laudationis facula egeat aut tuis calumniis inobſcuretur.
Lib. XXVIII. ET illud etiam fers aegerrime, quod Jeſuita quidam in colloquio Poſſiaceno durius cum Beza aliiſque miniſtellis haereticis egerit. Fatebor ingenue non eodem quo tu lacte altus et educatus fuerat, ut tam honorifice quam tu eos appellaret: *Contumelioſa*, inquis, *multa in Proteſtantes effutiit; eos vulpes, ſimias, ac monſtra eſſe dixit.* Sperabas, Thuane, Jacobum Laynesium (nam id illi Jeſuitae nomen fuit) theologorum ſui aevi facile principem,

Monſtrorumque dolo domiterem aggreſſa nefando
  N[illegible] noſtro crimine [illegible] facit.
Non [illegible] pectus quod [illegible] oeſtro
  Glorior, aut intus numen habere puto:
Sed [illegible] non me prudentia mentis
  Decipit, haec aliis [illegible] pericla manent.
Tuque adeo [illegible] nimis heu conterminus oris,
  [illegible] domi latrum qui miser agmen alis;
Si [illegible], a magno tibi [illegible] haec rege petito
  Praeſidio, haud arces [illegible] ſubitura tuas;
Sed [illegible] mente animoque tuorum,
  Et [illegible] ingenia.
Cum [illegible] ille per hos te [illegible] exiget hoſteis,
  [illegible] procul coget abire ſolo.
Et niſi ſponte feras, [illegible] damnabit ad orcum:
  Namque [illegible] in Stygio jus habet ille lacus.
Tu quoque Vindelicos, qui, Gallica nomina, Boios,
  Qui trans Danubium Norica regna tenes,
Quique juves patres, [illegible] nectit,
  [illegible] opes;
Sumptibus [illegible] accepta ut damna dolebit,
  In gentem ingratam qui periere, nepos!

B[e]llo internecino cum dulcia pacis avitae
  Otia mutabit ſeditioſa cohors.
Et tua regna dabit placito rapienda tyranno;
  Quippe ſibi id proprio jure licere putat.
Quin procul ad fuſcos gens dira remittitur Indos?
  Illic mira canant edere facta patres;
Illic relligio per ſola ſilentia creſcit,
  Nec res verbo agitur, juſſit ut ille, Dei;
Condita ſed granis in ſacra roſaria ramos
  Fundit, et in ramis muta ſigilla gerit.
His, quibus inter nos perit, artibus incipit illic
  Relligio, in cunis mox peritura ſuis;
Et nova cuncta placent, quoniam novus orbis et ille eſt,
  Ex priſca ſupereſt et pietate nihil.
At procul Harpyiae hinc, procul hinc Ixione nati,
  Semiferi gravidae nubis inane genus.
Eſte novi procul hinc, hominum deliria, cultus,
  Et quae ſponte ſibi numina quiſque facit.
Gallia (nam decorat Gallos hac laude vetuſtas)
  Non alit in gremio talia monſtra ſuo.
Nos juvat antiquo vitam producere ritu,
  Nos juvat in priſca ſimplicitate mori.

De hoc carmine ſic Lipſius in epiſtola ad Thuanum, (N°. XLIX. *Cent. ad Germanos et Gallos*)—— Parabates egregius, et nobis in [illegible] vel ad priſcum cothurnum. Carmen a fine, me quidem judice, poterat omitti: nec tu ne[illegible] tibi in calore. Vides quam libere, ergo amice —— *Cui ſic reſpondet Thuanus (Burm. Syll. Epiſt.* [illegible]) —— Quod de carmine in parricidas mones, ut omnia a te et tuo candore profecta, in bonam partem [illegible] et fateor omitti potuiſſe. ſed tamen ut ſcripſiſſe poeniteat, per illos non licet in quos ſcriptum [illegible] novi quotidie emiſſarii prodeunt, qui calorem, in quo illud natum non nego, tepere non [illegible] ad ſupplicium rapti, quorum confeſſiones mera prodigia, mera monſtra. Crede [illegible], aliter ſentias. Verum illud ad te miſi, et ne longius emanet (nam a reliquo libro ſeparari poteſt) [illegible] ita tibi videtur, cupio.

pem, habiturum pro oraculis Calvinum, Bezam, Viretum et alios, quos tu eccleſiarum paſtores vocare ſoles? *Contumelioſa*, inquis, *multa in Proteſtantes effutiit?* Perſuadebis ſcilicet modeſtos aliquando fuiſſe haereſis miniſtros. At hoc de me audi, quod tu forte neſcis, Layneſium hunc quem tu quaſi contumelioſum hominem depingis, a Tridentina ſynodo fuiſſe modeſtiae nomine literis perquam honorificis commendatum. Ut de eo jure dici poſſit quod de Dionyſio Exiguo ſcriptum reliquit Caſſiodorus, fuit in illo cum ſapientia magna ſimplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas. Nam quod graviter fers Haereticos ab eo vulpes, ſimias, monſtra dici, non vereris ne te putemus in illis contumelia affici? Tamne ergo in veterum ſcriptis peregrinus et hoſpes es, ut neſcias haec apud illos vulgata eſſe Haereticorum elogia? aut ignoras vulpinari Haereticos et omnia dolo malo agere? Quid? quod tute Jeſuitas in illo tuo ſatyrico carmine vulpes vocas? Lib. de divin. lection. cap. XXIII.

Et timidae ſecreta his credere mentis ephebos
Vulpibus, atque animi pandere vota negat. Carm. in parricidas.

Simias vero quidni poſt Tertullianum dixerit Haereticos Layneſius? aut dubitet quiſquam eos pro monſtris habere, quos S. Gregorius Nyſſenus hippocentauris aliiſque id genus prodigiis ſimiles eſſe voluit? Tute ipſe quid de Jeſuitis habes in illa vere flebili elegia tua?

At procul Harpyiae hinc, procul hinc Ixione nati
Semiferi gravidae nubis inane genus.
et, *Non alit in gremio talia monſtra ſuo*

Gallia, inquis: Thuano ceteriſque Atheis et Haereticis Jeſuitae monſtra ſunt, non erunt Jeſuitis Thuanus ceterique Haeretici monſtra? Quanquam tolerabilius Jeſuitis eſſe debet quod a te eo loco cenſentur, cum audiunt quae tu generatim in omnes ordines religioſos es furioſe debacchatus. Ecquid enim eorum meminiſti quae tu, non Phoebi, ſed Satanae ſpiritu ebrius, impudentiſſime profudiſti, et ante aliquot annos Caeſaroduni Turonum imprimi curaſti, quibus haud ſcio an quidquam a Calvino vel Beza unquam peſtilentius prodiit? Sic enim de religioſis:

[1] *Scelera atque examina mille* Fol. 27. pag. 2.
Monſtraque ſub rigidis latitantia bardocucullis
Virtutum regnare loco, et ſibi ſumere nomen.
Denique proſtibulum et ſpurcae impietatis aſylum
Noſtra Dei tandem factum per crimina templum.

Solabatur neſcio quem Phocion Athenienſis, et nonne ſentis, aiebat, quam tibi honorificum ſit cum Phocione mori? Et Jeſuitis glorioſum eſſe reor, quod eodem Thuani ſtylo, quo religioſi ceteri probique omnes, configuntur.

CAPUT VIII.

Contumelioſe reges Chriſtianiſſimos appellat Thuanus.

Ut ſuperior aetas bellorum civilium fuit foecundiſſima, ita dici non poteſt quot libellos famoſos in reges Chriſtianiſſimos produxerit. Hos ſedulus talium ſcrutorum inveſtigator Thuanus conflaſſe videtur, ut ex iis quidquid acerbiſſimum erat et principibus viris infeſtiſſimum hiſtoriae ſuae insereret et ad poſteros tranſmitteret. Nae calumnia ipſa, ſi loqui poſſet, negaret ſe unquam majus ab ullo beneficium accepiſſe. Perfecit enim Thuanus ut, quae libellis ſingulis quaſi quibuſdam rivulis temere effuſa facile exaruiſſent, nunc in immenſum illum maledictorum oceanum et bene magnum hiſtoriarum volumen transfuſa perennitatem quandam habitura videantur. Nam cui regum etiam noſtrorum parcit? Ludovicus duodecimus, jure optimo dictus habituſque patriae parens, antiquae religionis, ſi quiſpiam alius, retinentiſſimus, licet difficillimis illis quibus regnavit temporibus non deeſſent Thuani plurimi qui ei ad vindictam faces admoverent ſuaderentque Galliae perpetuum cum ſancta ſede divortium; haeſit ille tamen in ſuſcepta pietate, quam praeclaro facinore immortalitati conſecravit; rem, uti geſta eſt, ipſius Thuani verbis referam, unaque cenſuram hominis inconſultiſſimi apponam.

Ludovicus duodecimus, Julio mortuo, inquit, *aſſiduis multorum hominum atque uxoris inprimis, imperioſae foeminae, querelis victus, Piſano concilio renunciavit, et, ut Leoni decimo gratificaretur, Lateranenſi ſubſcripſit:* haec ille, quibus profecto religioſi principis virtutem nullo unquam Lib. I.

NOT. [1] Thuanus Arnaldo Oſſato carmen inſcripſit, quod poſtea Caeſaroduni Turonum excuſum fuit: cujus carminis principium et finis, omiſſis ducentis circiter verſibus, in libro IV Com. de vita ſua, p. 103. inſeruntur. In multis quidem bibliothecis, Lutetiae et alibi, carminis hujus exemplar Caeſarodunenſe quaeri curavimus: ſed, quamvis maxima adhibita diligentia, nuſquam reperiri potuit: quod ſi in manus noſtras devenire contigiſſet, in ima hac pagina integrum ſuiſſet exhibitum. Veriſimile eſt, hosce verſus inter ducentos illos omiſſos legi.

unquam tempore intermorituram imprudens commendavit. Quid enim laudabilius dici potuit quam Chriſtianiſſimum regem, ut ſedi apoſtolicae morem gereret, de cauſa ſua remiſiſſe plurimum, eccleſiae univerſae mentem concilio generali teſtatam approbaſſe, ſubmoviſſe a ſe ſchiſmaticos pravorum conſiliorum auctores? Sed Thuani cenſuram nunc audiamus: *Conſultius multorum judicio facturus, ſi in laudabili corrigendae eccleſiaſticae diſciplinae propoſito perſeveraſſet.* Nimirum hujus graviſſimi cenſoris calculo, conciliabuli Piſani contra jus faſque coacti auctoritate, corrigi debuerat potius eccleſiaſtica diſciplina, quam Lateranenſis concilii ſecundum leges et ſacra majorum inſtituta decreto. Vide, quaeſo, Thuane, quo feratur denique animus odio praeceps, ut, cum ſe oculatiſſimum eſſe putet, in clariſſima tamen luce caecutiat, et puerilem in modum de rebus apertiſſimis balbutiat. Et vero ex hac regis ſapientiſſimi cum eccleſia Catholica ſummoque pontifice conſenſione, gravis autor quid tandem accidiſſe cenſet? *Hae*, inquit, *inclinantis imperii noſtri cauſae et*
Lib. 1. *adverſae ſimul fortunae Ludovici.* Quam penitus acu tetigit ſolerti vir ingenio Thuanus veram calamitatum Galliae originem! quis unquam mortalium eo πολιτικώτερος? Sic gentiles olim cenſuerunt factam imperii Romani inclinationem Chriſtiana religione toto orbe ſuſcepta: Gotthos, Vandalos, Herulos aliaſque barbaras gentes Romam uſque penetraſſe, quod vetus idolorum cultus evangelio Chriſti ceſſiſſet. Reſponderunt hiſce querimoniis non magno labore S. Cyprianus et S. Auguſtinus, duo Africae lumina, Oroſius Hiſpanus, aliique plures: neque valde mirati ſunt hac fuiſſe opinione homines Chriſtianae lucis et veritatis exortes. Quid ſi hodie reviviſcant, et ſupremi ſenatus praeſidem, qui ſe Catholicum dicat, audiant referentem imperii Gallicani inclinationem in Chriſtianiſſimi regis cum ſancta ſede conſenſionem? abibunt, credo, non aegre omnes in S. Cypriani ſententiam, multis natare fidem in labris, quum in corde nulla ſit aut perexigua.

Lib. 1. Jam vero quantum laborat Thuanus ut Chriſtianiſſimum principem Lutheranae impietatis aſſertorem nobis exhibeat, vel antequam ex inferis Lutherus erupiſſet? Memorat enim a Ludovico duodecimo cuſum nummum aureum, quo effigiem ſuam ex una parte expreſſit cum hoc elogio: PERDAM BABYLONIS NOMEN. Miror etiam ab inſigni illo mendaciorum fabro non fuiſſe additum in averſa nummi parte aliquam de antichriſto epigraphen. Si quis Rigaltius, aut Leſchaſſerius, aut quis alius e Thuani convivis nummum quempiam hujus formae ſcienter exprimeret, profecto is et Thuano et Magdeburgenſibus eſſet multo jucundiſſimus: neque dubito quin eum quaſi palladium quoddam coelo delapſum in ſua clinodia mox eſſent relaturi. Sed vendita, quaeſo, pueris has nuces, Thuane. Sycophantiae enim illae tuae non tam nocent quam nocendi voluntatem prae ſe ferunt.

Lib. 1. Ejusdem ſapientiae illud eſt quod alio loco Thuanus aſſeverat, *eidem Ludovico regi adverſa omnia eveniſſe quod Alexandrum ſextum pontificem coluiſſet.* Nam ſi hoc vult Thuanus, regem prave factorum cum Alexandro ſocietatem iniiſſe, inſignem facit et regi optimo et nomini Gallicano injuriam: Sin illud aſſerit, non debuiſſe Chriſtianiſſimum principem primogenitum eccleſiae filium, parentem in Chriſto ſuum, qualemcunque tandem, ſed tamen Chriſti vices in terris gerentem colere, hoc vero nimis ſtolide deſipere eſt, et omnem una cum judicio perdidiſſe memoriam verborum Chriſti jubentis exerte morem geri etiam indignis heredibus ac ſucceſſoribus Moyſi. Nunquam enim feret cenſor ille divinae providentiae oculus, eccleſiae invigilans, ut paſtore ſupremo careamus, qui, licet agat male, bene tamen docere deſinat, cuique eo nomine honor in terris ſecundum Deum maximus haberi debeat. Donatiſtarum hic olim error proſcriptus fuit: Tum Wicleffi, cadere principes ſive eccleſiaſticos ſive ſaeculares omni dignitate, ex quo labe aliqua lethali ſe commacularint. Cenſemus aliud qui eundem cum eccleſia Catholica ſenſum habemus; Thuanus ſi aliud ſentit tranſeat ſane in Donati et Wicleffi partem.

Francisci primi inter praeclara Thuani apophthegmata meminimus, cum de Petro Caſtellano ageremus.

Venio ad Henricum ſecundum, cujus orgia, ut Thuanus loquitur, Deus bone, qua ſtyli acerbitate idem exagitat! Catonem dicas, aut vero e priſcis eccleſiae patribus Baſilium vel Gregorium, quoties in amores Henrici excurrit, et infinitam illam potentiam Dianae Valentinae, quam aliquando ſtrigem nominat. Quod ſi eum virtutis amor infamis illius vitii oſorem facit, faveo ſane non illubens: Sed multa ſunt quae me ab hac opinione avocant. Cur enim inconceſſos illos, fateor, amores, ſed furtivos tamen in Chriſtianiſſimo rege adeo ſevere carpit, et vix una alterave vocula inceſtuoſas Henrici octavi regis Angliae nuptias leviter perſtringit? an is forte eo amicior Thuano, quo pontifici Romano inimicior? Haec ſi te cauſa palponem graviſſimorum flagitiorum, Thuane, reddidit, actum eſt: quem ego hominem vel monendum vel refellendum ſumpſi! Sed a principibus abſcedo. Nec enim eos probo, quibus voluptas nulla major eſt quam bene tecta principum vitia male in vulgus prodere: Qua una haud ſcio an ulla ſit planior ad rebellionem via: ut jam miretur nemo ſi eam ex omnibus maxime inſiſtant Haeretici, quibus ad proſeminanda ſua conſilia nulla mitior meliorque tempeſtas eſt; adeo bello vigent, pace languent.

Age ergo, Thuane, cui ſaepenumero deliciae Henrici ſtomachum moverunt, quid eſt quod neque Lutheri ex monacho cum nonna ſacrilegas nuptias unquam tibi diſplicuiſſe oſtendis? nec in ſtigmatici Calvini famoſa adulteria declamaſti unquam? neque voculam doloris ullam Theodori Bezae perverſi amores abs te expreſſerunt? neſciviſti ſcilicet illa quae ſpurciſſimus homo in Candidam et Audebertum cantavit; aut quid a ſenatu in eundem hoc ipſo nomine decretum fuiſſet: haec tu homo caſtiſſimus modeſtiſſimuſque non es auſus attingere: his ſordibus ſorte chartas tuas illinire noluiſti. Laudo pudorem graviſſimi ſenatoris: ſed tamen unde illa ſtyli tui inaequalitas! Effuderat olim Petrus Bembus adoleſcens verſus feſcenninos: Tu maligno ingenio, *domini cui ſerviebat mores id tuliſſe*, addis; ut Leoni decimo, cui jam aevi maturus ab epiſtolis fuit, notam infamiae inuras: Ab eadem perverſitate animi et impotentia profectum illud eſt, quod alio loco tam confidenter commemoras, ut improbi lenonis partes in eo negotio ſuſtinuiſſe videaris. *Dum adhuc in conclavi eſſent cardinales*, inquis, *interceptae ſunt quorundam qui cardinalibus aderant ad catamitos ſuos ſcribentium literae, quibus abſentiae deſiderium adeo flagitioſis verbis teſtabantur, ut inde conjecturam multi fecerint, obſcoenum aliquem pontificem ex illo conclavi prodituram, ex quo tam pudendae literae emanaſſent.* O gravem hiſtoricum, et veteribus illis Thucydidi, Xenophonti, Livio, Caeſari accenſendum! Sed de hominis levitate dicam poſtea; nunc enim queri libet de hoc novo lamiarum genere, quibus in pervidendis Catholicorum vitiis tam perſpicaces oculi ſunt, in graviſſimis maniſeſtiſſimiſque Haereticorum flagitiis tam hebetes et obtuſi. Sed dixiſſe Ariſtotelem memini, matres de liberûm ſuorum pulchritudine vel deformitate minus ſincere quam obſtetrices judicare, quod ſummus ille matrum in filios amor rationi ſaepe imponat; quos Thuanus et miratur et diſſuaviatur quotidie, quorum lectione mirifice captatur, quid mirer ſi in eorum vitiis recognoſcendis talpa ſit caecior, aquila perſpicacior in eorum quos odit labeculis pervidendis? Quanquam quae tandem homini cauſa ſubeſſe potuit, cur in Henrici ſecundi regis optimi et Chriſtianiſſimi mores tam graviter animadverteret? Dicam quod ſentio. Obſervavi eum nuſquam gravius regi Henrico ſuccenſuiſſe quam in cauſa Annae Burgi, quem ille infamem haereſi ultimo ſupplicio affici mandavit: Animadverti, quamdiu in vivis idem Henricus fuit, ſemper lege actum eſſe in Haereticos, neque aliud gratia aut minis a rege conſtantiſſimo impetrari potuiſſe: Itaque ſubdubitare apud me occoepi ne forte ea res gravius Thuanum pupugiſſet; qui, ut eſt molli animo, nihil minus optat quam ut ſeverius agatur cum apoſtatis, templorum expilatoribus, ſacrarum virginum raptoribus, ſuffoſſoribus ſacrorum tumulorum, et id genus monſtris quae ex Lutheri lerna primum prodiere, tum in coenoſo Lemanni lacu praeclare adoleverunt. Malum quod huic novo Ariſtidi, aut Caſſio, quem reorum ſcopulum ob ſeveritatem nominabant, primae in ſenatu non ſunt delatae. Lib. II. Lib. V. Lib. XVI.

At forte in Catharinam Medicaeam minus intemperans fuit? Imo vero quid addi poteſt ad convicia quae in illam paſſim evomuit? Multi profecto poenas luerunt inconſideratae ſcriptionis, qui prae Thuano peccarant leviſſime. Provoco ad ejus hiſtoriam ubi haec de nuptiis Henrici et Catharinae: *Ferunt*, inquit, *Clementem implacabili tum in Gallos odio ardentem, vix poſt conſummatas nuptias ſibi adhuc credentem dixiſſe, Sibi abunde praemium de Gallis ſumptum eſſe, cum provideret fore ut ex illa face (ita Catharinam patruelis jocans vocabat) magnum incendium olim in Gallia exoriretur.* Itaque ut aliquando, Deo irato, ferae e luſtris, e terrae viſceribus flammae, lapidoſae grandines e nubibus, ex aere venti peſtilentes in ſceleratos homines eruperunt; ſic, Thuani judicio, divinum numen Gallis vehementer infenſum familiam illam Medicaeam regno Galliae, quaſi equum quendam Sejanum, aut Tholoſanum aurum, aut vero Helenam fatalem dedit, Romano pontifice in regni odium funeſtiſſimarum pronubo et conciliatore nuptiarum. Ac ne vanum Clementis augurium quiſquam fuiſſe putet, quae non de Catharina comminiſcitur, maxime ubi, viro mortuo, nondum maturis regno liberis, rerum omnium habenas capeſſivit? Brunechildem alteram moribus, aut etiam veterem illam Medeam putes. Quae omnia ſi quis ſcire velit unde Thuanus hauſerit, ſciat turbulentis illis temporibus quibus Franciſcus ſecundus et Carolus nonus imperarunt, cum aegerrime ferrent Haeretici conſtantiſſimam principem optimorum virorum conſilio armiſque adjutam, diligentius anquirere in novarum opinionum ſatores, emiſiſſe in lucem libellum quendam longe omnium famoſiſſimum, qui cum *Beatae Catharinae vitam* titulo praeferret, re tamen ipſa perpetuam ſatyram continebat, qua ſcelerum omne genus Catharinae reginae affingebat. Exſcripſit gravem illum libellum Thuanus, vel certe ea excerpſit quibus exiſtimationem Chriſtianiſſimae principis ſe poſſe maxime laedere ſperavit. Non vacat hic omnia referre, unicum attingam. *Coſmus Rugerius Florentinus, quo auctore Mola iconculam aeream magicam in caput regis Caroli noni fabricarat, reginae Catharinae favore, quae illius et hujuſmodi hominum opera familiariter utebatur, periculo exemptus eſt.* Non eſt haec, Thuane, hiſtorici, ut reris, in Lib. I. Lib. XVI. Ad annum 157.

ſcribendo libertas, ſed hominis aut malevoli aut imprudentis in effutiendis calumniis effraenis libido.

Jam vero qui Henricum et Catharinam tam indigne habuit, expectas dum eorum liberis parcat, maxime conſtantiſſimis avitae religionis propugnatoribus et hoſtibus novitatis haereticae capitaliſſimis? Nam ubi de Franciſco ſecundo agit, quam callide optimum principem dedecorat? *Sparſum rumorem eum elephantiaſi laboraſſe*, quod primo quidem impudens juxta ac malignum commentum vocat, mox omnia congerit quibus rem veroſimilem reddat: *Repertos qui in ſecretis mandatis haberent ut pueros infra ſex annos per regiones Ligeri circumpoſitas (nam tum rex Bloeſis agebat) matrum gremio avulſos tanquam victimas ad certam necem raperent; ut ſcilicet calenti eorum ſanguine rex in hauſtu ac balneo ad vitioſum ſanguinae maſſae habitum corrigendum uteretur:* Sic enim praeſcribere medicos: Omitto cetera quibus confirmat affectum Franciſco fuiſſe corpus et in illam foedam luem jam a conceptu diſpoſitum. Quid hoc ſcriptore facias, cui unum id propoſitum eſſe videtur, ut maledica ſepia veritatem obſcuret, ancilletur haereſi, poſteriſque perſuadeat ab irato Deo Franciſcum, quaſi Oziam alterum, percuſſum eſſe tam foeda tabe, quod innocentes ſcilicet Lutheri Calvinique aſſeclas gravius habuiſſet?

Lib. xxvi.

Lib. lii.
Lib. liii.

De Carolo nono, Franciſci fratre, quid attinet dicere? non invenit Thuanus verba quibus ſuum in illum furorem ſatis exprimeret, maxime ubi devenit ad ea denarranda quae Lutetiae Sanbartholomaea die geſta ſunt: Non jam cuniculis agit, ſed diſerte regis factum execratur, conſilium illud ſanguinarium vocat, perfidum regem nominat, negat ex omni antiquitate par flagitium reperiri poſſe; *Multi*, inquit, *rabiem illam regi et Galliae in poſterum magno conſtituram augurabantur.* Potuitne Thuanus impotentis animi rabiem planius aperire? Subdit: *Ne quid ad ſummam inſaniam deeſſet, aemulatione veterum imperatorum laus in tam deteſtando facinore quaeſita. Nummi aurei et argentei cuſi, regique oblati; in quorum antica parte regis in throno ſedentis effigies depicta erat cum inſcriptione,* VIRTUS IN REBELLES: *In poſtica duae columnae, quod erat regis inſigne, cum inſcriptione,* PIETAS EXCITAVIT JUSTITIAM: *Alii praeterea quibus haec epigraphe inerat,* CAROLUS NONUS REBELLIUM DOMITOR. Non ergo placent hi nummi Thuano, mavult illos verſare manibus qui ex Haereticorum prodeunt officinis: Defer ad eum, quaeſo, aliquem de illis quos Neapoli ſub Ludovico duodecimo cuſos referebat cum illa jucundiſſima inſcriptione, PERDAM BABYLONIS NOMEN; quam ſane, ut eſt rei antiquariae ſcientiſſimus, nullo negotio explicabit: Aut aliquem cedo ex iis qui ante annos quadraginta e Sandionyſiano oppido, cum id in poteſtate eſſet Ludovici Condaei, prodierunt, cum illa rebellionis indice epigraphe, LUDOVICUS XIII REX FRANCORUM: At certe profer aliquem ex iis quos nuper Germania miſit ad nos eo fabrefactos artificio, ut cum pontificem tiara inſignem aut cardinalem certo ſitu referant, inverſo ſpectrum quodpiam aut monſtrum repraeſentent. Hoc Thuanus, ſi bene hominem e ſcriptis novi, longe anteferet omnibus aureis argenteiſque nummis Caeſarum adeoque Romuli ipſius vel Theſei.

CAPUT IX.

Convicia in Romanos pontifices tota paſſim hiſtoria a Thuano ſparſa.

Si qua ſe nota prodidit Thuanus male de Catholica religione ſentire, hac opinor maxime, quod neminem de Romanis pontificibus non contumelioſius appellavit, hauriens temere ac malevole e coenoſis Haereticorum gurguſtiis quaecunque furor et vinolentia unquam ſuggeſſerunt: Nullamque non arripuit occaſionem eos conviciis laceſſendi, ut, quos re manuque non poterat, ſaltem virulento calamo laceraret. Ac audiſſet utinam S. Proſperum bene monentem,

Si paſtorem ovium laedere vis, lupus es.

Induat ille ſe licet ovina pelle, avitae religionis dicat ſe quam volet retinentem, nemo ſanus adduci poterit ut credat in ejus pectore quidquam ineſſe Catholici hominis, qui hiſtoriam paene videtur eo ſolum fine texuiſſe, ut bibliotheca calumniarum, ſeu potius armamentarium quoddam eſſet, ex quo nefarii Chriſtianae religionis hoſtes omne telorum ac maledictorum genus in ſummum eccleſiae caput peterent.

Lib. i.

Quoties de Alexandro ſexto ſermo illi incidit, (qui ſane perſaepe intempeſtivus eſt, niſi ſuem in luto volutari deceret) toties filium illi fuiſſe Caeſarem Borgiam, filiam Lucretiam commeminit: Spurciſſimi Chami ſoboles paterno dedecore ſibi gloriam parari ſperat.

Lib. i.

Leonem vero decimum quibus criminationum molibus tentat obruere! *Peccatum*, inquit, *in ſacris muneribus diſpenſandis admiſſum Leo mox longe graviore cumulavit: Nam cum*

aliequi

alioqui ad omnem licentiam ſponte ſua ferretur, et quae in hanc rem plurima Thuanus omnes calumniae habenas permittens. Nuſquam enim facundior ejus eſt ſtylus, quam cum canino more pontifices arrodit; adeo naturae vitio fieri aſſolet, ut quod maxime aliis perſuaſum cupimus, in id omnes ingenii nervos contendamus. Aſſignat ibidem Thuanus Leoni miniſtros, *qui per luſtra et popinas*, ait, *quotidie ſine pudore in aleae luſum uſuſque turpiſſimos poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio promittentes, pecuniam a credulis emunctam profundebant:* itaque hic affuiſſe Lutherum, *qui talium conciones*, inquit, *refutavit*. Itane vero, Thuane? Lutherus ergo, te judice, doctrinam eccleſiae de extrahendis animabus ex igne expiatorio refutavit? Bonum factum: quis jam ſe Luthero dubitet committere, hoc Thuani graviſſimo fretus judicio? O coenum! o tenebrae! tune etiam poſthaec inter Catholicos mutire vel hiſcere audeas? Vide quo te conceptum in Romanum pontificem odium imprudentem rapuerit. Lutherus primo in quaeſtuarias indulgentias ſeu potius in foedos abuſus invectus eſt, tamen agnita eccleſiae poteſtate in indulgentiis dividundis ac elargiendis, tum, ut eſt ingenium ſuperborum inſolens, ipſaſmet indulgentias convellere tentavit. Tu, brevi rerum compendio, ſed maximo veritatis honoriſque tui diſpendio, refutatas ais a Luthero conciones eorum qui indulgentias nomine pontificio largiebantur. Erras, Thuane, erras ſi veritatem refutari poſſe putas; premitur a mendacio interdum, opprimitur nunquam; ut ſolem aliquando nubes offuſcant, qui tamen ubi ad hypſoma ſuum devenit, atque, ut ſcriptura loquitur, *in virtute ſua eſt*, tum faciliime eas diſpellit.

Audiamus jam de Paulo tertio quid Thuanus ſentiat. *Is ſobrietate, vultus gravitate, doctrina, ac poſtremo corpuſculi affectata imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat, quam mox, adepta dignitate, manifeſtam omnibus fecit.* Quanquam ſi Thuanus hiſtorici potius quam rabulae vel conviciatoris partes ſuſtinere maluiſſet, ſepono nunc pontificiam dignitatem, non illud e trivio maledictum temere in Paulum torſiſſet, ſed expreſſiſſet planius diſtinctiuſque, quibus ſe vel prior illa diſſimulatio argumentis, vel quibus indiciis poſterior haec et *profunda* hominis, ut loquitur, *ambitio* prodiderit. Nam ſi, ut vere olim a Romano ſenatore dictum eſt, accuſare ſufficit ut quis condemnetur, ecquis erit innocens? Sic tui illi majores, Thuane, Chriſtum nonnunquam ſuperbiae inſimulabant, cum ab eo tamen vitio abeſſet longiſſime. Sed ita ſumus natura comparati, ut quo animi morbo laboramus maxime, eum in ceteris omnibus a nobis certiſſime deprehendi exiſtimemus. Itaque velim te excutias, et conſcientiam illam tuam, ut iiſdem quibus tu verbis utar, interroges, ecquid te tranſverſum agat praefidens animus, qui tibi quaſi omnium hominum ſapientiſſimo cenſuram deferat, eorum etiam quos audire Chriſti loco omnes addecet.

Venio ad Julium tertium, quo homine ſceleratius nihil fingi poteſt, ſi Thuano impudentiſſime ſuo more mentienti fides adhibeatur. Refert Origenes Hebraeos hiſtoriam Suſannae apud Danielem non evulgaſſe, ne, ſi populus ſacerdotum ſcelus reſciret, vileſceret aliquando dignitas ſacerdotalis. Inventus eſt homo poſt homines natos audaciſſimus, qui ſe et Catholicum eſſe profiteretur, et patrem Chriſtianae plebis, utor S. Auguſtini phraſi, ſtylo maledico laceraret, quo alienis a religione Catholica eum deridendum propinaret: Denique, quidquid ſuperioris aevi effraenis licentia et adnatum partiariis Lutheri et Calvini ingenium ſummo Dei in terris ſacerdoti maledicendi excogitavit, id omne quaſi coelo miſſum oraculum exciperet, ſuamque in hiſtoriam, imprudentius neſcio an impudentius, tranſfunderet. Quid pluribus? quem Thuanus probris foediſſimis in Petri ſedem aſcendentem excepit, eundem ad finem uſque vitae furenter eſt perſecutus. *Obiit*, inquit, Lib. xi.
Julius tertius intemperantia vitae magis quam ſenio effoetus: Totum ſe voluptatibus mancipaverat. Sed anne hoc eſt, quod de Nerone ferunt, qui, cum perditiſſime et impuriſſime viveret, caſtum eſſe poſſe neminem cenſebat? *Oſtendunt*, aiebat S. Hieronymus de Haereticis agens, *quam caſte vivant, qui bene de aliis ſentire aut loqui nequeunt:* Quod a S. Gregorio Nazianzeno B. Hieronymi magiſtro de iiſdem dictum aliquando commemini,

Σφῆς ἀπαυθαδίης διαμετρέουσιν ἅπαντας.

Thuanus, homo, ut vulgo ferunt, plane uxorius, quique ſacris ordinibus annexum continentiae votum, ſtimulante libidine, ſecundis etiam nuptiis perfregit perrupitque nefarie, neque Deum timens neque reveritus homines, quae a Sectariis in S. Petri ſucceſſorem ſunt conficta, ut credidit non aegre, ita obviis manibus excepta tranſmiſit ad poſteros.

Visamus nunc Julii ſucceſſorem Marcellum Cervinum. Etiamne hominem omnium judicio integerrimum, et qui vix diebus duobus et viginti in illo ſummo rerum ſacrarum faſtigio ſedit, quem tantum terris fata oſtendere nec ultra ſiverunt eſſe, coelo jam maturum pontificem, maledica lingua carpet Thuanus? *Cum parens ejus Richardus*, ait, Lib. xi.
aſtrologiae judiciariae ſcientia clarus, ei ex ſtellarum conjunctione ſummam in eccleſia dignitatem praedixiſſet, licet a Caſſandra Bencia matre ad nuptias invitaretur, pertinaciter recuſavit,

nolle ſe dictitans clariorem longe fortunam, quam ſibi aſtra ſoluto ac coelibi portenderent, matrimonii vinculis commutare. Sed quibus haec autem ſapiens Thuanus venditat? Vultne etiam ex vaniſſimis genethliacorum placitis laureolam captare! Vix adducor, ut credam; ſed quod in famoſis Haereticorum libellis de Cervino reperit, homo religioſus praetermittendum non putavit. Quanquam id ab eo peccatum eſt graviter, quod Marcellum una et *virum rara eruditione, prudentia, ſanctitate vitae antiquis comparandum, denique aſſiduum in ſacrae ſcripturae et patrum lectione* aſſeverat, et eundem tamen nobis exhibet nugaciſſimis aſtrologorum, aut verius circulatorum fabulis addictiſſimum, quas eruditio confutat facile, ſpernit prudentia, vitae ſanctitas, patrum veterum monimenta, ſcripturae denique ſacroſancta veritas deteſtantur. Mendacem, aiebat ille, oportet eſſe memorem; verum peſtilentiſſima invidiae ſoboles calumnia nihil penſi habet quam conſentanea dicat, dum laedat quam poteſt graviſſime.

Lib. XI. Gradum facio ad Paulum quartum: *Is ſtudio quietioris vitae*, ut fatetur Thuanus, *totum ſe pietati dederat et literis, aſciveratque pleroſque viros optimos, qui religioſis votis ante aram Vaticanam nuncupatis, approbante Clemente ſeptimo, Theatinorum ordinis fundamenta jecerant. Virtus illum ſua inde extractum coegerat varias obire legationes Neapolim, in Angliam, Hiſpaniamque: quibus omnibus cum ſumma laude perfunctus, tandem ad pontificatum evectus eſt.* Et tamen reperit in eo Momus noſter quod carperet? quietem ab eo in ſpeciem affectatam eſſe; nam καρδιογνώστης hic novus penitiſſimos animi receſſus videt, et quo quidque fine fiat novit. Tum de eodem Paulo: *Magna ac ſumptuoſa admodum pompa coronam a Joanne Bellaio epiſcopo Oſtienſi ſumpſit, et ita ſeveritas illa ex qua emendationem in eccleſiaſtica diſciplina quidam ſperabant, plerique verebantur, cito in ſuperbiam vertit.* Profecto, Thuane, ſi tu, cum ſententiam in ſenatu dicis, tam facile et ex levicula conjectura de capite pronuncias, quis prae tuo non malit cujuſvis etiam furioſiſſimi hominis ſtare judicio? Quanquam te amici purgant tui, et ſtylum quidem te fatentur acriorem interdum exerere, etiam in optimos quoſque, at certe in ſententia dicenda valde incogitantem et plane infantem eſſe aiunt: Ut vehementer non ita pridem ſint demirati, quid tibi venerit in mentem aſpirare ad principem ſenatus gradum, quem omnes vix imo ſubſellio dignum judicabant; noſti Homericum illud credo,

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,

itaque ne parentem tuum Chriſtophorum Thuanum recogita, a quo nulla in te transfuſa ſeu pietatis ſeu ſapientiae hereditas eſt. Dementiſſimi faſtus eſt ita ſe neſcire, ut, cum minimis vix aequere, velis omnibus anteferri. Sed haec alias forte tecum pluribus.

Neque debuit Pius quartus indonatus abire: Liberalior eſt Thuanus quam ut ullum pontificem maximum non aliquo maledicentiae proſequatur elogio. Itaque et hunc ſic ab
Lib. XVI. inauguratione ipſa commendat ſuo more: *Mox mutavit, quique hactenus humanus, patiens, munificus, gratus, mitis ac pecuniae minime cupidus habitus fuerat, alios mores induiſſe repente viſus eſt:* Haec ille, nec quidquam profert quo tam ſiniſtrum de Pio judicium ſuum firmet. Itaque licet natantibus oculis hiſtoriam Thuani lecturi ſint Magdeburgenſes et Genevenſes, tamen non dubito quin ii quibus in pectore Chriſtiani ſalis mica eſt, hominis temeritatem, vel qui modeſtiſſime ſentient, levitatem vehementer ſint demiraturi, qui tantum ſibi arrogarit, ut crediderit quidquid in ſummum eccleſiae paſtorem effudiſſet pro indubitato ab omnibus excipiendum; cui ſuſpecta jam tot argumentis fides obtinuit apud probos omnes ut jurato etiam in tali cauſa credi non debeat.

Lib. XXXVII. Addam denique graviſſimum ejuſdem de Pio quinto judicium, cujus viri ſanctitatem Roma ſuſpexit, cum in eo cerneret vivas expreſſaſque imagines Leonis et Gregorii, utriuſque vere magni pontificis: tanta morum ſanctimonia, oris gravitas, ſtudium diſciplinae Chriſtianae, ut optimi rerum aeſtimatores acceptam ei ſecundum Deum retulerint inſignem illam anno ſeptuageſimo primo ſuperioris ſaeculi reportatam de Turcis victoriam apud Naupactum. Vidit tamen in eo Thuanus, adeo lynceus eſt, quod alios omnes fugit: Ubique, inquit, gratitudinis laudem affectavit: Hoc vero eſt ingenium eorum qui rumuſculos plebis aucupantur, qualem Thuanum ex ſcriptis ejus conjicere licet, ut alios praeter ſe omnes hac animi aegritudine laborare credant. Sed anne quod ſequitur, hujus ſiniſtri judicii in Thuano fontem aperit? *Juriſdictionem inquiſitor fidei*, inquit, *et ipſe ſeveriſſime exercuit, et per alios cum magna nec toleranda aliorum vexatione exercendam curavit.* Hinc illae lachrimae. Anquirebat Pius ſapientiſſime et ſeveriſſime in bellulos amiculos tuos, Thuane, ſi qui forte Romam peſtifera doctrina inficere tentarent; movit ea res tibi ſtomachum, non potuiſti hominem, licet omnibus numeris abſolutum, non aliquo malevolentiae tuae telo petere. Nec dum Thuani de Gregorio decimo tertio, Sixto quinto, Clemente octavo, aliiſque a Pio quinto pontificibus licuit videre: Erit, ut ſpero, alius, qui audacis hominis temerariam cenſuram qua decet ſeveritate caſtigabit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

Implacabile Thuani odium in ſedem Romanam.

NEQUE vero Thuanus contentus ſingulares pontifices ſtylo maledico petere, omnem occaſionem captat qua generatim univerſos, ſi poſſit, dignitate et auctoritate ſpoliet. Et, pro ſuperûm fidem! quam inſulſe et quantum homini impotentis animi furor fucum fecit! Anglia ſub Henrico octavo ſuave Chriſti jugum excuſſit, ſeque eccleſiae Catholicae primum nefario ſchiſmate, tum foediſſima haereſi ſubtraxit: Monere uxorium principem pontifices et ſapientiſſimi et patientiſſimi, videret ne, dum libidini indulget ſuae, Chriſtianiſſimam inſulam in luſtrum haereſeos ſecum traheret. Impurum hominem faſcinarant carnis voluptates, excaecarant oculos, aures obſtruxerant, eripuerant mentem: poſt diuturnas minas tandem ad cenſuram eccleſiaſticam ventum eſt. Quid graviſſimus judex, Thuanus, ad haec? *Si Henricus aequiores et prudentiores pontifices nactus eſſet*, inquit, *haud eo res progreſſa eſſet*; et ſane incommode prorſus accidit quod tu in Petri cathedra, Thuane, eo aevo, hac ſapientia prudentiaque praeditus non ſediſti. Profecto enim, ut es homo ſolers ac ingenioſus, rationem iniiſſes aliquam qua contra ſacroſanctas leges matrimonii a Lib. IX. Deo inſtitutas, contra jura omnia, Henricus Annam Bolenam, filiam, ut aiunt, ſuam, repudiata Catharina Auſtriaca conjuge, qua cum plures annos concordiſſime vixerat, uxorem duceret: Excogitaſſes modum aliquem cunctis hactenus ignotum, quo rex avariſſimus impune octodecim epiſcopatuum (nam innumera alia ſacerdotia perquam opima hic non commemoro) bona fiſco ſuo addicere, et conjugatis etiam fruenda condonare poſſet: Itaque ſerius omnino quam fuit e re Chriſtiana publica natus es, Thuane; praecipitarunt ſententiam pontifices Romani cum tu nondum eccleſiae cenſuram tibi vindicaſſes: Itaque ſubtracta eſt eccleſiae Anglia. Quis hoc novo Salomone litium nodos facilius feliciuſque diſſolvat? quam plane ad fontem mali digitum intendit, certiſſimamque Anglicanae rebellionis cauſam indicavit?

PARI fide ſapientiaque Hermanni quondam Colonienſis archiepiſcopi cauſam deplora- Lib. III. tiſſimam ſuſcipit contra pontificem Romanum; quod, opinor, non tam praeſtitit hominis Germani gratia, quam ut anſam aliquam arriperet teſtificandae ſuae in pontificem malevolentiae. Nam ſi apud illum plus ratio quam livor valuiſſet, quid tandem habuiſſet ſcribere in pontificium decretum, quo, inquinatus Lutherana labe Colonienſis Hermannus, eccleſiaſtica dignitate ſpoliabatur? Quaſi novum ſit aut inſolens, Haereticum, qui ſe jam ſua improbitate abdicarit, eccleſiaſtico mucrone ab eccleſiaſtico coetu ſemovere. Quis hoc ex Petri ſucceſſoribus non fecit hactenus? Quis factum, modo probus et qui ſe eccleſiae filium meminiſſet, non probavit? Niſi forte Lutherus Thuano nondum Haereticus eſt! aut ei retractare ea placet quae in oecumenica ſynodo Tridentina ſunt ſancita. De qua quid me referre attinet, quam contemptim ubicunque ſe obtulerit occaſio loquatur? Cerdonum aut lanionum vel imperitae ac tumultuantis plebeculae diceres pſephiſmata. Sic olim Sabinus Heracleenſis, ἰδιωματομάχος, aiebat concilium Nicaeae primo habitum Socrat. lib. I. cap. 5. ex hominum imperitorum faece coaluiſſe; quo tamen, ut veriſſime a Mario Victorino dic- Lib. I. adverſ. Arium. tum eſt, convenerant univerſi orbis lumina. Et haud ſcio tamen an ulla poſt apoſtolorum aevum habita ſynodus ſcientiores rerum ſacrarum viros congregatos viderit, quam ea cui tam parum Thuanus defert, homo ſcilicet rerum omnium intelligentiſſimus: Providentiae nimirum divinae hoc eſt, ait S. Gregorius magnus, ut, quo propius ab orbis fine abſumus, plures eccleſiae ſuae doctioreſque ſubmittat viros qui denſiſſimam callidarum haereſeon caliginem diſſipent ac diſpellant. Et mihi ſubolet Thuani in ſanctam ſedem malevolentiam, quod uſpiam apud eum lego: *Summi pontificis ſuaſu Carolum quintum ſen-* Lib. I. *tentiam mutaſſe, et arma in Turcam parata vertiſſe in Germanos, peſſimo, ſed ſolenni*, inquit, *et uſitato pontificibus Romanis conſilio, qui eos e Chriſtianis qui nimiam ipſorum potentiam in dubium vocant, capitaliori odio quam ipſos Chriſtiani nominis hoſtes ſemper hactenus ſunt perſecuti.* Non diffiteor haec Thuanum dicere a Proteſtantibus jactata; ſed proteſtetur ipſe dum volet ſinceram ſuam in hiſtoria ſcribenda mentem, ſat nota eſt ipſius phraſis, ut, quod maxime vult a ſe dictum, id Haereticorum ſpecioſo ſcilicet velet nomine. Quod ſi aliter ac ſcripſit ſenſit Thuanus, quin vaniſſimas illas criminationes vera reſponſione retudit? An homini in veterum hiſtoriis exercitatiſſimo nihil ſuppetebat, quod contra malevolos illos primae ſedis calumniatores impudentiſſimos diceret? Quaſi cuiquam ignota ſint, quae pontificum maximorum extent amoris et benevolentiae erga Germanos monimenta? Aut vero quenquam fugiat, quoties et quales viri a ſede apoſtolica miſſi ad eos ſint religionis Catholicae vel propagandae vel propugnandae cauſa? Quot tota paſſim Germania, adeoque in ipſis Romae viſceribus, Germanicae juventutis ſeminaria eorundem pontificum munificentia ſint inſtituta? Quod ſi bona fide hiſtoriam ſui temporis Thuanus texere voluiſſet, ecquid improborum rumuſculos in Julium tertium collegiſſet, ac non potius nobiliſſimum

liſſimum illud ab eo Romae ad S. Apollinaris ſtabilitum nationis Germanicae ſeminarium commemoraſſet? tam fuiſſet vecors et amens, ut Proteſtantibus de Romano pontifice fidem adhibendam cenſeret; ac non potius anquirendum quot et quibus Germaniae locis a Gregorio decimo-tertio pontifice maximo aliiſque fundata fuerint collegia eidem juventuti inſtituendae, quaſi firmiſſima patritae religionis erecta propugnacula, contra furentes ac inſanos novatorum aſſultus? Haec tam oſcitanter, ne dicam mala fide, praetermiſſa ab eo qui Lib. xii. Haereticorum ſcholas percurrit omnes, ipſoſque adeo haereſeos magiſtros laudibus effert quantis poteſt maximis; qui novarum opinionum alumnos publicis Bernatum ſumptibus ad praeclara illa novae theologiae ſtudia miſſos, et in ipſo paene veſtibulo Lugduni a Catholicis oppreſſos tragice deplorat; haec, inquam, quis ferat, aut ab animo in primam ſedem malevolo profecta eſſe dubitet? Nam quo tandem ſpectant iſthaec de capitali pontificum in Germanos odio, niſi ut quaſi unguem, quod aiunt, in ulcere figat, et nobiliſſimae optimaeque nationis animos penitus a ſancta ſede alienet? Belliſſime hoſtis humani generis officium facis, Thuane,

Tu potes unanimes armare in prodia fratres,

nec eſt quod malle te oſtendas quam ut rurſus Henriciani Romam infeſtis armis petant, et Guelfae ac Gibellini res in Italia novas moliantur. At aberras, mihi crede, tota diametro a Lib. ii. epiſt. 65. pietatis ſcopo: Nihil enim dolentius deploravit olim ſanctus Theodorus Studita, quam quod ſe Graeci a Romano pontifice eccleſiae capite ſeparaſſent: Nihil gravius imperio ſuo regnoque Galliae timuit Carolus ille magnus, quam ne quo caſu ab unione ſedis apoſtolicae unquam avellerentur. Itaque et ipſe nullos non ultro ſuſcepit labores, ut ſuam in eam obſervantiam teſtaretur, et quater Romam profectus eſt, ut Romanos pontifices a Longobardorum injuriis vindicaret, et haec ſuo teſtamento cavit ſanctiſſime: *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres* (filios ſuos imperii ac regnorum heredes intelligit) *curam et defenſionem ſancti papae ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, et beatae memoriae genitore Pipino rege, et a nobis poſtea ſuſcepta eſt.* Aveo ſcire quid tibi, Thuane, haec et ſimilia antiquae pietatis monimenta legenti veniat in mentem: Ecquid etiam tum conſcientiam tuam illam religioſam interroges, quod te ſaepe facere in hiſtoriae tuae veſtibulo praedicas: Ea te ſane, niſi aut ſurda aut elinguis penitus ſit, monet, nihil tibi jam cum veteribus illis Chriſtianis eſſe commune, cum tu eam ſedem omni calumniarum genere dedecores, pro qua illi ornanda et amplificanda nullis laboribus ſumptibuſve pepercerunt.

Quid? quod non obſcure prae te fers quam tibi ſint in amoribus quotquot unquam in ſummos pontifices calamum ſtrinxerunt? Eorum enim et nomina refers in tabulas ſtudioſiſſime, Lib. xv. et querimonias de Romanae eccleſiae corruptis moribus ad nauſeam ingeris. Imo quo ſuavior fluat oratio, artificioſe tuo more Germanos principes, Palatinum comitem, Saxoniae ducem, Marchionem Brandeburgicum, alioſque his ſimiles inducis accurate commemorantes quae Nicolaus Clemangius, Joannes Gerſon, Guillielmus Pariſienſis (ſine te moneri, vir ſapientiſſime, Matthaeum voluiſti dicere) de ea re olim expoſtularunt: Prorſus id ingenioſe abs te fictum. Nam cui dubium eſſe poſſit quin libri illi, nobis vix cogniti, hominum militarium et Germanorum terantur manibus; niſi hoc forte dicas, eos te nomenclatore uſos eſſe. Quare nihil jam eſt quod oratione non conficias, qui tam argute fabulas concinnes.

Sed bona fide dic, Thuane, unde tibi tantum in Romanos pontifices innatum odium? Dicam enim tibi quod Parmeniano Donatiſtae quondam Optatus Milevitanus. Quid tibi ſedes Petri fecit? Te ſane, ut audio, Carnotenſi epiſcopo patruo tuo ſucceſſorem nominarat, opimis beneficiis auxerat, cum tu clero ſacris ordinibus illigatus nomen dediſſes. Tuorumne librorum cenſuram Romae factam cauſaberis? hinc auctum fateor, non ortum odium; cum tu jam ante tot annos verſiculis peſtilentiſſimis et hiſtoriis odii virus in ſedem apoſtolicam evomuiſſes. Sed, opinor, ut in natura quaedam cernimus occulta quadam ἀντιπαθείᾳ diſſidere, ſic impietatis ille ſuccus quem a teneris hauſiſti, ſanctitatem et auctoritatem primae ſedi a Deo collatam ferre nullo modo poteſt.

Ac ne me quis putet tui odio rem in majus augere, exſcribam hic verſiculos aliquot tuos effuſos eo tempore quo res Catholicorum in Gallia nutare videbantur, cum necdum Henricus ille magnus inter Catholicos profiteretur: Tu tempus illud tibi optatiſſimum obveniſſe credens quo Gallia divortium perpetuum ab apoſtolica ſede faceret, Deus immortalis! quae quamque nefaria tum effutiiſti! Miror tam tibi parum frontis fuiſſe, ut, tali abs te impietatis profeſſione palam emiſſa, auderes adhuc in Catholicorum coetu locum tenere. Ecquid enim verſus illos tuos agnoſcis Caeſaroduni Turonum primum, tum Lutetiae, denique apud Batavos praelo datos? In iis quid de Romana eccleſia ejuſque fide et doctrina cenſes?

Luimus

Luimus nocentis Fol. 6. p. 1.
Crimina Romae.
Improbos mores, et adulterinos
Numinis cultus, tragicaſque fraudes
Odit, et totum Deus ultor armis
Concutit orbem.

Quae vero regi Henrico nondum ejerata Calvini perfidia das praecepta? Prorſus ea quae a Mezentio quopiam divini numinis contemptore, aut a Calvino Bezave dari potuiſſent.

Licet invida contra Fol. 18. p. 1.
Bellua Vaticana fremat.

Quid unquam effraenatius ac irreligioſius ſive a temulentis Lutheranis, aut a ſpurcis Calviniſtis, aut a fanaticis Anabaptiſtis in ſanctam Petri ſedem dictum eſt? Pergis monere regem optimum ne ſe Catholicae ſubmittat, Romam potius infeſtis ſignis petat, excommunicationis fulmen negligat,

[1] *Tu ſeptiſrontis cornua belluae,*
Et quidquid audent, hinc ſocer, hinc gener,
Hujuſque debellare ſaecli
Monſtra piis inimica natus.

Addamne etiam cetera?

[2] *Fruſtra pandet aperta*
Coeli templa vicarius,
Vanis pollicitis callidus artifex
Vulgi ſtulta levis paſcere pectora.

Ut efferatus grammaticus ſacroſanctam pontifici a Chriſto poteſtatem concreditam elevare nititur, et ſe Catholicum adhuc mentitur? Porro qui tam contumelioſe ſucceſſorem S. Petri habet, quid ſentire putas de collegio cardinalium? quae vota impuriſſimi ganeonis et profani poetae?

Romanumque apicem, pulſis, tibi, Roma, cinaedis,
Reſtituat, civeſque tuos, priſcumque ſenatum.

Denique ſuam de ſummo pontifice ſententiam miſſis ambagibus exprimit, Galliam deplorans,

Ad praedam accincti, nam ſat Lotharingia non eſt
Una, Quirinalis praedo, Sabaudus, Iber.

O elogia indigna ſanctitate dignitateque pontificia! Sed eo digniora Thuano Haereticorum improborumque omnium praecone, per quem non ſtetit quo minus Henricus ille magnus novas Sectariorum opiniones ad finem uſque vitae tueretur, et Galliam, Romanae ſedi in primis obnoxiam, contra eccleſiam Romanam armaret.

CAPUT XI.

Thuanus pſeudotheologus.

Qui Petrum Lizetum Sanctovictorianum abbatem nuper deridebat Thuanus, quod a ſtudiis forenſibus repente ad theologicos libros ſcribendos animum appuliſſet, idem, in verſiculis pangendis et conſarcinanda hiſtoria ſui temporis mediocriter verſatus, putavit ſibi jus faſque eſſe interdum doctorem theologum agere: Audiamus igitur novum repente quaſi e ſipario in ſcenam prodeuntem ſacrae doctrinae magiſtrum, aut potius ſtolidum Paſſavantii Theodorive Bezae diſcipulum, ea narrantem quae ſub Henrico octavo in Anglia contigerunt: *Eccleſiaſticos tam Angliae quam Hiberniae ſacramento adigit Henricus, ut ſe tanquam eccleſiae caput a Chriſto proximum agnoſcant; mutata diſciplina, nihil in doctrina mutatum.* Itane vero, homo rerum ſacrarum imperitiſſime, nihil tum apud Anglos mutatum in doctrina cenſes, cum publice ejerata eſt ſummi pontificis in eccleſiam auctoritas, eaque delata eſt homini laico, ne quid gravius dicam? Et Calvinus ille veſter Henrici furorem deteſtatus eſt, et Calvini aſſeclae religioſiores etiamnum execrantur Anglos, qui ſummam illam eccleſiae poteſtatem homini πολυγαμωτάτῳ, tum puero infanti, adeoque non ita pridem foeminae detulerunt; ut nihil jam vetet quin Pepuzianorum ab inferis ſuſcitetur error; et mulieribus, quas in eccleſia tacere juſſit apoſtolus, decernatur poteſtas ſacris Lib. 1.

NOT. [1] Vide lib. IV. Com. de vita Thuani, p. 116. [2] Vide lib. IV. Com. de vita Thuani, p. 107.

ſacris myſteriis operandi. Sed quid Calvinus aut Calvini auditores in hac re ſenſerint, nihil moror: cum ſacris literis ſit teſtatiſſimum, pontificis quam in eccleſia exercet auctoritatem a Chriſto ſalutis noſtrae vindice profectam eſſe, cum ab hac fidei norma nunquam majores noſtri latum unguem deflexerint, cum id omnibus conciliis generatim indictis ſit agnitum probatumque, tu doctrinam eccleſiae in Anglia mutatam negas, in qua palam ea veritas eſt improbata. Quanto feciſſes conſultius, Thuane, ſi in verſiculis fundendis conſenuiſſes, aut certe ſi animus erat devexa iſta tua ad honeſtum et pium otium aetate res theologicas attingere, non operam poſuiſſes evolvendis famoſis libellis vel Haereticorum bibliothecis (quas tu, credo, propediem Photius alter in lucem dabis) ſed ſcripturam ſacram ex eccleſiae ſenſu, praeeuntibus tibi quaſi fidis nomenclatoribus antiquis patribus, modeſte et pro ingenii tui tenuitate perlegiſſes?

Nunc vero cum illotis manibus ſacra illa tractas, quam multa imprudens peccas? Quis enim tibi credat neotheologo tam audacter aſſeveranti nihil in Anglia ſub Henrico octavo de doctrina catholica mutatum? Cum ἄῤῥηκτα matrimonii vincula libidinis impetu et vaniſſimis pſeudoepiſcoporum decretis ſint ſoluta; cum religioſa vota paſſim Henrico rege, pro ea quam ſibi in ſacra omnia arrogabat poteſtate, ſint violata; cum atheiſmis Briandi (quem Henricus per jocum vocabat ſuum apud inferos vicarium) et aliorum id genus hominum, omnis repente illa inſula miſerrime ſit deformata? Tu haec neſciviſti, homo candide, alioqui memoriae mandaturus, et obliteraturus quod ſcripſeras imprudenter, *nihil tum apud Anglos mutatum in doctrina.* At profecto ſi negare pergis, evincam facillime, alia omnia docuiſſe praelatos et divini verbi praecones in Anglia ſub Henrico ſeptimo, quam quae ſub octavo Herodiani illi novi (pſeudoepiſcopos Angliae qui tum erant intelligo) populo ſuadebant. Neque enim ſi Zwinglianos Henrici octavi juſſu ad ſupplicium pertractos conſtat, idcirco conſequens eſt eum doctrinam Catholicam conſervaſſe. Εὐήθης es nimium, Thuane, in hoc rerum genere, et ineptis, mihi crede, qui neſcias Sabellianos quondam Arianis infenſos, Neſtorianis Eutychianiſtas; quinetiam Calviniſtas audio Lutheranis in pleriſque Germaniae urbibus bellum ἄσπονδον indixiſſe: Ita Zwinglianos cane pejus et angue oderat Henricus octavus ais: ſcio, et idem pleraque doctrinae Catholicae capita ejerabat: At, quod te neſcire vix puto, non in uno apice ſtat fidei Chriſtianae ſumma: Quiſquis vel unicae doctrinae fideive Catholicae dogma negat, vehementer fallitur ſi ſe Catholicum putat. Neque tuliſſent Zwinglianos Ariani: ideone tamen Haereticorum numero Arianos eximendos cenſes? Sed nullus mihi ſcribendi modus erit ſi ad ſingula non theologiae, ſed mataeologiae tuae capita ſigillatim reſpondere velim. Pauca delibabo.

In praefat. In praefatione tua, adeoque tota hiſtoria, hoc tanquam axioma ſtatuis: *Neminem ad credendum, ſive ad Catholicam religionem amplectendam, eſſe cogendum:* Ex quo deducis, *perinique principes Catholicos feciſſe, quoties in Haereticos lege agi voluerunt.* At profecto verum illud eſt Terentii,

> *Homine imperito nil quicquam eſt injuſtius,*
> *Qui, niſi quod aequum cenſet, nil rectum putat.*

Quod ſi tibi homini occupatiſſimo licuiſſet tantiſper ſacrae ſcholae limen terere, audiiſſes enucleatius quid de hac re tota ſit ſentiendum, hocque in primis, nemini unquam poſt fidem eccleſiae datam licuiſſe ab ea recedere, adeoque legibus quemque ſubjici quas ſibi lubens volens impoſuerit. Quo factum eſt ut jure meritoque in Haereticos lege actum ſit ex reſcriptis principum Conſtantini, Valentiniani, Theodoſii aliorumque: Alia eſt Gentilium, Judaeorum, Turcarumque, qui nunquam religionem Catholicam ſunt profeſſi, ratio. Itaque in illa tua praefatione S. Auguſtinum mala fide allegas; etſi enim aliquando mitius cum Haereticis agendum cenſuerat, tamen longo rerum uſu monitus in reliquorum abiit ſententiam, et gravibus eſſe poenis coercendos dixit. Pari fide divi Martini preces Clementi maximo imperatori oblatas pro Priſcillianiſtis commemoras: Atque utinam legiſſes Severum haec narrantem attentius, aut etiam cardinalem Baronium illius temporis periculique, non Haereticorum, ut tu opinaris, ſed Catholicorum, ſeriem omnem veriſſime denarrantem, puderet te et ἀνιστορησίας et infantiae tuae: Poſſem in hanc ſententiam plurima congerere, ſi luberet; tu quos in hoc negotio conſulas habes, ſat ſcio, non paucos e Catholicis. Et quoniam te ſcriptis Haereticorum capi video, vix mihi perſuadeo Calvini librum de punitione Haereticorum tibi deeſſe.

Lib. v. Jam vero quam reconditae eruditionis illud eſſe cenſes, quod libro quinto tam conſtanter aſſeveras, *reges Galliae cenſurae pontificiae non ſubjacere.* Cujus ſane axiomatis ſcopum vident omnes, rationem praeter te et eccleſiaſticae auctoritatis contemptores nemo ſatis intelligit. Quid enim? non eſt in univerſum eccleſiae gregem pontifici a Chriſto data poteſtas? aut vero Chriſtianiſſimum regem in hoc eccleſiaſtico grege eſſe negas? et ad foedos ſiniſtroſque hoedos, hoc eſt, Schiſmaticos et Haereticos, relegas? Facis injuriam, Thuane,

ae, regibus optimis et, ut eccleſiae primogenitos decuit, pontificiae dignitatis obſervantiſſimis, qui melioribus, quam tu ſis, uſi doctoribus et vincula cenſurae eccleſiaſticae ſemper veriti ſunt et ut quam citiſſime ſolverentur religioſe ſtuduerunt. Referrem hic pleraque noſtrorum externorumque principum exempla, ſi tu ea neſcires, aut ſi tibi profutura crederem. Nam me magna capit admiratio legentem, quae tam praefidenter aſſeris contra Catholicorum omnium ſententiam et indubitata ipſius fidei principia. Quocirca et ſaluti tuae conſules et honori, ſi paulo conſideratius in quos te laqueos induas perpendas animo: Nam quod ſe reges Chriſtianiſſimi abs te defendi ſentiunt, laudant animum; prudentiam non minus quam pietatem deſiderant: dum quos liberos eſſe cupis, reddis aut nefario ſchiſmati obnoxios, aut in teterrimam haereſeos ſervitutem indigniſſime detrudis. Quanquam haec, ut opinor, moliris non tam ut regibus gratificere, quam ut Romano pontifici, ſi qua poſſis, incommodes, et ſupremam illius in eccleſiam univerſam imminuas poteſtatem. Quod certe ſtudium tuum Catholicae filius nemo approbet. Quis enim filio in communem omnium parentem malevole pugnanti ſuppetias ferat?

Et tamen pleraque libris tuis ſunt inſperſa quae hunc animum tuum produnt. Quorſum enim, quaeſo, iſthaec abs te tam temere? *Pontificem Romanum jus ſibi arrogare concilii indicendi:* Nam avemus abs te novo theologo reſcire, cui tandem alteri jus hoc tranſcribas, aut cui comitiorum hujus imperii Gallici indicendorum jus ſit et poteſtas niſi regi? Lib. xv.
Ac ſi quaſi dubia in re quod reſpondeas non habes, docebit te Socrates, eccleſiaſticae ſcriptor hiſtoriae, antiquo canone ſtatutum eſſe, *Nullum haberi legitimum concilium, niſi quod nutu et auctoritate ſummi pontificis ſit coactum:* Quod ſi etiam ſynodicas literas undique Romam miſſas evolvere placet, invenies ea demum rata fuiſſe hactenus conciliorum decreta quae ſummus pontifex ſuo calculo comprobavit. Quamobrem petulantem illum tuum ſtylum reprime ſis, Thuane, neu arrogantiae deputes quod pontificiae eſt dignitatis, quam non Phocas aliquis, ut delirant tui illi amiculi, ſed Chriſtus ipſe hominum ſervator primae illi ſedi detulit: Tabulas ſanguine teſtatoris obſignatas habemus in ſacris evangeliis, occlude ſis aures novitiis tuis commentatoribus, veteres eccleſiae patres, ut ſacrae monent paginae, interroga de viis antiquis, mox refiges illud tuum temeritatis et inſcitiae plenum, de arrogantia pontificum in arrogando ſibi jure concilii indicendi. Lib. II. cap. XIII.

Haud abſimile illud eſt quod alio dicis loco, *pontifices Romanos jus ſibi vendicare academias quibus libitum fuerit locis condendi.* Lib. v. Cui ſane criminationi tuae ſi oppoſuero id eos nunquam facere niſi Chriſtianorum principum, apud quos eae academiae fundandae ſunt, rogatu, quid dices? At ita ſe res habet, nec probabis unquam a Romanis pontificibus academiam ullam cuiquam invito principi Chriſtiano fuiſſe obtruſam. Itaque et ſolennia, ſi bene commemini, verba ſunt formulae qua gradus in academiis Catholicis a cancellario deferuntur, cum ſe id agere pronunciat, *pontificali ac regia auctoritate.* Nam ſi de me ſcire cupis cur in ea re pontificia auctoritas neceſſaria judicetur, ſic accipe. Academia eccleſiaſticae communitatis pars quaedam eſt et portio. Ea cum omnibus reipublicae muneribus habiles viros ſufficiat, tum in primis eccleſiaſtico ſtatui: quare nihil aequius eſt quam ut pontificis auctoritas in ea condenda interveniat. Certe quidem memoriae proditum eſt, fere olim a religioſis et eccleſiaſticis viris academias regi conſueviſſe, ſolaque temporum licentia morem hunc invectum ut a ſaecularibus et uxoratis juventus doceretur. Quare deſine, Thuane, Romanum pontificem arrogantiae nomine inſimulare, vel mortalium omnium et arrogantiſſimus una et imperitiſſimus audies, qui animi impotentis morbo quaſi aeſtu quodam abreptus et Andabatarum in morem in Chriſtianae plebis communem parentem incurras.

Et quis te feret illa ſcribentem? *Carolus quartus ſuo periculo, ſed ſero, ſenſit quorſum pertineret jus illud quod ſibi in inaugurandis imperatoribus Romanus pontifex ſumpſit, ut ſcilicet liceret ei a quo accipere debuit, leges quas vellet pro inaugurationis pretio imponere.* Lib. I. Profecto qui haec ex hiſtoria tua neſciat deprompta, credat a Calvino quopiam aut Luthero eſſe dictata, vel certe ex centuriatorum autographo ad verbum exſcripta, nec enim credibile eſt quidquam ab eis contumelioſius in ſanctam ſedem ſcribi potuiſſe. Quod ſi Bellarminum de tranſlato ad Germanos imperio legere maluiſſes quam neſcio quos Lutheri hypocauſtis vel Calvini luſtris ſcriptores non minus imperitos quam irreligioſos, conſuluiſſes, Thuane, nomini tuo: Sed ut ſerpens mala gramina paſtus, quemadmodum apud poetam, veneno tumeat neceſſe eſt, ſic tu hauſtis malignis ſuccis Chemnitii, Chytraei, Magdeburgenſium, quis miretur, ſi tam improba in primam ſedem evomas? Placet mihi vehementer S. Baſilius de te tibique ſimilibus loquens, *οὐχ ὁρᾷς ὅπως τὰ τῶν ἀθλίων σώματα ἀπερεύγεται; quod aperit, inquit, latere πολλήν τινα τὴν ἐν τῷ βάθει νόσον.* In Pſalm XIV. Et vero ſuaſuram te cuiquam ſperas Germanis illatam injuriam a Romano pontifice cum ad illos jus imperii certis pactis et conventis tranſcripſit? Pietatem hactenus et religionem in te deſideravimus, nihil jam propius eſt quam ut te etiam judicium deficere dicamus, qui collatum Germanicae nationi ſummum a pontifice Romano beneficium injuriam vocas. Quanquam, ut verum

fatear, certat ubique impietas cum imperitia tua, nec adhuc ſatis exploratum habeo cui primas decernere oporteat. Ab imperatore pontificem leges accipere debuiſſe, ais; qui probas improbum iſtud dictum? Leges a pontifice datas imperatori pro pretio inaugurationis maligne calumniaris; miror nunquam veniſſe cuiquam in mentem id opprobrare Joiadae ſummo apud Hebraeos pontifici, cum Joam regem inaugurarét, et divinam legem ei in manum daret, novoque eum cum Deo ac religione patria foedere devinciret. Hoc tu nefarie pretium inaugurationis vocas; neque invitius quidquam vides quam imperatoriam majeſtatem pontificiae dignitati faſces ſubmittere: Velles iterum triſtiſſima illa tempora exiſtere quibus Romam Henricus, Conradus, Fridericus infeſtis armis petebant; quo arrogantia pontificum, quemadmodum loqueris, comprimeretur: Quam gratum tibi foret audire novos Attilas, Geiſericos, Totilas, Aſtulphos, Deſiderios in Italiam ſigna convertere, primamque ſedem, ut olim factum eſt, dira crudelique ſervitute premere? Licebit tibi quod voles optare; quod optaris, Deo propitio, non aſſequere.

Pergo nunc ad aliud reconditioris tuae theologiae caput; namque ubi recenſes varia dogmata Andreae Oſiandri haeretici, iſtud homo perſpicax non praetermittis; *hoc erroneum dogma ceteris admiſcuit quo aſſerit Chriſtum, etiamſi per primi parentis peccatum non fuiſſet perditum genus humanum, naſciturum tamen nihilominus fuiſſe.* Ἀμαθία θράσος φέρει, ait vetus auctor, et tua te inſcitia tam gravem alienorum dictorum cenſorem reddit, Thuane. Hocce ergo quod in Oſiandro notas inter haereſes reponis? nae tu homo es in theologicis infantiſſimus, qui, ſi ſcholas illas vel a limine ſalutaſſes, audiiſſes graviſſimos doctores ea de re varie ſentientes, ſalva fide Catholica. Imo vero id ut addiſcas, Thuane, Catholici viri optimi cenſent exaggeratam Dei erga genus hominum bonitatem eo probari, quod etiam venturus in orbem eſſet, quamvis nullum primi parentis ſubeſſet crimen morte expiandum. Depone inſulas, homo prophane, nec de rebus quae captum tuum ſuperant diſſere, ne, quemadmodum olim Phormio coram Annibale de rebus bellicis diſputans eſt deriſus, ita te poſteris, tam inſulſe de theologicis rebus ſcribentem, ſubſannandum propines.

Lib. XIV. Et elucet tua illa doctrina, Thuane, cum de ſacris precibus lingua vernacula conceptis judicium tuum interponis. Cum enim Davidis pſalmos Gallicis expreſſos verſibus Haeretici quidam Lutetiae canerent, *Id ſacer ordo*, inquis, *aegerrime tulit, quod eam inventam eſſe rati non dicerent, qua ſacra publica, vetuſtiſſimo inſtituto a Romana eccleſia matrice accepto, lingua Latina peragi ſolita, nunc eo ſermone expreſſa quem quivis e vulgo caperet, contemnere plebs aſſueſceret.* Quae tu non modo imperite, ut ante dicebam, ſed etiam maligne tuo more: Dum jejuna pietatis defenſione cauſam eccleſiae prodis. Cur enim ſubticuiſti, praevaricatoris in morem, quae dicenda fuerant maxime, nec dubium quin a ſacro ordine et graviſſimis theologis dicta fuerunt, pro retinendo veteri precandi ritu et prohibendo illo novitio ac prophano? Semper enim hoc ſolemne fuit Haereticis, ut ejuſmodi cantiunculis plebeculae demulcerent et aures et animos, et ab eccleſiaſticis hymnis avocarent: Hoc Paulus Samoſatenus, hoc Arius, hoc plerique alii factitarunt, hoc denique poſt tot alios Clemens Marottus infamis pſaltes noſtro aevo tentavit; hominis prophani verſiculos longe omnibus ſcripturae tranſlationibus quas eccleſia vetus eſt venerata, Sectarii nuperi praetulerunt. At Thuanus, ut ordini ſacro expoſtulanti de vernaculis illis precibus inſcitiae notam inurat, *Vetitum*, inquit, *alia lingua preces concipi quam Latina, ne quivis e vulgo caperet, itaque plebs contemnere aſſueſceret.* Quae ut una cauſa ſit, tamen cum ea maxime utantur qui eccleſiae Catholicae invidiam conflare volunt, cur ſolam perfidus praevaricator a ſacro ordine allatam fingit? Aliae ſunt et plurimae et graviſſimae cauſae cur in ſacris ritibus vernaculae linguae locus non ſit datus, quas nec ignoraſſe Thuanum credo, et hic afferre nihil opus eſt.

Lib. IX. Jam excutiamus quae de Simone Portio dicit uſpiam, *Nonnihil dum Ariſtotelicae doctrinae plus juſto tribuit, in diſputationibus de anima et mente humana Pomponatii ſui culpae affinis creditus eſt.* Unde autem tibi nova hac incuſſa eſt religio, Thuane, ut quem concilio Lateranenſi, hoc eſt, graviſſimo eccleſiae totius decreto damnatum eo nomine ſcias, extremo ſtylo perſtringere vereare? Sed profecto neceſſe eſt ut, cui improbantur quae probarit eccleſia, eidem probentur quae improbarit.

Lib. LIX. Quanquam aliquando vult videri Thuanus eccleſiae decretorum vindex: Meminerat ab ea olim proſcriptos flagellantes quoſdam haereticos: Itaque exarſit gravius pro eo quo eſt in res ſacras zelo, et debacchatus eſt in ſupplicationes illas ad quas interdum nonnulli ſaccis operti poenas flagellis de ſe ſumunt. Ne verere, Thuane, ne putemus te de illis unquam fuiſſe, quos velatos aliquando Lutetiae vel Tholoſae vidimus per ſacros quadrageſimae dies templa obeuntes: Putent haec tibi, ſat ſcio, cui non aegre perſuaſit Calvinus cilicium, cinerem, diſciplinam, veteris legis inanes fuiſſe ceremonias, novitate ac libertate legis evangelicae abolitas: Itaque homo prophanus καὶ χλευάδης collegia illa ſive φρατρίας, diverſis ſaccorum diſtinctas coloribus, cum veteris circi factionibus praſinis vene-

tiſque confert: vere hoc, ut omnia, dixit Apoſtolus, immundis omnia immunda, addo et prophanis prophana.

Quod ſi quis Thuano ſimilis ψυχικὸς ſcire ſe negat, quid interſit inter veteres flagellantes haereticos, et eos qui nunc ſe ultronea illa cruce onerant, habet e Jeſuitico ſodalitio Gretſerum qui hoc eum cumulatiſſime docebit. Interim me Thuani monent ſcripta quam vere ſit ab Alcuino Caroli magni doctiſſimo praeceptore dictum, diſciplinam quaſi diſplicinam eſſe nominatam.

Venio ad alia duo graviora mataeologiae Thuanicae capita; eorum alterum eſt lib. xxxv. Lib. xxxv. in quo accurate, quanquam ſub alterius perſona, congerit Thuanus quaecunque unquam ab impuris Haereticis ſunt contra coelibatum ſacerdotum excogitata: Allegatur veteris ſacerdotii Aaronici libertas, laudantur apoſtoli conjugati, excitatur Paphnutius e concilio Nicaeno, gravis ejus ad patres habita oratio celebratur, non omittitur epiſtola Dionyſii Corinthii ad Pinytum; referuntur execrationes nebulonum quorundam in Calixtum papam, auctorem, ut aiunt, coelibatus eccleſiaſtici: Denique, ſi Thuani locum illum communem legunt miniſtelli Genevenſes, habebunt calumniarum plus ſatis quibus horam ſolidam auditores ſuos detineant. Nec puduit hominem non penitus antiquitatis ignarum has nugas proponere, quas confutare poſſit quiſquis theologiam vel a limine ſalutarit? Denique adeo tranſverſum egit maledicendi libido, ut quae ad haec impurorum hominum deliramenta centies ſunt reſponſa, maligno ſilentio ſuppreſſerit.

Alterum, et id ſane perinſigne theologiae Thuani caput eſt, lib. xxviii. Ubi ab Lib. xxviii. Eſpencaeo et aliis quos vehementer laudat ſtatutum ait, *Ut ſanctae trinitatis effigies, tanquam ſacrae ſcripturae, conciliis et veterum patrum teſtimoniis prohibita, tollatur: Sanctorum imaginibus non coronae, ſerta, veſtes imponantur, non candelae accendantur, non thura incendantur: In ſupplicationibus minime geſtentur, ex altaribus tollantur, in iis ſola crucis effigies reſervetur.* Et vero tantopere arriſit Thuano id decretum, ut qui ei obſtiterunt homines praefracti ſint ab eo judicati. Sic enim habet: *Nicolaus Mallardus collegii theologici Pariſienſis decanus interceſſit; et quamvis quaedam pravo more irrepſiſſe non diffiteretur, tamen omnem illum imaginum cultum retinendum contrario ſcripto praefracte aſſeruit, et ita re infecta diſceſſum eſt.* Tuo quidem maximo dolore, ſat ſcio, Thuane, qui ſi in eo conventu judex fuiſſes, nae, quo es in idololatriam zelo, ſacram in eccleſiis imaginem jam nullam haberemus. Et mirabare nuper Eſpencaeum collegio cardinalium excluſum, et neſcio quam hujus repulſae cauſam e legenda ferrea petitam canebas, homo vaniſſime, qui vel imprudens hic agnoſcis hominem plus aequo ſibi tribuentem, dum a Catholica opinione receſſit, impegiſſe in iconoclaſtarum errorem, quos non ſtatim flammis donaſſe ſacras imagines accepimus, ſed primum quidem ſtatuiſſe, ut in ſublime tollerentur, ne jam eis oſcula libare cuiquam liceret. Nemo repente fit improbus, nec omnes ſtatim nequitiae ſuae fraudes haereſis exercere conſuevit.

Et eodem illo tuo genio, Thuane, tranſcripſiſti nefarium edictum quo Haeretici pieta- Lib. lxxiv. tem omnem ac religionem Bruxellis ad tempus eliminarunt, ubi haec inter cetera: *De abominabili reliquiarum et imaginum cultu, unde ab avaris ſacerdotibus credulae plebi pernicioſe impoſitum ſit, &c.* Tum varia congeris quae ab iconomachis hujus aevi jactantur, neque vocula intercedis. Quamobrem qui haec quae a me ſunt e ſcriptis tuis excerpta leget, aut a te negabit eſſe ſcripta, aut Thuanum eſſe Catholicum negabit.

CAPUT XII.

Malignae aliquot Thuani fraudes.

Quanquam ea quae hactenus ſunt a nobis in hiſtoriam Thuani notata, ſole ipſo clarius oſtendunt nihil ab eo eſſe bona fide narratum, ſed omnia quae de Catholicis ſcripſit adulterata eſſe odio, quae de Haereticis caeco in eos amore corrupta eſſe; tamen, ut multorum deſiderio fiat ſatis, nonnullas adhuc hominis technas prorſus illiberali dignas mancipio aperiam. Etenim cum certum haberet ac conſtitutum, et Haereticorum favere opinionibus, et tamen inter Catholicos cenſeri, rationem quandam excogitavit qua, veluti de genere amphibiorum, nunc harum nunc illarum eſſet partium. Nam perſaepe Thucydidis aut Livii in morem conciones et bene longas et elaboratas ſcripſit, eaſque haereſeon propugnatoribus aſcripſit, quibus novarum opinionum firmamenta rationeſque omnes qua potuit vi dicendi perſuadere conatus eſt; neque unquam veneno illi, quod quaſi aureo vaſe lectori propinavit, antipharmacum ullum appoſuit. In rem quaeſo praeſentem, quod aiunt juriconſulti, veniamus; et uno alterove exemplo propoſito fraudem hanc retexamus.

Bohemos pro communione ſub utraque ſpecie ita perorantes quodam loco inducit, ut Lib. ix. veteres Huſſitas vel Wicleffitas ex inferis evocatos triumphare credas: Nullus apud illum eſt

Digitized by Google

eſt qui Bohemorum legatis quidquam reſpondeat, nullus qui pro eccleſiae decretis contra Haereticorum naenias dicat. Quod cum agit quid aliud molitur quam ut veritas mendacio cedat, et imprudenti lectori haereſis ſuaviter inſtilletur?

Lib. XVI. ALIUS locus apud eundem eſt in quo principum Proteſtantium oratores ex Germania Lutetiam deducit, quo innocentiae Annae Burgi Lutherani ceterorumque novatorum apud regem Henricum ſecundum patrocinentur. Quo ſane artificii genere Thuanus belliſſime refert capitalem generis humani hoſtem ea perſaepe dicentem per arreptitios quae ipſe dicere nunquam auſit. Sic quae concepit animo Thuanus in eccleſiam Romanam et Catholicam religionem, concionibus illis ſuis quas Haereticis aſcribit, ſubdole homo nefarius inferit; licet vix unquam ita dolos ſuos conſuat, ut aciem fugiant hominis mediocriter attenti. Certe quidem Thucydides et Livius, quos ſibi, ut videtur, ad imitandum propoſuit, bona fide quid ultro citroque dictum reſponſumque fuerit in ſuis illis concionibus explicant, maximeque cavent ne qua putentur praejudicata opinione a vero deflectere: Pudeat hominem in eccleſiae caſtris merentem ſtipendia, quaſi perfugam ita fidei hoſtibus in omnibus favere, ut pro eis ſemper, contra eos licet manifeſtis et erroribus et flagitiis implicatos nunquam dicat; an vero ita ſe res habeat accurate diſpiciamus.

TETERRIMA fuit poſt fundatum imperium Gallicanum Amboſiana conjuratio, a perfidis hominibus ſuſcepta, qui, religione Catholica ejerata, nullo jure, nulla auctoritate ad arma convolantes ex diverſis Galliae partibus ſtatuerant, rege Franciſco ſecundo aut occiſo aut in ordinem redacto, omnia miſcere. Renaudius, Calvini fautor ſi quis alius, idem hujus nefarii conſilii princeps. Pro ſuperi! quae in hoc audaciſſimo facinore non tam deſcribendo, quam obſcurando Thuanus eſt commentus! Nihil in regem tentatum, omnia conjuratorum conſilia in ſolos Guiſios conſpiraſſe, aliud cogitaſſe nihil quam ne Gallia Lotharingorum jugo ſerviliter premeretur. Interea ut ſibi liberum campum aperiat ad vituperandos impune Guiſios, Renaudium perorantem inducit ad praecipuos factionis duces, et rem ab ovo, quod aiunt, deducentem; ubi ſane cum verbis certant mendacia, quae ſi urgere ſingula velim, vereor ne mihi Renaudium opponat militarem hominem et talium rerum minus peritum. Nam, ut olim principum Romanorum ad ſenatum vel populum orationes notis excipiebantur fideliter, ita mihi videre videor Thuanum Renaudii latus obſidentem, et ſuaviſſimam illam concionem e dicentis ore ſcriptis mandantem; qua Renati Lotharingi cum Carolo Burgundo bella, Antonii cognomento Boni, (quod ille tamen omiſit, ut ille alter inimicum ſuum Piſonem, Frugi, quod ei cognomen erat, addere noluit ne laudaret, ita bonae fidei ſcriptor Thuanus obvolvit ſilentio, ne quem de illa familia celebraret) Antonii, inquam, illatas Haereticis clades, quanquam eas callido artificio elevat, Claudii Guiſii in Gallias adventum, Franciſci varias expeditiones exequitur, ita tamen ut eis laudem omnem maligne adimat. Ingenioſus homo invenit, qui eadem opera poſſet et omne malevolentiae quo tumebat virus in Guiſios evomere, et velo quaſi oppanſo conatum Haereticorum longe omnium flagitioſiſſimum tegere. Nihil agis, Thuane, jam veritas fidem occupavit: Nemo neſcit qui ſenſus animorum in eis fuerit, quos Renaudius ex condicto ad eidus Martias anni MDLX, Amboſiam evocarat. Cohorruit orbis univerſus tanti ſceleris perlato quaquaverſum nuncio; facileque intellectum eſt hunc eſſe primum fructum haereſeos, quam ſuperbia genuit, aluit crudelitas. Jam Lutherus Germanica ſervitia in dominos armarat; reſtabat hoc etiam Calvino, ut Gallos, contra ingeniam gentis, in Chriſtianiſſimos reges ſuos vano libertatis titulo cogeret.

Lib. XIV. AGE, nunc alias Thuani fraudes excutiamus. Andelotus Gaſparis Colinii frater, Gallici peditatus praefectus idemque haereſeos fautor acerrimus, auctoritate qua plurimum poterat incurabili quadam ſerpigine milites inficiebat. Evocavit eum ad ſe Henricus rex optimus, monuit perhumane ne ſe alioſque perditum iret: Rediret ad eccleſiae caſtra. Hic, quaſi Sebaſtianus quiſpiam coram Diocletiano ſiſteretur, ſic eum nobis Thuanus glorioſum ſuae fidei confeſſorem magnificis verbis exhibet: *Summa fiducia, ut erat vir elato animo, juxta Calvini doctrinam, minime ſecundum regis votum, reſponſum dedit: Quin etiam majore quam antea fiducia haec addidit, ſe in cauſa religionis fucum Deo facere non poſſe; corpus, opes, dignitatem, in regis eſſe poteſtate; animam ſoli Deo, qui dedit illam, ſubjacere, cui proinde in hac cauſa, ut potiori domino, parere neceſſe habeat.*

QUID unquam ab apoſtolis ipſis dictum conſtantius furenti in Chriſtum ſynagogae? aut vero quid obſtat quin hoc Thuani praeconio elatus ad ſuperos Andelotus in divorum numero reponatur? Flagitioſiſſimus ille mortalium, digniſſimuſque fratribus ſuis Gaſpare et Odeto; cui de ſacerdotum auribus contextus torques, quovis conchyliato nobilior, ut aiebat, e collo pendebat, qui, turbinis inſtar aut potius furiae cujuſpiam tartareae in morem, quocunque pedem intulerat Catholicos mactabat, aras priuſquam everteret ſacerdotum ſanguine imbuebat, eccleſias inflammabat, ſacros calices conflabat, aſſervatos maxima religione ſanctorum cineres in auras ſpargebat. Hunc tibi tutelarem divum aſciſce, Thuane, hunc tuis in haereſi confirmandis ad imitandum propone, illis ejus conſtantiam, quo-

niam eo verbo ſaepe tibi abuti placet, praedica: Eum etiam, ſi voles, Calvini, nec enim Chriſti, confeſſorem immortalitati conſecra: Sciant poſteri quam ἀντιφραστικῶς veſtibulo hiſtoriae tuae affixa ſint illa duo emblemata Ἀληθείας et Παῤῥησίας; verius iis ſubſtituiſſes Ψεύδους et Θράσους: convenientius hi duo Limentini Dii farraginis tuae hiſtoricae limen obſediſſent; adeo tuus ubique ſtylus in mendacia projectus audacter eſt, ut aliud nihil propoſitum habere videatur, quam ut proborum hominum ruina improbos evehat.

Et riſi ſane, ea percurrens quae tu eidem hiſtoriarum tuarum veſtibulo praefixiſti ex Luciano et Polybio. Quam enim religioſe id praeſtitiſti, quod te illi docuerant? In hiſtoria nullo affectu privato duci, ſed virtuti laudem decernere etſi ea in hoſte reperiatur, vitium vel in amiciſſimo deteſtari. Itaque viſa mihi tua hiſtoria eſt inſtar pyxidis, quarum pleraſque apud pharmacopoeos cernimus, quibus inſunt affixi tituli perelegantes, et earum fere rerum quae ab ultimo oriente curandis corporibus devehuntur, quarum tamen praeter epigraphas nihil repraeſentant. En tibi alia hujus fraudis argumenta.

Ierat in Braſiliam Villagagno, haereſis miniſtros non paucos ſecum adduxerat, ut Lib. xi. erat tum Calvini ſectae addictiſſimus. Vix octo menſes in illa ora cum eis tranſegit; in Galliam rediit, quodque ipſi utilius fuit, ad eccleſiam Catholicam ſeſe retulit. Tu vero, Tite noſter, cujus in ore et corde ſcilicet Ἀλήθεια ϗ Παῤῥησία ſeſſitant, quid ais? Unde tam repentina in Villagagnone mutatio? Ecquos doctores Catholicos in Braſilia audierat, qui Sectariorum cum pari improbitate inſcitiam aperirent? Tu haec tantum obiter: *Villagagno a cardinali Lotharingo, ut creditur, per literas monitus Genevenſes miniſtros male a ſe habitos dimiſit.* Quae ſane paucula verba vix a te veritas extorſit. Quanquam ſi quid in te ingenui hominis fuiſſet, cardinalis Lotharingi hac in re pietatem dilaudaſſes, qui devium a fide Catholica in eccleſiam revocaſſet, *Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas.* Niſi forte, omnium religionum homo, nihil intereſſe putas quam quiſque profiteatur, et quacunque via ad tam grande ſecretum, ut aiebat ille, perveniri. Sic Themiſtius gentilis philo- Orat. Conſul. ſophus Valenti perſuadere conatus eſt, divinum numen homini impervium hac opinionum varietate delectari: Catholicorum alia mens eſt, ſenſus alius, quibus ut arca ſalutis unica eſt, ſic indubitatum eſt illos qui ab ea extorres fuerint, ſpei etiam exortes eſſe. Sed ad Villagagnonem redeo, qui ſuae ad eccleſiam reverſionis cauſas ſcripto evulgavit, quas tu non neſciviſti; eas ſi forte oblitus, et veritatem ferre potes, de me audi. Fucum fecerant primi haereſeos miniſtri Villagagnoni, homini minime malo, et qui ceteros ex ſe metiretur; nam praeter purum Dei verbum, eccleſiae reformationem, benevolentiam mutuam, aliud crepabant nihil: Accedebat oris, totius corporis, ad modeſtiam conformatio: Diceres illos ipſos eſſe Manichaeos quos ſanctus Auguſtinus olim in confeſſionibus ſuis depingebat: Itaque Villagagno, homo tum rerum divinarum parum intelligens, quod pleriſque etiam aliis contigit, prima illa haereſeos congreſſione dejectus eſt. Speravit ſe veritatem apud nuperos illos Gnoſticos inventurum quam Catholici nondum praeſtitiſſent. Sed ut Alexandrinus Clemens memoriae prodidit Aegyptiorum templa propylaeis pulcherrime ſubſtructis varioque marmore incruſtatis exornata eſſe; in quae ſi penitius intres, crocodilum, aut felem, aut hircum, aut quod aliud foediſſimi animalis ſimulacrum invenies: Ita prorſus ſub praeclaro illo ſactimoniae velo meram reperit Villagagno hypocriſim, avaritiam, libidinem, ambitionem, quibus offenſus ſeſe ad eccleſiae ſinum retulit. Haec tu veritatis et libertatis amator, Thuane, cum ſcires optime, maligno ſilentio ſuppreſſiſti; veritus ne quid laudis ex eo eccleſiae Catholicae accederet, neu qua vocula de fratribus in Chriſto Calviniſtis male mereteris, ſi eorum orgia Braſiliana, de quibus fuſe vereque Villagagno, propalares.

Sed quo etiam ſpectaſſe putem Thuanum cum Joannis Lerii hiſtoriam hac de re ſcrip- Lib. xi. tam mirifice laudat. *Scripſit*, inquit, *ſumma fide ac ſimplicitate.* Anne hoc eſt quod aiunt, Corvus corvo ſuaviter crocitare videtur? Neque adhuc quidquam reperi ex officina Haereticorum depromptum, quod Thuano non ſummopere arrideret. Itaque ut Lerii haeretici probat hiſtoriam, ita Andreae Theveti Catholici hominis de eadem re ſcriptos commentarios dici non poteſt quantum deprimat: *Cum vix literas ſciret Thevetus*, ait, *abjecto cucullo ex monacho celeberrimus planus factus eſt.* Sed unde repente tantum aceti Thuano homini ſuaviſſimo? Amiculos ſuos Lutherum, Bucerum, Ochinum, Petrum Vermilium, innumerabiles alios apoſtatas non a fide modo, etiam a religioſo ſtatu, quos ſciebat abjecto cucullo in nonnarum amplexus ruiſſe turpiter, nunquam vocula pupugit: Thevetum cur unum tam graviter exagitat? Sed, opinor, hac ſe Thevetus moleſtia liberaſſet, et Thuano benevolo uſus eſſet, ſi Catholicam cum aliis apoſtatis ejeraſſet; quod in eccleſiae caſtris ſtetit, hinc illae graves in eum Thuani querelae.

Transeo ad aliud malae fidei in Thuano non obſcurum argumentum: Georgium Lib. iii. quendam Sophocardium concionatorem Lutheranum ex Scotia huc ad nos advocat, divinum prorſus hominem, qui cum jam ad palum ſtaret, pyrae impoſitus, repente alta voce, quae ab omnibus ſit exaudita, praedixit quae a Deo ſuae innocentiae vindice brevi tempo-

te ſumendae eſſent poenae de cardinali Santandreano: *Nec vaticinio defuit exitus*, inquit Thuanus. Sic alio loco Annam Burgum praeſago ſpiritu narrat Antonio Minario praeſidi praedixiſſe, quae deinde comprobavit eventus. Quis jam ergo Lutheranis faceſſat moleſtias, quos tam praeſens numen ſibi praecipuae curae eſſe oſtendit? Aliis merces tuas et λήρους defer, Thuane: Aliis narra quod te video magno apparatu verborum facere, Sophocardium in carcere, eodem quo obiit die, coenam dominicam ex ritu Lutheri celebraſſe: Egregiam vero laudem, ſi Catholicus es, obſtinato defers homini, qui, ne quidem ultimo illo quo vixit die, a flagitioſo ritu voluit abſtinere. Sed tu non σοφοκάρδιος ſed μωροκάρδιος es, ſi prudentibus perſuaderi putas poſſe, eum qui ad mortem uſque excucullati apoſtatae doctrinam et improbiſſimam et impuriſſimam mordicus tenuerit, habuiſſe ſupplicii ſui in Catholicos Deum ultorem.

Nec vero praetermitti debet dolus alius, Thuano perquam familiaris. Obſervatum enim eſt, pleriſque ſcriptoribus haereticis, quos nunquam ſine praeconio nominat, unum alterumve Catholicum doctorem interdum ab eo adjectum eſſe. An vero forte de eo dici debet, quod olim S. Hieronymus in Evagrio Pontico Origeniſta graviter reprehendit? Qui, ut fidem verbis ſuis aſtrueret et haereſis ſuae fautores pro gravibus et ſanctis viris venditaret, ſancti Joannis anachoretae vitam ſuis libris praefixit: Ut venefici, inquit ex Lucretio, *prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore.* Niſi forte huc etiam ſpectavit Thuanus, ut, pauculis interdum Catholicis doctoribus jejune laudatis, eccleſiae Catholicae paupertatem et inopiam apud nos doctorum hominum prae multitudine maxima Haereticorum, quos vulgo doctrinae nomine commendat, oſtenderet.

Jam vero, quorſum illud quod ubique Sectarios omnes communi Proteſtantium nomine complectitur; et quod hactenus ſectatorum Lutheri proprium fuit, nunc etiam cum Calviniſtis communicat? Anne Thuanicum ſive ſubdolum hoc aliquid ſubolet? Sic opinor; voluit Thuanus ſuadere imprudenti lectori jam Calviniſtas et Lutheranos eodem et nomine et dogmate conſociari, neque jam niſi forte de rebus parvulis diſſidere. Qui ſi bona fide ageret, divideret nominibus quos ſcit et ſententiis et animis toto coelo diſſidere. Tentarunt ante eum idem alii, ut junctos opinionibus Sectarios omnes, quaſi manu facta, furioſius cum eccleſia Catholica committerent. Sed nunquam eveniet, ſat ſcio, ut gigantes illi Calanam turrim in Deum ſubſtruentes, idem aut ſentiant aut loquantur. Lupis et agnis quanta ſortito obtigit, imo longe major, inter illos diſcordia eſt.

Lib. LXXIII. Referendum illud quoque inter illiberales Thuani ſutelas cenſeo, quod in Rupellae obſidione deſcribenda habet: Eo enim loci, fateor, primum graviter invehitur in miniſtros quoſdam, qui pro concione vulgo clamarent hoſtibus in eo bello impium eſſe parci. Sed mox ſcorpii in morem cauda venenum fundit, et, ut loquitur Tertullianus, *arcuato ferit impetu*; nam addit: *Cui ſimilem opinionem a communi ſenſu humanitatis abhorrentem, contra belli jura et publicam fidem, ſciſſa factionibus Gallia, etiam noſtri theologi Lutetiae et in praecipuis regni urbibus, pari temeritate, haud ſine magna ſacri nominis infamia, his ultimis temporibus defenderunt.* Ut non tam Calviniſtas ſuos quam noſtros theologos hic ſuo more voluiſſe carpere videatur. Sed haec de plurimis pauca in priores Thuani libros adnotaſſe ſufficiat, nam facilius longe eſſe duco ſtabulum Augiae expurgare, quam omnia hiſtoriarum Thuani et menda et mendacia exhaurire.

In Scorp.

Quae Photius in Bibliotheca de Philoſtorgio hiſtorico et Ariano ſcribit, conveniunt optime Thuano: ἱστορεῖ ἐναντία σχεδὸν ἅπασι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς, ἐξαίρει τοὺς ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίαις πλύνει τοὺς ὀρθοδόξους· ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν αὐτοῦ μὴ ἱστορίαν, μᾶλλον δ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν, ψόγον δὲ γυμνὸν καὶ κατηγορίαν τῶν ὀρθοδόξων, ἀνὴρ πάνυ ψευδολόγος. *Narrat fere contraria omnibus eccleſiaſticis hiſtoriis, laudibus extollens quos novit Arianiſmo infectos, et convitiis orthodoxos perfundens: ut eſſe hoc ejus opus non tam hiſtoria videatur, quam Haereticorum laudatio, cum nuda et mera vituperatione atque accuſatione Catholicorum, &c.* Si pro Arianis ſubſtituas Lutheranos et Calviniſtas, exiſtimes Photium de Thuano locutum eſſe.

Sententia haec praetoris praefecturae Pariſienſis primum typis vulgata fuit Pariſiis, apud Durand 4to. 1614; et poſtea ad calcem Commentariorum de Vita Thuani Genevae editorum anno 1620, cum monitione lectori ei adjuncta.

SENTENTIA PRAETORIS PRAEFECTURAE PARISIENSIS, *adverſus famoſum libellum inſcriptum, In* JAC. AUG. THUANI *Hiſtoriarum libros Notationes, auctore* JO. BAPTISTA GALLO.

UNIVERSIS praeſentes literas inſpecturis, LUDOVICUS SEGUIERIUS eques, ſancti Briſſonis baro, Realſii et S. Firmini dominus, conſiliarius regius, nobilis ordinarius cubiculi regii, praefecturae Pariſienſis praetor, S. D. Notum facimus, quod hodie poſtquam ad nos retulit regius in hac curia procurator, poſtremis Francofurtenſibus nundinis quoſdam hujuſce urbis bibliopolas attuliſſe famoſum libellum inſcriptum, IN JAC. AUGUSTI THUANI HISTORIARUM LIBROS NOTATIONES, AUCTORE JO. BAPTISTA GALLO JC. impreſſum Ingolſtadii, anno praeſenti milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, apud Eliſabetham Angermayrinam: Nos, viſo dicto libello et concluſionibus dicti procuratoris regii, dicimus, quod dictus liber, quia pernicioſus eſt et multa continet ſeditioſa adverſus tranquillitatem publicam, pacificatoria edicta, ac denique plenus eſt impoſturarum et calumniarum adverſus magiſtratus regios, ſuppreſſione damnabitur: Prohibemus ac vetamus ne quis bibliopola aut typographus eum recipiat aut retineat, ejuſque copiam ulli faciat, neve eum imprimat, imprimive curet, aut vendat; qui ſecus faxit mulcta quingentarum librarum Pariſienſium, ac praeterea corporis poena emendabit. Atque hanc noſtram ſententiam procurator regius librariorum ſyndicis ſignificari curabit, ut per ſyndicos cunctis librariis et typographis notificetur, neque ullam ignorationis cauſam illi praetexant, et intra octo dies omnia quae habent dicti libelli exemplaria ad actuarium noſtrum adferant, eadem poena in minime parentes indicta. Dictique ſyndici librariis ac bibliopolis ſententiam noſtram ſignificatam fuiſſe certum faciant procuratorem regium; ſin ſecus, nomine proprio privatoque ipſi caſtigabuntur. In cujus rei fidem nos praeſentibus literis ſigillum praefecturae Pariſienſis apponi juſſimus. FACTA et data per HENRICUM DE MESMES, Irvallii dominum, ſacri conſiſtorii conſiliarium, et civilem urbi propraefectum, die ſabbathi VII Junii, anno S. milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto. Signatum,

DROUART.

LECTORI.

NESCIO quis fanaticus Jo. BAPTISTAE GALLI nomine ſeſe nuper involvit, oeſtroque ſatanico percitus calumniarum et mendaciorum virulentiſſima rabie paginas aliquot infecit, quas ſuperioribus nundinis Ingolſtadienſes typographi, qui foedum ingenii monſtrum protinus abominari et corrumpere debuerant, circum quaeſtus et officinas exponere maluerunt. Itaque fallaci titulo proſtabant quaedam in Jac. Auguſti Thuani Hiſtoriarum libros notationes; intus autem convicia, impoſturae, technae omnes ſycophanticae ad optimi viri famam, ſi liceret, labefactandam flagitioſiſſima conjuratione conſpirabant. Sane Thuanus, illuſtriſſimis ampliſſimiſque ortus parentibus, ſummis ingenii judiciique dotibus divino numinis beneficio cumulatus, rem omnibus olim ſeculis profuturam, temporum ſuorum hiſtoriam compluribus libris pertexuit. Verum ea tempora inciderunt, quibus ſententiam aperuiſſe veritati conſentaneam modeſtiaeque adfinem, maximum fuit ſcelus. Is ergo pravas de rebus ſacris opiniones, quas obtentu religionis nefarius quiſque conceperat, exoſus, in ipſa quidem ſectarum capita, velut in publicae quietis conturbatores regio magiſtratuum gladio cauſa cognita animadvertendum eſſe cenſuit. At poſtquam id malum, populos, provincias, regna integra pervaſit, ea demum non truculenta vaſtatione deleri, ſed potius ſanctis adhortationibus et caſtigatis morum exemplis coerceri, atque in Chriſtianam concordiam reduci, votis omnibus exoptavit. Quod quum verum rectumque eſſe explicatis rerum toto orbe geſtarum monumentis, ſumma fide, procul odio, procul amore, oſtendiſſet, provolavit e taberna ferali gallulaſcens bubo, qui et exemplorum ipſamet acta, ipſas regum magnatumque epiſtolas ac diplomata, ipſa legatorum mandata, quiſquilias eſſe occineret, ex doliari, quam ſtultiſſime blaterando comminiſcitur, bibliotheca petitas: quum tamen ipſiſſima ſint acta rerum et commentaria, quae duces, epiſcopi, magiſtratus, legati, alii denique viri graviſſimi confecere; quaeque adhuc ſervantur in Thuani bibliotheca, non doliari, ſed inter egregias, quae tota Europa celebrantur, lectiſſima. Illud vero quam ſcelerate et perfide Gallus iſte cucurivit, Thuanum

num libro ſuarum hiſtoriarum vigeſimo tertio, Franciſco II diram aliquam morbi, quaſi de materno conceptu contracti, infelicitatem exprobraſſe: Cum tamen eo libro Thuanus exquiſitiſſimam operam dederit, ut, aperta vera morbi cauſa, ſicut a praeſtantibus medicis explorata fuerat, demonſtraret impudentiſſimum fuiſſe mendacium, quod in vulgus ſparſerant Baptiſtae Gallo conſimiles bipedum nequiſſimi. Sed quid non fingere audeat damnatae conſcientiae perditiſſimus nebulo, qui Thuano, quod olim deſignatus epiſcopus Carnotenſis, inter eos, qui vulgo Minores Canonici nuncupantur, ſteterit, poſteaque ſacramento conjugali ſeſe obligaverit, crimini vertit, et votum ejeraſſe mentitur. Nempe fatuus Gallus ignorat, aut ſtolide diſſimulat, quod pueri ſciunt, minima illa ſacrorum initia pontificum auctoritate facile diſſolvi: Neque propterea obligatum fuiſſe Thuanum, aut prohibitum, quo minus ſanctiſſimae conjugi fidem daret, ac datam, vitae conjugalis innocentiſſime tranſigendae voto ſanciret; quod eccleſiam ſciviſſe, angelos renunciaſſe, Deum opt. max. ratum habuiſſe nemo ſanus, nemo bonus addubitat. Sciunt Franco-Galli, quod Baptiſta Gallus obſtinata veſania pernegat, Thuanum Catholicae fidei tenaciſſimum, et eccleſiae Romanae, quam ſanctiſſimi apoſtoli Petrus et Paulus ſcriptis ſanguine ſuo conſignatis fundaverunt, religioſiſſimum eſſe cultorem, qui vel tantillum ab ea recedere ſummum ſemper eſſe nefas exiſtimaverit. Apage gallinaceum iſtum deteſtandae proterviae Gallum, de ſterquilinio ſuo margaritam contaminare geſtientem. Vae illis rabulis, qui ſuo patrocinio turpem inficeti Galli cantum excitarunt.

IV.

VIRI ILLUSTRIS

JAC. AUG. THUANI

REGII IN SANCTIORE CONSISTORIO CONSILIARII,

ET IN SUPREMO REGNI SENATU

PRÆSIDIS AMPLISSIMI,

COMMENTARIORUM
DE VITA SUA
LIBRI SEX.

CORNELIUS TACITUS
IN VITA JULII AGRICOLAE.

PLERIQUE SUAM IPSI VITAM NARRARE, FIDUCIAM POTIUS MORUM, QUAM ARROGANTIAM, ARBITRATI SUNT. NEC ID RUTILIO ET SCAURO CITRA FIDEM, AUT OBTRECTATIONI FUIT. ADEO VIRTUTES IISDEM TEMPORIBUS OPTIME AESTIMANTUR, QUIBUS FACILLIME GIGNUNTUR.

CAIUS PLINIUS, EPIST. XVI. *LIB.* VI.

BEATOS PUTO QUIBUS DEORUM MUNERE DATUM EST, AUT FACERE SCRIBENDA, AUT SCRIBERE LEGENDA; BEATISSIMOS VERO QUIBUS UTRUMQUE.

IV.

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER PRIMUS.

NATUS [α] eſt Jacobus Auguſtus Thuanus Lutetiae Pariſiorum VIII Eid. Octobr. circa horam ſeptimam matutinam, in aedibus avitis, quas nunc habitat, anno ſalutis [β] CIƆ IƆ LIII; eodemque [1] die pro eo in ſacro luſtrico CIƆ IƆLIII. ad S. [a] Andreae in Arcubus fidejuſſerunt Renatus [b] Rollicrius epiſcopus Silvanectenſis, Franciſcus [c] Demié ex nobilitate [d] Lemovica ſenator Pariſienſis, et Margarita [e] Borgeſia Auguſtini patrui [2] uxor: in eoque Jacobi nomen fere gentilitium, quippe ſupra Auguſtinum avum tres ordine Jacobi numerantur, ac maternum, ex voluntate patris renovatum eſt. Aderat Hadrianus item patruus, qui Jacobo Auguſti nomen ominoſum adjunxit. Is magni animi et incorruptae

VAR. LECT. [α] [Prooemio ſequenti, quod in *MSS. Reg. Samm. & Autogr.* legitur, nota haec in *MS. Rig.* praefigitur. *C.*] *Hanc praefationem Nicolaus Rigaltius commentariis de vita Jacobi Aug. Thuani praemiſerat, quam tamen cum typis mandaretur, excudi noluit, quae ex libro manu ſua ſcripto excerpta eſt.*

Decennium jam elapſum fuerat ab editis primum Annalibus; et illorum auctor, qui, mordaci adhuc veritatis hodie tantopere inviſae ſenſu, ſumma ſtatim inter ſuos, et mox foris Romae, malignitate quorundam civium ſuorum iſthic res moventium, ac poſtea in Hiſpania, invidia conflagraverat, obfirmato ad familiarem ſibi conſtantiam contra obtrectationes animo, et magnatibus regni, qui ſe laeſos immerito putabant, placatis, omni ſe moleſtia plane defunctum exiſtimabat; cum ecce famoſus liber Ingolſtadii cuſus, ſed in Francia, proh pudor! natus, partu elephantino prodiit, et ad auctorem ipſum, cum ad Menehildis-fanum cum ceteris a rege reginaque ad motus nuperos componendos delegatus eſſet, a librario Francofurto veniente allatus eſt; quem ille, titulo tantum perlecto, ſuſpicatus id quod erat, ſtatim librario reddidit; nec ſe inſpectione aut lectione deinceps dignaturum eum religioſe promiſit. Is poſtea Lutetiam allatus, cum auctor, nihil de eo apud quenquam conqueſtus, quod religioſe rurſus affirmat, adhuc reipublicae cauſa abeſſet, praetoris Pariſienſis ſententia damnatus ac ſuppreſſus eſt. Itaque nec ei meus eſt infami libello, quem nunquam legit, reſpondere; neque Annales ſuos apologia, quod plerique fecerunt, contra calumnias objectas tueri: ſed quoniam calumniarum putidarum conſarcinatores non contentos in Annaleis dicere, etiam in vitam auctoris ſtylum virulentum ſtringere non puduit, multi ei perſuadere conati fuerant, ut quod in publicae rei gratiam feciſſet, tot annorum et vigiliarum opere conſummato, ſibi ac ſuis privatim minime denegaret: quod tamen ille pertinaciter ſe facturum pernegavit; injurias ſibi praeter jus, tam ingrato ſaeculo, inflictas, ſilentio, patientia, ac contemptu, tranſigere certus, de iiſque ad poſteritatem, quae citra odium et gratiam olim ſuffragium latura eſſet, provocans; de cetero ſecurus, quid maleferiati homines aut in aula noſtra aut foris garriant, modo intus bona conſcientia tutus, eam teſtem perpetuam apud Deum habeat, recte et fide integra navatae in tota illa ſcriptione operae. Mihi igitur, qui viri ad publicam utilitatem nati innocentiam perſpectam habeam, ejuſque dignitatem integram conſervari publicae itidem rei ſummopere intereſſe exiſtimem, memoria repetenti, quae ab illo, de ſe ac rebus ſuis veraci ac minime jactabundo animo plerumque diſſerente, accepi, ea ſcriptis mandare operae pretium duxi: ut de iis ad refellendas calumnias non ſolum apud praeſentis ſaeculi homines conſtet, ſed etiam qui poſt nos futuri ſunt, hinc habeant, unde privatos viri ejus mores et totam vitae domeſticae rationem diſcant, cujus ingenium et candorem ex ipſius ſcriptis ſunt olim ſemper cognituri.

INTERPR. [a] *S. André des Arcs.* [b] *Roulier eveſque de Senlis.* [c] *Demié.* [d] *du Limouſin.* [e] *Bourgeois.*

Notae quae ſequuntur, a P. Puteano in editionis Genevenſis, in bibliotheca regia aſſervatae, margine ſua ipſius manu inſcriptae ſunt. Stylum licet operis magis quam materiam reſpiciunt, emendationes a tanto viro factas hic adjicere viſum eſt; qualeſque ſint, textum cum notis conferendo lector curioſus facile, nec ingrate, videbit. C.

NOT. [1] die Chriſtiano ſacramento tinctus ad S. Andreae in Arcubus

[2] uxor. Praenomen maternum ex voto patris inditum Jacobo, quod fere Thuanis gentilitium fuerat, quippe ſupra Auguſtinum avum tres ordine Jacobi numerantur. Aderat et patruus Hadrianus, qui Jacobum cognominavit Auguſtum. Is magni

incorruptae probitatis vir, primum ſenator Pariſienſis ex ordine eccleſiaſtico, dein libellorum ſupplicum in regia magiſter, cum nondum ea dignitas numero viluiſſet, cum legatus in Hiſpaniam a rege Carolo, qui eum plurimi faciebat, deſtinaretur,[1] praematura morte XVIII poſt annis [α] deceſſit.

INTER majores Jacobus II Mariam [a] Violam duxit uxorem, ex familia, quae tot ſenatui aſſeſſores, et Gulielmum Violam urbi epiſcopum, dedit. Jacobi iſtius frater Guichardus Annam Deganaiam ſororem Joannis [b] Deganaii, a Franciſco Guicciardino toties honorifice memorati, et qui poſtea digniſſimus Franciae cancellarius fuit, uxorem duxit; de cujus cauſa matrimoniali conſultus Nicolaus [c] Boerius, magni nominis, ut tunc tempora ferebant, juriſconſultus, [2] reſpondit conſilio XL.

EXTINCTA deinceps, ſive in alienam tranſlata, familia principali, ſecundo geniti ex equeſtri ordine in togatum migrarunt, in eoque Jacobus III vixit, et ex Genoveſa [d] Monia Alemania Auguſtinum ſuſtulit; qui cum ſenatus Pariſienſis praeſes a Franciſco I lectus fuiſſet, paulo poſt obiit, menſe Martio anno CIↃ IↃXLV. Cumque ad ejus funus, [3] ut fit, invitaretur ſenatus, ampliſſimi ordinis praeſes reſpondit, Auguſtini integritatem ac ſummam virtutem, quibus in ſenatu, [4] dum vixit, excelluerat, meruiſſe, ut non ſolum funeris honor, qui praeſidibus aliis deferri ſolitus eſſet, praeſtaretur, ſed ut in poſterum tanti viri, donec erit juris cultor rectique ſenatus, intempeſtivum lugeat [5] exitum. Atque id in acta curiae eſt relatum. Is porro Claudiam [e] Marlam in uxorem duxit, Erici Marlae Franciae cancellarii, qui cum Bernardo [f] Armeniaco equitum magiſtro ſub Carolo VI indignum in modum anno CIↃ CCCC XVIII Lutetiae caeſus eſt, proneptem, quae Chriſtophorum, ac XXI praeterea, ſeu mares ſeu foeminas, mira foecunditate viginti annorum ſpatio, progenuit.

CHRISTOPHORUS ex Jacoba [g] Tullia Caelia, cum Deganaio jam memorato, quippe quae Dionyſiam ejus ſororem aviam habuiſſet, et Franciſco [h] Olivario item Franciae cancellario, arctiſſima cognatione conjuncta, tres filios ac quatuor filias ſuſtulit,

turi. Proinde nemo a me expectet, ut ad librum publica magiſtratus auctoritate jam damnatum reſpondeam; quia nihil heic ſcribere inſtitui, quam quod ex familiaribus ejus colloquiis ſparſim, cum una deambularemus, variis vicibus didici, et quod ipſe ſe facturum, ſi per malevolorum obtrectationes licuiſſet, ſaepe pollicitus fuerat; ut multa ſingularia toto vitae minime otioſae curriculo ſibi viſa ac cognita, et a diverſis hominibus accepta, quae in univerſae ac generalis hiſtoriae corpus vix commode compingi poterant, quaſi vitam privatam ſcribens, in ephemeridem ſive rerum quotidianarum commentarios conjiceret. Quod cum ille non fecerit, neque vero ſit facturus, ſupereſt ut, quod fructuoſius et uberius praeſtare potuiſſet, id jejunius ac minore cum utilitate per amicos ſuppleatur: ut mihi danda ſit venia, ſi, ne tot rerum magno poſteritatis detrimento memoria periret, audacior in re aliena fui; nec minor fides tribuenda de amico viro ſcribenti, cujus ingenua ac nemini noxia libertas plenam de ſe ac moribus ſuis cenſendi libertatem omnibus fecit. Natus eſt

[β] CIↃ IↃ LIII; quo eodem anno, ſed aliquot poſt menſibus, atque adeo S. Luciae die, aeternae memoriae princeps, Antonii Borbonii et Joannae Labretanae filius, Pavii in Benearni principatu, ſub horam decimam ſerotinam, in lucem, ſine ullo fere matris dolore, editus eſt, et de avi Navarrae regis adhuc ſuperſtitis nomine Henricus dictus; qui poſtea magno Chriſtiani orbis bono apud nos feliciſſime regnavit: eodemque die *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

VAR. LECT. [α] deceſſit. Majores [quod omiſſum voluiſſet auctor, quippe qui quod non ipſe fecit vix ſuum putet] ex Campania noſtra ſive Bria arceſſuntur, ubi in Ceſanenſi comitatu cognominis arx eſt; quam Blanca, Jacobi II et Mariae Violae, ex familia, quae tot ſenatui aſſeſſores, et Gulielmum urbi dedit epiſcopum, filia, dotalem in Angluriorum familiam intulit. Is Jacobus et Guichardum fratrem habuit, qui Annam Deganaiam Joannis Deganaii, a Franciſco Guicciardino toties honorifice memorati, et qui poſtea digniſſimus Franciae cancellarius fuit, ſororem, uxorem duxit. *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Viole.* [b] *de Gannay Sr. de Perſan.* [c] *Boyer.* [d] *le Moine des Lallemans.* [e] *de Marle.* [f] *d'Armagnac conneſtable.* [g] *Jacqueline Tuelleu dame de Celi.* [h] *Olivier.*

NOT. [1] praematura morte deceſſit.
[2] reſpondit conſiliorum quae ab ipſo edicta ſunt undecimo. Extincta
[3] ut fit, *delentur.*
[4] dum vixit, *delentur.*
[5] exitum: quod in acta

ſuſtulit, ac [1] ſex alios praeterea qui in infantia eſſe deſierunt. Joannes filiorum major natu, in flore aetatis, cum magnam de ſe expectationem in aula noſtra excitaſſet, morbo abſumptus, Renatum ex Renata Balieta progenuit, et tres filias ex majore numero ſuperſtites; Renatam, quae Joanni [a] Burnovio Cuſſiaco ſenatus Armoricani primario praeſidi; Iſabellam, quae Joanni [b] Longovallio Manicampio Bucoii comitis in Belgio gentili; Jacobam, quae Friderico [c] Hangeſto Argenlio, nupſerunt. Chriſtophorus biennio vix Joanne minor miſerabili caſu per haec bella, cum cognomine filio quem ex Franciſca [d] Alegrina ſuſtulerat, periit. Filiae natu majores, Jacoba vitam monaſticam profeſſa in [e] Malanoviano coenobio, ejuſdemque coenobii antiſtita electa ad paucos dies ſuperſuit. Maria et ipſa in [f] Piſciaceno coenobio primum profeſſa, poſt [g] Claretii in Aulercis monaſterii haud longe a [h] Nogento Retrodi [α] antiſtita. Anna item, quae Philippo [i] Huralto Chevernii comiti et Franciae cancellario; et Catharina, quae Achilli [k] Harlaeo ſenatus Pariſienſis primario praeſidi nupſerant, jampridem ad meliorem vitam migraverunt.

SUPEREST Jacobus [β] Auguſtus, de quo ſermo inſtitutus eſt, qui difficilem admodum [2] infantiam habuit, ut ipſe a nutrice ſua ſe intellexiſſe ſaepius mihi narravit, crebris torminibus cruciatus et inſomnis fere per noctem, ut metus parenteis inceſſerit, ne intenſis et aſſiduis ejulatibus rumperetur. Ad haec pro cibo totum biennium nihil praeter lac accipiens, rejecta omni pulte, a qua deinceps tota vita abhorruit, et, quae in Italia uſurpatur, ex friato pane et oleo polenta; ſolito citius propterea ablactatus, et inde gracilis ac macilentus, ut de vita ejus deſperaretur, donec ad quintum annum pervenit, quo pingueſcere et ſucco coepit turgeſcere, qualis cernitur in tabula a Georgio Veneto illuſtriſſimi cardinalis Caroli [l] Lotharingi domeſtico, qui in proximis aedibus [m] Fiſcanenſibus diverſabatur, depicta: tunc enim ſeptimum annum agebat.

EO factum, ut indulgentius, et negligentius quantum ad animi cultum, domi ſit habitus; quippe qui, dum valeret, ſatis diſcere videretur. Nec interea tamen in illa aetate, quantum in ſe fuit, deſidiae ſe dedidit, in pingendo aſſiduus, ad quod laudabile animi exercitium, omni alio ſive infantiae ſive pueritiae omiſſo oblectamento, natura ferebatur: gentile hoc in Thuanis; nam et Hadrianus patruus, de quo dixi, et Joannes et Chriſtophorus fratres ſcitiſſime pingebant. Ipſe Alberti [n] Dureri praeſtantiſſimi pictoris coelaturas calami ductu ſtudioſe admodum imitabatur, et eodem inſtinctu, antequam ſciret legere, ſcribere didicit. Decimo demum anno literas attigit; ex hac [γ] occaſione mox in ſcholam [o] Burgundicam, quod ea in proximo eſſet, CIƆIƆLXIII.

cum

VAR. LECT. [α] antiſtita, hodie adhuc in vivis eſt. Anna *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] Auguſtus cum Maria: de quo *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[γ] occaſione. Joannes Tulenus homo Gallo-belga Lutetiae tunc erat, qui literis Graecis et Latinis egregie inſtructus, etiam Eraſmum puer viderat, et, quo caſu incertum, in aulam delatus, ſive adfectata ſive vera dementia, in epiſcopatu Cameracenſi ſibi fraudem factam dicebat; hoc excepto, bene de literis ac de rebus ſuis ſentiens. Is, cum erudita ſcurrilitate diurnum aureum a Carolo rege meruiſſet, liberaliori vitae aſſuetus, crebro in aedeis patris ventitabat; et, ut induſtriam ſuam ei adprobaret, aliorum in docenda lingua Graeca magnum prae ſe faſtidium ac contemptum ferens, regulas et notorum verborum declinationes ac conjugationes propria manu deſcriptas Jacobo puero porrigebat, cum vix dum legere didiciſſet, et a Graecis inſtituendi eum fecit initium. Poſt annum mox in ſcholam *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Bourneuf Sr. de Cuſſé, premier préſident de Bretagne.* [b] *Longueval de Manicamp, parent du comte de Bucquoy.* [c] *d'Hangeſt d'Argenlieu.* [d] *Alegrin.* [e] *Malenouë.* [f] *de Poiſſy.* [g] *abbaïe de Clairetz au Perche.* [h] *Nogent le Retrou.* [i] *Hurault de Chiverny.* [k] *de Harlay.* [l] *de Lorraine.* [m] *hôtel de Feſcan à Paris.* [n] *Durer.* [o] *le college de Bourgogne.*

NOT. [1] ſuſtulit, ac praeterea ſex alios qui infantium aetatem non exceſſere. Joannes

[2] infantiam habuit, crebris torminibus cruciatus, *dele* ut ipſe a nutrice ſua ſe intellexiſſe ſaepius mihi narravit.

cum Renato Rollierio [a] Renati epiſcopi [1] Silvanectenſis patrini ex fratre nepote [α] miſſus eſt.

Vix annum in gymnaſio fuerat, cum diriſſima [2] febre correptus, et in paternas aedeis deductus eſt. Curabat eum Joannes [b] Magnus, et Gracchus, qui de aegroto deſperantes eum pro depoſito triduum habuerunt. Itaque ex procoetone, in quo jacebat, patris conclavi proximo, in diverſum ab illo cubiculum tranſlatus fuit, cum mater diceret, ſi contingeret eum in illo mori, fore, ut pater eo uti in poſterum nollet. Toto eo tempore, quo a medicis atque a ſuis derelictus fuerat, Gabrielis Maraeolia illuſtriſſimae [c] Maraeoliorum in Petrocoriis familiae heres, quae negotiorum cauſa frequenter apud patrem itabat, aſſidebat aegroto, et plerumque pernoctabat; et cum a parentibus rogaretur, ne ſe circa puerum jam conclamatum fatigaret, illa et melius de ejus valetudine ſperare [3] reſpondit, et ex ingenui nec ingrati animi indole non inane ſe capere omen dixit, fore, ut vicem aliquando ſuis redderet. Renatam ex Nicolai [d] Andini Mezeriae marchionis matrimonio unicam habebat filiam, quae ſub id Franciſco [e] Borbonio Delphino principi nupſit; et ex iis natus Henricus [f] Monpenſeriae dux, ſaeculi ſui amor, ac breves, proh dolor! deliciae; quem Thuanus devotiſſime coluit, ab illo viciſſim impenſe redamatus.

Post integrum ſeptimeſtre, tanto tempore ad vireis, poſtquam tam periculoſo morbo defunctus eſt, recuperandas opus fuit, in ſcholam reductus, Henricum [g] Monantholium [h] Remis oriundum audivit, et poſtea Joannem Martinum Pariſienſem, ac poſtremo Michaëlem [i] Mareſcotum et Petrum [k] Vallam ex Neuſtria nobileis [4] philoſophos, qui poſtea omnes laurea pro more donati medicinam magna cum laude Lutetiae fecerunt. Monantholius in ſchola [l] Prelaea educatus, et doctrinae Rameae addictus, ad medicinam mathematicas artes adjecit; et in regiorum profeſſorum collegium allectus, ad extremam vitam eo munere egregie defunctus eſt. Eo praeceptore Thuanus arithmetica et geometrica elementa didicit.

Heic autem ſe animadvertiſſe narrabat, a patribus, qui pueros diſciplinae tradunt, graviter peccari, dum, praeceptorum curae confiſi, minus ipſi diligentiae adhibent; cautiuſque facturos, ſi per fidos et appoſitos cuſtodes eos obſervent, nec tempus inutiliter illis perire ſinant; videantque, ne in geſtu et ſermonibus indecenter aut minus modeſte ſe [β] gerant. Id cum negligi ſuo tempore videret, ex eo inceſſiſſe curam alios monendi; et, ſi Deus ipſi hunc votorum cumulum addidiſſet, quod ſero ſed plena menſura ei tributum eſt, in filiorum educatione majorem, quam in ſe factum eſſet, [5] diligentiam adhibendi. Sero ſe literas attigiſſe: ſed nec probare illorum vehemens deſiderium, qui votorum nimii pueros vix quinquenneis ad eas animum appellere jubent; et mirari Quinctilianum, grande [6] Romanae togae decus, qui docendi impotens,

VAR. LECT. [α] miſſus eſt. Petrus Gemellius natione Sequanus Comitatenſis, neque enim aliunde deligi poteſt, in ea primarii moderatoris munere fungebatur. Is, concionibus per quadrageſimam Divoduri Mediomatricum, et poſtea Lutetiae ad Andreae fanum, habitis, famam apud populum, et gratiam apud parenteis ejus, collegerat, ut de filio in diſciplinam ipſi tradendo libenter aſſentirentur. Itaque Jacobus apud illum in ſchola hoſpitium cum Renato contubernali ſumpſit; et uterque, quamdiu in ea fuit, praeceptore camerae, quem vulgo vocant, magna ſuorum incuria et errore caruit. Nam Gemellius theologalis canonici officium in eccleſia Cameracenſi exercebat, et toto fere anno abeſſe cogebatur. Partes ejus Gothofredus Faius ſecundarius gymnaſiarcha, qui proxima contignatione inferius habitabat, aliquando, ſed negligenter, quippe nulla ad id conditione obligatus, ſupplebat. Vix annum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] gerant, et nimia ac ſecreta coaetaneorum familiaritate cerei in vitium flecti mores paulatim depraventur. Id cum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *René Roulier evêque de Senlis.* [b] *le Grand, & le Jay.* [c] *de Mareuil en Perigort.* [d] *d'Anjou marquis de Mezieres.* [e] *de Bourbon prince Dauphin d'Auvergne.* [f] *Montpenſier.* [g] *Monantheuil.* [h] *Reims.* [i] *Mareſcot.* [k] *du Val de Normandie.* [l] *le college de Preſle.*

NOT. [1] Silvanectenſis ex fratre nepote miſſus eſt. *dele patrini.*

[2] febre correptus, in paternas aedeis relatus eſt.

[3] reſpondit, et ex ingenua indole non ingrati animi ſe capere omen dixit. Ea Renatam ex Nicolai

[4] philoſophos, qui poſtea medicinam magna cum

[5] diligentiam adhibendi. Se literas attigiſſe ſerius quidem: ſed nec

[6] Romanae togae decus, qui etiam infantibus erudiendis praecepta condidit; laudabili magis quam felici conſilio, quando quidem ipſe eximiae ſpei filium praecipitatis ſtudiis exhauſtum

impotens, diſcendi infantibus, laudabiliori quam feliciori conſilio, neceſſitatem impoſuit; etiam filio rarae ſpei in exemplum poſito, quem praecipitatis ſtudiis exhauſtum moeſtiſſimus parens extulit; jactura poſteris ſane felici, cujus occaſione nobis edidit admirabile ſpecimen illud eloquentiae, quo eum in ſexto Inſtitutionum volumine inſolabiliter luxit.

MAJOR in Thuano literarum amor, quam robur ingenii et memoriae tenacitas in iis diſcendis ac retinendis, fuit; pluſque adſiduitate et literatorum conſuetudine, quam labore proprio, cujus contentionem natura non ferebat, profecit; libertate ſumma tum vita tota, tum maxime in ſtudiis, uſus; quod jam a prima pueritia quaſi ſui arbitrii relictus, ſuo, [1] non ullius qui poſſet cogere, ductu vitam inſtituiſſet. Ab hoc vehemente amore manavit non minus vehemens erga eos omnes, quorum fama et ſcriptis tota Europa nomen increbruerat, affectus, quos et videre et alloqui jam tum [α] geſtiebat. Cum vero Hadrianus Turnebus ad Godofredum [a] Faium, quem diligebat, ſub id veniſſet, et Thuanus a Faio ad eum ſalutandum deductus eſſet; ex eo tam alte imago celeberrimi viri haeſit, ut, cum paulo poſt in vivis eſſe deſiiſſet, ea dormienti continuo obverſans ex ejus animo nunquam deleri potuerit.

POST quinquennium, ubi e [2] ſchola exiit, Dionyſium Lambinum, et Joannem [β] [b] Pelerinum, qui Ariſtotelem Graece loquentem [3] interpretabatur, in Graecis profeſſorem regium audivit; eodem fere tempore, quo et juvenis illuſtriſſimus Franciſcus [c] Juſtus Turnonius ad eum audiendum aſſiduus erat. Jam Joannes [d] Auratus profeſſioni [γ] renunciaverat, et in [e] Sanvictorianum ſuburbium conceſſerat, quo frequens itabat Thuanus, ex ejuſque colloquiis ſemper inſtructior redibat, de [f] Budaeo, quem ille puer viderat, Germano [g] Brixio, Jacobo Tuſano ſedulo [4] eum percontatus. Hujus etiam beneficio in notitiam P. Ronſardi [5] diſcipuli venerat, cujus jam tum et amicitiam poëtica quadam facultate demeruit, adeo ut cum ultima editione opera ſua recudenda Jo. [h] Galandio mandaſſet, Orphea ei cum honorifico maxime elogio dicaverit. In Jo. Antonii [i] Baifii etiam et Remigii [k] Bellaquei familiaritatem ex eadem occaſione ſe inſinuavit, quam poſtea arctius coluit.

HINC [l] Aurelianum cum fratre patrueli Chriſtophoro Auguſto fere coaetaneo, Auguſtini patrui regii in ſenatu patroni filio, et Renato Rollierio contubernali, ad juris civilis ſcientiam diſcendam profectus eſt; eodem fere anno, quo quartum edictum CIↃIↃLXX. pacificatorium conditum eſt, et Carolus rex pactas cum Eliſabetha Maximiliani II Caeſaris filia nuptias [m] Mezeriae ad Moſam menſe [6] Novembri conſummavit. Sequens annus in juris profeſſoribus publice audiendis inſumptus eſt: ii erant Joannes [n] Robertus, Gulielmus Fornerius, et, qui nuper [o] Avarico Biturigum huc venerat, Antonius [p] Contius; cujus ſcripta per particulas huc illuc ſparſa, in unum corpus colligi, publicae rei non mediocriter intereſt.

EO anno fatis conceſſit is, quem dixi, Hadrianus patruus; et Catharina ſoror CIↃIↃLXXI. Achillis Harlaei uxor: et Thuanus Jacobi Cujacii, ex cujus ſcriptis jam tunc in illa aetate

VAR. LECT. [α] geſtiebat. Itaque, quod fere accidit, ut quiſque interdiu expetita noctu per ſomnum ſibi videre videatur; ille ſibi nunc in Italia et in Hiſpania, nunc in Germania, Belgio, et Britannia, per quietem peregrinari, et viros literis praeſtantes videre ac compellare, tum libros et bibliothecas evolvere, videbatur: et haec ei continuo tota vita, ac praecipue donec iis in parte poſtea perfectus eſt, fuere gratiſſima ſomnia. Cum vero *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] Peregrinum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[γ] renunciaverat, quam Nic. Gulonicus gener exercebat, et in Sanvictorianum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de la Faye.* [b] *Pelerin.* [c] *Juſt de Tournon.* [d] *Dorat.* [e] *S. Victor.* [f] *Budé.* [g] *de Brye & Jacques Touſan.* [h] *Galand.* [i] *Baïf.* [k] *Belleau.* [l] *Orleans.* [m] *Mezieres ſur la Meuſe.* [n] *Robert, & Fournier.* [o] *Bourges.* [p] *le Conte.*

NOT. [1] non ullius qui cogeret, ductu

[2] ſchola exiit, regios profeſſores Dionyſium Lambinum

[3] interpretabatur, audivit; eodem

[4] *dele* eum

[5] *dele* diſcipuli

[6] Novembri perfecit. Sequens

aetate tantam admirationem conceperat, audiendi [1]ultra modum cupidus, relictis ſociis, cum quibus conjunctiſſime vivebat, in [a] Allobrogas iter intendit, cum prius aliquot menſeis Avarici Biturigum commoratus eſſet; ubi Fr. [b]Hotomanum quaeſtiones illuſtreis, quae poſtea editae ſunt, praelegentem, et Hugonem [c] Donellum audivit. [d] Valentiam Segalaunorum, nam Cavarum [e] Avenio metropolis eſt, venit, annum fere ante tumultum Pariſienſem, ubi Cujacius Papinianum ſuum interpretabatur; [2] et cum eo profitebatur Fr. [f] Roaldeſius, et Enimundus Bonefidius.

Heic illi primum cum Joſepho [g]Scaligero, qui Cujacii videndi cauſa ab ipſo invitatus illuc ante venerat cum Lud. [h]Montjoſio et Georgio Burgo, contracta amicitia, quem tunc conſuetudine, et poſtea dum licuit convictu, [3] et in abſentia per literas incredibili ſtudio et affectu per XXXVIII annos indeſinenter coluit: eaque re, quam ſibi ab improbis hominibus exprobrari et vitio verti intellexit, in ſinu gaudet, et palam gloriatur; tantaque ex recordatione ejus nunc etiam voluptate perfunditur, ut contumelias, convitia, calumnias, et pericula et incommoda ab injuſto illorum odio, ſi Deo placet, ob id profecta, ſi detur optio, tam dulcis et honeſtae tamque eruditae conſuetudinis amiſſione aut etiam oblivione, [4] nolit redimere. Et hoc iſtis pro omni ad illorum virulentiam reſponſione dictum [α] cupit: atque id perſancte quidem adſeverare poteſt, toto eo tempore, quo tanti viri familiaritate ſibi frui datum eſt, nunquam eum de religionis controverſis capitibus diſputantem audiviſſe, aut ſibi compertum de iis ad alios ſcribere conſueviſſe: [5] neque vero, niſi provocatus, de iis, nec niſi invitiſſimus, diſſerebat. Et id verum eſſe ſcit tota illuſtris [i] Caſtaneorum familia, cujus princeps Ludovicus [k]Abennius, qui oratoris regii apud pontificem munere tanta cum laude defunctus eſt: ſciunt ejus filii Joannes [l] Rupipozaeus, atque adeo H. Ludovicus epiſcopus [m] Pictavienſis, qui et domi apud patrem, et in Hollandia diu [6] cum eo fuit; uterque autem conſuetudine ejus eruditiores redditi, a majorum religione propterea minime deſciverunt. Quaſi vero extra religionis cauſam non multa praeclara, et ſupra captum, quantum ad literas, humanum, in eo admiranda eſſent, quae bonus quiſque ab eo cognoſcere et doceri merito cuperet; et propter tam raras in eum a Deo cumulatas dotes non ipſe obſervari, ac praecipua veneratione coli, a bonis quibuſque mereretur. Sed ſic eſt, religio, quae fide, et certa de bonitate Dei fiducia, nec non charitate, olim nitebatur, et majora in dies incrementa capiebat, hodie factione et humanae prudentiae carniſque conſiliis et coitionibus valere ac ſuſtentari creditur; quibus quantum tribuimus, tribuimus autem nimium, tantum divinae providentiae, a qua omnia adminiſtrari et regi potius credendum eſt, ingenio noſtro confiſi detrahimus. Quo fit ut Deus peccatis noſtris exaſperatus, nos propriis cupiditatibus caecos in reprobum ſenſum raptari ſinat; ut quae recta ſunt non videamus, et quae fieri non conveniunt faciamus: et ad extremum verendum ſit, ne malum per ſe ingens, ſi diutius ab iis, qui nimis ſecuri, aut plus aequo ſibi ac propriae ſolertiae tribuentes, de iis rebus praepoſtere plerumque pronunciant, negligatur, quod recti ſincerique ex unione priſtina et legitima ſucceſſione ſupereſt, gangraena

VAR. LECT. [α] cupit; neque vero ob eam quam in religione profitebatur doctrinam, cui Annalium auctorem in occulto favere falſo mentiuntur, id aut feciſſe aut nunc dicere arbitrentur. Nam ſancte adſeverare poteſt *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Dauphiné.* [b] *Hotman.* [c] *Doneau.* [d] *Valence en Dauphiné.* [e] *Avignon metropole du Comtat Venaiſſin.* [f] *Roaldes, & Bonefoy.* [g] *della Scala.* [h] *de Montjoſieu, & du Bourg.* [i] *de Chaſteigner.* [k] *d'Abin.* [l] *de la Rochepozay.* [m] *de Poictiers.*

NOT. [1] ultra modum cupidus, in Allobrogas iter intendit, *dele* relictis ſociis cum quibus conjunctiſſime vivebat.

[2] ubi et *dele* cum eo profitebatur

[3] dein abſentem

[4] nolit redimere. Ceterum perſancte id quidem adſeverare, *dele* et hoc iſtis pro omni ad illorum virulentiam reſponſione dictum cupit: atque

[5] neque vero de iis unquam niſi provocatus inviтiſſimus diſſerebat. Atque hoc ita eſſe ſcit tota illuſtris

[6] cum eo fuit: uterque viri doctiſſimi conſuetudine eruditiores redditi, minime autem ab religione majorum deſciverunt. Quaſi vero

gangraena ſerpente depaſcatur; tempuſque illud veniat, quo regnum Dei heic atque illic fruſtra quaeratur, quod intra paucos erit, qui unionem et ordinem cum manſuetudine animi et aequitate ſervaverint. His de rebus ſaepenumero ſermocinanteis Thuanum et Nic.[a] Fabrum [α] audivere plerique, cum deplorato rei Chriſtianae his noviſſimis temporibus ſtatu ſe mutuo ſolarentur, et interim in officio contra offenſiones publicas conſtanter perſeverandum eſſe dicerent, et, quod ſtrenui bellatores faciunt, in veſtigio moriendum: bonos quippe afflictionibus et calumniis ſemper obnoxios fore, eaſque pro certo divinae gratiae teſtimonio, atque adeo praemio, accipere debere. Haec obiter ex occaſione amicitiae cum Scaligero contractae, quae vitio illi a virtuti et literis infeſto hominum genere vertitur, dicta ſint.

Pater, qui filium longius et diutius abeſſe nollet, ſive mali praeſagus, ſive aliam ob cauſam, eum, poſt annum quam Valentiam profectus erat, domum revocat. CIƆIƆLXXII. Carolus[b] Lamonius, vir bonus et aliqua proximitate cum patre conjunctus, libellorum ſupplicum in regia magiſter, rei ſalinariae inſpiciendae, quae perperam per[c] Delphinatum, Provinciam, et Septimaniam, adminiſtrari dicebatur, cum delegatis miſſus fuerat: hic, rogatus a patre ut filium in urbem rediens ſecum reduceret, eum, petita a Jacobo Cujacio venia, ſecum[d] Gratianopolim primum duxit, ubi Franc.[e] Bellomontium Adretium, vulgo Baronem dictum, vidit; cum ad Lamonium ſalutandum in epiſcopi aedibus veniſſet, et Salucias cum copiis regiis, quae Subalpinae regionis praeſidiis deſtinatae erant, proficiſceretur. Hominem tanti nominis, dum cum Lamonio in horto deambularet, attentis oculis conſpicatus, qua pingendi facultate adhuc erat, eum, ubi abiit, ex memoria ſic effinxit, ut ab omnibus dignoſceretur. Erat jam totus canus, ſed cruda adhuc ac viridi ſenectute, oculis truculentis, naſo aquilino, facie macilenta, ſed ruboribus interfuſa, ut lutum ſanguine maceratum, quod in P. Corn. Sylla obſervatum eſt, ori inſperſum diceres; de cetero corporis habitu prorſus [β] militari. Tandem[f] Lugdunum cum Lamonio venit; et per[g] Molinium, Nivernium, Genabum, ſecundo[h] Ligeri Aurelianum delatus, cum paucos dies ſodalibus ſalutandis, quos in urbe reliquerat, conſumpſiſſet, recta ad patrem profectus eſt.

Jamque omnia nuptiali adparatu perſtrepebant, cui et ipſe interfuit; ſermones etiam inter Gaſparem[i] Colinium, et Henricum[k] Momorantium Danvillam, tantopere poſtea exagitatos, cupide excepit, cum nuptiarum die poſt ſacrum peractum per ſepimenta lignea ad turbam prohibendam extructa ſaltu in chorum ingreſſus eſſet. Paucis poſt diebus vulneratus Colinius, et vulnus ejus ſecutum univerſae pacis vulnus, quo convulſa tranquillitas et ſecuritas publica; et tandem infida pace terminatum internecinum bellum, quod per intervalla renovatum, aliis atque aliis conditis edictis, vix tandem compoſitum eſt: et in diem hodiernum pax ſervata, traditis ſecuritatis cauſa urbibus et arcibus, quae malo exemplo penes Proteſtanteis adhuc [γ] remanent. Tanti conſtitit regi ac toti regno tumultus Pariſienſis, quem, ſi ad rerum ex eo ſecutarum horrorem reſpiciamus, probari aut laudari non poſſe fateamur neceſſe eſt, niſi ab iis qui bella ex bellis in patria ſeri, et omnem reconciliationis rationem ſublatam inter nos cupiunt: ut homini Gallo et quietis cupido, qui tantum religionis per univerſam Europam concuſſae motum, charitate et manſuetudine tutius componi poſſe, quam vi aut odiis, ſemper exiſtimavit, vitio verti non debeat, ſi, pacis conſilia vel

VAR. LECT. [α] ſaepe audivi, cum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*
[β] militari: ita narrantem Jacobum ſaepius audivi. Tandem *MSS. Reg. Samm. & Aut.*
[γ] remanent: nec tamen juſte aut honeſte, ob caſus illius memoriam, ab iis repeti poſſunt. Tanti conſtitit *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *le Fevre.* [b] *de Lamoignon.* [c] *Dauphiné, Provence, & Languedoc.* [d] *Grenoble.* [e] *de Beaumont baron des Adrets.* [f] *Lion.* [g] *Moulins, Nevers, & Gien.* [h] *la Loire.* [i] *de Coligni.* [k] *de Montmorency de Damville.*

vel cum privato diſpendio conſtanter ſectatus, et quae ab ea ſunt aliena nunc etiam deteſtetur. Certe pater ejus, cujus ſi veſtigiis inſiſtat filius, ſatis ſe in pietate et publica re tractanda ſapere arbitratur, tantopere ea deteſtatus eſt, ut cum poſt caſum Statii Papinii Sylvas legeret, et in locum in Annalibus ſuis memoratum incidiſſet, ad libri marginem diem S. Bartholomaei adſcripſerit, charactere peculiari ſibi, ſed eleganti,et ſatis ex archivis curiae noto. Atque is liber in Jacobi Auguſti bibliotheca propterea aſſervatur,ut fidem contra calumnias faciat,qui viri optimi hac de re ſenſus fuerit.

Tradit Thuanus [1] in libris Hiſtoriarum, multa multos ad Colinium ſcripſiſſe, ut eum a conſilio ad nuptias Navarri veniendi deterrerent, propoſito rei periculo; quibus ille ſurdas aures ſemper praebuerat, mori potius, et per urbis vicos raptari certus, (haec enim verba ex ejus ore excepta, et ipſe [a] Villaregius Thuano confirmavit,) quam ullum diffidentiae ſignum daret regi, a quo nuper in gratiam receptus fuerat, aut ad arma civilia rurſus deveniret. Eadem ſibi [b] Maium quendam ordinum ductorem [α] praedixiſſe, cum [c] Viennam Allobrogum paulo ante proficiſceretur; Colinium ſumma caecitate et imprudentia amicorum conſilia negligere, qui non videat ſe ad nuptias tot tam adfectatae benevolentiae pignoribus, quae, ni mens laeva eſſet, poſt reconciliationem merito ſuſpecta eſſe deberent, invitari, ut ejus exemplo proceres eidem cauſae addicti, [2] ex toto regno certatim cum eo irent; et ſinguli, qui univerſi minime poterant, inter feſta connubialia nihil tale metuentes, quaſi ſigno dato, opprimerentur. Cum contra diſputaret Thuanus, et male facere eos, qui tam ſiniſtre de egregia regis, et eorum qui circa ipſum erant, voluntate, ſive ſentiant ſive ominarentur, multis et optimis, ut ſibi videbatur, rationibus pertenderet, Maium, qui ſe comitem illi in via adjunxerat, ad ultimum dixiſſe, exitum rei fidem brevi facturum; et ita ſimul Viennam ingreſſos: ubi, ad hominis inviſi conſpectum excitata ſtatim ſeditione, parum a periculo abfuit Thuanus, dum viae comitis antea ſibi ignoti periculo ſe opponit; ſiquidem is caedibus, praedis, et infeſtis excurſionibus, ut aiebant oppidani, circumpoſitae regioni multa [3] damna ultimo bello dederat. Thuanus, qui nihilominus periculum ejus non tantum ad ſuum decus, ſed etiam ad ſecuritatem publicam, pertinere exiſtimaret, omnem operam dedit, ut commotam plebem placaret; et ita tandem conventum, ut Maius urbe exiret, et in proximo ſuburbio hoſpitium ſibi ſumeret. Hominis non prius et nunquam poſtea ſibi viſi, qui poſt tumultum Pariſienſem, cum ad ſolitas excurſiones rediiſſet, a ruſticis caeſus eſt, mentionem in ſuo diario fecerat [β] Thuanus. Id autem [4] fecerat, tum ut jam de Annalibus ſcribendis cogitans memoriae ſuae conſuleret, in quibus tamen id omiſit, ut multa ſingularia, quae in univerſae hiſtoriae corpus facile conjici non poſſunt nec debent, tum ut rei tantae ante caſum ſibi praedictae memorabile teſtimonium ad poſteritatem conſervaret: nam divina providentia fieri, ut inſignes caſus, ſive prudentia inſita a viris bonis, ſive metu praeſago ab obnoxiis, ſive artis ſuae peritia, ſi qua eſt, a mathematicis, fere praeſignificentur, ne ſe non [5] monitos eſſe cauſari homines, aut moniti ad ferenda, quaecunque erunt, ſe comparare, non poſſint; quod a Thuano diligenter locis ſuis obſervatum eſt.

Tunc

VAR. LECT. [α] praedixiſſe, a Jacobo intellexi, cum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] Thuanus; quod,cum aliud ab eo impetrari non poſſet, benigne mecum communicavit. Id autem *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de Villeroy.* [b] *le capitaine Maye.* [c] *Vienne en Dauphiné.*

NOT. [1] in libris Hiſtoriarum, varios ad Colinium varia ſcripſiſſe, quae ad Navarri nuptias venientem deterrerent; quibus ille ſurdas

[2] ex toto regno certatim convenirent, atque una omnes, inter feſta connubialia nihil tale metuentes, ſigno dato, opprimerentur. Cum contra diſputaret Thuanus, perperam judicare, qui tam ſiniſtre

[3] damna ſuperiore bello dederat.

[4] fecerat, tum ut memoriae ſuae conſuleret, jam de Annalibus ſcribendis cogitans; in quibus tamen id omiſit, quemadmodum alia nonnulla, quae in univerſae — tum ut rei tantae ſibi ante caſum praedictae

[5] monitos fuiſſe cauſentur homines, aut moniti ad ferenda, quaecunque erunt, parati eſſe poſſint; quod a Thuano

TUNC vero ad terribilium rerum ſpectaculum non potuit non animo cohorreſcere, cum ipſe die Dominica, in quam B. Bartholomaei ſolemnitas eo anno incidebat, ad ſacrum audiendum pergens, Hieronymum [a] Grolotium Aureliani praefectum et [b] Calliſtum jam interfectos per viam proximam in profluentem trahi coactus eſt cernere, et [1] lachrimas tenere, quas, qua animi teneritudine eſt, vix in ferarum innoxiarum caede tenuiſſet. Et hactenus oculis adflictatus fuit: nam de cetero cavit, publico abſtinens, ne tale quid aſpicere [α] cogeretur. Poſt aliquot dies ſedata tempeſtate, cum ad Chriſtophori fratris, qui haud longe a [c] Montis-martyrum porta habitabat, aedeis divertiſſet, ab eo ad tumulum quendam, unde [d] Monfalconiae furcae conſpici poterant, deductus eſt, quo plebs Colinii truncum traxerat, et catena ferrea ad tignum tranſverſum ſuſpenderat: ſubiitque ſtatim recordatio, atque adeo in oculos imago occurrit, illius urbium everſoris totque conſertis proeliis famoſi ducis, et jam de Belgio triumphantis, quem paucos ante dies in aede beatae Virginis contemplatus fuerat; cujus cadaver infelici ligno affixum tamque contumelioſe [2] habitum cum cernebat, hinc profunda Dei judicia admirabatur, inde fragilitatis humanae admonebatur, quae brevis aevi metis concluſa ſpes longas [3] inchoare nos prohibet, et in horas de eo cogitare quod nos ſemel manet. Fr. Momorantius [e] equitum tribunus, qui abſentia ſua ſalutem, non ſolum ſibi ſed regno ſalutari, familiae [4] ſuae quaeſiverat, corpus per domeſticos loco infami clam auferendum curaverat, et [f] Cantiliae, ubi erat, in arca plumbea loco ſecreto deponendum: nam, ne offenſioni cauſam daret veritus, quominus loco ſacro defoderetur, vetuerat: poſtea [g] Caſtellionem ad Lupam tranſlatum, et in majorum ſepulchro conditum [β] fuit.

AB eo tempore Thuanus a paternis migravit aedibus, et apud Nicolaum patruum ſenatorem Pariſienſem, qui pulcherrimas in [5] majoris templi, quippe cujus ſodalis erat, clauſtro aedeis, olim a Gul. [h] Briçoneto Gulielmi cardinalis filio, epiſcopo Meldenſi, ſtructas, habitabat, domicilium fixit; in quibus XIV annos continuos [6] manſit, illius collegii et ipſe ſodalis; nam mox Nicolaus per obitum Caroli [i] Guillartii Carnutum epiſcopus creatus fuit: ubi copioſiſſimae bibliothecae, quae et in dies nova CIƆIƆLXXIII
acceſſione locupletatur, inſtruendae initium fecit. Tunc ordini ſacro atque adeo patruo epiſcopo ſucceſſor deſtinatus, totum ſe juris ſtudio et libris Graecis legendis dedit.

ET cum impenſo Italiae videndae deſiderio flagraret, cognito virum ampliſſimum Paulum [k] Foxium, legatione Anglicana et Veneta nuper magna cum laude defunctum, in eo eſſe ut ad pontificem et alios Italiae principes, qui de fratre in regem Poloniae electo gratulati apud Carolum fuerant, gratias eo nomine acturus mitteretur, et inde in Germaniam eodem officio defuncturus, poſtremo in Poloniam, proficiſceretur; occaſionem

VAR. LECT. [α] cogeretur: auribus item conſulere non potuit, per quas quae demittuntur, ſegnius animos irritant, ut ille ait, quam quae fidelibus oculis ſunt ſubjecta. Poſt aliquot *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] fuit; ita poſtea a Momorantii domeſticis intellexiſſe ſe mihi affirmavit Jacobus. Ab eo *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Grollot baillif d'Orleans.* [b] *Calliſte.* [c] *Montmartre.* [d] *Montfaulcon.* [e] *mareſchal de France.* [f] *Chantilly.* [g] *Chaſtillon ſur Loin.* [h] *Briçonnet evêque de Meaux.* [i] *Guillart evêque de Chartres.* [k] *de Foix.*

NOT. [1] lachrimas tenere, quas, ut eſt animo ad miſerationem tenerrimo, vix in ferarum

[2] habitum cum cerneret, hinc

[3] inchoare nos vetat, jubetque, in horas

[4] ſuae quaeſiverat, Colinii corpus per domeſticos de tam infami loco detrahi, et in Cantiliaci ſui ſecretiora adportari ſibi clanculum curavit; unde poſtea Caſtellionem ad Lupam

[5] majoris templi clauſtro aedeis, *dele* quippe cujus ſodalis erat.

[6] manſit, illius collegii et ipſe ſodalis, nam et ipſe inter illius templi collegas canonicos allectus fuerat: et Nicolaus, per obitum Caroli Guillartii Carnutum epiſcopus creatus, ad Carnutes ſuos conceſſerat. Is in aedibus Thuanus noſter ordini ſacro, atque adeo patruo epiſcopo ſucceſſor, deſignatus, copioſiſſimam bibliothecam inſtruere coepit, ac pernoſcendae rerum divinarum atque humanarum ſcientiae, tum ſcriptoribus Graecis ſummo ſtudio lectitandis, incubuit. Interea vehementiſſimo Italiae videndae deſiderio flagrabat, cognitoque virum ampliſſimum

occaſionem tam praeclaram minime praetermittendam cenſuit: et commendatione Philippi Huralti ſororii regis Poloniae cancellarii, in ejus comitatum venit cum Chriſtophoro Auguſto patrueli, Chriſtophoro Hectore Marla, et Vido [a]Arbaliſta Bordio, cum jam ille [b] Genabum perveniſſet.

De tanto viro, cui tantum debere ſe Thuanus paſſim profeſſus eſt, et vita ejus domeſtica, [1] quaedam heic addere viſum eſt operae pretium. Is ex illuſtriſſima Foxia familia, ſive de Fuxo, ut in antiquis domus archivis ſcriptum reperitur, prognatus, ex [c] Carmaniorum comitum ſtirpe; nam gens ea in [2] plures ſtirpes ſciſſa eſt: a puero in modicis pro tanta familia opibus, iiſque controverſis, relictus, et ſacris deſtinatus, poſt humaniores literas mira felicitate perceptas, cum et Graece optime intelligeret, et Latine eleganter ſcriberet, juris ſcientiae operam dedit; in qua praeſtans ejus et ad omneis diſciplinas perdiſcendas natum ingenium multipliciter profecit, eamque tota vita excoluit, Jacobum Cujacium inter omneis interpretes ſecutus. Dein ſtudiis philoſophiae ſe totum mancipavit, et Ariſtotelis doctrinae quaſi nomen dedit, adeo ut ejus ſectatores omnes diligeret, et ſummo in [3] pretio haberet, et inter eos Danielem Barbarum patricium Venetum patriarcham Aquileienſem deſignatum; quem dicere ſolitum aiebat, niſi Chriſtianus eſſet, ſe Ariſtotelis [4] doctrinam per omnia et in omnibus amplexurum fuiſſe. In ea non tam praeceptores quam amicos monitores habuit Jac. [d]Carpentarium, qui publicis praelectionibus, et ſuſceptis contra P. [e] Ramum ob id inimicitiis, magnum nomen in academia Pariſienſi ſibi comparaverat, et Auguſtinum [f] Niphum, Sinueſſani illius famoſi philoſophi nepotem; quem et inter domeſticos habuit, ut et pleroſque philologos, in iiſque Carolum [g] Utenhovium, Obertum Giſanium, et Robertum [h] Conſtantinum, qui variis ſcriptis de ſuo ſaeculo et poſteritate bene ſunt promeriti. Ex quo vero Pariſienſi ſenatu exceſſit, et legationibus obeundis operam ſuam addixit, ſic vitam inſtituerat, ut peractis negotiis, quae ſumma cura et [5] diligentia adminiſtrabat, nullam ſibi horam perire ſineret, quam ſeriis ſtudiis non impenderet. Habebat puerum, qui, coram doctore, ex jure, aut Ariſtotele, aut [6] Cicerone, cujus ſcripta ſemper prae manibus habebat, aliquid praelegeret: nam, ſive ut imbecillitati oculorum parceret, ſive ut memoriae exercendae conſuleret, ipſe non legebat, ſed recitantem attente audiebat, et poſt recitationem eadem ipſe memoriter recitabat, atque etiam interpretatione adjuvabat; ita ut lectorem et auditores ex domeſticis, quos ſemper adhibebat, eadem opera inſtrueret, et ingenium exercendo altius memoriae recitata infigeret; eaque conſuetudine effecerat, ut quoties cum principibus aut aliis regis nomine de magnis negotiis ageret, et quae audiverat, et quae reſponderat, fideliter deſcribenda curaret: nam ut non legebat, ſic neque ſcribebat, et aliena opera in utroque utebatur, niſi ſiquando res hujuſmodi incidiſſet, quae alterius fidei tuto committi non poſſet. Heic nihil addam de incredibili virtutis amore et charitate [7] patriae, Spartacorum et vitiorum odio, magnitudine animi, ſolicita publicae rei cura, candore, fide certa, in amicitiae officiis obeundis praecipuo ſtudio, quae omnia in ſummae nobilitatis viro ſumma erant, et cunctos in ejus admirationem et amorem ſimul rapiebant. Accedebat oris et totius corporis habitus veneranda ſpecies et vere imperio digna, comitas in excipiendis hominibus, ſermonum mellita gravitas, ſed ab omni ſervili adulatione aliena; quod illum,

INTERPR. [a] *Arbaleſte Sr. de la Borde.* [b] *Gien.* [c] *de Carmain.* [d] *Charpentier.* [e] *de la Ramée.* [f] *Niſo di Seſſa in Terra di Lavoro.* [g] *Utenhove.* [h] *Conſtantin.*

NOT. [1] quaedam heic ab ipſo Thuano accepta referre operae pretium fuerit. Is ex illuſtriſſima

[2] in plures ſtirpes propagata eſt: a puero

[3] in pretio haberet, praeſertimque Danielem Barbarum

[4] doctrinam amplexurum fuiſſe, *dele* per omnia et in omnibus.

[5] diligentia adminiſtrabat, quod ſibi reliquum erat temporis, id omne ſeriis ſtudiis impenderet.

[6] Cicerone aliquid praelegeret, *dele* cujus ſcripta ſemper prae manibus habebat

[7] patriae, et vitiorum odio, *dele* Spartacorum

illum, alioqui tot virtutibus omnium benevolentiam promeritum, minus in aula noſtra gratum faciebat: quod cum ille agnoſceret, nec domi in otio vir ad magna natus vellet torpeſcere, honeſtum ſibi exilium quaſi indixerat, in obeundis legationibus [α] aſſiduus. Addebat Thuanus, cum [β] Foxius in omnibus, quae in perfectae ac conſummatae virtutis homine requiri poſſunt, plene ſemper ſibi et omnibus ſatisfeciſſet, ſe tamen in eo digne laudando nunquam ſibi ſatisfacere potuiſſe; et, cum multa dixiſſet, ſemper plura dicenda reliquiſſe.

Cum ad eum venit, in comitatu ſuo habebat ille Arnaldum [a] Oſſatum, quem e foro, quo ſe ad juris civilis ſcientiam, quam ſub Cujacio perceperat, excolendam contulerat, in Italiam profecturus, nuper in familiam ſuam aſciverat. Is aliquot ante annis in Prelaea ſeu Ramea ſchola militaverat; et, ſi non inimicitiarum, at controverſiarum Jacobi Carpentarii cum Petro Ramo tanto aeſtu agitatarum particeps fuerat; extantque hodie Carpentarii contra [b] Theſſalum Oſſatum de methodo aliquot diſſertationes, quae fidem ejus rei faciunt. Verum homo recti judicii, quam gratus in praeceptorem, tam in veri indagatione ingenuus, Ariſtotelis doctrinam, quam ſibi jure an injuria exagitandam propoſuerat Ramus, ad extremum amplexus eſt. Tunc vero Platonem Foxio interpretabatur; et quoniam divina illius ſcripta, quantumvis florida ubertate arrideant, prooemiis variis, crebris interrogationibus, longe petitis digreſſionibus ac fabuloſis plerumque narrationibus, ut eſt natura dialogi, interſecta ſunt, vir Peripateticae ſerio addictus, quae alia ratione progreditur, et omiſſis his omnibus rem tangit, diffuſa haec in arctum cogi, et ſub aſpectum diſtincte poni, cupiebat; qua in re Oſſati induſtria utebatur, qui inter equitandum patentibus campis ſummam doctrinae Platonicae dialogis comprehenſae edifferebat, et ille quae ab Oſſato acceperat, poſtea viciſſim memoriter repetebat. Et haec inter illos. Cum vero ex equis [1] deſcenderant, Thuano ac ſuis vocatis, dum prandium apparabatur, quod in ejus hoſpitio, qui comitabantur, ſumebant, per Franciſcum [c] Choeſnum hodie praeſidem Carnutenſem, tunc vero inter domeſticos a lectionibus illi inſervientem, Paratitla Cujacii in juris Digeſta coram Oſſato recitari jubebat; quae et ipſe, quia admodum conciſe ſcripta ſunt, copioſiore ſermone explicabat, ut idem faceret in codicem Cujacio poſtea auctor, qui ab eo monitus ſtylum laxavit, et opus abſolutiſſimum Foxio dicavit; ex cujus praefatione quanti ipſum fecerit homo, qui nihil gratiae dabat, cuivis abunde apparere poteſt. Poſt prandium phyſicam auſcultationem coram Oſſato cum Alexandri Picolominei paraphraſi itidem recitari jubebat, et in eo praecipue [2] campo ſe exercebat, et paria cum Oſſato faciebat.

Primum ex Italiae principibus adivit Philibertum Emmanuelem [d] Sabaudiae ducem, quem ex quartana laborantem [e] Auguſtae Taurinorum convenit, quo paulo ante [f] Nicaea Ligurum venerat. Is fere negotia per Margaritam uxorem explicabat; et Foxius, qui praecipuo ante et poſt matrimonium cultu heroinam admirabili ingenio et aequitate praeditam ſemper proſecutus fuerat, per aliquot dies in illa aula commoratus eſt. Ibi Thuanus arctam cum [g] Vido Demolineo Rupifortio Bloeſenſi, jam provecta aetate, literarum nomine amicitiam junxit; quam et officiis cum fratre continuavit, in Galſiam reverſus, et cum ipſo aliquot poſt annos [h] Baſileae, ubi et deceſſit, renovavit.

VAR. LECT. [α] aſſiduus. Haec ut Jacobum cum inexplebili propenſione narrantem ſaepius audivi, ita ſcribo; qui et addebat, cum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] Paulus *MSS. Reg. Samm. & Aut.* et ſic ubique.

INTERPR. [a] *d'Oſſat.* [b] *Charpentier appelloit d'Oſſat* Theſſalum, *à cauſe de ſon nom* d'Arnaud, *parceque les* Arnautes *étoient un peuple de Theſſalie.* [c] *Choeſne preſident à Chartres.* [d] *Savoie.* [e] *Turin.* [f] *Nice en la coſte de Genes.* [g] *Gui de Moulins de Rochefort, de Blois.* [h] *Baſle.*

NOT. [1] deſcenderant, per Franciſcum Choeſnum, hodie praeſidem Carnutenſem, Paratitla Cujacii in juris Digeſta

[2] campo ſe exercebat. Primum ex Italiae principibus —— ducem tunc temporis Auguſtae Taurinorum ex quartana laborantem. Is fere negotia per Margaritam uxorem explicabat, heroinam admirabili ingenio et aequitate praeditam, quam et Foxius propterea praecipuo cultu ſemper proſecutus fuerat. In ea igitur aula gratiſſimus pluſculos dies commoratus eſt. Ibi Thuanus

renovavit. Is Margaritae et ipſi Sabaudo percharus ob raram hiſtoriae naturalis cognitionem, quem feſtivis ſermonibus explicabat, [1] et, novis cum judicio factis experimentis, in dies augebat; ut honorificentiore loco, quam medicinae nomine, quam alioqui feliciter facere credebatur, apud eos eſſet. Inſtructo a Philiberto navigio, per [a] Padum Foxius cum comitatu ſuo delatus, [b] Caſalium, Montisferrati principatus primariam urbem et arce munitiſſima [2] famoſam, venit.

Ibi petito a Foxio commeatu, in [c] Inſubres a comitatu facta bidui excurſio ad [d] Papiam. Antequam urbem ingrederentur, ad locum in quo infeliciter a noſtris pugnatum, et Franciſcus ipſe captus eſt, ſubſtiterunt; et inde ad Carthuſianorum, ſtructura et [e] Vicecomitum mauſoleo ornatiſſimum tota Europa, coenobium perrexerunt: ubi Thuanus a ſeniore ex illo ſodalitio, cum pro more multa percontaretur, rem commemoratione dignam accepit; quam, quod neſciret an ab aliis prodita eſſet, in ſua adverſaria conjecerat. Aiebat ille Franciſcum, juxta ſepti muros, tunc apertos, captum, per medium ſeptum ad templum adductum fuiſſe, et, cum ante majus altare ſiſteretur, tunc ex Pſalmo CXVIII a ſacris [3] ſodalibus ad preces in choro congregatis recitatum fuiſſe verſum 70; poſt quem, ut fit, pauſa facta, regem captivum antevertiſſe, et memoriter ſequentem verſum quaſi ad conſolationem ſuam forte ductum alta voce recitaſſe, ***Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.*** Inde, poſt luſtrata Papiae templa, [f] [4] Mediolanum itum, amplitudine et frequentia ſua urbem nobiliſſimam; et inde rurſus per [g] Laudem-Pompeii nocturno itinere itum [h] Placentiam, quo jam ſecundo Pado Foxius venerat; unde [i] Mantuam ad Gulielmum ducem ſalutandum divertit.

Ibi Thuanus vidit Camillum Caſtellionem [k] Baltazaris comitis Caſtellionis filium, qui doctrina et poëtica praeſtans ob [l] Aulicum ſuum, [5] quem ad Ciceronis Oratoris exemplar effinxit, majus nomen meruit; eoque filium tanti viri magis ſuſpexit, quod prudentia, moribus, et toto vultu, ac decenti corporis habitu, exemplar a parente relictum referre videretur. Ibi et, inter rara pleraque ab Iſabella [m] Ateſtina avia praeſtantis ingenii heroina loco ſpectabili ſtudioſe congeſta, rem ſibi commemoratione dignam [α] vidiſſe narrabat Thuanus. Cupido dormiens e [n] Lunenſi marmore adhuc luculento, a Mich. Angelo [o] Bonarota, qui architecturam, ſtatuariam, picturam, a priſcis ſaeculis intermortuas artes, diebus noſtris quaſi in vitam unus revocaſſe creditur, ſculptus, poſt multam operis admirandi praedicationem Foxio oſtenſus eſt; qui conſpectus ab aſtantibus, et a Thuano ipſo, qui his artibus ſumme delectabatur, quaquaverſum curioſis oculis luſtratus, omnem de eo factam antea commendationem ſuperare videbatur. Tum, poſt ſatis diutinam admirationem ad ſtuporem uſque ſpectantium provectam, quaſi [6] ex machina ex ſerico faſciolo, quo involutus erat, alter promptus, antiqui operis, et qualem tot Graecorum epigrammatum certatim in eam rem factorum mira arte expreſſum legimus, e terra, ut erutus erat, adhuc luteus; qui cum novo comparatus, ſtatim effecit, ut aſtanteis prioris judicii ſumma conſenſione ſuppuderet, et antiquum quaſi marmor ſpirans cuncti [7] faterentur; novum tanquam lapidem jacentem iidem, qui tantopere laudaverant, prae altero

VAR. LECT. [α] vidiſſe ſaepe narrantem Jacobum audivi. Cupido *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *le Po.* [b] *Caſal dans le Montferrat.* [c] *le Milanois.* [d] *Pavie.* [e] *ceux de la maiſon de Viſconti.* [f] *Milan.* [g] *Lodi.* [h] *Piacenza.* [i] *Mantoua.* [k] *il Conte Baldaſſar Caſtiglione.* [l] *il Cortegiano.* [m] *da Eſte.* [n] *de Luna en la coſte de Genes.* [o] *Buonaruoti.*

NOT. [1] et novis experimentis in dies

[2] famoſam venit. Hinc a Foxii comitibus facta bidui excurſio ad Papiam. Antequam urbem ingrederentur

[3] ſodalibus ad preces congregatis recitatum fuiſſe

[4] Mediolanum itum, urbem amplitudine ſua et populi frequentia nobiliſſimam; et inde rurſus

[5] quem ad Tulliani Oratoris exemplar

[6] ex machina alter depromptus, antiqui operis, et qualem tot Graecorum poetarum epigrammata certatim laudavere, e terra, ut erutus

[7] faterentur, novum non ſecus ac rudem forte lapidem deſpicerent:

altero deſpicerent: aiebantque domeſticis nonnulli, ipſum Bonarotam, hominem inter omneis ſaeculi ſui artifices maxime ingenuum, cum Iſabellae ſuum Cupidinem altero viſo offerret, enixe rogaſſe, ut eo ordine utrumque opus [1] ſpectaretur, ut ea comparatione cuncti diſcerent, quantum hodierna aetas priſcae in his artibus concedat.

MANTUA [a] Mirandulam itum, quae adhuc praeſidio Gallico tenebatur, duce [b]Artuſerio, qui poſtea bellis [2] civilibus magis inclaruit. A Fulvia [c] Corregienſi vidua Picorum matre perhumaniter exceptus Foxius biduum in ea fuit; unde, facto per Concordiam itinere, quod alterum Picorum eſt oppidum, [d] Ferrariam ventum; ubi Foxius, ab Alfonſo duce perfamiliariter exceptus, et omnes qui cum eo erant, quaſi in aula Francica ſibi verſari videbantur; adeo ille, qui tam arcta cum regibus noſtris cognatione conjunctus erat, et a puero apud nos educatus fuerat, noſtros mores imbiberat, ut nihil praeter locum in toto convictu mutatum appareret. [3] Ferrariae tunc profitebatur Franciſcus Patricius [α] Dalmata; quem, quod novas atque a communi ſenſu alienas atque adeo erroneas opiniones in Ariſtotelis doctrina explicanda tueri diceretur, ut ex diſcuſſionum Peripateticarum parte jam edita patebat, Foxius ad colloquium admittere inſuper habuit; et Thuanus tantum vidit, non etiam allocutus eſt.

PECULIARI ducis navigio egregie ornato Foxius Venetias deductus eſt. Urbem nocte ſubluſtri ingreſſi ſunt per magnum canalem, undis repercuſſu lunae et aedium fere marmorearum ſplendore criſpantibus cum admirabili ſpectantium jucunditate; ſubiitque memoria Philippi [e]Comminei Argentonii equitis celeberrimi, qui, a Carolo VIII Venetias miſſus, vicum eum tota Europa domibus ornatiſſimum praedicat. Ad Arnoldi [f] Ferrerii oratoris regii aedeis divertit Foxius: qui in ejus comitatu erant ad proximas domos hoſpitia ſumpſerunt. Thuanus ad Juſtinae a Ferrerio ipſo aſſignatum habuit, [4] quod ea, ex omnibus quae conductitias aedeis hoſpitibus elocabant, ſola lenocinium non facere diceretur; et Ferrerius, qui arcta cum Chriſtophoro Thuano Jacobi parente amicitia vinciebatur, [5] praecipuam quoque ejus curam ſibi habendam diceret. Perhonorifice Foxius a ſenatu exceptus, deducente, ut fit, Ferrerio, et propter dignitatem perſonae, et quod ordinarii oratoris munere ſumma cum laude nuper apud ſereniſſimam rempublicam defunctus fuerat. Et quia ab amicis, quos Romae habebat, pontificem vix cum admiſſurum ob memoriam [g] Mercurialis conventus, in quo Foxius poſtulatus fuerat, et perverſo juris ordine a delegatis judicibus primum damnatus, poſtea retractato judicio ab univerſis ſenatus claſſibus abſolutus; eo factum, ut ille ſibi alicubi tantiſper exſpectandum exiſtimaverit, dum nova ad pontificem a rege mandata acciperet, et qui res regis Romae procurabant, ei ad illam aulam benignum aditum [6] pateſeciſſent. Id commode [h] Patavii ei accidit, quae eſt urbs munitiſſima totius Venetae ditionis, et omnium ſcientiarum profeſſoribus florentiſſima; quo ipſe, et qui in ejus comitatu remanſerant, nam plerique ex morae illius occaſione alii alio diſceſſerant, ſe contulit, in [7] iiſque Thuanus, qui nunquam ab ejus latere diſcedebat.

QUI

VAR. LECT. [α] Dalmata, cujus meminit et auctor in Annalibus ad annum CIↃIↃXCVII; quem, *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a]*la Mirandole.* [b] *de l'Artuyſie.* [c] *de Correggio.* [d]*Ferrare.* [e] *de Comines Seigneur d'Argenton.* [f] *du Ferrier.* [g] *la Mercuriale.* [h] *Padoue.*

NOT. [1] ſpectaretur, quo magis ea comparatione cunctis innoteſceret, quantum

[2] civilibus magis inclaruit. Ibi a Fulvia ——— exceptus Foxius biduum manſit

[3] Ferrariae tunc philoſophiam profitebatur

[4] quod ea, ex omnibus quae diverſoria exercerent, ſola lenocinium

[5] praecipuam quoque curam ejuſce rei ſibi habendam

[6] pateſeciſſent. Quaerenti locum morae faciendae opportunum, Patavium placuit, urbs munitiſſima

[7] in iiſque Thuanus, qui interim, ne tempus — ditionem peragravit; luſtrata

Qui interim, ne tempus illud ſibi periret, cum Chriſtophoro patrueli totam Venetam in Ciſalpina ditionem ipſe peragravit; luſtrata [a] Vicentia, Piſcaria, et Benaco lacu omni tota Europa nobiliſſimo, in quo vetuſta Scaligerorum ſedes Verona ipſa, eorum ſepulchris adhuc praeter antiquitatis ſuae praerogativam nobiliſſima, [b] Brixia Catulli Veronenſis mater Veronae ſuae amata, et [c] Bergomum, quod jam ad montana vergit: et inde, flexo per Cremonam, Cremam, et [d] Ateſte itinere, Patavium reditum; ubi adhuc profitebatur Hier. Mercurialis [e] foro Livii in Umbria natus, qui nuper ex Maximiliani Caeſaris aula redierat, [1] eruditione ſua et ſcriptis a diſcipulis fere ſuis publicatis clarum adeptus nomen, quicum Thuanus jam tum familiariter verſabatur: poſtea Florentiam a Franciſco duce magnis praemiis evocatus, in Piſana academia diu medicinam docuit, et Florentiae poſtremo ad longaevam aetatem conſenuit.

Erat tum Patavii Niphus, qui in Ariſtotele interpretando avitam gloriam renovare ſatagebat, et non mediocri cum laude Lutetiae, dum in Foxii familia eſſet, magno auditorum concurſu docuerat; homo conſortis impatiens, et cui parce laudare, aemulis perpetuo obtrectare, ſolemne erat. Is aegerrime ferens Julium Caeſarem Scaligerum, tanti nominis virum ut in ejus ingenium ac doctrinam obtrectatio non caderet, de avo ſuo vulgariter ſenſiſſe, et quantum Petro Pomponatio praeceptori ſuo tribueret, tantum illi in ſermonibus detrahere ſolitum, iras, quas in parentem coquebat, in filium evomuit; et, cum non haberet quod in utrumque diceret, gentis exagitandae occaſionem cepit: cognitoque Thuanum arcta cum Joſepho Scaligero conjunctum amicitia, eum in arcano ſeducit, et longa oratione, ut erat in dicendo vehemens, non credulo adoleſcenti perſuadere conatus eſt, Julium parentem, Benedicti Burdonis filium, Scaligeri nomen mentitum eſſe: et jam tum Burdoniae fabulae initium fecit; quam deinde alii maligne ſparſerunt, et grandibus poſtremo libris [2] carnificis manu puniendis magna ſua cum infamia evulgarunt.

Ubi tandem, annitentibus regiis miniſtris et amicis, ſpes Foxio facta non ingratum ejus ad urbem fore adventum, ipſe in viam ſe dat, jam praecipitata hyeme, et, per [f] Rodiginum et Lignacum facto itinere, [g] Bononiam pontificiae ditionis primariam urbem venit; et ab [h] Alexandro ab Armis, (et nobilitate civitatis praecipua,) qui [3] obviam cum carrucis venerat, invitatus, cum ſe diu fruſtra excuſaſſet, poſtremo in ejus aedibus hoſpitium ſumpſit: ubi omni laetitiae genere exceptus, per aliquot dies commoratus eſt, cunctis civitatis ordinibus ad eum ſalutandum [4] confluentibus. Venit et ad eum Carolus Sigonius, qui, contentionum cum Fr. Robertello [i] Utinenſi, qui jam tum deceſſerat, pertaeſus, et Germanorum, qui Robertello favebant, concurſum non ferens, Patavium primum ſtudiorum domicilium reliquerat, et, a Jacobo Boncompagno invitatus, Bononiam ſe contulerat: ubi Romanam ultimi aevi hiſtoriam diligenter ac ſummo judicio pertexuit, et eidem Boncompagno nuncupavit; nam prioris aevi hiſtoriam, et alia immortalitate digna opera, Patavii ſcripſerat. Cum eo Thuanus totos dies fuit; et cum aegre Sigonium Latine loqui ſciret, malebat Italice balbutire, quam non familiariter cum eo verſari. Ab eo tandem expreſſit, et libros

INTERPR. [a] *Vicenza, Peſchiera, & Lago di Garda.* [b] *Breſcia.* [c] *Bergamo.* [d] *Eſte.* [e] *Ferli en la Romagne.* [f] *Rovigo, & Lignago.* [g] *Bologna.* [h] *Aleſſandro dall' Armi.* [i] *d'Udine.*

NOT. [1] eruditione ſua et ſcriptis publicatis clarum adeptus nomen: poſtea Florentiam a Franciſco

[2] carnificis manu lacerandis magna

[3] obviam cum curribus venerat, ſtudioſiſſime invitatus, poſtremo in ejus aedibus

[4] confluentibus. Venit ad eum et Carolus Sigonius, qui, contentionum cum Fr. Robertello Utinenſi, jam vita functo, pertaeſus, et Germanorum Robertello faventium concurſum non ferens, Patavium ——— reliquerat, Bononiamque a Jac. Boncompagno invitatus ſe contulerat: ubi Romanam poſterioris aevi hiſtoriam, diligenter ac ſummo judicio compoſitam, eidem Boncompagno nuncupavit; nam prioris aevi res et alia immortalitate digna Patavii ſcripſerat.

libros de ſenatu Romano ſub Joannis Sarii [a] Samoſcii, qui poſtea non Poloniam ſolum ſuam, ſed et totum [1] orbem, nominis ſui gloriae teſtem habuit, nomine editos, ut et Poloniam Petri [b] Craſſini, nec non et commentarium in Agrarias Bernardini Lauredani [2] nomen praeferentem, a ſe ſcriptum eſſe. Vidit et Ulyſſis Aldrovandi ampliſſimam jam tum ſupellectilem, ad hiſtoriam naturalem illuſtrandam [α] repoſitam.

INDE per Apenninum nivibus canum [c] Florentiam itum; miraque temperies quamvis media hyeme ſuperato eo apparuit, quaſi aliud coelum, aliae terrae, atque adeo longe ab horridis [3] illis montibus, quae pedes eorum tangunt, poſitae eſſent. Franciſcus princeps obviam Foxio proceſſit, eumque perhonorifice in aedeis Palatinas deduxit, in quibus ipſe et Joanna Auſtria uxor habitabant. Coſmus parens adhuc in vivis erat, et in alteris aedibus [d] Pitianis, ad quas per Palatinas media porticu ſupra [e] Arnum itur, diverſabatur, tranſcripta imperii cura filio, ſed dignitate et majeſtate penes ipſum manente. Ad eum ſalutandum cum comitatu ſuo [4] introductus Foxius; quem in magna aula invenit cum pileolo nocturno, ad menſam prope ignem ſedentem, ex formoſiſſimo, qui fuerat, fuſca et lurida facie, jamque ex morbo perculſum, ex quo brevi poſt deceſſit. Exaudiebat difficulter, neque diſtincte loquebatur; et Camilla Martellia altera uxor, quam poſt elatam Helionoram [f] Toletanam duxerat, ei quaſi interpres aſſidua erat, et in aures inſinuabat quae dicebantur, et plerumque pro ipſo reſpondebat. [5] Cum Foxio aſſiduus erat Ant. Maria [g] Salviatus S. Papuli apud nos epiſcopus, qui poſtea in collegium cardinalium cooptatus fuit, et Robertus Ridolfius, qui nuper ex Anglia, in qua pontificis nomine occulta cum Maria Scota agitaſſe conſilia [6] dicebatur, vix extremo devitato periculo evaſerat.

VENIEBAT et crebro P. [h] Victorius veneranda jam tum canitie ſenex, qui cum Thuano, quando cum Foxio non licebat, aſſidue de literis verba faciebat. Querebatur [7] is jam tum bonas literas in Italia vileſcere; habere ſe multa quae publico libenter daret, [β] ſed ea a pleriſque non tanti aeſtimari quanti conveniret; typographos praeterea et pigre et imperite in ſuo munere verſari: ſe prioribus annis Aeſchylum, quem et emendatiorem et auctiorem habebat, adoleſcenti docto atque adeo Gallo dediſſe, (is erat Henricus Stephanus,) ſed qui negligenter ac nimis diu exſpectationem ſuam remoratus eſſet. Tum multa in Ciceronis epiſtolas ad familiareis, et ad Atticum, ex antiquis libris annotaſſe ſe aiebat; quae ne perirent infelici adeo ſaeculo verebatur. Is Thuanum ad Sanlaurentiam bibliothecam deduxit, et ei magnum volumen interpretum Graecorum in Ariſtotelem etiam non editorum oſtendit, qui Oceanus inſcriptus eſt, ac praeterea Virgilium capitalibus literis exaratum; ſubinde ingemiſcens, quod antiqua Medicea tanti nominis bibliotheca, per ſeditiones domeſticas Romam, et inde extra Italiam, avecta erat. Ea eſt quam Catharina regum noſtrorum parens, magno

VAR. LECT. [α] repoſitam, quae poſtea crevit; ex qua tantum hactenus Ornithologia edita eſt: cum ex indice multa ſupereſſe appareat, et in iis Moſchologium, quae publico dari publicae rei interſit. Inde per *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] ſed ea ab illis qui debent non tanti fieri; et ſublato principe, qui mortem quotidie minabatur, Muſas antiquum omne patrocinium amiſſuras: typographos *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Zamoyski, Palatin de Belz* al. *Belzki.* [b] *Craſſinski.* [c] *Florence.* [d] *Palagio Piti.* [e] *Arno.* [f] *de Tolede.* [g] *Salviati evêque de S. Papoul.* [h] *Vettori.*

NOT. [1] orbem gloriae ſuae teſtem habuit, nomine editos, et Poloniam

[2] nomen praeferentem, inter opera ſua cenſeri debere. Vidit et Ulyſſis

[3] illis montibus poſitae eſſent.

[4] introductus Foxius, ad menſam ſedentem invenit in aula ſpatioſiſſima, cum pileolo nocturno ante focum, ex formoſiſſimo,

[5] Cum Foxio frequens erat Ant. Maria

[6] dicebatur, evaſerat. Aderat et crebro P. Victorius

[7] is jam tum literas in Italia vileſcere, et habere ſe multa quae

magno pretio, quantumvis Coſmo contradicente, comparatam, in [1] Galliam tranſportandam impetravit, et per bibliothecarium peculiarem ſeorſum, quamdiu vixit, apud ſe habuit; quam demum Thuanus a creditoribus ejus regis pecunia redemptam in bibliothecam regiam inferendam curavit, et congeſtum a magnis regibus theſaurum tanta acceſſione locupletavit. Eandem fortunam minime expertus eſt Pandectes, olim Conſtantinopoli a Piſanis captus, et Piſis poſtea [a] Etruriam tranſlatus, qui in publico reipublicae palatio aſſervabatur, neque proinde cum privatae bibliothecae libris urbe exportari potuit; et nunc etiam ſeorſim in eodem palatio, cum ceteris rari pretii cimeliis principis, religioſe cuſtoditur. Eum cum evolveret Thuanus, et ex ſcriptura antiquiſſimum eſſe, et [2] ex ligatura archetypum, ex quo omnia noſtra exemplaria deſcripta ſunt, animadvertit: nam eadem quae in extremo tranſpoſitio hodie paſſim habetur, illic cernitur, ut ex illo manaſſe in noſtros libros appareat; quod et Ant. Auguſtinus obſervavit. Subit et Cujaciani deſiderii recordatio, qui bis mille aureos depoſiturum ſe multoties obtulit de reſtituendo Pandecte, ſi ſibi ad annum utendus commodaretur: nam, quamvis fideliſſime expreſſus putetur editione illa quam Laelius Taurellus procuravit, multa tamen potuiſſe fugere illum et librarios, quae proprio aſpectu et libri tractatione ſe deprehenſurum ſperabat homo felicis diligentiae: idque Thuano ſaepe dixerat; et, cum [b] Auguſtae Taurinorum eſſet, nihil non fecerat commendatione Philiberti ducis, et Margaritae uxoris, ipſis etiam ſponſoribus de reſtitutione allegatis, ut tanti voti compos evaderet; ſed nihil impetrare potuerat: tantum a Coſmo reſponſum, ſi Florentiam veniret, fore, ut et libro ad plenam ſatietatem uti poſſet, neque ad ſe acceſſiſſe ipſum poeniteret. Id unum, poſt exactiſſimam in excolenda ſua ſcientia adhibitam ſolertiam, ad animum explendum ſibi defuiſſe, in eoque ſe deſiderio moriturum, aiebat Cujacius.

VIDIT et Florentiae Thuanus Georgium [c] Vaſarium Arretium architectum et pictorem [3] praeſtantiſſimum; et, cum per omnia ab eo duceretur, et in effigies Joannis et Garſiae Coſmi filiorum, de quorum calamitoſo fato clam aliquid inaudiverat, incidiſſet, in arcano ipſum rogavit, an quae jactarentur vera eſſent; et ille ſilentio annuens famae occultae fidem fecit, et Coſmum id, quamvis juſte et generoſe factum, enixe tegi voluiſſe confirmavit, ne aemuli initio fundati imperii materiam inde obtrectandi [α] arriperent.

FLORENTIA [d] Senas ventum, recenti adhuc Gallici nominis apud populareis memoria; cujus ſitum Thuanus, jam tum de hiſtoria ſcribenda cogitans, diligenter luſtravit, ut longae obſidionis ſpeciem curioſa locorum contemplatione animo [4] altius infigeret. Dum in urbe eſſet Foxius, Alexandrum Picolomineum veneranda canitie ſenem in aedibus ſuis inviſit; quem culcitae incumbentem, et Ariſtoteli ſuo, hoc eſt, a ſe diverſis explicationibus illuſtrato, recognoſcendo vacantem, improviſus invenit; nam ſolus erat, et famuli huc illuc per feſtum diem diverſi abierant: quod ille anxietate ſumma excuſavit, et gratias Foxio pro tam honorifica ſalutatione egit. Tum, ſedere juſſis qui cum Foxio aderant, in iiſque Thuano, multa de ſtudiis ſuis diſſeruit; eorumque ſe demum in ea aetate dulciſſimum fructum capere dixit, aliis oblectamentis deficientibus, quibus aliae aetates innocenter et citra offenſam gaudere poſſunt. Quod cum dicebat, non tam ſenectuti ſolatium quaerere dicebatur, quam

adoleſcentes

VAR. LECT. [α] arriperent: itaque auctor monitorum Vaſarii memor, idem quod ille veritus, partem eam in Hiſtoriis ſuis ſuppreſſit, ſeorſimque, cum iis quae ad concilium Tridentinum pertinent, excudendam curavit. Florentia *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *la Toſcane.* [b] *Turin.* [c] *Vaſari d'Arezzo.* [d] *Siena.*

NOT. [1] in Galliam adportari curavit,
[2] antiquiſſimum eſſe, et ex membranarum compage archetypum, ex quo omnia noſtra
[3] praeſtantiſſimum: cumque ab eo per varia duceretur, et in
[4] altius infigeret. Dum

adoleſcentes qui aderant, qua humanitate erat, ad deſidiam vitandam et philoſophiae ſtudia capeſſenda exemplo ſuo cohortari.

Senis Lucam divertit Foxius, quod ad illam rempublicam literas a rege et novo Poloniae rege haberet, et amicos ex illa nobilitate complureis viros graveis. Itaque non ſolum ut orator regius, ſed ut reipublicae amicus, quam honorifice et amanter cum toto ſuo comitatu exceptus eſt. Unde triduo Romam itum, per [a] Faliſcos et [b] Viterbium facto itinere, ad [c] Balnea-Regia luſtranda, locum fontibus ingenti mole ſcaturientibus et artificio [1] admirandis nobilem, et a Gambara cardinali ſumma cura exornatum. CIƆIƆLXXIV.

Noctu urbem Foxius ingreſſus eſt per pontem [d] [2] Milvium, et inde ab oratore noſtro ad pontificem in arcano deductus: nam aliquot poſt dies publice auditus eſt, et Thuanus aliique nobiles ad B. pedum oſculationem admiſſi. Tum Foxii cauſa ante XII annos terminata rurſus in diſceptationem deducta, et ad delegatos cardinaleis remiſſa, magno errore, et majore Foxii ac regii nominis damno: ſed errorem excuſat, quod Armeniacus cardinalis proxima Foxio cognatione conjunctus, ad quem inviſendum ille Lugduno Avenionem [3] diverterat, ampliſſima ſacerdotia in ejus gratiam ejerare in animo habebat; quod et tandem fecit. Is vero jam paene octogenarius urgebat, ut Foxius res ſuas Romae conficeret; et Foxio ſpes, ab iis qui in occulto minus ei bene volebant, fraudulenter facta, ſi rem pontifici committeret, fore ut negotium brevi finem acciperet. Ita vir bonus in errorem inductus, ex quo vix poſt decennium ſe extricare potuit.

Heic rem commemoratione dignam, quam Thuanus in commentarios privatos relatam in ſuis Hiſtoriarum [4] libris omiſit, quod annum, quo id accidit, certo neſciret, minime reticendam duxi. Aiebat Foxium, indigne in juris ſui perſecutione in illa aula habitum, prenſandis cardinalibus fatigatum, die quodam poſt prandium ad Proſperum [e] Sanctacrucium veniſſe; et, quia jam non regis res ſed ſuas agere videretur, quod illi ſummo probro vertebat, conſilium ab homine regii atque adeo Gallici nominis perſtudioſo exquiſiiſſe, quo ſe decore ſalvo, cum bona pontificis venia, tam perplexo negotio expediret. Is, initio bellorum civilium oratoris pontificii munere apud nos defunctus, reginae commendatione in collegium cardinalium allectus fuerat; et, arcanorum regni particeps effectus, rara fide et prudentia res inter pontificem reginamque adminiſtraverat; ut vel ex illuſtriſſimi Ludovici Gonzagae [f] Nivernii ducis ad Sixtum V commentariis patet. [5] Cum igitur eandem charitatem retineret, ac praeterea ſciret Paulum reginae, cui honoris et fortunarum amplificationem praecipue debebat, percharum eſſe, cum ad cryptam in aedibus ſuis ſeducit, erant enim jam Maio ineunte intenſi co [6] anno calores, cum Thuano, quem, quod cum parente ejus amicitiam, dum in Gallia eſſet, coluiſſet, ad ſecretum admitti voluit. Ibi multa de cultu ſinceroque ſuo erga regem reginamque obſequio praefatus, [7] praecipuoque in Foxium, cujus virtutem et merita ſuo pretio aeſtimet, affectu; 'Cogis me, inquit, 'vir illuſtriſſime, in tuam gratiam renudare, quae in aula noſtra ſumma ſilentii 'reverentia teguntur; cui illud ingenium eſt, ut exquiſita ſeveritate, cum occaſio 'ſe offert, et impune licet, in externos utatur, et, ſi quis dignitate praeſtans ei ſe 'ſubjiciat,

INTERPR. [a] *Monteſiaſcone,* i. e. *Faliſcorum montes.* [b] *Viterbo.* [c] *Bognarea.* [d] *ponte Molle à Rome.* [e] *di Santa Croce.* [f] *le duc de Nevers, dans les Memoires de ſon Ambaſſade auprés de Sixte* V.

NOT. [1] admirandis nobilem, Gambarae cardinalis cura ſumptuque non modico exornatum.

[2] Milvium, et inde a legato regio ad pontificem in arcano

[3] diverterat, ampliſſimis ſacerdotiis in ejus gratiam cedere in animo habebat;

[4] libris omiſit, quod non ſibi ſatis de anno quo res incidit compertum eſſe diceret, minime reticendam duxi.

[5] Cum igitur eoſdem adfectus retineret, ac praeterea

[6] anno calores, Thuanumque ob amicitiam, quam, dum in Gallia eſſet, cum ejus parente coluerat, ad ſecretum

[7] praecipuoque in Foxium adfectu, 'Cogis me,

‘ ſubjiciat, eam cauſam longo comperendinationum ſufflamine protelari gaudeat;
‘ dum interim per gentes toto orbe fama vulgatur, et noſtri nominis terror ſpargitur:
‘ quae ſeveritas eo uſque valet, quo uſque vel infirmitate vel religionis metu toleratur.
‘ Nam ſi aliquis princeps exiſtat qui neutro attineatur, caute ac ſumma diſſimula-
‘ tione ab ea ſeveritate diſceditur: fama ſiquidem et hominum patientia hujus aulae
‘ ſtat majeſtas, et, quod vafer Florentinus dixit, iis rebus, quae aliis imperiis ſunt
‘ [1] exitio, conſervatur. Id tibi dictum eſto; a quo didiceris, et candor meus et fides
‘ tua, et ejus qui heic tecum eſt, vel in hac aetate, prudentia, requirit, ut a nemine
‘ reſciſcatur. Enimvero mihi dolet, quod a principio in partem conſilii, quod nunc
‘ petis, non admiſſus ſum; ſic enim futurum erat, ut quod nunc poenitentia vix
‘ emendari poteſt, prudentia melius inſtructus antevertiſſes. Dicam tamen, et ex-
‘ emplo recenti, eoque domi non foris petito, te docebo. Noſti Galeacium [a] San-
‘ ſeverinum Gajacii comitem, quem nunc audio apud vos deceſſiſſe. Is in gratia
‘ regis Chriſtianiſſimi floruit; eique poſthabitus fuit Hadrianus [b] Baleonus, Aſtoris,
‘ qui Famaguſtae in Cypro nuper periit, frater, et ipſe hac in urbe paucos ante dies
‘ extinctus. Levis armaturae primarius tribunus ultimis bellis Galeacius fuerat;
‘ quibus ante quadriennium compoſitis, ſtudio ſuos videndi, et reculas, quas in Gal-
‘ lia Ciſpadana habebat, ad vos transferendi, Bononiam venerat; ubi, ſive livore
‘ ſive delatione eorum quorum intererat ne ſua per abſentiam occupata recupe-
‘ raret, ſive odio ſectae quam profiteri dicebatur, a ſancto officio comprehenſus, et
‘ Romam continuo [2] ductus eſt: quo nuncio ultra modum ferunt commotum
‘ Chriſtianiſſimum regem, qui protinus [c] Sangoartium ex veſtra nobilitate notum
‘ equitem, qui nunc, ut audio, apud Catholicum regem oratoris munere [3] fungitur,
‘ Romam miſit, et hominem atque adeo officialem ſuum, in quem proinde ani-
‘ madvertendi nulli jus eſſet, per eum repetiit; datis inſuper pleniſſimis mandatis,
‘ ut illum quavis ratione ſecum reduceret. Sangoartius, ubi ad urbem venit, et ad-
‘ miſſus, quid in mandatis haberet, expoſuit, pontifex, qui ad aulae ſeveritatem in-
‘ genii peculiarem in his rebus duritiem adjunxerat, mirari ſe dixit, regem Chriſtia-
‘ niſſimum pro ſectario, quem ad poenam trahi gaudere debeat, partes ſuas inter-
‘ ponere; tamen, quod eum tam enixe hominem obnoxium [4] repetere videat, de
‘ re mature conſulturum, et effecturum, ut rex Chriſtianiſſimus ſuas petitiones ſibi
‘ curae fuiſſe intelligat. Ita primo dimiſſus Sangoartius, qui poſt paucos dies rurſus
‘ auditus eſt; et, cum videret rem de die in diem duci, et ad cardinalium congrega-
‘ tionem remitti, ſibi dolere dixit, quod adverſus ſenatus ſeveritatem non minus ſe-
‘ veris mandatis agere jubeatur; quae, niſi intra triduum regi, tradito ſuo officiali,
‘ ſatisfiat, expromere cogatur: id ſe pontifici denunciare, ut intra tempus illud pro
‘ prudentia ſua ſtatuat, an non e dignitate ſua, et ſanctae ſedis, quam in reſponſioni-
‘ bus ſuis ſemper obtendebat pontifex, potius ſit, principi tam bene de eccleſia merito
‘ gratificari, quam injuſta cum repulſa prorſus a ſe alienare; nam [5] officialis ſui ſe-
‘ que vindicem appellantis periculum diutius non poſſe negligere; atque ad animum
‘ injurioſum illius carcerem, tanquam injuriam ſibi deſtinato factam, revocare: vi-
‘ deat igitur, et, quid e dignitate et ſua et regis Chriſtianiſſimi ſit, mature apud ſe
‘ conſideret: ſe poſt triduum, non petita audientia, compariturum. Triduo exacto,
‘ cum

INTERPR. [a] *Sanſeverino conte di Cajazza.* [b] *Baglioni.* [c] *de Vivonne Sr. de St. Goart, marquis de Piſani.*

NOT. [1] exitio, conſervatur. Enimvero mihi dolet, quod a principio in partem conſilii tui non fuerim vocatus; nam quae difficilia nunc obverſantur, facile antevertiſſes. Noſti Galeacium Sanſeverinum

[2] ductus eſt: ea re ultra modum commotus rex Chriſtianiſſimus, Sangoartium ex veſtra

[3] fungitur, Romam protinus miſit,

[4] repetere videat, daturum operam, ut rex Chriſtianiſſimus ——— dimiſſus Sangoartius, ac poſt paucos dies rurſus auditus, cum videret

[5] officialis ſui periculum diutius non poſſe

‘ cum eadem a ſeveritatis exactae pontifice regererentur, et nova comperendinatione
‘ petitiones ſuas eludi cerneret Sangoartius, poſt XV dierum, tot enim circiter in urbe
‘ fuerat, moram, ſibi amplius expectare [1] liberum non eſſe reſpondit; tantum re-
‘ ſponſi, quod regi ſatisfiat, impetrandi intra illud tempus facultatem conceſſam;
‘ quod ſi non obtineat, jubere regem, quod huc uſque facere diſtulerat, ut pontifici de-
‘ nunciet, ipſum decreviſſe oratorem ſuum, quem Romae habet, is erat Carolus [a] An-
‘ geneus Cenomanorum epiſcopus, qui mox in cardinalium collegium cooptatus fuit,
‘ domum [2] revocare; ſibique injunctum, ut eum ſecum reducat: ſi quae graviora
‘ negotia [3] incidant, miſſurum oratores ſuos; interim de negotiis, quae in hac aula
‘ ſint ordinaria, per trapezitas et procuratores apoſtolicos acturum: poſt hanc de-
‘ nunciationem, nec alio expectato reſponſo, ſe e veſtigio oratori regio, quem jam
‘ monuerit, regis nomine [4] edicturum, ut ſe poſt biduum ſequatur. Haec verba, qua
‘ erat animi praeſentia, cum Gallicana libertate protuliſſet Sangoartius, et, quod
‘ olim Popilius Laenas ſenatus-conſulto Antiocho porrecto feciſſe memoratur, quaſi
‘ circulo pontificem [5] circumſcripſiſſet, ut eligeret, amicitiam, necne, regis Chriſtia-
‘ niſſimi vellet; imperioſus juxta ac moroſus ſenex mirum in modum excanduit;
‘ et tamen ſic Sangoartium dimiſit, ut ſe amplius cogitaturum et regi ſatisfacturum
‘ reſponderet. Illo diſcedente exclamare pontifex, Dei [6] hominumque ubique fi-
‘ dem et opem implorare, oculos et brachia huc illuc circumferre; actum eſſe de
‘ religione, vim libertati eccleſiaſticae afferri: regem puerum, qui Chriſtianiſſimi
‘ titulos ſibi ſumat, male conſultum Sectariorum patrocinium ſuſcipere; et, quod
‘ extremae [7] contumeliae loco reputet, hominem ebrioſum ad ſe allegaſſe, qui prae-
‘ fracta audacia ſe et ſacroſanctum univerſalis [8] eccleſiae ſenatum, qui Romae penes
‘ ſe ſit, in ordinem cogere praeſumpſerit. Poſt has et ſimiles quiritationes, re cum
‘ fidis, iiſque praeſertim cardinalibus qui de cauſa cognituri erant, ſtatim communi-
‘ cata, cum ſerio agere Sangoartium, et quod verbo dixerat facto executurum, ap-
‘ pareret, expedire viſum, ut, nulla dilatione interpoſita, antequam per contentiones
‘ id evulgaretur, Gajacius in Galliam ad regem reducendus Sangoartio traderetur;
‘ iſque in arcano moneretur, caveret, ne mandata, quibus uſus erat, potius ad pub-
‘ licam offenſionem quam ad regis dignitatem ſpectantia, emanarent, ſatiſque ha-
‘ beret, quod voti compos gratificationem regis deſiderio reſpondentem a pontifice
‘ impetraſſet. Quia vero ebrioſum Sangoartium [9] per iram Pius vocitaverat, in mores
‘ temperantiſſimi viri ex ea occaſione anquiſitum; compertumque eum non ſolum
‘ vino omnino abſtinere, ſed vix poculo aquae ter in anno ſitim reſtinguere. Hoc,
‘ ſi initio in conſilium adhibitus fuiſſem, pro dignitate tua et communi amicitia,
‘ libere monuiſſem: [10] nunc, quoniam res amplius integrae non ſunt, aſtu eorum
‘ qui te in has ambages induerunt, ſupereſt, ut de diſceſſu hinc quam fieri poterit
‘ honorifico captata occaſione quamprimum cogites; nam omnis heic mora de-
‘ inceps non ſolum infructuoſa, ſed dignitati tuae et regii nominis decori detrimen-
‘ toſa, erit. Cum vero ad tuos redieris, fac ut, quod in Gajacii longe diſpari cauſa
‘ et ſub pontifice longe diſſimili feliciter ſucceſſit, auctoritate regia utaris; quae niſi
‘ tibi

INTERPR. [a] *d'Angennes evêque du Mans.*

NOT. [1] liberum non eſſe; tantum reſponſi, quod regi ſatisfiat

[2] revocare; ſibi vero injunctum, ut eum ſecum reducat:

[3] incidant, miſſurum regem oratores

[4] edicturum, ut abeuntem ſe poſt

[5] circumſcripſiſſet, quem non egrederetur, priuſquam eligeret, amicitiam, necne,

[6] hominumque fidem et opem

[7] contumeliae loco reputaret, hominem

[8] eccleſiae ſenatum, in ordinem cogere praeſumpſerit.

[9] per iram pontifex vocitaverat,

[10] nunc quoniam, aſtu eorum qui te in has ambages induerunt, res integrae non ſunt, ſupereſt, ut de

'tibi negotium confectum dederit, fruſtra id a ſalutationibus,[1] prenſationibus, nec 'niſi longo ac detrimentoſo tibi tempore, potes ſperare.' His dictis Santacrucius Foxium rogavit, monitorum memor eſſet, ceterum monitoris[a] oblivisceretur.

DUM cauſa inter cardinaleis agitaretur, Oſſatus, qui Foxio a ſtudiis erat, a literis ad negotia primum ex ea occaſione animum tranſtulit; et cauſae merita in breviarium lucido ordine conjecerat, cujus exempla cardinalibus tradita ſunt; et jam tum conjecturam peritiores fecere, fore, ſi diutius in illa aula moraretur, ut et magno in pretio haberetur, et ad ſummos honores viam ſibi ſterneret: [2] quod et accidit.

ANTEA, petita a Foxio venia, [a] Neapolim profectus eſt Thuanus, exeunte Februario, et jam adulto illis locis vere; et, per [b] Velitras, Tarracinam, [c] Fundos, quod eſt initium ditionis Neapolitanae, facto itinere, ad urbem per cryptam pulverulentam, qualis a Seneca deſcribitur, in [d] Pauſilyppo excavatam venit; in qua Joannem Baptiſtam Portam, ſcriptis de naturali hiſtoria abſtruſiore, quae plura poſtea fecit, jam notum, vidit: et inde [e] Surrentum et Salernum uſque excucurrit, miratus utrobique coeli ac ſoli amoenitatem, [f] Mergillinam item Virgilii et Sannazarii tumulo et maris proſpectu nobilem: tum [g] Puteolos et ſpectabilia circum loca luſtravit, et inde Romam propere rediit, hoſpitiorum incommoditatibus adeo fatigatus et emaciatus, ut non ex profectione redire, ſed ex gravi morbo ac longinquo reſpirare, videretur.

INTEREA ſtudia domeſtica minime intermiſſa; et ipſe Oſſatus coram Foxio per illos aeſtus pomeridianis horis Alex. Picolominei Sphaeram nobilibus domeſticis praelegebat, et alternis vicibus ille et Foxius, ſic enim fieri conſueverat, interpretabatur. Thuanus, qui praecipuus utriuſque auditor erat, dum per ſemeſtre in urbe fuit, amicitiam doctorum virorum, pro more et inſito literarum amore, ſibi ſedulo conciliavit, et inprimis M. Ant. Mureti, cujus judicium tanti a Joſepho Scaligero fieri meminerat, ut quantum ille Julio parenti tribuebat, ei non minus ipſe tribueret. Itaque quicquid a Foxii [3] comitatu, in quo adſiduus erat, temporis ſuffurari poterat, id itando ad Muretum impendebat; ejuſque judicium de viris doctis, qui in urbe tunc erant, diligenter exquirebat. Ab eo de Scipionis [h] Tettii Neapolitani caſu cognovit, hominis undecunque, ut ille aiebat, doctiſſimi; qui, delatus quod male de Numine ſentiret, remo mancipatus fuerat, et tunc, an adhuc in vivis eſſet, incertum erat. Dolebat et Aonii [i] Palearii Verulani, et Nicolai [k] Franci [4] Beneventani, vicem; qui, ille quidem ob nimiam in pietate ſimplicitatem, ſic enim loquebatur, ad ignem, hic ob inviſam coelo Romano in ſermocinando libertatem ſub Pio v ad furcam, eſt damnatus. Ad aram coeli, id Franciſcanorum aedi nomen ſupra S. Marci palatium, quo pontifex per anni aeſtus ſecedere tunc conſueverat, Foxio aſſignatum hoſpitium fuerat. Heic crebro ventitare Muretus; qui et inde Thuanum ſemel atque iterum ad Paulum Manutium jam decumbentem [5] deduxit. Vidit et in urbe Latinum Latinium, Laurentium Gambaram; et omnium ſecundum Muretum familiariſſime Fulvium Urſinum, qui in Farneſianis aedibus habitabat. Jam Octavianus Pantagathus ad meliorem vitam migraverat,

VAR. LECT. [a] obliviſceretur: quod idem et Jacobo dictum, qui tamen rem minime oblivioni mandavit, ſed in adverſaria retulit; et quanquam in Annalibus omiſit, tamen poſt tot annorum intercapedinem, cum nullum inde periculum Santacrucio, qui jampridem obiit, creari poteſt, non moleſte ferret, ſi ea nunc monimentis publicis conſignantur. Dum cauſa *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Naples.* [b] *Velletri,* [c] *Terracina.* [c] *Fondi.* [d] *il monte Pauſilippo.* [e] *Sorrento, e Salerno.* [f] *Mergolino.* [g] *Pozzuolo.* [h] *Tettio.* [i] *Paleario di Verulo.* [k] *Franco di Benevento.*

NOT. [1] prenſationibus, aut mora diuturniore ſperabis. His dictis Santacrucius

[2] quod et accidit. Foxio Romae tantiſper adhuc haerente, Neapolim

[3] comitatu ſubſecivum habebat, id circa Muretum impendebat;

[4] Beneventani, vicem; qui ſub Pio quinto perierant; ille quidem ob nimiam in pietate ſimplicitatem, ſic enim loquebatur Muretus, hic ob inviſam coelo Romano in ſermocinando libertatem. Ad aram coeli, id Franciſcanorum

[5] deduxit. Ipſe Thuanus innotuit etiam Latino Latinio, Laurentio Gambarae, et omnium ſecundum Muretum familiariſſime Fulvio Urſino,

migraverat, cujus magnum in literis nomen; et dignus tanto magiſtro diſcipulus Onuphrius Panvinius, Scaligero, cum Romae eſſet, ob raram in omni antiquitate Romana, ſeu profana ſive ſacra, doctrinam, et patriae ratione, percharus, [a] Panhormi in Sicilia [1] nuper fatis deceſſerat.

FOXIUM Romae haerentem, et male inchoato negotio exitum fruſtra circumſpicientem, funeſtus de morte Caroli regis nuncius [2] oppreſſit; quae illi, ut triſtis, ſic honeſta, hinc diſcedendi cauſa extitit; Philippo Boncompagno cardinali a Gregorio patruo ad novum regem, qui, e Polonia ſubito rediens, jam in Venetis finibus eſſe dicebatur, ſalutandum cum legati dignitate miſſo: quem Foxius, petito a pontifice commeatu, mox ſecutus eſt; et per [b] Urbeventum, Interamnium, Narniam, Livii forum, Spoletum, Urbinum, relicto ad dextram [c] Piſauro, et memorabili amniculo [d] Rubicone tranſmiſſo, [e] Ariminum citatis equis cum omni comitatu ſuo pervenit. Cum Urbini eſſet, vix paucarum horarum ſpatium Thuano conceſſum eſt, dum Foxius cum principe eſſet, ad palatium ſtructura [3] nobile luſtrandum, et bibliothecam per tranſennam viſendâm, quae in eo aſſervatur; quae illi per Fridericum [f] Commendonum patuit, plus ipſius Commendoni, quam bibliothecae, cujus tantum ſedem inſpexit, videndi cupido. Arimini conſcenſa bireme Ravennam vento paulum vehementiore delati ſunt; ibique Thuanus Hieronymum [g] Rubeum vidit, luculentum antiquitatum urbis ſuae ſcriptorem, quas una et altera editione multum illuſtravit, et paria in ultima illa antiquitate cum Sigonio feciſſe videri voluit. Inde Foxius eodem navigio Venetias appulit, antequam legatus pontificius, qui diverſo itinere quamvis per citatos incedebat, eo veniſſet. Venetiis, aſſumpto [4] Arnoldo [h] Ferrerio comite, per [i] Julii forum in Dalmatiam uſque perrexit; et obvium novum regem una ſalutaverunt. Cum eo erat [k] Pibracius, e periculo recenter elapſus, de quo multus inter eos ſermo, et Pomponius [l] Bellevreus: unde Venetias reditum eſt; ubi quid actum ſit, et toto regis per Italiam itinere, in Hiſtoriarum libris perſcriptum eſt.

INTEREA Thuanus Venetorum librariorum apothecas veſtigabat: inde comparato magno librorum, praecipue [5] Graecorum, qui apud nos rariores, numero, bibliothecam jam inchoatam multum locupletavit. [6] In diſceſſu cum commeatum a Ferrerio peteret, ab optimo et ſapientiſſimo ſene, pro amicitia qua parentem ejus jam a tempore Mercurialis conventus proſecutus fuerat, cum multa benevoli animi teſtatione [7] dimiſſus eſt; et, quoniam eum ſacris deſtinatum, quod in plurium liberorum familiis fieri amat, reſcierat, inſuper monitus, in vitae genere deligendo videret, et vires ſuas expenderet, ut potius ad Dei gloriam et coeleſteis opes reſpexiſſe, quam de iis quas tinea corrumpit cogitaſſe, videretur; alioqui fore, ut ampliſſima illa vectigalia, quibus ad explendas cupiditates plerique hodie abutuntur, non beneficia, ſicut vulgo vocantur, ſed veneficia eſſe, magno ſuo cum dedecore et aeternae vitae diſpendio, experiretur: quae vox jam tum alte illi in pectus deſcendit, et poſtea ad capeſſendum in vitae genere eligendo conſilium magnum momentum attulit.

REX

INTERPR. [a] *Palerme.* [b] *Orvieto, Terni, Narni, Forli, Spoleto, e Urbino.* [c] *Peſaro.* [d] *Rugone riviere.* [e] *Rimini.* [f] *Commendone.* [g] *Reſſo.* [h] *du Ferrier.* [i] *Friuli.* [k] *le Sr. de Pibrac.* [l] *de Bellievre.*

NOT. [1] nuper fatis conceſſerat. Foxium Romae haerentem, et male inchoati negotii exitum

[2] oppreſſit. Haec illi quidem triſtis ſed honeſta fuit diſcedendi occaſio: Philippum Boncompagnum cardinalem —— eſſe dicebatur, miſſum cum legati dignitate, ſecutus eſt; et per Urbeventum,

[3] nobile luſtrandum, inſpiciendamque bibliothecam, quae illi per Fridericum — Commendoni videndi noſcendique cupido, quam bibliothecae, cujus tantum ſedem inſpexit. Arimini

[4] Arnoldo Ferrerio, per Julii forum —— perrexit: illic obvium novum regem una omnes ſalutaverunt.

[5] Graecorum, qui tunc apud nos

[6] In diſceſſu cum Ferrerium ſalutaret, ab optimo et

[7] dimiſſus eſt; atque inſuper monitus, quoniam, ſicut in plurium liberorum familiis fieri ſolet, ſacris eum deſtinatum reſciverat, in vitae genere

REX Venetiis Ferrariam cum tota aula venit; unde miſſus Foxius Romam, ut pontifici pro tam honorifica ad ipſum decreta legatione gratias ageret. Cum eo Thuanus profectus eſt, et, per Bononiam facto itinere, Florentiam venit; ubi Franciſcum ducem atratum obvium habuit, nam paucos ante menſeis Coſmus pater deceſſerat, eo minore ſui deſiderio, quod ſontico morbo praepeditus, diu antequam moreretur, inter vivos eſſe deſierat. Ibi Thuanus memor [a] Muretum Zozimi, qui hiſtoriam Eunapianam contraxit, videndi deſiderio tantopere flagrare, et quia exemplar, quod in Vaticana bibliotheca aſſervabatur, habere non potuerat, Florentinum ut habere poſſet Foxii interventu ſperaſſe; Foxio autem vellit, ut illius ad aliquot menſeis uſum a Franciſco impetraret: quod initio conceſſum; ſed poſtea compertum, ut Romae, ſic Florentiae, Pii V temporibus interdictam hujus libri lectionem fuiſſe: adeo ingens illud odium, quo Zozimus, pollente fanaticorum Gentilium ſuperſtitione, ob infeſtum in Chriſtianos animum, et quaedam in Conſtantinum et Theodoſium [1] libere dicta, flagrabat, in animo pii ſenis poſt tot ſaecula adhuc recens erat; ut idem metus, qui Evagrii tempore Chriſtianos nondum bene confirmatos invaſerat, abolitis penitus gentium erroribus, et Chriſtiano nomine ubique conſtituto, ipſum nunc etiam inceſſeret. Per [b] Senas inde Romam ventum; cum toto [c] Latio, incenſis poſt meſſem ſtipulis, coelum ardere videretur. Ibi de Zozimo Thuanus Foxium apud Muretum excuſavit, et fore dixit, ut, quamprimum in Galliam reverſus eſſet, ſi uſpiam aut apud nos aut in Germania exemplar Zozimi extaret, daret operam, ut ejus deſiderium expleretur: quod et ſedulo fecit, ſed fortaſſe ſerius, ut in ſequentibus apparebit.

POST aliquot dierum moram Foxius officio defunctus ad regem reverſus eſt; et ubi Senas venit, relicta ad dextram Florentia, [d] Lucam divertit: ibique peramanter, ut prius, exceptus, inde per [e] Piſas, Piſtorium, Petram-Sanctam, in Liguriam deſcendit, et [f] Genuam provinciae caput venit; ac protinus luſtrata civitate in [g] Taurinos ire perrexit, quo jam rex pervenerat. Hinc juſſi [2] omnes, ne in Alpium tranſitu anguſtis hoſpitiis ſe turba impedirent, et regi moleſti eſſent, Lugdunum ſe conferre.

IBI Thuanus, Joannem fratrem grandiorem libellorum ſupplicum magiſtrum nactus, aliquanto tempore manſit, dum novae in aula faciei cuncti aſſueſcerent; quo tempore deliberatum in regni ingreſſu, bellum cum Proteſtantibus gerendum eſſet, necne: in eaque deliberatione Foxius cum [h] Villoclaro commiſſus eſt, cum jam in arcano res decreta eſſet; qua de re cum ſuſpiriis Foxium acriter conquerentem vidiſſe ſe Thuanus aiebat, ac fore dicentem, ut temere capti conſilii tam pernicioſi poenitentia brevi ſubiret. Ut Venetiis ita Lugduni magnam librorum copiam ſibi Thuanus comparavit apud Joannem [i] Tornaeſium et Gul. Rouillium, qui in ſuo herbario Jacobi [k] Dalechampii ope, et in bibliis Salmanticenſibus juxta Hiſpanicam cenſuram cudendis, jam tum laborabat.

POST menſem Joannes domum repetiturus cum Thuano Foxium adit, et, tam patris quam ſuo nomine actis gratiis, ab eo petiit, ut cum bona ſua gratia fratrem ad parentem communem reducere liceret: quod a viro humaniſſimo tandem [3] impetratum, etſi invitus faceret, ut eum, cujus tantopere jucunda conſuetudine uſum ſe teſtabatur, antequam cum tota aula ad urbem veniret, a ſe dimitteret. Sed quia bello decreto rex in Provinciam deſcenſurus erat, patris deſiderium diutius [4] remorari noluit:

INTERPR. [a] *Muret.* [b] *Siena.* [c] *Campagna di Roma.* [d] *Lucca.* [e] *Piſa, Piſtoia, e Pietra Santa.* [f] *riviera di Genoua.* [g] *Piedmont.* [h] *de Villequier.* [i] *de Tournes, & Rouille.* [k] *Dalechamp.*

NOT. [1] libere dicta laboraverat, in animo pii ſenis

[2] omnes, ne ampliore turba in Alpium tranſitu anguſtis hoſpitiis regem premerent, Lugdunum ſe conferre. Ibi Thuanus Joannem grandiorem fratrem libellorum

[3] impetratum: etenim aegre ferebat, quod eum, cujus gratiſſima conſuetudine uſum ſe teſtabatur, antequam cum tota aula ad urbem veniret, a ſe dimitteret; tamen quia bello

[4] remorari noluit. Patrem igitur ambo fratres

noluit: quem ambo fratres ad [a] Coeliacam villam in Vaſtinenſi agro, per autumnaleis vindemias rebus prolatis cum conjuge dilectiſſima feriantem, nacti ſunt, perbenigne excepti.

EX Italia reverſus Thuanus [1] domo ſe tenuit, literis vacaturus; et librorum lectioni totum quadriennium impendit: ſed nec tam privato ſtudio, quam amicorum literatorum colloquiis ac conſuetudine, profecit; in quibus primas ferebant Petrus et Franciſcus [b] Pithoei fratres, Antonius [c] Oiſellus, Jacobus Hollerius, magni illius Hollerii digniſſimus filius, et Claudius [d] Puteanus, qui, ſub id in ſenatum cooptatus, Claudiam [e] Sanguineam proxima ſecum cognatione conjunctam in uxorem duxit; eoque vinculo, qui jam [2] doctrinae et virtutis opinione coaluerant, arctius deinceps uniti ſunt. Sed omnium maxime cum Nicolao [f] Fabro conjunctiſſime ac diutiſſime vixit, in quo pietas cum prudentia, cum moribus doctrina, cum comitate gravitas, certabant; de quo poſtea plura dicenda erunt. Ita hic annus exactus.

SEQUENTI rex, rebus in Provincia et Septimania utcunque compoſitis, poſt CIƆIƆLXXV.
Caroli Lotharingi cardinalis mortem, jam de uxore, quam ab initio expetiverat, ducenda certus, per [g] Aeduos in [h] Campaniam venit, et [i] Durocortori Remorum inauguratus eſt, ac poſtridie Aloiſiam Lotharingam Nic. [k] Valdemontii comitis filiam matrimonio ſibi junxit: quo Chriſtophorus Thuanus ſenatus princeps, cum Joanne et Jacobo filiis, profectus eſt.

SUB exitum hujus anni, hinc Franciſcus regis frater, hinc Navarrus, diverſi aula
diſceſſerunt; eorumque diſceſſu res in regno turbavere. Regina parens, ut filium CIƆIƆLXXVI.
reduceret, ad [l] Lochias uſque in Turonibus proceſſerat; quo et ſecum duxerat Fr. [m] Momorantium et Arturum Coſſaeum equitum tribunos nuper carcere emiſſos, ut concordiae inter fratres farciendae veluti pararii eſſent; quod ille, qui plurimum auctoritate poterat, depoſito omni praeteritae injuriae ſenſu, ſumma fide fecit. Res novas moliri in aula quidam dicebantur; quod ut impediretur, miſſus cum ſecretis mandatis ad Momorantium Thuanus, ut partes ſuas interponeret; fecitque ut molitiones pro tempore ſucceſſu caruerint. Edictum dein ſecutum, quod exorto ſtatim bello revocatum eſt.

EODEM anno ex occaſione majorem [n] Belgii partem luſtravit, et paulum abfuit in [o] Britanniam tranſiit, Thuanus. Per ſenatus ferias in [p] Bellovacos conceſſerat; quo et Chriſtophorus patruelis, in [q] inſula Francia magnus ſylvarum et fluviorum, ut vulgo vocant, magiſter, cum Jo. [r] Longolio Maiſonio cum utroque cognatione conjuncto. Hinc ex compacto [s] Abbatis-villam itum, et inde per [t] Bononiam Caletum, utrobique a praefectis accepti. Inde per [u] arenarias ſecundum mare porrectas tranſmiſſo [w] Ata, qui limes utriuſque ditionis, [x] Gravelingam ventum; et, relicto ad dextram [y] Borborgo, eodem die Dunkerkam [3] urbem bellis ultimis incendio conſumptam, et pulcherrimis aedificiis denuo inſtauratam, quae, ut et Gravelinga et Borborgum, Lucemburgicae familiae patrimonialis eſt, et ſucceſſione ad Navarrum ejus heredem primarium devenit. In ea pernoctatum: ac poſtridie [z] Neoportum oppidum ad maris aggeres ſitum, aedificiis pulcherrimis, ut cuncta fere illis locis oppida, ſpectabile. Jam res in Belgio tumebant, ob Hiſpanorum veteranorum non ferendam propriis tribunis, ac multo minus popularibus, inſolentem audaciam: itaque omnia in

INTERPR. [a] *Celi en Gaſtinois.* [b] *Pithou.* [c] *l'Oiſel, & Houllier.* [d] *Dupuy.* [e] *Sanguin.* [f] *le Fevre.* [g] *Bourgogne.* [h] *Champagne.* [i] *Reims.* [k] *Vaudemont.* [l] *Loches en Touraine.* [m] *les mareſchaux de Montmorency & de Coſſé.* [n] *Pais-bas.* [o] *Angleterre.* [p] *le Beauvoiſis.* [q] *Iſle de France.* [r] *de Longueil Seigneur de Maiſons.* [s] *Abbeville.* [t] *Boulogne ſur mer, & Calais.* [u] *les Dunes.* [w] *Aa riviere.* [x] *Gravelines.* [y] *Bourbourg.* [z] *Nieuport.*

NOT. [1] domo ſe tenuit, et literis gravioribus totum quadriennium
[2] doctrinae et virtutis amore coaluerant,
[3] urbem bellis ſuperioribus incendio conſumptam,

in armis erant; et Galli catervatim, alieno tempore, ut ipſis videbatur, incedentes, ſuſpicionem praebuerant, quaſi ad famam rei veniſſent. Igitur a milite ſiſtuntur cum [a] Aldenburgum peterent, et mane [b] Brugas Flandrorum ſub cuſtodia, ſed ſine injuria, deducti. Ibi in [c] Franconatum concilio, qui ſummus urbis magiſtratus eſt, diverſi ſeorſim interrogati; cum conſtitiſſet, juvenes non alio conſilio quam peregrinandi animo in haec loca veniſſe, per Franciſcum Nanſium primarium decurionem eis denunciatum eſt, licere urbem libere luſtrare, ceterum prudenter facturos ſi ſe quamprimum ad ſua [1] reciperent. Ita libere dimiſſi; et homo humaniſſimus de Pithoeis et Puteano diligenter Thuanum percontatus eſt, et ille viciſſim de Huberto Goltzio, qui, [2] in Franconia natus, in illa urbe lares fixerat, et tunc forte aberat. In ea miratus eſt Thuanus aedificiorum amplitudinem, ut totidem arces et palatia dixeris; tum crebros canaleis, tot pontibus lapideis, a quibus urbi nomen, permeabileis, ut vias numero aequent: ſed rarius jam tum habitabatur, tacita, ut creditur, injuriae Maximiliano Caeſari ante c annos factae et tunc inultae, quaſi laneis pedibus, incedente [3] vindicta: nam jam tum commercium [d] Antuerpiam attributis immunitatibus tranſlatum; quo crevit nova urbs, frequenti illo mercatorum Brugis paulatim dilabente et in [e] Atuaticos migrante concurſu. [f] Gandavum Brugis itum, motibus domeſticis famoſam urbem ad extremum ipſi exitioſis; cujus [4] priſtina magnitudo ex conditione, ad quam hodie redacta eſt, aeſtimari poteſt. Antuerpiam tranſmiſſo [g] Scaldi ventum, urbem ſitu opportunam et ſtructura pulcherrimam, et [5] tunc adhuc, quamvis poſt arcem impoſitam, opulentiſſimam. Urbi praeerat Fridericus [h] Perrenotus Campaniacus, ad quem [6] Galli deducti; et Thuanus pro ſociis verba fecit, et deſiderio videndi juvenibus inſito intempeſtivam peregrinationem excuſavit. Libertate facta, quiſque ad civitatem luſtrandam diſcurrit; Thuanus ad Chriſtophorum [i] Plantinum divertit, in cujus aedibus, licet rebus acciſis, tunc adhuc XVII prelis operae fervebant. Ab eo didicit de ſtatu provinciarum; eo res illarum redactas, ut, niſi Ordines praeverterent, inſigni clade ab Hiſpanis opprimerentur. Poſt aliquot dierum moram, cum ulterius progrediendi et in Hollandiam tranſeundi, ſicuti ab initio conſilium fuerat, ſpes per motus eſſet praeciſa, de reditu cogitatum eſt; et [k] Mechliniam primum, dein Lovanium, ventum, in quo miranda tot ſcholarum et collegiorum, quae vulgo vocant, egregie conſtructorum frequentia; et urbs ipſa Patavio, academia et gymnaſiis adeo celebri in Venetis civitate, non minor viſa. Luſtratum et in proximo Coeleſtinorum egregia mole coenobium, a Gulielmo [l] Croio Chevreo pueritiae Caroli V ſapientiſſimo moderatore aedificatum; in quo ſibi et illuſtri familiae monumentum in poſterum poſuit. Lovanio Bruxellas itum, cum pridie Ordines conſpiratione facta concilii regii aſſeſſores, qui Hiſpanorum partibus favere dicebantur, in carcerem truſiſſent, Gul. [m] Hornano Heſaeo facti duce. Res illic erant admodum turbatae: itaque paucos dies commoratus Thuanus; luſtrata urbe, aula principum, et palatiorum a provinciarum regulis in edita urbis parte per circulum extructorum multitudine, et ſalutato in hoſpitio proximo Ulrico [n] Viglio Zuichemo, nam licuit hoc illi per ſatellites cuſtodiae adhibitos, habito inſuper cum Cl. [o] Mondolceto, qui res regis in illa aula procurabat, colloquio, diſceſſum eſt; et per

INTERPR. [a] *Aldenburg.* [b] *Bruges.* [c] *Conſeil du Franc, qui eſt la ſouveraine magiſtrature de la ville.* Leg. Guicciard. deſcription des Pays-bas. [d] *Anvers.* [e] *Brabant.* [f] *Gand.* [g] *l'Eſcaut.* [h] *Perrenot Sr. de Champigny.* [i] *Plantin.* [k] *Malines, & Louvain.* [l] *de Croy Seigneur de Chievres.* [m] *de Horne Sr. de Heſe.* [n] *Viglius Sr. de Swichem village de Friſe.* [o] *Montdoucet.*

NOT. [1] reciperent. Ita dimiſſi; et Nanſius de Pithoeis et Puteano

[2] in Franconia natus, Brugis lares

[3] vindicta: etenim jam tum ad Antuerpiam tranſlata attributis immunitatibus commercia, quibus adeo crevit nova urbs, frequenti

[4] priſtina magnitudo, etiam ex hodierno ſtatu, aeſtimari poteſt.

[5] tunc adhuc, etiam arce impoſita, opulentiſſimam. Urbi

[6] Galli deducti, et Thuanus deſiderio videndi — excuſavit. Mox libertate

per municipium cui ab [a] Hallenſi Virgine nomen, [b] Montes Hannoniae ventum, recenti adhuc captae urbis a Joanne [c] Calvimontio Guitrio memoria. [1] Inde per [d] Valencianas, nec urbe propter motus intrata, [e] Cameracum Galli venerunt, quod a [f] Perona noſtra VII circiter leucis diſtat.

HEIC finis Belgicae peregrinationi factus; cum jam non minus metuendi motus apud nos arderent; qui, dum turbidis conſiliis plus juſto auſcultatur, temere accenſi, poſtquam rex melius conſultus reſipuit, condito novo edicto anno ſequenti ſunt reſtincti. CIↃ IↃ LXXVII. Dum [g] Pictavii [2] rex eſſet, pluries Joannem Thuanum Jacobi fratrem, hominem magni animi et roboris, Lutetiam ad ſenatum atque adeo Chriſtophorum parentem per diſpoſitos equos miſit, ardente admodum eo anno aeſtate; et ille, virium fiducia fretus, ultima vice Pictavio [h] Longemellum intra XXIV horas uſque venit; qua re tantam naturae vim intulit, ut nuſquam reſtaurari potuerit. Inde lenta febre primum tentari coepit; dein gravi et diuturno morbo oppreſſus prorſus [3] concidit: et antequam moreretur, dum aegrotaret, pleroſque filios paene infanteis amiſit; ita ut ad unum maſculum, qui adhuc hodie in vivis eſt, et tres filias, tam numeroſa ſoboles redacta eſſet. Magnum eo caſu dolorem ſenſit Thuanus, qui fratrem chariſſimum quotidie deficientem videbat, et eo ſublato quaſi extinctam familiam; aſſiduuſque in domo illius erat, triſtitia paene enectus, cum Renata [i] Balieta rari exempli foemina, quae virum jam tum ante mortem inſolabiliter lugebat.

MENSEIS XIX decubuit Joannes, quo temporis ſpatio Thuanus in ampliſſimum CIↃIↃLXXVIII. ordinem allectus eſt, in locum Joannis [k] Sagnii Gardae e ſacro ordine ſenatoris [a] digniſſimi; qui cum perículoſiſſimo morbo laboraret, nunquam Thuanus pro [4] cujuſquam quam pro ipſius ſalute ardentiores preces ad Deum fudit, quod ſciret ejus dignitatem a rege patris commendatione ſibi deſtinatam: et invitus faceret homo pudens et honeſti otii cupidus, ut, ſtudio literario, in quo aſſiduus erat, relicto, deinceps ad longe diverſa ſtudia et vitam inquietam migraret: ſic tota quippe vita ſe geſſit, ut honores, ad quos natus erat, non tam defugerit, quam ad eorum [5] ingreſſum exhorruerit, et quaſi daemonio Socratico revocante retro pedem retulerit; veritus nimirum, ne iis ſe minus dignum praeberet, et exſpectationem de ſe conceptam fruſtraretur; de cetero vota ac metus, ſeque et ſua omnia, providentiae Dei crederet; et, de futuro, quantum ad ſe, ſecurus, ipſum ducentem ſequeretur. Nam alioqui de re publica jam in prima adoleſcentia, cum adhuc privatus degeret, nemo ſolicitior, nemo magis cetera vita anxius fuit; adeo ut, cum damna domeſtica patientiſſime ferret, malis ejus, quae raro fallente augurio praeſagiebat antequam evenirent, ultra modum, et cum valetudinis plerumque diſpendio, adfligeretur; et nunc etiam, amicis eum propterea ſaepe increpantibus, adfligatur. Igitur mortuo Garda, et allato diplomate, quod primum Philippus Huraltus Chevernius ipſius ſororius nuper [l] procancellarius creatus obſignavit, ut patri morem gereret, et ne, ſi aliter faceret, ſibi ac familiae deeſſe videretur, examini ſe ſubjecit; ad quod pallens tremenſque acceſſit, non ut alii [6] plerique, qui ad tremendi loci limen ferream frontem et Stentoream vocem

VAR. LECT. [a] digniſſimi. Heic ingenium hominis agnoſcas, quam ab omni avaritia tam ab ambitione alieni: dicam quod eum ſaepius dicentem, et Deum de re teſtem religioſe appellantem, audivi: nunquam quiſquam pro ſe, cum morbo periculoſo laboravit, nunquam ipſe pro cujuſquam quam pro Gardae ſalute ardentiores preces ad Deum fudit, quod *MSS. Reg. Samq. & Aut.*

INTERPR. [a] *Noſtre Dame de Halle.* [b] *Mons en Hainault.* [c] *de Chaumont Guitry.* [d] *Valenciennes.* [e] *Cambray.* [f] *Peronne.* [g] *Poictiers.* [h] *Longjumeau.* [i] *Baillet.* [k] *de la Garde Sr. de Saigne.* [l] *Garde des Sceaux.*

NOT. [1] Inde, omiſſis ob ſeditionum aeſtus Valencianis, Cameracum, quod a Perona noſtra — diſtat, venerunt.

[2] rex eſſet, Joan. Thuanum — per diſpoſitos equos ſaepenumero miſit — eo anno aeſtate; poſtremoque ille, virium fiducia fretus, Pictavio Longemellum intra XXIV horas venit; qua re

[3] concidit. Magnum eo caſu dolorem

[4] cujuſquam ſalute ardentiores

[5] ingreſſum exhorruerit; veritus nimirum, ne iis ſe

[6] plerique, qui ad reverenda limina ferream frontem

vocem afferunt. Examini praeerat Petrus [a] Seguierius; poſt eum ſedebat Bernardus [b] Prevotius Morſanus, Pomponius [1] Bellevreus nuper praeſes in locum Renati Balieti creatus, poſtea ad ſolſtitium honorum evectus. Per bihorium de jure interrogatus coram numeroſo ſenatu, ut fit; et inter alios cum eo Philippus a [c] Podio Sanvalerianus, Florimondi [d] Vatani, qui indigna morte poſtea periit, patruus, juris utriuſque conſultiſſimus, pertinaciſſime [2] diſputavit. Tandem ſenatus-conſulto facto, cum ſacramento adactus ad magnam inquiſitionum claſſem pro more a Pomponio deduceretur, dum ſequitur, ominoſa vox ex deducentis ore excepta, fore, ut ipſum praeeuntem ad majora olim [3] ſequeretur; quod ille tamen, qua erat modeſtia, et quod eſſet ſacris deſtinatus, pro tempore contempſit.

Sic autem in eo munere ſe geſſit, ut attente audiret, parce loqueretur; praeſides ſumma reverentia, ceteros collegas pari honore, proſequeretur; ſenioribus multum deferret, cum junioribus amicitiam officioſe et comiter coleret. Inter eos familiariter vixit cum Hieronymo [e] Angenutio, antiqui moris et multa experientia ſubacti ingenii ſenatore, claſſis illius atque adeo ceterarum decano; Hadriano [f] Draco, Matthaeo Jordano, Nic. [g] Brularto, qui nunc togae princeps eſt; Carolo [h] Marillaco Ferrerio. Biennium fere a relatione abſtinuit, eamque raro poſtea uſurpavit. In ſententiis dicendis, cum in imo ſubſellio ſederet, [4] hoc ſervabat, ut ex iis, quae jam dicta erant, aequiſſimam ſibi viſam probaret, laudato auctore; nec longiore oratione, niſi ad confirmandam eam opus eſſet, praeterea utebatur. Initio dicendi commoveri ſolitus, in progreſſu paulatim aſſurgebat, et ita voce confirmata ſermonem proſequebatur. Commotione autem illa fiebat, ut, qui memoria alioqui non ita valebat, plerumque praemeditata obliviſceretur, quorum jam dicta ſententia ſero recordabatur. Cui defectui non aliud remedium quaeſitum, quam ſi ſcripto rem comprehenderet, et quaſi ex breviculo ſententiam recitaret: quod poſtea in gravioribus cauſis fecit, cum infirmitatem ſuam ingenua confeſſione excuſare minime erubeſceret. Initio autem, cum id facere pudendum arbitraretur, aut proxime dicenti accedens, aut ſobrio ſermone ſententiam imperfectam relinquens, rem tranſigebat; et quamvis judicio a vero rectoque nunquam fere deerraret, verbis tamen et praecogitatis argumentis multoties deficiebatur; et, quaſi in fine carmen laborans, ita ſententia, labente memoria, claudicabat. Itaque, cum aliis rem acu tangere videretur, ipſe, qui multa elabi inter loquendum doleret, in arcano ſibi nunquam [α] ſatiſfaciebat; eaque de re cum amicis familiariſſime ſaepe conqueri ſolebat.

Classi, in qua ſedebat, praeerat Joannes [β] [i] Texierus, Joannis, qui jus civile Aureliani magna cum laude olim profeſſus fuerat, filius, vir probus et doctus, ſed ſenio effoetus, qui ad paucos dies ſuperfuit; et cum eo Philibertus [k] Dious ſacri ordinis ſenator, ex primaria in Heduis nobilitate, patri Thuani amiciſſimus, et qui, quamdiu aedeis proximas incoluit, quotidie ad coenam adhibebatur, vir integerrimus et antiqui moris. Texiero ſuffectus fuit Claudius [l] Falco, acri ingenio et expedito praeditus; et paulo poſt, Dioo in patria decedente, praeſes creatus [m] Bonus Broaëus ſacri

VAR. LECT. [α] ſatisfaciebat; eaque de re illum conquerentem, et, quo erat candore, quaſi ſecum expoſtulantem, ſaepius audivi. Claſſi *MSS. Reg. Samm. & Aut.*
[β] Textor *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Seguier.* [b] *Prevoſt Sr. de Morſan.* [c] *du Puy Sr. de S. Valery.* [d] *de Vatan.* [e] *Angenuſt.* [f] *du Drac, & Jourdain.* [g] *Brulart Sr. de Sillery, chancelier de France.* [h] *de Marillac de Ferrieres.* [i] *Texier.* [k] *de Diou.* [l] *Faulcon.* [m] *Bon Breé.*

NOT. [1] Bellevreus nuper in locum Renati Balieti ſuffectus, poſteaque ad ſolſtitium honorum, evectus. Thuanus igitur coram frequentiſſimo ſenatu de jure reſpondit: cum eoque inter alios Philippus
[2] diſputavit. Mox facto ſenatus-conſulto dictoque ſacramento, cum ad magnam diſquiſitionum claſſem pro more a Pomponio Thuanus deduceretur, ominoſa vox ex
[3] ſequeretur. Sic autem in eo munere
[4] hoc ſervabat, ut ex antedictis quam judicaſſet aequiſſimam ſequeretur, auctore laudato; nec praeterea longiore oratione, niſi forte ad eam confirmandam opus

ſacri ordinis itidem ſenator, reginae [b] matris, [c] cui Romae et Florentiae in cauſis privatis egregiam operam navaverat, commendatione; [α] de quo hic obiter addi non abs re fortaſſe fuerit. Is, [a] Turnonio in pago Vivarienſi honeſtis parentibus natus, bonis literis operam dedit, ac [1] poſtea juris ſcientiae; quam ſub Andrea Alciato, dum apud nos profiteretur, imbuit, et jus ipſe [b] Toloſae profeſſus eſt; ac Petro [c] Villario ſenatori Pariſienſi avunculo ſuo, in [d] Mirapicenſem epiſcopum inaugurato, in ſenatorio munere ſuffectus anno hujus ſaeculi LXI, cum ambo diu in familia illuſtriſſimi cardinalis Turnonii, unici literatorum fautoris, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, praecipua gratia ac dignitate vixiſſent. Ad ſcientiam utriuſque juris judicium acre et melleam ac vehementem eloquentiam attulerat, quam et cauſis agendis magna cum laude in foro Pariſienſi exercuerat; ita ut cum [2] poſtea judex ſententiam diceret, in diſſentiendo ab aliis comis, nec refutandis opinionibus cuiquam gravis, juris pontificii ſpinera civilis amoenitate temperans, tanta admiratione ac gratia, ut audientium non ſolum oculos, ſed animos ac ſenſus, [3] in ſe verteret, et Thuani inprimis; quem ſaepius dicentem audivi, hominem unum, quamdiu in ſenatu fuit, vidiſſe, cui ſe voce, ore, dicendi facultate, ac toto corporis geſtu, ſimilem mallet. Falconi poſtea ſucceſſit ex nobilitate [e] Carnutenſi [f] Champronius, vir ſeveri moris; qui, quam doctrina proximus, tam a comitate collegae longe aberat. His ſub ducibus, dum cauſis privatorum diſceptandis in claſſibus inquiſitoriis occuparetur, militavit Thuanus.

VAR. LECT. [α] de quo, quoniam arcta cum Jacobo amicitia vixit, heic addenda quaedam duxi. Is Coindris, ſive Turnonio ipſo in pago Vivarienſi honeſtis parentibus natus, Petrum Villarium avunculum habuit ex ſacro ordine ſenatorem Pariſienſem, qui nepotem bonis literis inſtruendum curavit, ac poſtea juris ſcientia; *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Tournon en Vivarais.* [b] *Toulouſe.* [c] *de Villars.* [d] *de Mirepoix.* [e] *du pays Chartrain.* [f] *Champrond.*

NOT. [1] poſtea juris ſcientiam, quam ſub Andrea Alciato didicerat, Toloſae docuit, et Petro Villario

[2] poſtea judex inter collegas ſederet, ſententiam ſic induceret ſuam, ut ab iis qui alia cenſuerant amaretur, juris pontificii

[3] in ſe verteret, ac Thuani inprimis, qui de eo dicere ſolebat, non alium ſe vidiſſe unquam, cui voce, ore, dicendi facultate, ac toto corporis geſtu, ſimilem ſe eſſe mallet.

JAC.

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER SECUNDUS.

CIↃIↃLXXIX. CUM diuturnitas morbi fratris ſpem feciſſet uxori, ut ex eo poſſet convaleſcere, fruſtra tentatis aliis remediis, aquas medicatas haud inutiles futuras medici judicabant, praeſertimque [a] Plombinenſes in Lotharingica ditione ad [b] Vogeſi montis radices ſalubres viſae; quo, adulto ſtatim vere, proficiſcendum eſſet. Thuanus viae comitem ſe addidit, petita a parente venia, et per [c] Catalaunum cum fratre et ejus uxore [d] Ambarum-ducis venit; transmiſſoque [e] Moſa et mox Moſella, et inde per [f] Tullum facto itinere, Nancium, ubi [2] Carolum ducem, excuſata fratris adverſa valetudine, ſalutavit; a quo perhumaniter acceptus eſt. Inde per [g] Nicolai-fanum, locum et religione et ſtructura aedium ac nundinis famoſum, [h] Remiremontium, Spinalium, nobilium [3] puellarum, quae votum non emittunt, nobiliſſima coenobia, Plombinum itum; quo jam plerique ex Belgio, proxima Germania, ac circumpoſitis provinciis, vario morborum genere adfecti confluxerant.

HINC, dum [4] frater aquas ſumeret, aſcito linguae Germanicae perito viae comite, Thuanus per [i] Bruceriam ſuperato Vogeſo [k] Seleſtadium [α] venit, celebrem urbem, a cognomine fluvio ſic dictam. Inde itum [l] Argentinam urbem et antiquitate ſua nobilem, et triplici foſſa, qua Gallias ſpectat, vallatam, et majoris templi [5] ſtructura ac turris alterius altitudine ſpectandam; quae conſcenſa horrorem in exſcenſu Thuano attulit, quippe vento vehementiore, et feneſtris ad praecipitium apertis. Ibi Joannem [m] Lobelum vidit, quem jam ante Lutetiae cognoverat, cum in noſtra aula Imperialium urbium negotia procuraret, hominem Belgam, egregia eruditione et rerum Germaniae [6] intelligentem. Ab eo edoctus Hubertum [n] Languetum noſtratem, qui tunc [o] Arauſionenſi principi operam navabat, Badae eſſe ad aquas ſumendas, literas ab

VAR. LECT. [α] venit, vel patria Beati Rhenani, viri doctiſſimi et ſumma pietate praediti, celebrem urbem,

INTERPR. [a] *Plombieres.* [b] *Voſge.* [c] *Chaalons ſur Marne.* [d] *Barleduc.* [e] *la Meuſe, & la Moſelle.* [f] *Toul, & Nancy.* [g] *St. Nicolas.* [h] *Remiremont, & Eſpinal.* [i] *Bruyeres.* [k] *Schletſtadt.* [l] *Straſburg.* [m] *Lobel.* [n] *Languet.* [o] *Orange.*

NOT. [1] Fratre jam complures menſes langueſcente, remediis prope omne genus fruſtra tentatis, aquas medicatas haud inutiles fore medici promiſerant, ac praeſertim Plombinenſes in Lotharingica ditione ad Vogeſi montis radices; eoque ſtatim adulto vere proficiſcendum erat. Thuanus viae comitem ſe addidit, et per Catalaunum

[2] Carolum ducem ſalutavit, ab eoque eſt perhumaniter acceptus.

[3] puellarum coenobia, Plombinum

[4] frater aquis utitur, Auguſtus, aſcito comite linguae Germanicae perito, per Brueriam ſuperato Vogeſo Seleſtadium celebrem urbem, a cognomine fluvio ſic dictam. Inde Argentinam antiquitate nobilem, triplici foſſa,

[5] ſtructura ac turris altitudine ſpectandam: ea conſcenſa horrorem Thuano attulit,

[6] intelligentem: ab eoque certior factus eſt Hubertum Languetum, qui tunc Arauſionenſi principi operam navabat, Badae eſſe ad aquas valetudinis ergo. Vidit et Obertum Giphanium, qui reipublicae ſtipendiis jus profitebatur; et ſubiit gratiſſima temporis illius, quo in familia illuſtriſſimi Pauli a Foxo vixerat, recordatio. Argentina Badam ventum, ubi Langueto per triduum adhaeſit, captus hominis candore, inſigni probitate, judicio non ſolum in literis, ſed etiam in publicis

ab eo commendatitias ad illum accepit; per quas et ſe noſceret, et ipſe cum eo familiarius colloqueretur. Vidit et Obertum Giſanium, qui reipublicae illuſtriſſimae ſtipendiis jus profitebatur. Cum eo, ſermone de literis et literatis in Germania habito, totum diem contrivit: nam a prandio mox ad eum rediit, et tunc forte a lectione publica vacabat; renovata et jucunda temporis illius, quo in familia illuſtriſſimi Pauli a Foxo vixerat, memoria.

ARGENTINA Badam ventum; ubi Thuanus Languetum vacuum nactus, ita mordicus per triduum ei adhaeſit, ut ab eo divelli non poſſe putaretur; ita candor hominis illum ceperat, inſigni probitate, judicio non ſolum in literis, ſed in publicis negotiis, quae tota vita ſub variis [1] principibus magna fide geſſerat, praediri, ad haec rerum Germaniae callentiſſimi, ut Germanos ipſos res patrias ſuas doceret. Toto illo tempore cum eo aſſiduus, niſi quantum aquis ſumendis impendebat, cum multa didicit, tum breviculum manu ipſius perſcriptum, quod et nunc ſervat, poſtquam hinc diſceſſit, ab eo accepit; quo generalis Germaniae ſtatus, ſicut hodie eſt, comitiorum jus, circulorum numerus, conciliorum ordo, deſcribitur: iter etiam, quod facturus erat, ei praeſcripſit. Cum Badae eſſet, in eodem hoſpitio in quo aquae ſumuntur, Languetus [a] Salentinum comitem Iſemburgicum in adverſa feneſtra cum uxore [b] Joanna Lignea Arembergii comitis ſorore ſtantem, ignaro Thuano qui illi eſſent, oſtendit; tum ab eo per jocum percontatus eſt, an, ſi optio daretur, foeminam hac ſpecie contra Colonienſem archiepiſcopatum aeſtimaturus eſſet. Cum cunctaretur, et quorſum haec dicerentur non intelligere ſe oſtenderet, Languetus ſubridens quaeſtionis rationem aperit; et cum eſſe Salentinum dicit, qui nuper amore illius foeminae captus, ut illam in uxorem acciperet, tam opimam dignitatem ultro ejeraſſet. Addebat Languetus familias principum et procerum in Germania multum hodie gravari, ſublato [2] coelibatu; quippe cum, per receptam a Proteſtantibus doctrinam, filias omneis, quibus homines proletarii abundant, matrimonio elocare teneantur, quas antea devotae vitae addicebant, ſpe certa, ut cum tempore opulentorum coenobiorum antiſtitae evaderent.

BADA [c] Forſenam ad [d] Ennam itum, Badenſium marchionum ditionis oppidum, a quo per [e] Sueviam minus dici itinere [f] Stugardia abeſt; acciditque res, quam, quia quotidiana et domeſtica ſcribimus, reticendam non duxi. Aberraverat a via Thuani interpres; et nobilis Suevus, qui cum eo comes viae remanſerat, neque Latine, neque Italice, aut Gallice, ſciebat. Is, quia longius iter arbitrabatur, quam ut continuato itinere, et non interjunctis equis, illuc commode iri poſſet, medio vico Thuanum ad aedeis paſtoris ſiſtit, et per eum id illi ſignificandum curat; cui quanquam durum videretur ignobili loco ſubſiſtere, tamen ex neceſſitate parendum fuit, exorato paſtore, qui Latine ſciebat, ad prandium veniret, ut eo interprete cum nobili illo et hoſpite in diverſorio uteretur: et praeter ſpem evenit, ut nuſquam toto itinere lautius acceptus ſit. Id incidit in VIII Kal. Junias, qui B. Urbano pontifici ſacer eſt: quo die cum miraretur ruſticos coelo maxime ſereno ab operibus ceſſare, et cauſam quaereret, paſtor, poſt exagitatam virulenta oratione lanienam [3] Pariſienſem, ſic eam vocabat, nam non prius quam exſatiato animo reſpondere voluit, ſic retulit, priſcis ſuperſtitionibus abolitis, in animis tamen ruſticorum quaſdam dierum obſervationes remanſiſſe,

INTERPR. [a] *Salentin comte d'Iſenburg.* [b] *Jeanne de Ligne ſoeur du Sr. de Ligne prince de Barbançon comte d'Aremberg.* [c] *Forcheim* al. *Pfortzheim.* [d] *Entz.* [e] *la Souabe.* [f] *Stutgard.*

NOT. [1] principibus magna fide geſſerat. Aquas tum forte ſumebat, nam ſunt etiam illic ſalutares; in eodemque diverſorio, quo ſumi ſolent, ſumebat et Salentinus comes Iſemburgicus Auguſto minime notus. Hunc illi Hubertus, in adverſa feneſtra cum uxore Joanna Lignea Arembergii comitis ſorore ſtantem, digito monſtravit, ac per jocum percontatus eſt, an, ſi optio daretur, foeminam ea ſpecie contra Colonienſem

[2] Idem accidit in Britannia ob illam cauſam. *Put. L.*

[3] Pariſienſem, nam ita eam vocabat, ſic retulit, priſcis ſuperſtitionibus

remanſiſſe, quas [1] nulla ratione ab iis ſeduli monitores evellere potuerint; ejuſmodi id eſſe quod quaereret: nam avidis hominibus et de re ſua ſolicitis jam a priſcis illis temporibus perſuaſiſſimum eſſe, ſi ſol ea die illuſtris ſit, fore, ut vindemiae, qua fere opes hujus provinciae conſtant, ampliſſimus ſit proventus. Apud nos idem S. Vincentii die, qui in [2] Non. April. incidit, [α] obſervatur.

Stugardia juxta [a] Nicrum, [b] Wirtembergici principatus, ab arce vicina ſic cognominati, caput, loco [3] amoeno ſita urbs, et arce egregie ſtructa conſpicua; ad quam ad Ludovicum principem ſalutandum introductus Thuanus, ſymphoniacorum delectum chorum in ea aula praecipue admiratus eſt. Unde [c] Eſſelingam itum urbem imperialem, ad Nicrum quoque poſitam, qui fluvius ad [4] Arbonae montes haud longe a [d] Danubii fontibus ſcaturit, et [e] Rotvillam ac Tubingam alluens, interque colleis vitibus conſitos in utraque ripa porrectos labens, mediam Sueviam tortuoſo flexu dividit, ac [f] Heidelbergam praetervectus in Rhenum poſtremo influit. Ponte jungitur ad Eſſelingam, quae ſcloppetorum fabrica et vini proventu maxime commendatur. In noſocomii [5] cellis magna reconditi vini vis, et dolia ingentis primo capacitatis, paulatimque longa ſerie decreſcentia, conſpiciuntur, quibus in plureis annos vinum conſervatur. Ex dolio XL amphorarum vinum item XL annorum Thuano propinatum fuit; ex eoque principes Germaniae quaſi medicato bibunt, et quantum ex amplo illo dolio per largitiones depletur, tantum ex proximo dolio vini paulo recentioris repletur. Eſſelinga [g] Goëpingam itum, ditionis Wirtembergicae ad [h] Villium amnem praefecturam, arce voluptuaria et hortis amoeniſſimis a Chriſtophoro patre ornatam, ad haec aquis medicatis nobilem; ad quas ſumendas [i] Albertus Baioarus aeger ſub id venerat.

Ad eum [6] ſalutandum introductus Thuanus, et de rebus Galliae interrogatus, morbo ſuperante haud diu cum ipſo fuit: nec multo poſt Albertus, ubi domum rediit, ex eo deceſſit. Ad Danubium inde verſum iter, et [k] Ulmam, et reflexo itinere Burgovium, ventum; de quo Languetus monuerat, locum eum eſſe, ex tanta Ferdinandi archiducis ditione, quae a [l] Carnicis Alpibus ad Vogeſum uſque cis [m] Rhenum pertinebat, ſolum a Maximiliani fratris filiis relictum liberis ipſius ex Philippina [n] Velſera, quae tunc adhuc in vivis erat, ſuſceptis; egregio inter [7] Germanos honeſtatis toro immaculato debitae exemplo, quae non patitur ut ſoboles ex clandeſtina, et impare, nec publice parentibus probata, conjunctione procreata pro legitima habeatur, et in majorum hereditatem ſuccedat.

Inde [o] Auguſtam Vindelicorum profectus eſt Thuanus, urbem magnitudine ſua et ſplendore civium tota Germania praecipuam; ubi aliquot dies ad eam luſtrandam impendit, et aedeis [p] Fuggerorum inprimis, in iiſque Marci in ima urbe [8] hortos, fontibus artificioſis ex amniculo ſubjecto per rotam derivatis irriguos, et vivariis diſtinctos:

VAR. LECT. [α] obſervatur. Cum abeundum fuit, et Jacobi diſpenſator ad ſolvendum accederet, paſtor bulgam in menſam effundi jubet, nam hoſpitem non plus debito ſumpturum: quod mox experimento patuit; nam nunquam in hoſpitio melius ſibi fuiſſe narrabat Jacobus, nunquam minore cum pretio; et ita fere uſu venit in Germania, ut melius in agro quam in oppidis et urbibus accipiantur hoſpites. Stugardia *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *le Neckre.* [b] *duché de Wirtemberg.* [c] *Eſſelingen.* [d] *le Danube.* [e] *Rotweil, & Tubingen.* [f] *Heidelberg.* [g] *Geppingen.* [h] *Vils.* [i] *Albert de Baviere.* [k] *Ulm, & Burgau.* [l] *Alpes de Carniole.* [m] *le Rhein.* [n] *Welſer.* [o] *Augsburg.* [p] *les Foukres.*

NOT. [1] nulla ratione ſeduli monitores evellere potuerint; ejuſmodi id eſſe: nam avidis hominibus

[2] *dele* Non. April. *lege* XI Kal. Feb. vel XXII Januarii. *Put. L.*

[3] amoeno ſita eſt, et arce egregii operis conſpicua: introductus Thuanus, ſymphoniacorum

[4] Arbonae montes, vel Abnobi montes, varia pro locorum diverſitate ſortiuntur nomina. De his montibus lege Cluver. in Germ. lib. 3. et Ortel. in Theſaur. Geog. *Put. L.*

[5] cellis magna vini vis, et dolia

[6] ſalutandum admiſſus Thuanus, et de rebus Galliae rogatus, morbo

[7] Germanos honeſtatis conjugalis exemplo, quae non patitur

[8] hortos, fontibus artificio rotarum ex amniculo ſubjecto derivatis

diſtinctos: ad haec [1] congeſtos ab eo nummos aureos, argenteos, et aereos, cupide ſpectavit. Vidit et Hieronymum Wolfium, qui vertendis libris Graecis et illuſtrandae hiſtoriae Byzantinae tam egregiam operam navavit. Inde per [a] Memingam Lindavium venit, oppidum ſitu amoeniſſimum, in ripa orientali [b] Acronii ſive Bodenſis lacus poſitum, quem Rhenus, ut Rhodanus Lemanum, ita praeterfluit, ut non miſceatur, ſed aquae eorum rapidiſſimae utrumque medium ſecent, et, quod Homerus de Arethuſa dicit, tanquam oleum aquae innatare videantur. Circumeundo lacu nuſquam jucundior oculis ſpecies obverſata eſt, miti clivo ab utraque parte per vitiferos colleis, qui in aquis ſubjectis pellucent, deſcendente. Inde navigio cum equis devectus eſt Conſtantiam, in citeriori ripa poſitam, ſitu vel propter lacus proſpectum gratiſſimo. Juvit heic videre [2] locum celeberrimi eccleſiae univerſalis conceſſus ante cc annos ad farciendam concordiam congregati, et in temporis illius memoriam penetrare, quo malis inſtantibus, et quae jam tum graviora in poſterum minabantur, legitima remedia quaerebantur; ſubitque deſiderium, ut eadem charitas, quae ab animis Chriſtianorum exulare hodie videtur, extincto odiorum fomite, qui per bella civilia alitur, et mutua dilectione, quae pace ſtat, redeunte, in nobis reviviſceret. Per [c] Steiniam deinde et [d] Schafuſiam civitatis Helvetiorum praecipuum pagum oram fluminis legentibus iter fuit, ubi Rhenus, ſicuti inferius [e] Laufenburgi et Rinfeldiae, per cataractas altiſſimas magno cum ſtrepitu in alveum ſuum deſcendit, et ad [f] Baſileam Rauracorum navigabilis eſſe incipit.

In ea urbe mora fuit aliquot dierum non otioſa: nam Baſilius [g] Amerbachius vir humaniſſimus, ad quem commendatitias a Franciſco Pithoeo, ut et ad Theodorum Zuingerum, literas habebat Thuanus, a latere ejus nunquam diſceſſit. Ante omnia ei in propriis aedibus Deſ. Eraſmi bibliothecam et adverſaria manuſcripta, tum nummos antiquos, aliamque modicam ſupellectilem Vito parenti ab ipſo legatam, [3] oſtendit, in eaque globum terrae argenteum, coelatura et miniatura egregium, a Tigurino quodam aurifice factum; quem dum curioſis oculis inſpicit, medio eo aperto vinum utrinque infuſum eſt, et more gentis Thuano propinatum. Inde ad bibliothecam publicam ductus, in qua plerique Procli et aliorum Graecorum commentarii in Platonem et Ariſtotelem manuſcripti adhuc adſervantur. Luſtratae et Felicis [h] Plateri medicinae doctoris aedes, amplae et peramoenae. Is hoſpitem perbenigne excepit, et ei [i] alcem in praeſepi oſtendit, animal mulo Etruſco aut [k] Arverno magnitudine parem, pilo hiſpido, colore lurido: brevius corpus grandioribus cruribus nititur; ungula ſecta, qualis cervarum, ſed majore. Oſtendit et murem montanum, marmotam vulgo vocant, grandioris cati magnitudine, cavo ligneo latentem, ac fere torpidum, qui totam hyemem ſine cibo duraverat. Habebat et thecam foſſilium Conradi Geſneri, [l] Tiguro advectam, qualis ipſius libro praefixa et depicta eſt; in qua rara multa, et naturae luſus innumeri, et inſectorum non vulgarium magna vis; quae cupide et per otium inſpecta, monſtrante Amerbachio harum rerum peritiſſimo. Salutatus et Theodorus Zuingerus in ſuis aedibus, quarum praecipua ornamenta inſcriptiones crebrae, in [4] quibus faciendis ille ingenio valebat. Luſtrata et Petri Pernae

INTERPR. [a] *Memmingen, & Lindau.* [b] *Lac de Conſtance.* [c] *Stein.* [d] *Schaffhouſen.* [e] *Lauffenburg, & Rheinfelden.* [f] *Baſle*, Germ. *Baſil.* [g] *Amerbach.* [h] *Plater.* [i] *un aſne ſauvage.* [k] *d'Auvergne.* [l] *Zurich.*

NOT. [1] congeſtos ab eo nummos veteres, aureos, argenteos, aereoſque. Vidit

[2] locum celeberrimi eccleſiae univerſalis ante cc annos ad farciendam concordiam conceſſus, et in temporis

[3] oſtendit, in eaque globum geographicum argenteum, a Tigurino quodam artifice egregie coelatum miniatumque; quem Thuanus inter inſpiciendum ſubito apertum in hemiſphaeria vidit, et vinum utroque infuſum, ac more gentis propinatum. Inde ad bibliothecam

[4] in quibus ille ingenio valebat.

Pernae Lucenſis officina, in qua vegetus ſenex circa munia typographica ſeſe adhuc ſtrenue exercebat.

Post actas Amerbachio pro tam ſedula humanitate gratias Baſilea diſceſſum, et [a] Muluſenam ſub veſperam ventum; ubi tum forte nundinae illo loco frequentes celebrabantur. Planities lata ante oppidum jacet, quae venienti, inſolita hominum, ſenum, juvenum, foeminarum huc illuc palantium, ex equis et aſinis lapſantium, hinc uxorum maritos, inde filiarum parenteis, ſublevantium, multitudine oppleta, tot Bacchantum et Corybantum exercitus ſpeciem praebere videbatur. Intus vero in diverſoriis comeſſationes; et juvenculae, quae per menſas miniſtrabant, vinum ex oblongi colli vaſe [1] eminus ſine effuſione in ſcyphos vacuos jaculari; ad bibendum jocoſis verbis convivas excitare: ipſae aſſidue bibere; ubi biberant, in proximam aream divertentes mingere, et mox ad miniſteria redire. Hoc novum et joculare ſpectaculum ad multam noctem duravit, donec cubile cum hypocauſto Thuano attributum eſt; quod diu poſtquam venit ab hoſpite factum, tot comeſſantium concurſu occupato, et fruſtra interpellato: quod rurſus patienter ferendum fuit; eoque minus injucundum viſum, quod inter vina, clamores, ſtrepitus, occurſus, res ſine jurgio et rixis tranſigebatur. Mane [b] Colmaria ad dextram relicta, prandium ſumptum ad vicum haud longe a Moſellae fontibus: ubi troctae optimae et grandes ad ſaxa collidentes, humili adhuc aquae alveo, tanta vi rapiuntur, ut manu capi poſſint.

Inde [c] Plombinum reditum; ubi Thuanus, [2] fratrem haud multum aquarum uſu ſublevatum nactus, cum uxore de eo domum reducendo conſilium inivit, per [d] Borbonenſes aquas facto itinere; quibus ad aliquot dies ex medicorum conſilio haud majore profectu uſus, per [e] Lingones et Tricaſſeis tandem Lutetiam perductus eſt: ubi paucis poſt menſibus, poſtquam omnia remedia fruſtra ab uxore lectiſſima virilis animi foemina adhibita ſunt, pie deceſſit; vocis diſtinctae uſu, quem per diutinum morbum magna ex parte amiſerat, paulo ante mortem recuperato; pſalmum L ſubinde occinens, et in verſu illo, *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*, tandem defecit.

Pater, qui morienti benedictionem ſumma et pluſquam paterna conſtantia impertiverat, ad aliquot dies ſenatu abſtinuit; et, ut frequentiam vitaret, in aedeis Nicolai fratris Carnutum epiſcopi, in quibus Thuanus habitabat, migravit. Inde capta occaſione ipſe et Auguſtinus regius in ſenatu patronus fratrem circumſtant, et ſe familiamque ad paucos redactam reſpiciat, etiam atque etiam rogant; videatque, an quod de Jacobo Auguſto filio decreverit, mutari ſit melius: nec ille abnuebat; ſed, plus de re publica quam de domeſtica ſolicitus, facile tempus elabi patiebatur. Ipſe Thuanus, cujus res agebatur, jam vitae coelibi aſſuetus, qui peregrinationes et legationes in animo tantum volvebat, nec alia praeterea ambitione tangebatur, patruorum monita eludebat, et rem patris arbitrio relinquebat. Ita reliquus [3] annus exactus, quo ille cum vidua fratris aſſiduus, acri utrinque doloris ſenſu, ſe mutuo ſolabantur.

CIƆIƆLXXX. Sequens annus populari lue funeſtus fuit; cujus occaſione Thuanus in Turones conceſſit cum Jacobo [f] Denneto in ſenatu patrono, homine ſolerti, et ſibi ac toti familiae amiciſſimo. Caeſaroduni Turonum tunc Andinus regis frater ſive [g] Pleſſiaci primo ab urbe lapide erat, ſerio de bello Belgico cogitans, [4] ad quem habebat a patre ipſius cancellario literas; quas, per Joannem [h] Simicum, qui in gratia ejus

INTERPR. [a] *Mulhauſen.* [b] *Colmar.* [c] *Plombieres.* [d] *eaux de Bourbone ſur la frontiere de Lorraine.* [e] *Langres, & Troyes.* [f] *Dennet.* [g] *le Pleſſis lez Tours.* [h] *de Simié.*

NOT. [1] eminus in ſcyphos vacuos
[2] fratrem aquarum uſu nihil ſublevatum nactus,
[3] annus exactus. Sequens populari lue funeſtus fuit;
[4] ad quem Jac. Aug. habebat a patre ipſius cancellario literas; quas, per Joan. Simicum, qui tum apud principem gratia plurimum valebat, introductus, cum obtuliſſet,

ejus admodum flagrante fuerat, et a qua mox excidit, introductus, cum obtuliſſet, perbenigne exceptus eſt; et, poſt habitos de rumoribus in regia aula ſermones, dimiſſus. Inde [a] Malliam Lavallorum primariam in [b] Turonibus arcem haud hinc longe ſe contulit, in eaque tempore graſſantis luis manſit, ſtudiis et aliquando venationibus [1] animum oblectans; et, ne ingratus erga munem receptricem eſſet, a Nicolao [c] Perroto gravitatis antiquae et ſummae elegantiae ſenatore, qui tunc in Andini comitatu erat, provocatus, ſcazonte, qui [2] editus eſt, deſcripſit. Cum vero diuturnior mora in eodem loco videretur, per [d] Cenomanos Alençonium in Aulercis, [e] Saium, Falezias, cum Denneto venit; et inde, Aegidio [f] Normanderia Denneti fratre deducente, [g] Cadomum; et in Joannis [h] Novincii Albinii aedibus hoſpitium ſumpſit, ab eo, ſupra quam dici poſſit, lautiſſime exceptus.

Lustrata in urbe S. Stephani aedes, quod arci imminere diceretur, primo belli civilis motu diruta, ſepulchro etiam Gulielmi Neuſtriae ducis, et Angliae regis, immani ſacrilegio violato; quae tamen deformes ruinae utcunque poſtea ſartae ſunt. Inſigne eſt coenobium, a Gulielmo olim illo magnis vectigalibus dotatum; in cujus aula ex figulino opere adhuc inſignia viſuntur equitum Gallorum, qui in Britannica expeditione ipſum ſecuti fuerant. Ad arcem inde itum; ubi cum locus, ad quem pulſationem, dum [i] Ellebovius ex morbo decumberet, fecerat Colinius, oſtenderetur, ex circumſtantibus quidam memorabant, Catharinam reginam, cum eo paulo poſt veniſſet, dixiſſe, locum vel a mulierculis colum bajulantibus defendi potuiſſe, nec proinde arcem tam cito dedi debuiſſe; quod, ſive ignavia ſive proditione factum fuiſſet, ſumma cum infamia praefecti dicebatur.

Constantiam inde cum excurrere in animo haberet, ad [k] Alnetum Abrincenſis dioeceſis coenobium in itinere divertit, quod Joannes [l] Prevotius viae comes tenebat, Auguſtini curiae Pariſienſis notarii, qui multa poetice non vulgari elegantia Latine luſit, frater; homo non illiteratus, ſed ſermonibus vagis et dicacitate, quae nulli parcebat, plerumque importunus. Is, cum loci religioſis ſoluta diſciplina viventibus multa ridicule non ſine offenſione dixiſſet et feciſſet, poſtremo aedificiorum macerias oſtendens, ut illis ignorantiam [3] ſuam exprobraret, non minus ridicule addidit, has ruinas interveniſſe, quod nemo ex illis vel verbuli Latini tibicine eas fulcire potuiſſet. Circa Conſtantiam habitabant [m] Scii ex nobilitate provinciali, aliqua cum Thuano cognatione conjuncti: ſiquidem Joannes Marla epiſcopus [n] Conſtantienſis, Erici Franciae cancellarii [4] frater, et in eadem cum ipſo ſeditione interfectus, cujus adhuc inſignia in templi tholo, loco ſumme conſpicuo, viſuntur, Hilariam ſororem in proximo N. Scio elocaverat; ex quo illi prognati. Triduum in civitate muris minime cincta commoratus, [o] Granvillam, et inde Aurincas, petit; et in epiſcopi aedibus hoſpitio exceptus pernoctavit.

Postridie S. [p] Michaëlis montem, quod eſt coenobium maxime illuſtre, in periculo maris, luſtravit. Rupes undique praerupta, olim, ut putatur, continenti connexa, nunc mari accedente duarum ab ea leucarum ſpatio dividitur; recedente aeſtu per vadoſa loca equis aditur. Ubi ad pedem ſaxi, quod conica ſpecie aſſurgit, veneris, murus occurrit praealtus rupi in imo circundatus; portaque aperta ſtatim

INTERPR. [a] *de Maillé Laval.* [b] *Touraine.* [c] *Perrot.* [d] *le Maine, & Alençon.* [e] *Seez, & Falaiſe.* [f] *le Sr. de Normandiere.* [g] *Caen.* [h] *de Novince Sr. d'Aubigny.* [i] *le duc d'Elbœuf.* [k] *Abbaye d'Aulnay dioceſe d'Avranches.* [l] *Prevoſt.* [m] *de Sey.* [n] *de Couſtances.* [o] *Granville, & Avranches.* [p] *Mont S. Michel.*

NOT. [1] animum oblectans: loci amoenitatem, a Nicolao Perroto

[2] editus eſt, deſcripſit. Hinc per Cenomanos Alençonium

[3] ſuam exprobraret, addidit, tantas ruinas accidiſſe, quod eas nemo ex ſodalibus vel unius vocabuli Latini tibicine fulcire potuiſſet. Circa Conſtantiam

[4] Le pere Anſelme dit que Jean le Corgne dit de Marle evêque de Coûtances n'etoit pas frere, mais fils ainé de Henri de Marle chancelier de France. C.

ſtatim per gradus in ea excavatos, nulla interjecta planitie, aſcenditur, tabernis utrinque diſpoſitis, quibus roſaria et imagines plumbeae, ac hujuſmodi donaria, quae peregrini ſibi comparare conſueverunt, proſtant; nec non diverſoriis aliquot ad hoſpites excipiendos. In ſummo faſtigio, quod in cacumen deſinit, arx eſt, et coenobium tam ſpatioſe porrectum quam ima ſaxi crepido, pilis ex ea in altum ſubſtructis, quae tantam [1] molem ſuſtinent, et ex quibus in altum gravia onera per trochleas ſubvehuntur: nam praeter templum ipſum magnifice extructum cum turre praealta, in qua inſignis Michaëlis archangeli deaurata ſpecies ad ſolis radios rutilans cernitur, bina porticus cum periſtylio altera alteri impoſita fornicato opere, coenationes item fornicato opere, bibliotheca optimis libris manuſcriptis olim referta, hypogaea, ciſternae, domus ipſa praeſulis cum hypaethro in cacumine ſummo, tanta amplitudine ſunt omnia, ut, cum in iis pedem figis, in campeſtri planitie deambulare te credas. Hortus etiam terra importata, ad occaſum et meridiem vergens, modico ſpatio praefecti aedibus adjacet; in quo, licet alioqui totus ille tractus ſit frigidiſſimus, optimi melones proveniunt: tot ſumptibus toto regno atque adeo Europa omni admiranda ſubſtructio olim conſtitit, loco ſolitario et importuoſo, et ab omni commercio et frequentia longe diſcreto, difficili, etiam cum mari alluitur, ad eum vel cum naviculis appulſu: quas difficultates ſeu defectus majorum religio partim ſuperavit, partim ſupplevit: quod in tranſcurſu notaſſe non omnino abs re viſum fuit.

INDE per [a] Gemmae-fanum, Fulgereas, Armoricani tractus ſive citerioris Britanniae oppida, itum [b] Albini-fanum, locum pugna inter regios, quibus cum ſummo imperio Lud. [c] Tremollius praeerat, et Ludovicum Aureliani ducem, et Arauſionenſem principem, in qua et ipſi capti, ante annos XCII conſerta inſignem. [d] Condate Redonum tandem ventum, provinciae caput, et in qua civitate hodie ſenatus ſemeſtris reſidet; qui alias ad [e] Condivicinum Namnetum, ubi principes ampliſſima arce conſtructa manere conſueverant, habebatur. Inde per [f] Vitreum, Lavallum, Guntheri caſtrum, [g] Andegavum, Salmuriam, in Turones rurſus itum, atque adeo arcem [h] Malliam; ubi literas a patre accepit Thuanus, quibus de rebus arcanis cum Arturo Coſſaeo equitum tribuno agere jubebatur.

IS jam [i] Pictavium proceſſerat, ut [k] Andinum in [l] Petrocorios ad res cum Navarro pacificandas profectum ſequeretur. Igitur cum Denneto fido comite per equos diſpoſitos in viam ſe dat: nec a periculo abſuit, a quibuſdam armatis jam quaſi bello denunciato diſcurſantibus interceptus; ſed mox agnitus et dimiſſus. Pictavii Coſſaeum nactus, antequam ulterius progrederetur, mandata patris cum eo peregit; et Pomponium Bellevreum, qui eodem a rege miſſus illuc venerat, eadem de cauſa convenit. Mox Malliam repetiit; quo ad eum inviſendum venit Nicolaus Perrotus, qui [m] Caeſaroduni per Andini abſentiam remanſerat: captoque ſimul generoſo conſilio, contra quam facere ſolent periti aulici, [n] Burgolium, coenobio opimo et amoenitate loci toto regno nobiliſſimum locum, ad Joannem [o] Simieum, qui interim a gratia exciderat, [2] ſalutandum et ſolandum ire perrexerunt; ne quem gratia florentem honorifice coluerant, ea amiſſa, mutatis cum fortuna animis, turpiter [3] negligere viderentur. Ab eo peramanter accepti, poſt habitos de caſu ſuo varios ultro

INTERPR. [a] *Ste. Gemme, & Fougeres.* [b] *St. Aubin du Cormier.* [c] *de la Tremeille.* [d] *Rennes.* [e] *Nantes.* [f] *Vitré, Laval, & Chaſteau Gontier.* [g] *Angers, Saumur, & Touraine.* [h] *Maillé.* [i] *Poitiers.* [k] *le duc d'Anjou.* [l] *Perigort.* [m] *Tours.* [n] *Bourgueil.* [o] *de Simié.*

NOT. [1] molem ſuſtinent, ex iiſque gravia onera per trochleas

[2] ſalutandum et ſolandum perrexerunt, ne quem

[3] negligere viderentur. Nec multo poſt Thuanus, praecipitante jam hyeme, cum contagio remiſiſſet, Lutetiam, revocante patre, qui in urbe toto illo tempore permanſerat, tandem rediit. Flexianae collationis negotium urgebatur: ea vero convenerat, ut delegati

ultro citroque ſermones, et delatam a Thuano patris, ſi quid ea in re poſſet, operam, et erga Andinum auctoritatem, quiſque ad ſua rediit.

Nec multo poſt Thuanus, praecipitante jam hyeme, cum contagio, quae tot capita abſumpſerat, remiſiſſet, Lutetiam, revocante patre, qui in urbe toto illo tempore remanſerat, tandem rediit. [a] Flexianae collationi exequendae dein tempus inſumptum. Ea convenerat, ut delegati ex ſenatu Pariſienſi in Aquitaniam CIƆIƆLXXXI.
mitterentur, qui jus adſidue in provincia dicerent, loco [1] bipartitae claſſis; in qua, propter animorum contentiones, ob religionis diſſidium illis locis acriores, diviſis plerumque ſententiis, partes ultra modum vexabantur. Itaque XII ex ampliſſimo ordine laici, quos vocant, eccleſiaſtici ordinis duo, delecti; quibus omnibus qui praeeſſet a rege nominatus Petrus Seguierius, vir ſolerti et expedito ingenio ac ſumma [2] aequitate praeditus; qui, quod Thuanum, qui ex eccleſiaſtico ordine erat, ſumme diligeret, cum inter duos illos a rege nominandum curavit, atque adeo cum Lazaro [b] Coqueleio Heduo, doctrina et judicio praeſtanti viro, et Thuano amiciſſimo. In eundem numerum lecti et Joannes [c] Thumerius et Claudius [3] Puteanus, et, qui nuper in ſenatum cooptatus fuerat, Michaël [d] Huraltus Hoſpitalius, magni illius cancellarii nepos. Is in uxorem duxerat Olympiam Vidi [e] Fabri Pibracii tunc praeſidis filiam, qui [f] Olympiae Moratae, cujus honeſta et erudita conſuetudine in comitatu ſereniſſimae Renatae Ferrarienſis uſus olim fuerat Ferrariae, memoriam renovaverat; juvenis ingenio erecto, et Latine Galliceque ſcribendi peritiſſimus, cujus rei inſigne ſpecimen per hos motus editis ſcriptis dedit; qui, cum avi nomen referret, et in eadem claſſe, in qua avus fuerat, cum Thuano militaret, non poterat cum eo non eſſe conjunctiſſimus. Itaque cum ipſum impenſe aucupio, non antiquo ſed recentiore, oblectari videret, poeticae, cui multum ſemper addictus fuit, primum periculum in ejus gratiam fecit, et Hieracoſophion novitiae inventionis [α] opus publicavit.

Decreta in [g] Aquitaniam delegatorum profectione, hac denuo captata occaſione patrui patrem urgere, ſe familiamque paene extinctam reſpiceret, cujus ſpes in uno Thuano ſuperabat: nec ille abnuere, ſed rem more ſuo differre, et profectionis neceſſitate, quo minus de negotio in praeſentiarum decerneret, ſe excuſare. Ipſe Thuanus, qui ſtudiis intentus huc uſque rem inſuper habuerat, demum quid ſe futurum eſſet, ſerio cogitare coepit; et Ferrerii monitorum memor magnitudinem oneris cui deſtinatus erat, cuique ſe imparem multis partibus ſentiebat, animo reputare, atque apud ſe perpendere, cum ad vitam tranquillam ac minime ſollicitam ſe natura ferri cerneret, nunquid ſplendorem illum declinare ſibi conducibilius eſſet; et jam tum, commodis vitae, quae ex eo ſperari poterant, poſthabitis, et impedimentis, quae tum erant et eſſe poterant, remotis, ſic ſe comparavit, ut, ſi occaſio ſe offerret, ad uxorem ducendam ſe paratum oſtenderet: ceterum pro tempore patris excuſatione apud patruos uſus eſt.

In Aquitaniam cum delegatis profectus, mox eorum nomine [h] Engoliſmam, ad Henricum [i] Borbonium Condaeum, qui ad Fanum [k] Joannis Engeriaci erat, ſalutandum, ſe contulit: a quo omni genere honoris et benevoli animi ſignificatione exceptus eſt; quod et delegatorum, a quibus venerat, dignitati, et egregiae erga parentem voluntati,

VAR. LECT. [α] opus, ſicuti illud alicubi indigitavit Lipſius, publicavit. *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *la conference de Flex.* [b] *Coqueley, Bourguignon.* [c] *de Thumery, & Claude Du Puy.* [d] *Hurault de l'Hoſpital.* [e] *du Faur Sr. de Pibrac.* [f] *Olympia Morata.* [g] *la Guienne.* [h] *Angouleſme.* [i] *de Bourbon prince de Condé.* [k] *St. Jean d'Angely.*

NOT. [1] vide Hiſt. lib. 74. p. 36. *C.* [2] aequitate praeditus. Is Thuanum ex eccleſiaſtico ordine a rege nominandum curavit, atque adeo cum Lazaro Coqueleio Heduo, doctrina et judicio praeſtanti viro. In eundem numerum [3] Puteanus, et Michael Huraltus Hoſpitalius

voluntati, cujus aequitatem ſummam Condaeus et ceteri Proteſtantes praeteritis temporibus ſemper experti fuerant, acceptum ferebat. Semel atque iterum ſerii de republica ſermones inter eos habiti, et initae ſumma aequitate rationes, quibus tranquillitati Aquitaniae conſuleretur; de quibus ad P. Seguierium ac delegatos poſtea retulit Thuanus. Inde omnes ſimul [a] Liburnum in Petrocoriis convenerunt, oppidum ſitu opportunum, ubi [b] Iſula in Duranium influit, et ex aeſtu maris per Duranium in ipſam regurgitante, et vento incumbente, tam ſubito ac vehementi turbine aqua nonnunquam glomeratur, ut navigia, niſi experti nautae id caverent, parum ab ſubverſionis periculo abeſſe videantur. Eum turbinem vulgo [c] Maſcaretum vocant, et inter admiranda et peculiaria loci illius tota Aquitania memorant. Initio conſultatum an Liburni locus dicundo juri deligeretur: ſed propter cognitorum et advocatorum, qui [d] Burdigala aut vicinis tribunalibus accerſendi erant, [1] penuriam, et alias ſubortas difficultates, placuit, ut Burdigalae principium juris dicundi fieret; miſſuſque Thuanus, qui ea de re cum Jacobo [e] Gobione Matignono equitum tribuno, qui ſub Navarro provinciae ſummo cum imperio praeerat, ageret, et inde recta ad Navarrum ipſum ſalutandum pergeret.

EUM ille ad [f] Geloſi caſtrum in Labretanis nactus eſt, venationibus tunc vacantem. Pari, qua apud Condaeum, honoris et benevolentiae ſignificatione, ab humaniſſimo principe exceptus, [g] Neracum uſque ſequi juſſus fuit. Totus ille tractus arenoſus, quouſque Neracum venias, praepingui agro ſitum oppidum; et, cum illa nocte copioſe ninxiſſet, poſtridie per veſtigia feris indagandis uſque ad prandium tempus impenſum; quod venationis genus locis illis peculiare eſt. Officio defunctus biduum Neraci manſit Thuanus, in ſalutanda Margarita uxore et Catharina ſorore occupatus. Sed praecipua fuere cum Carolo [h] Fabro Gratinio Navarri cancellario colloquia, qui in ſenatu Pariſienſi olim educatus, et in Mercuriali conventu exagitatus, praecipuum apud illius parentem praeſidium repererat; idque ingenue profeſſus, impenſa benevolentiae teſtificatione bene meriti de ſe patris filium complectebatur; inſuperque addebat, ſe auctore factum, ut de judicum claſſe ex ſenatu Pariſienſi petenda actum eſſet, quippe qui ſciret quam ſincere et incorrupte, procul odio et gratia, in eo jus diceretur, ſecus quam in Aquitania, ubi cuncta fere, praeſertim poſt exortum religionis diſſidium, gratia et odio tranſiguntur. Cum a Navarro diſceſſurus eſſet, ab eo in hortos deductus eſt magna cura a ſe conſitos, et ambulacris procera lauro utrinque veſtitis diſtinctos.

PER [i] Aginnum Nitiobrigum tranſmiſſo [k] Garumna iter in reditu fuit, ubi a Joanne [l] Secondato [2] Rupio in aedibus ſuis lautiſſime exceptus eſt. Is ſororem matris Joſephi Scaligeri in uxorem duxerat, ex qua et numeroſam ſobolem ſuſcepit; compluresque ex illius liberis regi his bellis ſtrenuam operam navarunt, et Paulus inprimis; qui [m] Oſtendam ultimo triennalis obſidionis anno tam fortiter defendit, et tandem, paulo antequam dederetur, in ea glorioſe occubuit. Cum eo erat Silvius Joſephi grandior natu frater, ad quem Julius pater poeticam ſcripſit, homo bonus neque illiteratus; qui, commentariorum patris in libros Ariſtotelis de hiſtoria animalium mentione injecta, rogatus fuit a Thuano ut eos recenſeret, nec diutius publico invideret: quod et ille in parte fecit, libro decimo publicato, quem Jo. Stephano [n] Durantio ſenatus Toloſani primario praeſidi dicavit. Ceteri poſt Silvii obitum in Joſephi manus venerunt, qui eos ſecum in Batavos aſportavit, et Danieli Heinſio alumno

INTERPR. [a] *Libourne en Perigort.* [b] *L'Iſle, & la Dordogne rivieres.* [c] *Maſcaret.* [d] *Bourdeaux.* [e] *Guyon de Matignon mareſchal de France.* [f] *Caſtel-Jaloux au pays d'Albret.* [g] *Nerac.* [h] *du Faur Sr. de Grattins.* [i] *Agen.* [k] *la Garonne.* [l] *Secondat Sr. de Roques.* [m] *Oſtende.* [n] *Duranti.*

NOT. [1] penuriam, et alias difficultates, [2] Rupio lautiſſime exceptus eſt.

alumno ſuo moriens vulgandos reliquit; ſed ita confuſos et incaſtigatos, ſicuti ipſe poſtea Heinſius ad Caſaubonum ſcripſit, ut de eorum editione deſperetur.

Reverso Burdigalam Thuano, locus in [a] Dominicanorum coenobio delectus et adornatus, in quo nova claſſis ſederet. Antonius Oiſellus, vir antiqui moris et ſingulari eruditione praeditus, advocati fiſci, P. Pithoeus, vel ſolo nomine ſatis notus, cognitoris regii, munere fungebatur; par nobile, non amicorum ac veluti fratrum tantum, ſed in conſiliis pro republica capiendis egregie conſentientium collegarum biga inſignis; quibus amicis familiariſſime utebatur Thuanus. Principium magno concurſu factum, ſive ob rei novitatem, ſive provincialium taedio.

Nec interim ſtudia intermittebat Thuanus; et eorum, quorum conſuetudine et familiaritate ad opus hiſtoricum, quod jam tum animo complectebatur, opus habebat, amicitiam, quacunque ibat, ſedulo ambiebat. Ita animatus multa quae aut ſcripta aut jactata meminerat, quae ab aliis aut in dubium revocabantur aut aliter narrabantur, judicio adhibito didicit: multa a Jac. [b] Benedicto Largobaſtono primario praeſide, veneranda canitie et doctrina praeſtanti ſene, qui a patre per has turbas pro inſita in afflictos benignitate protectus, ut cupido adoleſcenti gratificarêtur, infra aetatem plerumque ſe demittebat: multa a Michaële [c] Montano ingenii liberi homine, et a partibus alieno, qui tunc [d] Majoris munere in illa urbe perhonorifico fungebatur, et rerum noſtrarum, ac ſuae praeſertim Aquitaniae, multam ac certam notitiam habebat. Amicitiam et contraxit cum Joanne [e] Malvinio Seſſaco tunc primario ſenatore, et harum rerum non ignaro. CIↃ IↃ LXXXII.

Nec injucunda fuit illi, atque etiam Pithoeo, Eliae [f] Vineti Barbeſienſis comitas. Is ludum Aquitanicum retro temporibus adeo famoſum ſtrenue moderabatur, et Auſonio ſuo recenſendo incumbebat, olim Turnebi, Mureti, [g] Gruchii, Guerentaei ſocius, atque adeo Georgii Buchanani; a quo literas quotannis accipiebat, cum Scoti mercatores ad [h] Vaſconicum vinum comparandum ad urbem venirent: in iiſque ultimas vidit Thuanus, manu tremula ſed ſtylo generoſo ſcriptas; in quibus de ſenectutis incommodis non tam querebatur, quam de vitae longioris taedio, et ſe [i] Sterlinum ab aula conceſſiſſe aiebat; poſtremoque haec verba, quae ille memoriae infixerat, addebat, *Interea hoc unum ſatago, ut quam minimo cum ſtrepitu ex inaequalium meorum*, h. e. *mortuus e vivorum, contubernio* [α] [1] *demigrem.* Vinetus auctor Thuano fuit, cum ei libros II priores de re accipitraria affectos potius quam confectos communicaſſet, ut eos ederet; qui apud Simonem [k] Millangium typographicae peritiſſimum cuſi ſunt.

Mense Februario, cum feriaretur, conſilium captum ad [l] Boiates exſpatiandi. Thumerius quartana laborabat, cum qua generoſe luctabatur; ita ut equitando cum ea certaret, nec decumberet. Comites viae perpetui Oiſellus et Pithoeus commendatitias a Franciſco a [m] Foxo Candala, quem frequenter in urbe ad [n] Paulini-podium inviſebant, literas [2] acceperant. Ubi [o] Medulos Garumnae in ulteriore ripa circumpoſitos

VAR. LECT. [α] demigrem. Vinetus, qui ludi ſui celebritatem vidiſſet, et, altero largitate Bauloni, cujus cura patribus Jeſuitis credita erat, aperto, multum imminutum doleret, dicere non citra indignationem ſolebat, ex uno bono gymnaſio duo mala effecta eſſe. Is auctor Jacobo fuit *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *les Jacobins.* [b] *Benoiſt de Largebaſton.* [c] *de Montaigne.* [d] *le Maire.* [e] *Malvin Sr. de Seſſac.* [f] *Vinet de Barbeſieux.* [g] *Grouchi, & Guerenté.* [h] *de Gaſcogne.* [i] *Sterlin en Eſcoſſe.* [k] *Millanges.* [l] *Buch*, al. *Buez.* [m] *de Foix Sr. de Candale.* [n] *Puy-Paulin.* [o] *coſte de Medoc.*

NOT. [1] demigrem. Menſe Februario per feriarum tempus in Boiates excurrere juvit. Comites viae perpetui

[2] acceperant. Supra Medulos Garumnae in ulteriore ripa circumpoſitos, litus ad laevam pinu proceri praecingitur: pinus ipſas, qua parte reſinam cortice detracto fudere, obtegunt unedones amoenitate gratiſſima; accedente praeterea maris proſpectu, nihil ut jucundius oculis obverſari queat. Boiates et Boii

circumpoſitos exceſſeris, litus ad laevam pinu procera, ex qua reſina elicitur, praecingitur; et, quia decorticata arbore imae partes ſunt nudatae, proſpexit natura, ut enatis paſſim arbutis ſive unedonibus, nam fructus vulgo apud nos plantae nomen dedit, folio et fructu, ad aſpectum quam uſum meliore, interſtitium illud veſtiret; quae defectum cum non ſolum ſupplent, ſed amoenitatem augent; accedente maris proſpectu, quo nihil jucundius oculis obverſari poteſt. Boiates et Boii tempore Auſonii dicebantur hi populi, quos et ob id piceos vocat; et hodie adhuc ſola picea ad ignem, et taeda ad lumen, vicani ubique utuntur. In eo tractu promontorium [a] Boiatum eſt, a veteribus ita dictum, quod et nunc nomen retinet, nam oppidulum hodie [b] Teſtae nomine indigitatur; et titulus loci domini ex illuſtriſſima Foxenſi familia, in Annalibus noſtris, dum nobis cum Anglis res erant, ducis celeberrimi, id evincit, qui [c] Captalis Boiorum dicebatur. Sunt qui dicant a teſtis loco nomen impoſitum, atque adeo a monte teſtaceo, qui oppido imminet, ex oſtreis, quae magno proventu in proximo ſinu leguntur, congeſto: quod minime puto; nam teſta vulgo non id quod Latine inter Vaſcones noſtros ſonat. Sinus ille ita ſitus eſt, ut in ſuperiore parte Teſtam, in adverſa parte [d] Certam, habeat; quae pro hereditaria portione Honorati [e] Sabaudi Villarii marchionis, et nuper provinciae praeſidis, Franciſcae a Foxo uxori obvenerat. In eo prandium ſumptum, menſa in litore maris ſtrata, et recedente aeſtu caniſtris, ut fit, oſtrea a convivis certatim lecta, quae continuo aperta deglutiebant, optimi ſaporis et gratiſſimi guſtus, adeo ut violarum odorem referre viderentur. [1] Repertus eſt in famulitio guloſus puer, qui c amplius unus ſine nauſea deglutivit. Ibi cum eſſent, cuivis bono licet aeſtimare, qui ſermones inter eos ſererentur, ſive famoſi illius ducis renovata memoria, ſive de republica ad eamque ſalutaribus conſiliis inter ſe agerent, ſive loci amoenitatem contemplarentur, et in praeſtantium illorum virorum recordationem revolverentur, qui negotiis interdum omiſſis ad animi relaxationem ſimul otiari, et ad [f] Caietam et Laurentum conchas et umbilicos legere, ſicuti Cicero alicubi ſcripſit, dignitate ſua minime indignum exiſtimabant.

JAM adulto vere etiam in Medulos excurrere libuit; et [g] Novum-caſtrum [2] Foxenſis familiae, nam totum illum tractum Foxenſes olim patrimonialem habuerunt, unanimes collegae venerunt: in quo tunc erat ipſe Franciſcus a Foxo Candala, et in eo uſque ad autumnum fere manere ſolitus erat, niſi ſi quando [h] Cadilliacum aut Bachevellam diverteret; quibus locis Garumnae fere impoſitis, et ad quae ultro citroque per flumen commeare ſolitus erat, habebat bibliothecas, officinas fabrileis, fornaces cum [3] omni inſtrumento ad conflandum et fabricandas machinas, in quibus periti ſſimus ſimul et ingenioſiſſimus geometra [4] excellebat. Ab eo ad prandium invitati, erudita, ut fere ſemper, fuit confabulatio. Thuanus inter alia de Pyrenaeorum altitudine memorare tunc ſolitum cum meminerat: Cum Henricus Labretanus Navarrae rex Joannae parens [i] Pavio ad [k] Benearnenſeis aquas magno comitatu veniſſet, ipſum, qui regem proxima cognatione contingebat, conſilium cepiſſe jugi altiſſimi, qui haud hinc longe aberat, et gemellarum ſororum, quod bifurcato cacumine aſſurgat,

INTERPR. [a] *cap de Buch.* [b] *Teſte de Buch.* [c] *le captal de Buch.* [d] *Certe.* [e] *de Savoie marquis de Villars.* [f] *Gaeta e San Lorenzo.* [g] *Caſtel-nau.* [h] *Cadillac, & Bachevelle.* [i] *Pau.* [k] *de Bearn.*

NOT. [1] Repertus eſt in famulitio, qui c amplius ſine nauſea deglutivit.

[2] Foxenſis familiae: ubi tunc erat ipſe Franciſcus a Foxo Candala, vix alibi ad autumnum uſque degere ſolitus, niſi ſi quando

[3] omni inſtrumento ad fabricandas machinas, etenim hiſce artibus peritiſſimus ſimul

[4] excellebat. Hoſpites excepit prandio magnifice ſtructo, erudita confabulatione. Thuanus hoc inter alia de Pyrenaeorum altitudine memorare tunc ſolitum meminerat. Cum Hen. Labretanus Navarrae rex Joannae parens Palo ad Benearnenſeis

aſſurgat, nomine vulgo indigitatur, ſuperandi. [1] Dumque comparat omnia ad id neceſſaria, ut, cum ad inacceſſa perveniſſet, et per ſcalas, uncos, et manus ferreas in ſummum eniteretur, multam ſe nobilitatem certatim obtuliſſe, et adoleſcenteis pleroſque levibus tunicis, ut expeditiores eſſent, amictos: quos cum monuiſſet Candala, fore ut in altum progrediendo algerent, illi riderent; ipſe fartam pellibus veſtem per ruſticos locorum gnaros ſecum detulit. Sub quartam horam matutinam profecti medio Maio, cum jam eo uſque provecti eſſent ut nubeculas infra ſe cernerent, tum frigus cunctos ſenſiſſe, et quoſdam, ſeu nimia properatione anhelanteis, ſive algore preſſos, [2] dilabi coepiſſe; interim Candala ſenſim progredi, et ſumpta veſte cautius incedere. Jamque eo pervenerant, ut ibicum ac rupicaprarum crebra cubilia, ipſae vero praerupta ſaxa agminatim diſcurrentes, [3] conſpicerentur. Tum ulterius progreſſus nidos aquilarum et hujuſmodi rapacium avium crebros [4] itidem aſpicit: et eo uſque homines enixi callem in ſaxo excavaverant; nec minus viae, quam quod confecerant, quo in ſummum jugum evaderent, adhuc ſuperabat, aëre frigido ac tenui adeo circumfuſo, ut vertigine tentati, paulum aberat, [5] deficerent. Itaque, reſumpto ſpiritu et velatis capitibus, cum cibum ſumpſiſſent, viam ſibi novam ope ruſticorum munire Candala; ubi ruſticorum labor nihil prodeſſet, ſcalas admovere, et uncis ac manibus ferreis eniti, donec eo uſque perventum, ubi nulla ferarum et avium, quae longe infra volare conſpiciebantur, amplius veſtigia apparebant: neque dum [6] in ſummum evaſerant, quo tandem aut proxime per uncos artificioſe a ſe fabricatos Candala evaſit; et loco idoneo ſedens, ex quo in imum liber eſſet deſpectus, ope dioptrae rationem altitudinis inire coepit, et pro termino infimo capiens torrenteis ſubjectos, cum non amplius ſaltu ſe demittentes, ſed aequabili alveo fluunt, ad locum in quo ſedebat, et ſummum jugum, quod jam metiri poterat, animadvertit, ſpatium omne illud CIↃC circiter orgyiarum ſive VI pedarum noſtrarum eſſe. Quod cum poſtea profundiore apud ſe cogitatione Thuanus expenderet, non multum à vero et veterum mathematicorum fide abludere comperit; ſiquidem ab antiquis, cum de Olympo in Theſſalia monte altiſſimo Graecis credito agerent, proditum, nullius montis altitudinem aut maris ullibi profunditatem X ſtadia excedere: nam ita menſum eſſe Xenagoram, qui dimidio ſtadio plus in Olympo invenit; qui numerus apud Apuleium in libro de Deo Socratis deeſt, ex Plutarcho in vita Pauli Aemilii ſupplendus. Quae ſi conferas, et ſtadium CXXV paſſuum decies multiplices, paſſum autem non ex uſu noſtro III pedum, ſed Graecorum conſuetudine V pedum conſtituas, quippe qui ſpatium, quod utriuſque manus extenſione completur, contineat, reperies fere eundem numerum, quem CIↃCVI pedae noſtrae efficiunt: tantum enim [7] LXV pedum erit differentia, qui undecies VI pedas uno pede minus efficiunt.

NOT. [1] Dumque omnia comparat, ut cum ad inacceſſa perveniſſet, per ſcalas uncos et manus ferreas cacumen audacia pervaderet, complures e nobilitate iter aggredi geſtientes animadvertiſſe leviſſime veſtitos: iis praedixiſſe futurum, ne progrediendo algerent; temerarios adoleſcentes conſilio non paruiſſe: Candalam ſibi veſtem pelliceam per ruſticos locis adſuetos portari juſſiſſe. Itaque ſub quartam matutinam profectos, eo perveniſſe, ut nubeculas

[2] dilabi coepiſſe: Candalam vero paulatim progredientem duraſſe, ſumptiſque pellicis eo aſcendiſſe, ubi jam ibicum

[3] conſpicerentur. Mox ulterius progreſſum nidos

[4] itidem aſpexiſſe, et eo uſque homines enixos callem in ſaxo excavaſſe; nec tamen viae minus ſupereſſe, quo in ſummum jugum evaderent, aëre frigido

[5] deficerent. Ibi ſubſtitiſſe aliquantulum ac cibum ſumpſiſſe; poſteaque novam ſibi viam ope ruſticorum paraſſe; atque ubi ruſticorum manus nihil proficerent, ſcalas admoviſſe, unciſque ac manibus ferreis enixum eo perveniſſe, ubi nulla ferarum

[6] in ſummum evaſiſſe; quo tandem per uncos artificioſe fabricatos Candalam ſublatum, et loco idoneo ſediſſe, ex quo in imum liber eſſet deſpectus, atque ope dioptrae montis altitudine quaeſita, ſpatium CIↃC circiter orgyiarum, ſive VI pedarum noſtrarum, comperiſſe. Quod cum poſtea cogitando Thuanus expenderet, non multum a veterum mathematicorum fide abludere animadvertit: ſiquidem cum de Olympo

[7] CIↃC toiſes etant 6600 piés, & X ſtades n'etant que 6250 piés, il y a une difference de 350 piés; mais ſi l'on ajoute le demi ſtade de Xenagoras, (de 312 piés & demi) la difference n'eſt que de 37 piés & demi.

efficiunt. Et hoc in tranſcurſu annotaſſe ſufficiat, [1] peritis exactiore rei tantae relicta indagatione.

Inde collegae [a] Sparram venerunt, olim [b] Monferrandorum notiſſimam arcem cum municipio et ſalinis, et poſtea temporibus Caroli VII confiſcatione ad Labretanos Franco nomini addictos devolutam; quae tunc a Ludovico [c] Gonzaga Clivio Nivernenſium duce ex uxoria dote poſſidebatur. Sparra [d] Solacum itum, B. Mariae ſacello et [e] Verdono portu [2] tutiſſimo locum nobilitatum; ex quo luſtrata [f] Corduenna turris, quae in oſtio Garumnae hinc inde per IV plus minus leucas patente inter ſyrteis [3] et aras poſita, accenſo igne noctu interdiu navigantibus viam e longinquo monſtrat: quae ſemidiruta occaſionem praebuit novae poſtea exſtruendae, labore et induſtria Ludovici [g] Foxii Lutetiae nati, ſed quod patrem ex ea regione haberet ita cognominati. Inde per [h] Talemonem, Roianum, Blaviam ventum; ubi capillarium herbarum, quod ab indigenis ignorabatur, magna copia. Noſtri id primum deprehenderunt, et ſirupi ex iis conficiendi artem monſtrarunt; ut non amplius Aquitanis illud [i] Monſpelio ſit petendum. Repertae et paſſim aliis in locis; et [k] Burdeliae, quae rupi impoſita arx eſt primaria in [4] Petrocoriis, ſubterlabente [l] Iſula ſaxum ſeu natura ſeu vi fluminis excavatum et ſuſpenſum [5] iis undique adnaſcentibus abundat.

Repetita tandem Burdigala, ubi nova claſſis magis in criminalibus cauſis, ex quibus publica ſecuritas pendet, quam civilibus occupabatur; et dum iis judicandis ceteri judices diſtinerentur, eccleſiaſtici, qui judiciis intereſſe non poterant, probationibus conficiendis, interrogandis reis, et cum teſtibus committendis, interea vacabant. Quod oneris Coquelcio et Thuano incumbebat, ut in cauſa [m] Roſtinii accidit.

Qua inſtructa [6] ſub feriarum Paſchatis tempus, inde propter juſtitium occaſione ſumpta, Thumerius, Oiſellus, Pithoeus, et Thuanus in Vaſconiam excurrerunt; et per [n] Coſſionem [7] Vaſatum, ubi de veris calamitatis illius urbis cauſis et [o] Caſſianorum factione cognitum eſt, ac [p] Labretinas turreis, a quibus principali et illuſtriſſimae [q] familiae atque adeo regioni nomen, [r] Tartaſium venerunt; et inde Marſani-montem, et [s] Atyram, cognomini [t] fluvio impoſitam civitatem, incendio et ruinis per bella ſuperiora deformatam. Ulterius progreſſi in [v] Bigerrones deſcenderunt ad Pyrenaei radices amoeniſſimam [8] regionem, in qua, ut in [w] Gallia Ciſalpina, vites ulmis et populis maritantur; et [x] Tarbam regionis caput, triplici urbe olim conſtantem, ſed nunc paene ad ſolitudinem redactam, et a ruſticis tantum habitatam. Luſtrata et balnea haud hinc longe veteribus frequentata, et ſoliis egregie fabricatis ornata, aluminoſa fere, et quorum uſu [9] Thuanus dolores in brachio ſiniſtro per ſtudia et vigilias contractos curavit. Inde ad [y] Campanum uſque itum, ubi optimum butyrum conficitur, juxta [z] Lavedani vicecomitatum Borboniorum [10] patrimonialem, equis generoſis nobilem; et in itinere luſtratum ſacellum, in cujus altari inſcriptio illa

INTERPR. [a] *l'Eſparre.* [b] *ceux de la maiſon de Montferrand.* [c] *de Gonzague de Cleves duc de Nevers.* [d] *Soulac.* [e] *le port de Verdon.* [f] *Tour de Cordouan.* [g] *de Foix.* [h] *Talmond, Royan, & Blaye.* [i] *Montpellier.* [k] *Bourdeille en Perigort.* [l] *l'Iſle r.* [m] *de Roſtaing.* [n] *Bazas.* [o] *des Caſſes freres.* [p] *Tours de Labrit.* [q] *la maiſon d'Albret.* [r] *Tartas, & Mont de Marſan.* [s] *Ayre.* [t] *l'Adour.* [v] *Bigorre.* [w] *Lombardie.* [x] *Tarbes.* [y] *Campan.* [z] *Lavedan.*

NOT. [1] peritis exactiore indagatione relicta. Inde, Candala ſalutato, Thuanus et collegae Sparram venerunt,

[2] tutiſſimo nobile. Mox luſtrata Corduenna

[3] et aras poſita navigantibus e longinquo viam monſtrat. Inde per Talemonem,

[4] Petrocoriis, illic ſubterlabente

[5] ejuſce generis herbis adnaſcentibus

[6] ſub feriarum Paſchalium tempus, Thumerius,

[7] Vaſatum, ac Labretinas turreis

[8] regionem, ubi, quemadmodum in Gallia Ciſalpina, vites

[9] Thuanus doloribus, qui brachio ſiniſtro per ſtudia et vigilias incubuerant, levatus eſt. Inde ad Campanum uſque itum, butyri ſapore commendatiſſimum, juxta Lavedani

[10] patrimonialem, ubi naſcuntur equi generoſiſſimi: luſtratum et in itinere ſacellum, in cujus

illa a Scaligero deſcripta, et tam apte ad illuſtrationem [a] Novempopuloniae ſuae [1] accommodata, a Thumerio, Oiſello, et Thuano, diligenter inſpecta eſt. Obſervatum in itinere, cum perventum eſt [b] Bigorram et Lordam arcem in edito ſitam, eam non eſſe Lapurdam in itinerario memoratam, [2] ſicuti initio exiſtimavit Scaliger, cum primum Auſonianas lectiones Lugduni publicavit, quae loco devexo et juxta mare poſita eſt, a quo longe Lorda abeſt; ſed potius ipſam [c] Baionam eſſe: nam in antiquis martyrologiis epiſcopum Baionenſem, qui nunc eſt, et a Boiatibus populis, quomodo totus ille tractus a Garumnae aeſtuario ad [d] Atyri oſtium olim nominabatur, Lapurdenſium epiſcopum vocari, et hodie adhuc totum illum tractum, qui ab Atyri oſtio ad [e] Fontem-Aragi pertinet, pagum [f] Lapurdenſem vulgo dici: cujus rei cum Joſ. Scaligerum monuiſſet Thuanus, ille ſtatim, ut erat ſummo animi candore, mutavit, et in altera lectionum ſuarum, quae poſtea conjunctim cum Auſonio Vineti facta eſt, editione, totum id de Lorda omiſit. Inde per [g] Pontacum [3] ventum [h] Benearni Podium ſive Pavium, arce et hortis ampliſſimis locum amoeniſſinum, regia magnificentia ab Henrico IV et ejus matre Joanna exſtructis; in quibus porticus ſtupendae altitudinis ex topiario opere viſuntur. Ibi tum erat Catharina Navarri ſoror, quae nullo non genere humanitatis hoſpites excepit. Heic Oiſellus, neceſſitate muneris compulſus, a ſociis diſceſſit; cum jam Pithoeus, ubi ad Atyram venit, reflexo per [i] Severi-fanum itinere, reverſus eſſet.

THUMERIUS et Thuanus ad Thermas Benearnenſeis vulgo dictas VII abhinc leucis, intra Pyrenaeum ſcaturienteis, per [k] Larunum profecti ſunt. Aquae ſunt ſulfureae, et magno profectu tepidae bibuntur ab iis qui calculo et nephritide vexantur, aut obſtructionibus laborant; tantaque ſunt levitate et tenuitate, ut, niſi ſtatim hauriantur, vis earum momento exhalet: neque propterea vaſis transferri poſſunt, ut fit in aquis [l] Lucenſibus, Tungrenſibus, [4] et Poquenſibus apud nos. Habebat in comitatu ſuo Thuanus Germanum juvenem, de cetero ſobrium, qui L ſcyphos quotidie intra horae ſpatium ſumebat. Ipſe dimidium per ſeptem dies ſumpſit, potius animi gratia, quam ulla infirmitate ad id adactus; et expertus eſt earum uſu corpus admodum levari, orexim excitari, exquiſitum in cibis et potu guſtum acui, ſomnum placidum et alacritatem inſolitam totis membris conciliari, nec propterea alvum moveri. A Thermis per [m] Oleronem epiſcopalem civitatem, Ortheſiam ſchola a Joanna regina inſtituta celebrem urbem, et [n] Salvaterram, ad Navarrinum iter fuit, munitionem arte praecipuam, quam Henricus Labretanus Navarrae rex in ſolatium amiſſi regni ſic appellavit, et ad reliqua ejus in Benearni limite tuenda oppida exſtruxit. Dein per [o] fana Pelagii et Joannis ad pylas montium [p] inferioris Navarrae, quam vocant, oppida ſive municipia, [q] Baſtidam Clarentiae venerunt; atque heic viderunt et allocuti ſunt [r] Joannem Liçarraguem loci paſtorem, qui mandatu Joannae reginae catechiſmum et Novum Teſtamentum in linguam [s] Vaſconicam ſeu Cantabricam vertit, et typis elegantiſſimis a Petro [t] Haltino [v] Rupellae excudendum curavit; et operis, nam quis alius potuiſſet? ipſe praefuit. Cantabrica lingua, ſicut [w] Britannica noſtra, et [x] Hibernica ſingulares ſunt, et nihil commune cum ceteris habent; ideoque ſcribi non poſſe putabatur. Is autem Joannes, ſuae et Gallicae linguae peritiſſimus, conciones patrio ſermone ad populum habebat, in eodem templo, ſed

INTERPR. [a] *Gaſcogne.* [b] *Bigorre, & Lourde.* [c] *Bayone.* [d] *l'Adour r.* [e] *Fontarabie.* [f] *pays de Labord.* [g] *Pontac.* [h] *Pau en Bearn.* [i] *St. Sever.* [k] *Larun.* [l] *eaux de Lux, de Spa, & de Pougues.* [m] *Oleron, & Ortez.* [n] *Sauveterre, & Navarreins.* [o] *St. Palais, & St. Jean de pied de port.* [p] *la baſſe Navarre.* [q] *la Baſtide de Clarence.* [r] *Jean de Liçarrague.* [s] *la langue Baſque.* [t] *Haultin.* [v] *la Rochelle.* [w] *le bas Breton.* [x] *l'Irlandois.*

[1] accommodata. Mox factum iter Bigorram verſus, et Lordam arcem in edito ſitam; obſervatumque eam

[2] ſicuti exiſtimavit Scaliger, cum

[3] ventum Benearni Palum, arce et hortis ampliſſimis

[4] et Poquenſibus. Habebat in comitatu

ſed diſcretis horis, in quo ſacra majorum ritu peragebantur; et, quod mirere, nullum hoc, invaleſcente jam conſuetudine, inter populareis diverſa ſentienteis diſſidium excitabat.

Ex [a] Cantabria in Lapurdenſem pagum iter eſt, et, [b] Bidachia arce [c] Grammontanorum ad laevam relicta, Baionam pervenitur: Atyrus per [d] Aquas Tarbellicas labens, incidente [e] Gavio, qui a [f] Petra-forata loco egregie piſcoſo deſcendit, decuſſatim eam interſecat; et, plerumque intumeſcentibus ex vicino Pyrenaeo ingruentibus aquis, parum a ſubmerſionis periculo urbs erat, oſtio Atyri fere arenis oppleto, et parte ejus non recta per oſtium, ſed per canalem, qui ad promontorium vulgo [g] Britonum dictum cubitali flexu decurrebat, in mare ſe exonerante. Itaque pridem tentatum, ſublicis in terram fiſtucatis, et lapideo muro oppoſito, ut, canali illo obſtructo, Atyrus per oſtium ſuum aquas demitteret, et recto curſu labens profundiorem alveum ſibi foderet: quod tandem, caſu potius quam hominum induſtria, accidit, tanta vi aquis recedente aeſtu erumpentibus, ut, disjectis hinc inde arenis quae oſtium oblimabant, et canali ipſo Britonum per eas, plus quam per ſublicas, obſtructo, oſtium tanta capacitate fuit apertum, ut rarius aqua in [h] urbem regurgitet. Nec tamen omni metu propterea liberata urbs, quippe arena rurſus per aeſtum maris ſenſim oſtii alveum replente; unde nuper factum, ut, exitum non habentibus aquis, magna pars murorum dejecta ſit. Heic ut linguam peculiarem, ſic et foeminarum veſtitum, mirari ſubiit, pro aetatum diverſitate et temporum conditione varium et multiplicem: nam virgines, maritae, viduae, juvenculae, vetulae, alios atque alios amictus in funeribus, in nuptiali laetitia, in ſupplicationibus, ſumunt; propriis ad id ſartoribus, qui urbi et Lapurdenſi circum pago inſerviunt: nam nullus illarum veſtium alibi uſus, et, ſi uſpiam tale ſpectaculum occurreret, pompas perſonatas aut riſui movendo perſonas ad ſcenam paratas diceres. Urbi praeerat regis nomine Jo. [i] Deniſius Hillerius veteranus dux, poſt [k] Horti vicecomitem loco impoſitus, homo bonus et uſu militari induratus, adeo ut vinum illo tractu generoſiſſimum, [l] Chaloſſianum vulgo vocant, nulla aqua dilutum, citra intemperiem et animi perturbationem biberet, ac noctu capite aperto dormiret. Ille hoſpites perbenigne excepit; et, cum ſumma ingenuitate vitae ſuae rationem illis aperuiſſet, [1] Thumerius eum ad nuptias hortatus eſt, et fidem dextra accepta obligavit, ut de iis quamprimum cogitaret: quod ille, fidei datae obſervantiſſimus, paulo poſt fecit. Baiona diſcedentibus iter fuit primum per lucum ſubere viridantem, et inde ad Aquas Tarbellicas, quae eſt epiſcopalis civitas, a bullientibus aquis, ceteroqui haud magni uſus, nomen ſortita. Hinc per ericeta compaſcua ac mellificio apta, teſtudinibus paſſim oberrantibus, ac pagis longe diſſitis, ſed populoſis; in quibus ruſtici plus pecunioſi illa Novempopuloniae parte, quam locis aliis in ſolo uberi, reperiuntur, quippe terrae defectum ſuperante hominum induſtria. Quinto poſt die Thumerius et Thuanus ad ſuos reverſi ſunt.

Mox peractum [m] Roſtinii judicium, et ſententia ſevera in eum lata; jactatumque tota urbe a XXX annis nullum tale juſtae animadverſionis in nobilis conditionis hominem exemplum extitiſſe: quo fiebat, ut paſſim tota Aquitania licenter et immaniter, omiſſa juris via, quiſque privatas injurias aut ulciſceretur, aut ipſe pro libidine inferret, quod id impune futurum confideret. Id inſigni ſub id exemplo patuit. [n] Jucundo, cuidam ordinum ductori ſtrenuo et audaci, cum vicino milite juxta [o] Aemiliani-fanum, capitales inimicitiae intercedebant, quod fratrem ab ipſo ultimis bellis

INTERPR. [a] *Biſcaye.* [b] *Bidache.* [c] *de Grammont.* [d] *Acqs.* [e] *la Gave.* [f] *Peire bourade.* [g] *cap Breton.* [h] *Bayone.* [i] *Dennis Sr. de Laylbere,* vulgo *la Hilliere.* [k] *Horte.* [l] *de Chaloſſe.* [m] *de Roſtaing.* [n] *le capitaine Gaillard.* [o] *St. Milion.*

NOT. [1] Thumerius eum ad juſtas nuptias

bellis perfidioſe interfectum diceret. Tantam injuriam ulciſci certus, cum perditorum manu noctu comportatis ſcalis domum inimici hominis, [1] nihil tale, ut in pace, expaveſcentis, circumſtat; et admoto crepitaculo infeſtus cum ſuis intrat, obviumque eum, qui ad ſtrepitum nudus gladio ſtricto exierat, cum fratre, uxore, et famulitio paucorum capitum obtruncat. Sed homicidio patrato non diu tardavit ultio: nam per tenebras ad praedam tumultuarie diſcurrentes ſocii in cadum nitrato pulvere plenum inciderunt, qui, ſcintilla ex fune accenſo dilabente, ſtatim ignem concepit, et partem domus ſubvertit, ipſoſque latrones aut ruina oppreſſit, aut conſumptis [2] veſtibus ita ambuſſit, ut rurſus veſtiri non poſſent, nudique et incendio deformati armis abjectis ſemineces in pavimento jacerent. Igitur, ad rei famam latrunculatoribus ſupervenientibus, tam facile capti ſunt, quam formidoloſi antea tota vicinia impune volitabant. Qui extra domum in ſpecula remanſerunt, caſu territi aufugerunt. Dux facti Jucundus in urbem adductus eſt, nudus, ac vulnere ab inimico ſe generoſe per tenebras defendente accepto debilis, cum ſociis in plauſtro impoſitis; qui flamma toſti, et nigricante ac tumeſcente cute informes, nihil humani praeter horridam vocem habebant. Longo intervallo carceres publici a loco in quo jus dicebatur aberant. Itaque per totam fere urbem eos traduci oportebat: quod factum magno populi concurſu, horrorem facti augente tam terribili ſpectaculo. Ex plauſtris complices, cum aliter fieri non poſſet, in area interrogati, ac facti, quippe quod negare non poterant, convicti, ad ſupplicium e veſtigio rapti ſunt, et membris confractis rotae impoſiti. Ipſe Jucundus, homo praeſtanti ſpecie, in conclave ab armato ſatellitio coram judicibus ſiſtitur, linteo velatus: nec ex vinculis, ut fieri Toloſae et Burdigalae conſuevit, cauſam dixit, quippe quae indui non potuerant. Ibi interrogatus praefracta audacia rem ut erat intrepido vultu narravit; et, homicidium tanquam recte factum confeſſus, etiam ſceleris auſus eſt miſerum hominem a ſe crudeliter occiſum arceſſere, quod ejus occaſione factum diceret, ut optimi milites, ſic graſſatores appellabat, aut ruina obruti aut flammis fuerint uſtulati; de futuro ſupplicio, aut illud minime metuens, aut, quaſi non promeruiſſet, plane ſecurus; quod, pari animi obfirmatione qua judices adlocutus fuerat, mox cum ceteris ſubiit.

DIGNUM et ſenatoria gravitate judicium fuit, quod, referente Thuano, de virgine nobili latum eſt, quae religionis colore a matre, nam pater ejus ante aliquot annos jam obierat, ſe ſubduxerat, et clandeſtinas nuptias, ſine matris et agnatorum ac cognatorum conſenſu, cum non ſuae ſortis adoleſcente, non ſecuta copula, contraxerat. Nuptiae nullae et irritae declaratae, et matri de raptu conquerenti filia reſtituta, prius monitae, ne religionis cauſa vim aut negotium ullum faceſſeret: adoleſcenti item, ut prorſus a virginis conſuetudine abſtineret, injunctum; et ne cum ea deinceps nuptias contraheret, capitali addita poena, prohibitum. Quod, ad honeſtatem matrimoniorum conſervandam, quae illis locis, jampridem graſſante clandeſtinarum nuptiarum licentia, vileſcebat, tempeſtive decretum, deinceps in exemplum fuit, ne raptoribus in honeſtas familias impune invadere, aut virginibus male conſultis temere de ſe ſtatuere, ſpretis parentibus, aut iis qui parentum loco ſunt, in poſterum liceret. Reliquum tempus privatorum cauſis decidendis inſumptum, uſque ad juſtitii tempus: quo inſtante decretum, ut locus juri dicundo [a] Aginni Nitiobrigum deligeretur; et ad [3] S. Martini feſtum proximum juſſi omnes convenire.

CHRISTOPHORUS

INTERPR. [a] *Agen.*

NOT. [1] nihil tale expaveſcentis,
[2] veſtibus ita ambuſſit, ne aliis veſtimentis indui poſſent; itaque nudi et incendio deformati
[3] S. Martini feſtum proximum omnes convenirent. Chriſtophorus

CHRISTOPHORUS Thuanus diuturniorem filii abſentiam non ferens, ſive mortis proximae praeſagus, a rege impetraverat ut revocaretur; et Fr. [a] Godardus ſolertia diligenti adoleſcens, nuper in [1] ſenatum cooptatus, ejus loco ſubſtitutus fuerat. Is vero abiens conſilium de Septimania et Provincia luſtranda captum vulgaverat; inde [b] Claromontium in Arvernis, [2] ubi illo anno comitiales dies, praeſide Achille [c] Harlaeo ſororio ſuo, agebantur, proficiſci certus, ut eum, et ſenatores qui cum eo erant, officioſe in itinere ſalutaret.

ID incidit in tempus quo jam fama de [d] Salſeda Antuerpiae [e] Andini juſſu capto, et ad regem quamprimum abducendo, ubique percrebruerat; eaque res in varios ſermones incurrebat, multis in ſuſpicionem confeſſionibus ejus ſive vere ſive calumnioſe adductis; et ad [f] Matignonum aula perſcriptum fuerat ab iis qui eadem conſpiratione involvebantur, ipſum ab eo cum aliis proceribus nominatum: quod ille ita ad animum revocaverat, ut, quoniam ſciebat Salſedam de ſe mentitum eſſe, quaecunque de aliis dixerat, itidem falſa eſſe aut calumnioſa exiſtimaret. Ad feneſtram ſedebat, ludos, qui a pueris in ſubjecta area celebrabantur, deſpiciens, cum Thuanus diſcedens ad eum venit commeatum petiturus; cum quo ille eo ſtudioſius ac longiore oratione ea de re egit, quod eum domum reverti ſciret, et per Septimaniam, ubi Momorantium conventurus eſſet, iter facturum: itaque [3] cupiebat eum de re omni inſtructiorem ad illum proficiſci. Igitur, ut Salſedae fidem elevaret, ejus vitam a pueritia, quam cum ſui ſimilibus egiſſet, homicidiis et latrociniis infamem, repetebat; poſtremo, adulteratae monetae [g] Rotomagi convictum, poenam crimini deſtinatam fuga evaſiſſe: ab illo tempore huc illuc errabundum latuiſſe, a [h] Mercuriano duce, quod matrem uxoris ejus aliqua cognatione contingeret, hactenus defenſum: nec minus ſuſpecta eſſe debere quae ab Andini aula veniant, in qua homines ejuſdem farinae polleant; qui, ut res in regno miſceant, proceres regi fidos alioſque bonos viros ipſi per calumnioſas delationes ſuſpectos reddere pro ludo habeant: nam quid ſceleratius aut impudentius confingi potuiſſe, quam tot homines innocenteis, in quos nec crimen nec ejus ſuſpicio cadit, cum paucis, qui ſuſpecti eſſe poſſunt, eadem conſpiratione amplecti? Has eſſe illorum [4] aulicorum artes, ut hominis furciferi periculo optimum quemque in fortunarum capitiſque diſcrimen vocare minime dubitent: itaque, ſive rei poſtulati mores, ſive eorum ingenium qui reo has confeſſiones in carcere ſuggeſſerunt, attendas, ſubito conſtiturum, quanta fides de re tanti momenti, et quae quietem publicam tangit, haberi debeat. Addebat Matignonus, quicquid jactetur, Andinum decreviſſe Salſedam in regis manus tradere, ſibi perſuaderi non poſſe, id illos, qui circa ipſum ſunt, unquam paſſuros: nam fraudem exemplo patefactum iri, et Salſedam, quae coram ipſis dixit, aut dixiſſe jactatur, recantaturum. Id cum ſibi ipſe perſuaſiſſet conſcientia ſua fretus, idem, multis rationibus inſuper allatis, facile Thuano cuncta in meliorem partem interpretanti perſuaſit vir profundae prudentiae et dicendi efficax; cumque ita a ſe dimiſit, ut, quoties ea de re ſermo incidebat, incidebat autem frequenter, toties ad refutandum quae contra dicebantur ſe paratum magno animo [α] oſtenderet.

CUM

VAR. LECT. [α] oſtenderet. Totus is locus in Annalibus omiſſus eſt, appoſitis aſteriſcis** [ſcilicet in Edit. Drouart. in folio] ex anecdotis [5] ſupplendus. Cum Thumerio *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Godard.* [b] *Clermont en Auvergne.* [c] *de Harlay.* [d] *Salſede.* [e] *le duc d'Anjou.* [f] *le mareſchal de Matignon.* [g] *Rouen.* [h] *le duc de Mercœur.*

NOT. [1] ſenatum cooptatus, in ejus locum mitteretur. Auguſtus igitur diſceſſurus conſilium de

[2] ubi tunc Magni, qui vocantur, Dies, praeſide Achille Harlaeo Auguſti ſororio, habebantur, proficiſci certus. Id incidit in tempus

[3] cupiebat de re omni inſtructiorem proficiſci. Igitur,

[4] aulicorum artes, ut furciferi periculo optimum quemque

[5] vid. Hiſt. Lib. 75. Tom. IV. p. 73.

Cum Thumerio et Pithoeo Burdigala profectus [a] Moiſacum ad Tarnim venit, opimo coenobio et antiquiſſimo nobile oppidum; ubi bibliotheca optimae notae, librorum olim plena, denuo a Pithoeo cum ipſo evoluta eſt. Inde per [b] Aquillonium ad Oltam ſitum oppidum iter fuit. Poſtridie ad [c] Mariae-fanum, locum generoſo vino nobilem, prandium ſumptum: et cum inde, famulitio omni ebrio, quod hoſpita laetiſſima ſpectabat, ſerius in viam ſe dediſſet, quanquam duae tantum leucae numerentur, non niſi profunda nocte Aginnum pervenerunt. Tum de longitudine itineris querentibus, [d] Secondatus is, quem jam dixi, qui cum facibus obviam venerat, ad eos [1] placandos rem privata tradentibus memoratu non indignam narravit. Martinum [e] Fumeum, Adami, qui Ludovici olim XI et valetudinis et negotiorum praecipuam curam commiſſam habuerat, nepotem, libellorum [2] ſupplicum magiſtrum, quae ſumma tunc erat dignitas, cum ea nondum numero viluiſſet, cum ante XXX annos incunte hyeme ad Mariae-fanum itidem veniſſet, et poſt prandium Aginnum petiturus eſſet, hoſpitem magnopere apud ipſum inſtitiſſe ne ſe viae committeret; nam fore ut nocte opprimeretur, et magnis difficultatibus in itinere jam lutoſo conflictaretur: illum tamen accelerandi cupidum, et ad binarum leucarum ſpatium, quod intercedere dicebatur, reſpicientem, equos [3] conſcendiſſe; et quod illi praedictum fuerat, pejuſque, accidiſſe, ipſo in lutum prolapſo, et vix per tenebras a ſuis voragine extricato. Cum igitur nocte jam media ad [4] urbem, ad quam ſolicito magiſtratu expectabatur, vix tandem perveniſſet, gratulantibus et excuſantibus obviis, illum de via feſſum averſo vultu in hoſpitium conceſſiſſe; et mane adhuc ſubiratum, cum tribunal conſcendiſſet, ante omnia edixiſſe, ut deinceps a Mariae-fano ad Aginnum, ne viam facientes deciperentur, VI leucae numerarentur.

Rebus ad proximam ſeſſionem in urbe ordinatis, Pithoeus et [α] Thuanus in Vaſconiam, quam vocant, tranſmiſſo Garumna excurrunt, et [f] Lactoratum primo Armeniaci principatus caput epiſcopalem civitatem edito loco ſitam petunt; quo multa jam nocte, nec citra periculum, venerunt; dum moenia circumirent, a praeſidiariis, paulum abfuit, ſcloppetorum ictibus infeſtati. Tandem admiſſi, et mane ab [g] Aſtaraco Fonteralio principatus praeſide perbenigne excepti, excuſata etiam praeſidiariorum temulentia; diem integrum in ea quieverunt, dum poſitum ejus, et [h] Monlucii, qui eam olim obſidione ceperat, caſtrorum rationem, contemplantur. Fuit olim in ea Romanorum praeſidium et tauropolium frequens, quod crebrae lapidum inſcriptiones indicant, templo, [5] quod his bellis immani barbarie dirutum fuit, conſtruendo paſſim appoſitorum. Luſtrata et arx, in qua olim Armeniaci comes Ludovici XI temporibus, nec eo, ut putatur, inſcio, interfectus fuit; cruore in parietem ita inſperſo, [6] ut hactenus in hunc uſque diem deleri non potuerit. Id memoriam revocat recentis facti in eadem arce patrati, plane cum [i] Jucundo nuper memorato gemelli, etſi diverſo exitu; de quo cum paucos ante dies aliquid ex [k] Gratinio Burdigalae inaudiviſſet Thuanus, hiſtoriam ex praefecto arcis, qui tunc erat, denuo expiſcari voluit. Sic autem res habet: is qui ante ipſum loco praefuerat, [l] Balanus nomine,

VAR. LECT. [α] Thuanus, qui jam a Petro Seguierio praeſide et collegis commeatum petierat, in Vaſconiam, *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Moiſſac ſur le Tarn.* [b] *Aiguillon ſur le Lot.* [c] *Ste. Marie.* [d] *Secondat Sr. de la Roche.* [e] *Fumée.* [f] *Leytour au comté d'Armagnac.* [g] *Aſtarac de Fontrailhas*, vulgo *Fontrailles.* [h] *Blaiſe de Montluc.* [i] *Gaillard.* [k] *du Faur Sr. de Gratins.* [l] *de Baleins.*

NOT. [1] placandos rem privatâ legentibus non injucundam narravit.

[2] ſupplicum magiſtrum, cum ante XXX annos ineunte

[3] conſcendiſſe: iter ingreſſum plurimas difficultates toleraſſe; tandem accidiſſe pejora praedictis in lutum prolapſo, et vix per

[4] ad urbem, ubi ſolicito magiſtratu

[5] quod bellis ſuperioribus immani

[6] ut hactenus deleri non potuerit. Quae res memoriam revocavit facinoris in eadem arce patrati diverſo exitu: de quo cum paucos ante dies aliquid ex Gratinio Burdigalae inaudiviſſet Thuanus, denuo quaedam ab eo qui tunc arci praeerat accepit. Sic autem res habet: is qui ante ipſum praefuerat, Balanus nomine,

nomine, homo pugnax et bellis Turcicis innutritus, amicum ex vicinia in comitatu habebat, praecipuae inter praeſidiarios dignitatis, qui ejus ſororem ſeu blanditiis ſeu ſpe nuptiarum eo inſcio corruperat; dein a praeſidio diſcedens, cum alia matrimonium contraxerat: quod ut illa reſcivit, ejulabunda et paſſis crinibus fratrem adit, et, quid ſibi cum perfido homine acciderit, multis cum lachrimis aperit. Ille, ut erat in audendo promptus, in perſequendo pertinax, in periculo intrepidus, ſororem ſilere jubet, et vultum componere; rem ſibi curae fore: igitur aliquot dies elabi ſinit, omniaque interea amicitiae officia ſibi cum illo conſtare ſimulat; tandemque incogitantem ad ſe ex occaſione cum aliis pleriſque invitat, et in arcem admiſſos opipare accipit. Menſis remotis et dilapſis convivis illum ſeducit, et mox per ſatellites ad id paratos catenis onerat. Tum in ſella quaſi pro tribunali ſedens, reum interrogat, inficias euntem teſtibus productis convincit; etiam ſorore, quae aliquandiu latuerat, velo amoto quaſi ex machina comparente: cujus praeſentia turbatus reus conſuetudinem cum illa ſe blanditiis provocante quidem confeſſus eſt, ceterum ullam de nuptiis factam mentionem, aut de iis datam fidem, negavit. Tum Balanus in judicis officio pergens confeſſionem ſcriptis ab amanuenſi mandari juſſit, et a reo ſubſcribi; tandemque, et teſtium fide et ſua ipſius confeſſione convictum, ad mortem damnavit; [1]et, qui judicis, accuſatoris, teſtis, cognitoris partes huc uſque impleverat, ad extremum etiam carnificis vicem ſupplere voluit, et miſerum hominem, Dei et hominum fidem implorantem, et hoſpitalis menſae ſacra violari nequicquam quiritantem, ſtricto pugione confodit, ſtatimque corpus ad ſuos remiſit. Ad Navarrum autem, a quo arci impoſitus fuerat, ne quid caſu eo [2] turbaretur, literas manu propria ſcriptas dedit, quibus facti ſeriem explicabat, adjuncto actorum cauſae exemplo, nam ſchedas manu rei ſubſcriptas penes ſe retinuerat; et, juſti doloris in ulciſcenda tam gravi injuria excuſato calore, nihil niſi jure et ſervato judiciario ordine factum fuiſſe contendebat: proinde impunitatem petebat, et ſe arcem, cui juberet, tradere paratum oſtendebat; ſatis ſibi quippe eſſe, quod injuriam in arce commiſſa acceptam, in eadem et ejus beneficio ulciſci ſibi licuiſſet. Navarrus, etſi facti atrocitate et hominis audacia perculſus, tamen veritus ne hoc rerum ſtatu et deſperatione gratiae extrema conſilia ſequeretur, de impunitate fidem interpoſuit; et ſibi fidum ſtatim miſit, qui arcem ab eo acciperet: quod ille, literis Navarri acceptis, ſine tergiverſatione fecit, et in domum ſuam ſatis in proximo munitam cum familia omni conceſſit.

Lactorato [a] Auguſtam Auſciorum itum, itidem in Armeniaco principatu, archiepiſcopali dignitate cum ampliſſimis reditibus ornatam civitatem, et olim Novempopuloniae caput. Eam ſedem tenuerunt Hippolytus et Aloiſius [b] Ateſtini cardinales, et ante eos Franciſcus Turnonius cardinalis, qui et ludum literarium in urbe inſtituit; adeo vir modicis aut nullis literis tinctus, ſed ingenti ad res praeclaras et eo faſtigio dignas artes amplectendas animo praeditus, literas et literatos [3] ſummo amore proſecutus tota vita fuit: quod et ſchola illa ampliſſima [c] Turnonii, a quo illuſtriſſimae genti nomen, in Vivarienſi pago, nunc etiam orbi Chriſtiano teſtatur; et dum vixit ipſe abunde teſtatus eſt, cum homines literis praeſtanteis domeſticos ſecum in aula, in Italia, et peregrinationibus comites duceret, et tanta cura foveret, ut Arnoldus [d] Ferrerius, qui in ejus familia diu ex eorum numero fuerat, dicere ſoleret, nunquam ſe domi tam placide et adſidue ſtuduiſſe, quam dum Turnonium ſequeretur: ſic enim illi in comitatu aulico uſum fuiſſe, ut ſimul atque ex equo deſcendiſſet, conclave

philologis

INTERPR. [a] *Auſch.* [b] *da Eſte.* [c] *Tournon en Vivarais.* [d] *du Ferrier.*

NOT. [1] et qui judicis partes huc uſque impleverat, ad extremum

[2] turbaretur, literas dedit, quibus facti ſeriem

[3] ſummo amore proſecutus eſt: quod et ſchola

philologis ſuis deſtinatum ante omnia adiret, et inſpiceret an capſae librorum, quae peculiaribus mulis portabantur, et qui, ne mora fieret, cum iis qui lectum et ſupellectilem chartaceam ſuam portabant pariter [1] incedebant, advectae eſſent: quibus advectis, et menſis cum ſedilibus appoſitis, ad ſtudium illos hortari; ipſum vero ad regem, cui in ſumma rerum imperii ſerviebat, pergere ſolitum fuiſſe: ad prandium vero cum menſa ejus cunctis extraneis magnifice pateret, coenam ad paucos et familiareis contractam fuiſſe, cui philologos ſuos adhibebat, et de literis differenteis libentiſſime audiebat. Et hoc extremis Franciſci I temporibus; quibus Petrum [a] Daneſium, ipſum Ferrerium, Joannem Vincentium [b] Laureum, Dionyſium Lambinum, Muretum, qualeis viros! ſimul inter domeſticos habebat. Videant nunc qui in eadem bona ac dignitatem ſucceſſerunt, an eam pari hodie largitate ac diſpenſatione tueantur. Luſtratum in civitate majus templum; quod ſi pari ſplendore ac ſtructura, qua inchoatum fuit, conſummetur, pauca habebit non ſolum Gallia, ſed univerſus Chriſtianus orbis, quae cum eo comparare poſſit: nam chorus cum ſedilibus egregii operis finem acceperat, et in navis alis, hinc chorum inde navem [2] ipſam cingentibus, laborabatur. Heic et luſtratum [c] S. Orentii templum, in quo et paroecia eſt: id infimae vetuſtatis paulum a ruina abeſt, quamvis opimis vectigalibus dotatum coenobium, quod ad [d] Cluniacenſem metropolim pertinet: in eoque juvit ſpectare altaria hinc inde in templo poſita, quae ſunt ſepulchra martyrum, ad quae Chriſtiani coetus olim celebrari ſolebant; non menſae, ut ſunt noſtra, ſpecie plana jacentia, ſed dorſi gibbo aſſurgentia, cum nota labari inſcriptione, quae duabus literis Graecis Chriſti [3] nomen refert: quod purioris antiquitatis ſaeculum proculdubio arguit.

Inde per [e] Caumontium, Sammatanam, Lombariam, [f] Sigiſmundi-fanum, venerunt Pibracium; quo loco illos Vidus [g] Faber loci dominus, qui per juſtitium Lutetia illuc evolaverat, praeſtolabatur, et lautiſſime excepit, accedente ad ceteras lautitias et elegantias laeto vultu hoſpitis. Heic tridui mora [4] deambulationibus in aula domus et per hortum cum Vido facta, plus heri ingenio quam loci natura aut cultu nobilem: nam in eo et in ſtructura domus omnia modica; de cetero, ſupellex, lecti, veſtis ſtragula, aulaea, tapetes, ſumptus, omnia regia. De Salſeda ſobrie loquebatur Vidus, ita tamen ut pejus de ejus confeſſionibus, quam videri in ſpeciem volebat, augurium Thuani judicio faceret: itaque cum eo minore contentione opus fuit. Tum prolati, Pithoeo inſtante, II priores de re accipitraria libri; quos ille ſeorſim avidiſſime legit, [5] argumento plus quam opere ipſo allectus; quippe qui venationibus omnis generis impenſe delectaretur, et eam novitiam nondum Latine ſatis explicatam exiſtimaret. Cum de Franciſco, cujus mors ſub finem prioris libri deploratur, haereret, et de alio Franciſco haec dici putaret, cognito Momorantium, paucos ante annos ingenti bonorum omnium et publicae rei jactura regno ereptum, deſignari, non mediocriter laetari viſus eſt, quod arctam cum eo amicitiam coluiſſet; laudataque

INTERPR. [a] *Danés.* [b] *Lauro.* [c] *St. Oren.* [d] *Abbaye de Clugny.* [e] *Caumont, Sanmathan, & Lombez.* [f] *St. Gimont.* [g] *du Faur de Pibrac.*

NOT. [1] incedebant, advectae eſſent: atque hoc extremis Franciſci primi temporibus, cum eſſet ad ſumma regni negotia praecipuus adminiſter: habuiſſe porro ſimul et Petrum Daneſium et Ferrerium ipſum, et Joannem Vincentium Laureum, et Dionyſium Lambinum, et M. Ant. Muretum. Luſtratum in civitate majus templum;

[2] ipſam cingentibus, operae fervebant. Heic et luſtratum S. Orentii templum: id haud infimae vetuſtatis, quamvis opimis vectigalibus dotatum coenobium, ruinis imminentibus deforme, ad Cluniacenſem metropolim pertinet: in eoque juvit ſpectare altaria, nempe ipſa martyrum ſepulchra, ad quae Chriſtiani coetus olim celebrari ſolebant, non in menſae ſpeciem plana, ſed dorſi gibbo aſſurgentia,

[3] nomen refert. Inde per Caumontium, Sammatanam,

[4] deambulationibus, heri potius ingenio quam loci natura aut cultu jucundis: nam in eo et

[5] argumento ipſo illectus; etenim venationibus omnis generis impenſe delectabatur, et eam novitiam nondum —— exiſtimabat.

laudataque Thuani pietate, ut pergeret, et tertiam de medicina accipitrum, quam titulus pollicebatur, partem abſolveret, hortatus eſt. Renovata interim vetus Fabrorum Toloſanorum cum parente Thuani neceſſitudo, cum illi, non ſolum Toloſae ſed toto regno exagitati, exiguum in aula, nullum in ſenatu, praeſidium reperirent; invaleſcente pridem inter noſtros prava conſuetudine, ut amicitias ſola utilitate metirentur, et quas ſibi fore detrimentoſas putarent, eas, nulla honeſti habita ratione, aut oblatas turpiter vitarent, aut contractas perfide desererent: enimvero unus repertus eſt praeſes Thuanus, qui innocentiae ſuae fiducia alios innocenter periclitanteis tutari auſus eſt, et ſummam animi praeſentiam in ſuſcipienda eorum cauſa, nec minorem in tuenda conſtantiam, ad extremum uſque ſervavit. Haec recto vultu a Vido cum jactari videret Pithoeus, qui Thuani generoſam probitatem et prudentem ſimplicitatem apprime ſuſpiciebat, immane quantum laetabatur; et Jacobus Aug. Thuanus ad patris laudes etſi verecundia aliqua tangebatur, tamen non poterat non magnopere in ſinu gaudere, quod eas a viro laudato proficiſci intelligeret. Angebat tunc Vidum, quod ei cum Margarita Navarri uxore, cujus ſigillorum procurationem adminiſtrabat, intervenerat friguſculum; et ad amarulentas ejus literas, quibus illi inter alia propenſiorem in amores, quos ad ipſam uſque porrigere voluerat, animum exprobrabat, reſponſionem meditabatur: quam cum adoleſcente Thuano, apud quem [1] majore excuſationis ſpe haec dici poterant, pomeridiana deambulatione communicavit, ſeorſim a Pithoeo, quem ejus rei conſcium facere ſuppudebat. Memoriter loquebatur, ſed adeo accuratis verbis, tantaque contentione et affectus vehementia, ut Margaritae exprobrationi fidem aſtrueret. Eam reſponſionem, ſumma arte et ornatu ſcriptam, mox ad illam miſit; quae poſtea per hominum manus volitavit. Erat in eo viro incorrupta probitas, verus pietatis et de republica ſenſus, generoſus et ad magna natus animus, ab omni avaritia alienus, morum comitas, et oris ſpecies ac totius corporis geſtus ad elegantiam compoſitus, mitis facundia; ad haec a pueritia ingenium puriore literatura ſub Petro [a] Bunello, et poſtea juris antiqui ſcientia ſub Jacobo Cujacio, non modo excultum ſed plane ſubactum, ſed quod ſegnitie et deſidia plerumque torpeſcebat; ut nihil merito in illo deſiderares praeter excitatiorem et minus obnoxium animum. Cum puriſſime ſcriberet Latine, poeticam facultatem exercuerat patria lingua, noſtri Ronſardi aemulatione; meruitque ut a quo, ſicuti et ante eum Ronſardus, aculeate petitus fuerat, odio in amorem, quod inter virtutis via graſſanteis fieri amat, verſo, deinceps ab eodem ſumma obſervantia coleretur; exteriſque gentibus, ubicunque literae vigent, commendaretur; [b] quaternionibus vernaculis Graece Latineque tanta elegantia redditis, ut qui vulgo apud nos puerorum ingeniis domi formandis uſurpantur verſus, iiſdem in ſchola in utramque [2] linguam erudiendis, haud ſine fraude diſcentium, in poſterum adhiberi poſſint. Addam, ut nihil magni viri elogio deſit, Fabrorum gentem Toloſae praenobilem Auſciis oriundam, et jam Caroli VII et Ludovici XI temporibus ſumme celebrem fuiſſe; ſub quibus Gratianus, Toloſani ſenatus praeſes, in magno regis concilio, quod eſt hodie arcanum principis conſiſtorium, magna integritatis et ſolertiae laude praecipuum locum tenuerit.

A tanto hoſpite humaniſſime dimiſſi Thuanus et Pithoeus, ubi [c] Legavinum tranſierunt, in latiſſima planitie Toloſam eminus conſpicati ſunt, toto regno, ſi Lutetiam excipias, ampliſſimam; ſi multitudinem et pulchritudinem ſacrarum aedium, ſenatus poſt Pariſienſem primarii dignitatem, ſcholarum frequentiam, civium opes, et aedificiorum

INTERPR. [a] *Bunel.* [b] *les Quatrains de Pibrac.* [c] *Leguevi petit village.*

NOT. [1] majore cum excuſationis ſpe haec dici poſſe ſibi perſuaſerat, pomeridiana deambulatione ſeorſim a Pithoeo communicavit. Memoriter loquebatur, ſed accuratis adeo verbis,

[2] linguam erudiendis in poſterum adhiberi poſſunt.

aedificiorum ſplendorem ſpectes, aut parem aut paulo inferiorem; ut non minus quam olim Palladiae nomine hodie gloriari et poſſit et debeat. In ea luſtranda aliquot dies conſumpti, quorum magnam partem cum Franciſco Roaldeſio juriſconſulto Pithoeus exegit; quem et praelegentem Valentiae Segalaunorum audiverat Thuanus, et tunc officioſe inviſebat, ab eoque multa de Aquitaniae et Septimaniae urbibus, fluviis, locis, ſcitu digniſſima didicit. Per templa, baſilicas, loca publica, deduxit eos archidiaconus [a] Galandus, Fabrorum familiaris et quaſi domeſticus, homo feſtivus, nec literarum ignarus, rei herbariae inprimis peritus. Capitolium etiam juvit inſpicere, et judicum urbanorum in eo famoſiſſimum tribunal, et praecipui cultus [b] Iſauram virginem, quae poeticae ante CC annos certamen inſtituit, et victori praemia poſuit. Ab eodem Galando et [c] Sanjorium deducti ſunt; ubi per juſtitium ruſticantem, ſeu potius literis, quantum per valetudinem licebat, vacantem, Petrum Fabrum praeſidem Toloſanum offenderunt, Vidi patruelem; in quo major diligentia et aſſiduum magis ſtudium, quod ſcripta ab eo [1] edita evincunt, et in iis commentarius in juris regulas praeceptori ſuo Jacobo Cujacio dicatus; diſpar Vido ingenium, et foro magis quam negotiis in aula gerendis aptum; de cetero, par pietas et probitas, nec minor morum comitas. Cum Pithoeo, quem jam pridem in juris ſcholis cognoverat, multus illi de literis communibus ſermo. Aderat uxor, forma et moribus lectiſſima foemina, Franciſci [d] Riuſii [e] Narbonae praefecti ſoror, aeque de viri valetudine ac hoſpitum commodis ſolicita; quae nullo non genere humanitatis homines marito acceptos et ipſa accepit, et per triduum abiturientes detinuit.

Hinc Thuanus et Pithoeus [f] Montalbanum petierunt, ubi Cl. [g] Grangaçum et R. Conſtantinum viderunt; et tandem iter diviſerunt. Pithoeus Aginnum reverſus eſt, Thuanus Toloſam repetiit, ut inde in Septimaniam deſcenderet; et poſtridie quam illuc venit, in viam ſe dedit, non ſalutato Jo. Stephano Durantio primario praeſide, quod ille ſummopere expetebat: et ſane praetermiſſi officii ſemper poſtea Thuanum poenituit; ſed, quia primo appulſu cum Pithoeo id jam omiſerat, ob aliquas cauſas, quae novae claſſis dignitatem reſpiciebant, non aequum putavit, quod praeſente illo non fecerat, per ejus abſentiam ſupplere. Per Monteſquium ad [h] Caſtrum Arrii prima die hoſpitium ſumptum; ac biduo poſt Carcaſſonem venit ad [i] Atacem ſitam, qui ſuperiorem, in qua majus templum atque adeo epiſcopi ſedes et arx, et inferiorem urbem, in qua jus dicitur, ſpatioſa admodum planitie media, in qua olim utrinque populoſa ſuburbia erant, interſecat. Habebat a Vido literas commendatitias ad praetorem urbis, [k] judicem majorem vulgo vocant. Is erat Raimundus [l] Rufus, qui contra Carolum [m] Molinaeum in cauſa edicti anni CIƆ IƆ LII, pro pontificis maximi auctoritate ſcripſit, homo priſcae gravitatis, quam grandi corpore et oris ſpecie referebat; primumque tirocinium in Pariſienſi foro fecerat; et [2] de Chriſtophoro Thuano, quem in eo cognoverat, Thuanum multa percontatus eſt, et per omnia officioſe deduxit. Luſtrata arx, in qua veteris militiae, nunc poſt ſcloppetorum uſum obſoleta, inſtrumenta viſuntur, et praeterea complures Hebraicis literis manuſcripti codices, illuc, ut vero ſit ſimile, congeſti, cum Judaei toto regno atque illis locis exterminati ſunt; multa item in Albigeorum cauſa judicia lata, et acta, ac confectae tunc adverſus eos probationes.

Carcassone Narbonam venit, ubi et ad [n] Baliſtam civitatis ſyndicum commendatitias a Vido literas itidem habebat, qui inſcriptiones illis locis crebras diligenter collegerat, et paſſim in propugnaculis laceras et diſperſas, per ſingula Thuanum ducens,

INTERPR. [a] *Galand.* [b] *la Statuë de marbre de Clémence Iſaure qui eſt dans la maiſon de Ville.* [c] *St. Jori.* [d] *de Rieux.* [e] *Narbonne.* [f] *Montauban.* [g] *Granger.* [h] *Caſtelnaudari.* [i] *Aude r.* [k] *Juge Mage.* [l] *le Roux.* [m] *Du Moulin.* [n] *Baliſte.*

NOT. [1] edita evincunt, et commentarius Jacobum ad urbis notabilia quaeque officioſe de- [2] de Chriſtophoro Thuano multa percontatus, duxit.

ducens, oſtendebat: tum eum ad inſignem illam aram pro valvis majoris templi poſitam duxit, quae ab Elia Vineto ſeorſim edita eſt, et in magno inſcriptionum volumine, primum a Smetio, et poſtremo a Jano Grutero, cum aliis comprehenſa eſt. Multa in ea civitate antiquitatis monumenta, ut quae Galliae partem citra Alpeis ad [a] Lugdunum ac Viennam de ſuo nomine appellatam conſtitueret, eaque Provinciam et Septimaniam, et in illa Volcas et Tectoſages, [1] complecteretur. Gul. [b] Jouſam Septimaniae ſub Momorantio legatum, quique in ea fere manebat, honorifice ſalutavit; cum eoque et uxore ac numeroſa familia ſacrum in majore urbis templo audivit, ad ſacellum, in quo admirandi operis tabula a Michaële Angelo Bonarota deſignata, et a [c] Sebaſtiano Plombinenſi depicta, Lazari a morte ſuſcitati hiſtoriam referens, ſpectatur, Hippolyti Medicei cardinalis donum; quod in memoriam revocavit famoſam illud a Georgio Vaſario Arretino memoratum certamen inter nobiliſſimos [2] hujus aevi pictores Michaëlem Angelum ipſum et Raphaëlem Urbinatem, et poſitum a munificentiſſimo illo praeſule utrique praemium, quod morte ejus indeciſum fuit relictum; altera Michaëlis, quae prior abſoluta fuerat, huc, ſuperſtite adhuc Hippolyto, tranſlata; altera, quae aſcenſionem Domini repraeſentat, mortuo eo Romae, ubi certamen inſtitutum fuerat, ad S. [d] Petrum in Montorio dedicata. [3] In choro medio [e] Philippi B. Ludovici filii, et [f] Philippi Pulchri parentis, corpus cum effigie marmorea viſitur; [4] qui, ex ambiguo illo proelio ad [g] Genuam in Ruſcinonenſi principatu commiſſo, in quo Petrus Aragonius caeſus eſt, rediens, [h] Perpiniani anno CIↃ CC XXCV deceſſit, et Narbonam proximam inde tranſlatum eſt. Jouſa ad prandium invitaverat Thuanum; verum ille ſe excuſavit, partim quod non tanta cum illo familiaritate uteretur, partim quod veregetur, ne, ſi id maligna delatione reſciſceret Momorantius, apud eum ſuſpectus accederet, ad quem integer venire cupiebat.

IGITUR per lucum [5] tamariſcis conſitum et latronibus infamem, unde loco nomen, cujus ratione [i] Biterras tamariſciferas in * hieracoſophio vocavit, ad civitatem venit, in qua erat Momorantius; ab eoque humaniſſime acceptus fuit: et, poſt honeſtatis verba et egregiam erga Chriſtophorum totamque familiam ejus teſtatam voluntatem, ſtatim de Salſeda injecta mentio; de cujus confeſſionibus certiora ille cognoverat per Mathurinum [k] Carterium nuper e Belgio profectum. Heic Thuanus iiſdem, quibus a Matignono inſtructus fuerat, rationibus confeſſiones illas exagitare; [6] Momorantium contra initio pertendere, non vana eſſe quae jactabantur: ſed, ubi Thuanum vidit pertinacius contra diſputantem, ſuſtinuit impetum, tantumque ſubjecit, ſe per hominem rei gnarum poſtridie cum eo acturum. Itaque, cum apud epiſcopum Thuanus coenaſſet, et mane condicta hora epiſcopus eum ad majus templum duxiſſet, amboque ſupra tectum lapide conſtratum conſcendiſſent, unde pulcherrimus et gratiſſimus in omnem undique viciniam proſpectus, Momorantius ocreatus ſubito comparuit cum Carterio; [7] ſeductoque Thuano, En hominem, inquit, per quem tecum de Salſeda acturum heri me [8] receperam: illum audi, qui parentem tuum Lutetiae in tranſitu convenit; et, poſtquam ſub veſperam rediero, de re omni plenius loquemur. Medio inter Biterras et Narbonam itinere locus condictus erat,

ad

INTERPR. [a] *Lion, & Vienne.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *Fra Sebaſtian del Piombo.* [d] *San Pietro in Montorio.* [e] *Philippe le Hardi.* [f] *Philippe le Bel.* [g] *Genes en Rouſſillon.* [h] *Perpignan.* [i] *Beziers.* [k] *Chartier.*

NOT. [1] complecteretur. Illic Jacobus Auguſtus Gul. Jouſam —— legatum ſalutavit; cum

[2] hujus aevi pictores ipſum Mich. Angelum et Raphaëlem

[3] In illius templi Narbonenſis choro medio

[4] qui ex ambiguo proelio ad Genuam

[5] tamariſcis conſitum Biterras venit, ubi a Momorantio humaniſſime acceptus fuit: ſtatimque de Salſeda injecta mentio;

[6] Momorantium contra pertendere, non vana

[7] ſeductoque Thuano, Ecce illum, inquit, per

[8] receperam: audi hominem, qui parentem tuum Lutetiae in tranſitu convenit; et ſub veſperam de re omni plenius diſſeremus. Medio inter

* *in poſtrema ſcilicet editione, ad calcem libri cui titulus* Rei accipitrariae ſcriptores *Lutetiae* 1612 *in* 4to *a Nic. Rigaltio adjecta: priores enim editiones hoc epithetum* tamariſciferas *non habent.*

ad quem Annas Gulielmi filius et ipſe Momorantius de rebus ſuis capita conferrent. Is, cum Lugdunum uſque regem proſecutus eſſet, petita venia ad patrem inviſendum Rhodano ſecundo deſcenderat; et, monito prius [1] Momorantio, per mare, vitato terreſtri itinere, Narbonam, eodem die quo Thuanus hinc diſceſſerat, navibus appulerat. Interea Carterius, ſecedente epiſcopo, cum Thuano loquitur, et quid Antuerpiae actum ſit oſtendit. Addit indicia et conjecturas, quibus inductus Arauſionenſis Salſedam et [a] Egmondanum ſimul capi curaſſet; Salſedae ſecreta cum [b] Parmenſi colloquia; comitem illi ab eo datum, qui, dum ducitur, ſibi manus attulerit; et, ut haec omnia procul a calumnia abeſſe confirmaret, jam Salſedam Bellevreo traditum, et ad regem deductum; quod non faceret Andinus, nec ii quorum conſilio utitur fieri paterentur, ſi per calumniam haec eſſent commenti. Tum multa inter eos hinc inde per altercationes tranſacta; et ad validiſſimum Thuani contra delationes illas ſive confeſſiones argumentum, quod nimirum Salſeda in conjuratione tam deteſtanda complures amplexus eſſet, quorum innocentia et fides perſpecta aliarum criminationum fidem labare faceret, Carterius reſpondebat, fieri poſſe, ut aut Salſeda ipſe ſibi metuens, et periclitanti praeſidium quaerens, illos calumnioſe nominaverit, aut qui illum ad facinus audendum induxerunt, quo majores animos facerent, plures, quam re vera eſſent, conſpirationi nomen dediſſe perſuaſerint: ceterum parentem ipſius, quem Lutetiae clam Andini juſſu viderit, ita ſentire, praecipitandum non eſſe judicium, et diutino carcere rem potius maturandam, quam ſupplicii intempeſtivi gravitate exacerbandam. Ita pro tempore diſceſſerunt. Sub veſperam rediit a colloquio Momorantius; et, vocato Thuano, ac ſermonibus, quos cum Jouſa habuiſſet, expoſitis, omni benevolentiae mutuae, ſive ſincerae ſeu fucatae, ut inter proxima cognatione conjunctos, ſignificatione plenis, ad Salſedam relabitur, et ecquid, poſt auditum Carterium, de re tota ipſi videretur, rogat. Cum perſtaret Thuanus, neque tamen [2] ita obſtinate, ut prius, pugnare videretur, Tempus optimus magiſter, inquit, nos cetera docebit: ſane ad regis prudentiam pertinet, et eorum qui circa ipſum [3] ſunt, ne in re tanti momenti oculos potius clauſiſſe quam aperuiſſe dici poſſint. Quibus dictis cum in cubiculum pergeret, commeatum ab eo petens Thuanus per [c] Pezenacum juſſus eſt iter facere, ubi Momorantii uxor erat, addito viae comite ipſo Carterio.

DUM poſtridie una iter facerent, res ſub crepuſculum incidit, quae infelicem exitum, qualem poſtea habuit, Carterio portendit. Per callem anguſtum et inter praeruptas crepidines depreſſum [4] praeceſſerat ille; ſequebatur Thuanus: tum ruſticus armatus, ut ſunt fere illis locis, ex crepidine tranſeuntem rogat, an is Carterius eſſet qui praecedebat; et quaerenti cur id rogaret, ſubito a ruſtico reſponſum, laetari ſe, ſi is eſſet, nam famam ſub id percrebuiſſe ipſum ſuſpendio necatum. Tum Thuanus alta voce revocatum Carterium ſiſtit, et quid a ruſtico, qui interim diffugerat, intellexerit, refert; monetque tam mali augurii ſit memor, et in rebus gerendis cautior in poſterum ſibi conſulat. Verum ille, ut erat ſecurus omnium rerum atque adeo magnus periculorum contemptor, alto cachinno monentem excepit; et, poſtquam in hoſpitium venit, de [d] Bellogardio, cui negotiis aeque periculoſis operam navaverat, et conſilijs ejus ultimis, de morte item, quam dignam anteacta vita ſortitus eſt, multa

INTERPR. [a] *le comte d'Egmond.* [b] *le prince de Parme.* [c] *Pezenas.* [d] *le mareſchal de Bellegarde.*

NOT. [1] Momorantio, Narbonam eodem die, quo

[2] ita obſtinate pugnare videretur, Tempus, inquit, optimus magiſter nos

[3] ſunt, ne rem tanti momenti neglexiſſe videantur. Quibus dictis, Thuanum diſcedentem comiter amplexus hoc etiam rogavit, ut per Pezenacum iter faceret: illic degebat Momorantii uxor; datuſque viae comes ipſe Carterius. Dum poſtridie

[4] praeceſſerat; ſequebatur Thuanus:

multa cum riſu et ſecuritate [1] eadem narravit: quae heic omittere, quia offenſioni cauſam praebere poſſent, publica e re et ſuorum dignitate viſum eſt. Sic autem ipſe de ſe jactabat: [a] Dolenſi ſe civitate in Armorica ortum, propter mores a patre et patria profugum, navem forte nactum adhuc puerum conſcendiſſe, et Burdigalam appuliſſe, a ſacri collegii ſodali primum ob vernilitatem in familiam aſcitum; dein, cum Latine utcunque ſciret, artem notariam in curia eccleſiaſtica didiciſſe et exercuiſſe: tum jam vegetum adoleſcentem ſcorti, quod herus ſenex alebat, ſtupri conſuetudine gratiam [2] ſibi conciliaſſe, et per eam heri communis ingenium moderari coepiſſe, ac tandem in bona morientis involaſſe; ac heredum in jure perſecutionem veritum, Toloſam primum, deinde in inferiorem Septimaniam, migraſſe, et ſe in epiſcopi [b] Aletenſis ex illuſtri Jouſarum gente familiam inſinuaſſe, et notariam ſuam feciſſe; tumque ob viciniam [c] praefecturae Saltuenſis in Pyrenaeo cum reliquiarum [d] Vandalicarum ſodalibus ſocietatem iniiſſe, atque adeo cum duce illorum, et filiam ejus in uxorem accepiſſe; et per turbas, quae illa provincia frequentes ſemper fuerunt, indigenis, cum ſe ubique interponeret, innotuiſſe, adeo ut in ea natus, adultus, inſtitutus crederetur: poſtea Momorantio ab epiſtolis fuiſſe, et, poſt foedus cum Proteſtantibus initum et mox abruptum, ad Bellogardium tranſiiſſe; quo mortuo, Andino operam ſuam addixiſſe. Haec viae comitibus, dum per noctem a culicibus infeſtati vigilarent, tanquam pulchra facinora narrabat, interſertis plerumque fabellis Apuleianae Metamorphoſi non abſimilibus; quae hominis hinc ſubleſtam fidem, hinc ſtupendum ejus ingenium, audientibus patefaciebant.

[e] PEZENACI Thuanus Momorantii uxorem in arce ſalutavit, a qua perhumaniter [3] exceptus eſt; et inde, relicto Pezenaci Carterio, Monpelium venit, ubi tunc Condaeus erat, ut quod ſupererat donationis propter nuptias a rege factae, a loci illius coactoribus reciperet; et tunc forte cum Franc. [f] Colinio Caſtellionaeo urbis praefecto extra pomoerium ſpatiabatur: qui, ubi eminus Thuanum vidit ex equo, ut ipſum ſalutaret, deſcendentem, properantemque, ultro obviam profectus humaniſſime excepit, ſuperioris anni [4] colloquiorum cum eo habitorum memor, et ad prandium in aedes [g] Fizanas ſecum duxit. Ibi injecta de nimia jam tum deteſtabilium duellorum frequentia mentione, cum Iſaacus [h] Valdraeus Moius, qui cum aliis e nobilitate aderat, ea decoris tuendi, cui vitam vere nobilis animus poſthabere teneatur, neceſſitate excuſaret; Condaeus ſumma et tanto faſtigio digna gravitate interfatur, et magno errore homines in eo decus et veram gloriam reponere dixit, quod gloriae Dei, ad quam omnia conſilia noſtra et actiones dirigere debemus, et mandatis ejus, in quorum obſervatione vita aeterna conſiſtit, adverſaretur; nec niſi pro patria, juſſu principis, aut inculpata corporis tutela, cuiquam gladium ſtringere fas eſſe [5] pronunciavit: converſaque ad paſtorem, qui poſt ſedile ſtabat, facie, quo majorem ſententiae ſuae fidem adſtrueret, ab eo coram quaeſivit, an ſalva conſcientia privatis injuriis ulciſcendis liceret ad certamen venire; et, cum ille non licere, nec niſi cum certo damnationis aeternae diſcrimine id fieri, reſpondiſſet, Hoc jam conſtanter, inquit, tenete, et auctore me, qui pro decore veſtro et gloria ultro me ſponſorem et praedem offero, illas de decore et gloria erroneas opiniones ex animis

veſtris

INTERPR. [a] *Dol en Bretagne.* [b] *d'Aleth.* [c] *des Montagnes de Sault.* [d] *les Bandouliers des Pyrenées.* [e] *Pezenas.* [f] *de Coligni Sr. de Chaſtillon.* [g] *l'hôtel de Fizes.* [h] *de Vauldray Sr. de Mouy.*

NOT. [1] eadem narravit. Sic autem ipſe de ſe jactabat: Dola ſe civitate in Armorica

[2] ſibi conciliaſſe; dein heri communis ingenium moderari

[3] exceptus eſt; et inde Monpelium, relicto Carterio, venit. Illic agebat Condaeus, ut quod ſupererat

[4] colloquiorum memor, et ad prandium

[5] pronunciavit: converſuſque ad paſtorem, qui poſt ſedile ſtabat, quo majorem ſententiae

veſtris in poſterum delete. Quibus dictis cuncti ſurrexere. Tum, poſt alios de republica in arcano ſermones habitos, et Salſedae, ſed minore quam antea contentione, diſcuſſas confeſſiones, Thuanus ſalutato hoſpite diſceſſit; et, mulo pulcherrimo egregie inſtrato ab eo donatus, per ſtagnum ſubjectum [a] Aquas-mortuas delatus eſt, locum olim [1] portu celebrem, et ex quo, cum ad bellum ſacrum principes noſtri proficiſcebantur, fere ſolvebant, nunc prorſus [2] oblimato et inutili. In oppido [b] Conſtantina turris antiqui operis viſitur, quae praeſidio ſervatur, ex qua olim circumnavigantibus ignis ſpeculatorius accendebatur.

INDE reflexo itinere, relictis ad dextram [c] Pecaienſibus ſalinis et [3] Campo Marii vulgo dicto, qui praepingui ſolo commendatur, et foſſa [d] Mariana ac Rhodano includitur, [e] Nemauſum ventum in Volcis Arecomicis, a fonte cognomine, qui et adhuc ante urbem magno ſtrepitu ſcaturit, Auſonio dictum; qui, amphitheatro et immanibus aevi priſci ruinis, quam aliae urbes novitiorum aedificiorum pulchritudine, illuſtrior, ſupercilioſa vetuſtate recentem illarum ornatum deſpicit, et dignitatem priſtinam ſervat. Antoninorum beneficio in tantam amplitudinem crevit; quorum unus et alter in ea natus, ut Narbonae Carinus. In proximo delubrum ſpectatur tempore obſidionis a civibus ſemidirutum, cujus qui remanet fornix dimidius integri operis auget deſiderium. Accedit ad tantam magnitudinem [f] pons triplex arcuato opere, Gardoni haud hinc longe inter montes juxta [g] Privati-fanum impoſitus ad ducendam aquam, qui poſt tot ſaecula non ſine ſpectantium ſtupore adhuc integer cernitur.

INDE per [h] Aramontium et Monfrenium, relicto ad dextram [i] Belloquadro, Villam-novam in citeriore ripa atque adeo in terra regia itum, locum Carthuſianorum coenobio et vici ruderibus, ex quibus inſignia cardinalium tantum hodie remanent, nobilem. Hic pons adhuc ditionis regiae tranſmittitur, qui non rectus, ſicut ſuperior ad [k] Spiritus-fanum, ſed multis [4] ſinibus ſerpens propter fluminis violentiam et vim ventorum, ita commodior repertus eſt.

TUM [l] Avenio aſſurgit [m] Cavarum caput, nam Valentia non ad Cavares, ut doctiſſimus Cujacius exiſtimavit, ſed ad [n] Segalaunos pertinet, moenium ſtructura et palatii rupi affixi mole cum quibuſvis orbis Chriſtiani urbibus comparanda civitas; quo a Clemente V ſedes pontificia anno CIↃCCCVI tranſlata eſt, imperii Philippi Pulchri XXI: in eaque pontifices ſederunt uſque ad Benedicti XI tempora, qui, anno CIↃCCCLXXVII inde ſolvens, ad urbem Romam XVI Kal. Febr. applicuit. Heic Thuanus Georgium Armeniacum cardinalem, qui per Caroli Borbonii ſenioris abſentiam legati munere fungebatur, ſalutavit, jam octogenarium, et de proroganda vita admodum ſolicitum, de cetero humanum et erga hoſpites benignum; apud quem et prandium ſumpſit. Mox a prandio, nam ad lectum inde ſtatim cardinalis tranſibat, petito commeatu diſceſſit, et ad Henricum [o] Engoliſmenſem Provinciae praeſidem, qui tunc in urbe erat, divertit, et cum eo de Salſedae rebus multum diuque [5] locutus eſt; Henricuſque in id propendere viſus, non omnia omnino vana

INTERPR. [a] *Aigues-mortes.* [b] *Tour de Conſtance.* [c] *Salines de Pecais, & la Camargue.* [d] *le canal d'Aigues-mortes,* vulgo *la Robine.* [e] *Niſmes.* [f] *le pont du Gard.* [g] *St. Privat.* [h] *Remolin, & Monfrein.* [i] *Beaucaire, & Villeneuve.* [k] *pont St. Eſprit.* [l] *Avignon.* [m] *du Comtat.* [n] *au Dauphiné.* [o] *d'Angouleſme.*

NOT. [1] portu celebrem, ex quo cum ad

[2] oblimato et inutili. Illic oppidum et Conſtantina turris antiqui operis viſitur, praeſidio ſervata, ex qua

[3] Campo Marii, ſolo intra foſſam Marianam et Rhodanum praepingui, Nemauſum ventum in Volcis Arecomicis, urbem a fonte proximo, qui et adhuc magno ſtrepitu ſcaturit, cognominatam, amphitheatro et immanibus aevi priſci ruinis clariorem multo quam aliae urbes recentium aedificiorum pulchritudine; adeo ſuperciolioſa vetuſtate recentem

[4] ſinibus ſerpens ob fluminis et ventorum violentiam. Tum Avenio aſſurgit Cavarum caput, moenium ſtructura et palatii

[5] locutus eſt, jam antea ſic perſuaſo, ut quae Salſeda confeſſus fuerat, non omnino vana eſſe crederet, quamvis is quibuſdam nonnihil

vana eſſe quae Salſeda confeſſus fuerat, quamvis in quibuſdam nonnihil variaſſe diceretur.

Avenione per [a] Taraſconem, cui in altera ripa Belloquadrum reſpondet, ſecundo fluvio ventum, et inde [b] Arelatum; ubi archiepiſcopalis ſedes, quo tempore inſtituta incertum, Trophimi ſive illius qui a B. Paulo commemoratur, ſive [1] alterius poſterioris cognominis, nomine conſecrata, imperatoriae dignitatis veſtigia adhuc ſervat; quae, quo brevior fuit, eo minores ſui reliquias fecit. Pontis tamen, qui duplicem urbem jungebat, adhuc pilae quaedam in [c] Rhodano ſuperant; ſed nihil prorſus alterius urbis, quae in citeriore ripa erat: ampliſſimi amphitheatri rudera et ſepulchra paſſim jacentia magnitudinem ejus etiam hodie teſtantur; et nunc nobilitate praecipua, quod in aliis Galliae noſtrae provinciis non uſu venit, inquilina gaudet, et majora vectigalia publica, [2] quam ulla alia regni civitas, poſſidet. Arelatum, loco paludoſo ſitum qua flumen reſpicit, ad auſtrum et ortum [d] ſaxoſus campus excipit, antiquis memoratus; qui derivato ex [e] Druentia canali, nonnihil coepit miteſcere, et, qua parte colitur, inter ſaxa illa optimum et puriſſimum frumentum producit.

Hinc, [f] Celone caſtello, in quo Engoliſmenſis praecipuum domicilium habebat, ad dextram relicto, [g] Sanchamatium itum, in [h] ſtagni Martegiani ſalinis nobilis capite ſitum, et crypta in ſaxo excavata ſuſpiciendum: quo rurſus ad dextram relicto, per arcus antiquos, qui in itinere viſuntur, [i] Maſſiliam tandem perventum eſt, urbem vel nomine ſolo celeberrimam, ſed hodie prorſus novam, et alio loco, quam olim, ut putatur, quanquam non ita longe ab eo, poſitam; nam priſtinae antiquitatis ſuae nulla dum reſtant veſtigia. Corſi et alii ex proximis ditionibus, ut opibus abundant, illuc, tanquam in tutum et libertate gaudentem locum, ſub Francici nominis patrocinio, confugiunt; eoque ad libertates tuendas ſimul incitatiores, quod eas, propter quas patriam et avitas ſedeis reliquerunt, in bonis numerent, et iis ademptis bona ſua ſibi eripi arbitrentur: itaque acerrimi vindices et plerumque per ſeditiones eas tuentur. Ad [k] Iphiam arcem, quae ante portum et quaſi ad eum ſervandum in mari ſaxo praerupto impoſita eſt, prandium a praefecto humaniſſime praebitum: poſtea in urbem reditum, quae alteram arcem in portum deſpicientem habet, a [l] Mariae fano dictam et pro ſpecula poſitam, haud longe a [m] S. Victoris opimo coenobio.

Post bidui moram luſtrandae urbi inſumptam, ad [n] Aquas Sextias itum; ubi a Jo. [o] Moncalio ſenatus praeſide homine humaniſſimo, et quem Thuanus, cum rei ſalinariae per eas provincias ante decennium ſimul cum Carolo [p] Lamonio praepoſitus eſſet, familiariter cognoverat, per omneis baſilicas, et inprimis palatium in quo ſenatus habetur, ac reliqua urbis templa, publicas aedeis, et armamentarium, deductus eſt. Aquas etiam ſeu balnea, a quibus [3] urbi nomen, quibus provinciales utuntur, ſoliis egregie inſtructa, eodem die luſtravit: et inde per [q] Cavalionem venit [r] Arauſionem, venerandae antiquitatis [4] monumentis inſignem urbem. Exeuntem juvit ſpectare ingentia illa trophaea extra urbem quae Mariana vulgo indigitantur, contra temporis injurias priſtinam adhuc ſervantia majeſtatem.

Paulum progreſſis ad Provinciae limitem venientibus [s] Delphinatus ſuccedit; cujus primum ab illa parte fluminis oram legentibus [t] Montelium Adelimari occurrit, ultimis

INTERPR. [a] *Taraſcon.* [b] *Arles.* [c] *le Rhoſne.* [d] *la Crau d'Arles.* [e] *la Durance.* [f] *Celon en Provence.* [g] *St. Chamat.* [h] *l'eſtang de Martigues.* [i] *Marſeille.* [k] *chaſteau d'Iff.* [l] *Noſtre Dame de la Garde.* [m] *St. Victor.* [n] *Aix.* [o] *de Montcaly.* [p] *Lamoignon.* [q] *Cavaillon.* [r] *Orange.* [s] *Dauphiné.* [t] *Montelimart.*

NOT. [1] alterius poſterioris nomine conſecrata,
[2] quam ulla alia toto regno civitas, poſſidet.
[3] urbi nomen, ſoliis egregie inſtructa,
[4] monumentis inſignem. Excurrentem juvit ſpectare

ultimis bellis famoſum [α] oppidum: in quo coenatum, ſuperveniente ad coenam M. [a] Colaſio loci ſeneſcallo; is eſt praefectus juridicus togatus, ne quis ſeneſcalli in aliis locis digniore nomine decipiatur. Cum eo interceſſerat Thuano non tam amicitia quam notitia, cum uterque Valentiae ſub Cujacio juris ſcientiae operam daret; ubi ille ut indigena Rectoris, ſic juventutis principem vocant, munere fungens, adoleſcentem quendam Aeduum ſub id, cum Thuanus hinc diſceſſerat, per noctis tenebras ante decennium perfidioſe interfeciſſe dicebatur; ob idque poſtulatus et in carcerem conjectus, vix tandem gratia, et partium, quae aberant, negligentia, ſe periculo extricaverat. Is igitur ad Thuanum ſalutandum togatus cum veniſſet, cum eo coenavit, et vagos ſermones de republica habuit, multa de [b] Meduanio mentione facta; cui, cum nuper in ea provincia res gereret, ſuam operam addixerat. Erat homo dicendi potens ac fiduciae plenus, et ad audendum promptus; et jam tum ſupra conditionem res meditari videbatur: alioqui et coenae et hominis facile praeterita fuiſſet mentio, niſi is eſſet, qui per bella, quae paulo poſt ſecuta ſunt, ſe magnis rebus ſi non parem omnino praebuit, at potenter immiſcuit, et Meduanio, cujus favore ſublevatus fuerat, poſtremo formidabilis eſſe coepit; ſicuti in Hiſtoriarum libris plenius memoratur.

Postridie Colaſius, cum rurſus in hoſpitium veniſſet, Thuanum per oppidum eadem [1] comitate deduxit, et inde ad locum uſque, haud hinc longe, quo Rhodanus pontone tranſitur. Ibi poſt amplexus mutuos ſuperato flumine, in montes aſperos in citeriore ripa aſſurgenteis [2] enititur Thuanus; et primo die [c] Albenacum venit, [d] Monlaurii marchionum primarium oppidum. Inde, per impedita maxime [β] itinera triduo exacto, longe deſcendentibus apparet [e] Anicium ſeu Podium Velaunorum vulgo dictum, interjecta [3] planitie, in qua [f] Liger haud longe a fontibus ſuis inter viridanteis utrinque ripas aliquoties per horam vadatur. Ex adverſo urbis ſaxum in prato aſſurgit undique praeruptum conica ſpecie, quod gradibus in petra inciſis aditur, et in ſummo faſtigio ſacellum habet S. Michaëlis archangeli nomine inſignitum; aemulatione, credo, illius ampli coenobii ac templi in periculo maris poſiti, quod, trium leucarum ſpatio aeſtu maris interpoſito, [g] Avrincas reſpicit; de [4] quo ſupra plura diximus. Urbs ab imo in altum paulatim quoque aſſurgit, pro ratione loci populoſa, et ad templum uſque ad altare majus per gradus itur, quod muro antiqui operis cum epiſcopi aedibus conjungitur; in quo adorandi Christi duae priores literae Graecae, ſicuti ad S. Orentii [h] Auguſtae Auſciorum diximus, adhuc integrae leguntur. A praeſule, is erat [i] Nectarius Senetarius, peramanter exceptus Thuanus, etiam bibliothecam antiquis bonae notae libris manuſcriptis refertam luſtravit.

Inde per oppoſitos montes in Arvernos tranſitum, et ad [k] Langeacum provinciae planae ac campeſtris, vulgo Limaniae vocatae, initium deventum; et inde [l] Claromontium, quod caput gentis propterea olim Arvernum dicebatur: protinuſque ad Achillem Harlaeum ſororium ſalutandum perrexit Thuanus; a quo pro

VAR. LECT. [α] oppidum, ſicuti amplius in Annalibus licebit videre: in quo *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] itinera, et fere equis, qui ad ſaxa ubique obvia offendentes crebro quoque diſcalceabantur, invia, inceſſum; et Jacobus commodum mulo, quo a Condaeo donatus fuerat, vehebatur. Ad has difficultates accedebant et fumo infeſta diverſoria, quippe in quibus fumus non per caminum propter ventorum violentiam, ſed repercuſſus per domus oſtium, emittitur, et hoſpites ſtrangulat. Tum lecti ex foliis aridis, non culcitis ex pluma vel tomento, ſtrati; una re commendabili eorum ruſticitate, quod pulicis et cimicis ſunt expertes. Inter has difficultates triduo exacto, *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Colas.* [b] *le duc de Mayenne.* [c] *Aubenas.* [d] *Monlaur.* [e] *le Puy en Velay.* [f] *la Loire.* [g] *Avranches.* [h] *Auſch.* [i] *Nectaire de Senneterre.* [k] *Langeac en la Limaigne.* [l] *Clermont.*

NOT. [1] comitate deduxit ad locum uſque quo Rhodanus pontone tranſitur. Illic Jacobus ſuperato flumine,

[2] enititur; et primo die

[3] planitie, ubi Liger —— utrinque ripas nonnunquam vadatur.

[4] quo ſupra diximus. [p. 35.]

pro arcta adfinitate gratulatione ſumma acceptus eſt, et a ceteris collegis; publicae etiam admiſſioni ſemel [α] interfuit. Biduum inſumptum ad luſtrandam urbem, et [a] Gergoviae in proximo monte rudera, et fontes urbi circumpoſitos; quorum unius aqua ſtatim a capite fluendo lapideſcit, et, niſi cura adhiberetur, ut antequam dureſceret, canalis, per quem labitur, in dies excavaretur, jampridem fons ille obſtructus eſſet.

ſupellex plane regia, a patre, qui ſemper ſplendide ſed modo ſervato vixerat, relicta, penitus abſumpta ſit; et praecipue ultima in [a] Santones expeditione, in qua cum Jouſa ipſo exercitus imperatore caeſus eſt. Itaque marito amiſſo, et omni re exuta, paulo poſt ex moerore in morbum diuturnum incidit; ex eoque tandem, poſtquam ſe diu in moleſta lite cum Florimondo Birago patrueli, a patre filiae caſum praeſagiente ſibi ſubſtituto, et qui ſub id tempus Lutetiae itidem obiit, exercuiſſet, in ſumma egeſtate deceſſit, ut vix haberet unde ſepeliretur; matronis aulicis, quarum gratiam olim omni beneficentia demeruerat, ſtipem in ſingulos dies in alimoniam dum vixit, poſtquam obiit, unde efferretur, conferentibus: egregio noſtris viduis aliiſque illuſtribus matronis exemplo, ut et in ſumptibus faciendis modum ſervent, et in viris aſciſcendis parentum conſilia, et eorum qui loco parentum ſunt, judicia ſequantur.

EODEM, de quo heic agimus, anno deſinente, Biragus cardinalis in vivis eſſe deſiit; cui magna pompa [1] parentatum fuit, ampliſſimo ordine univerſo ac ceteris ordinibus, qui honos ſolis regibus, et regum fratribus ac filiis, et [b] magiſtro equitum defertur, funus proſequente. Corpus ad [2] S. Catharinae, unde exierat, reductum, et in ſacello, monumento inſigni ab ipſo ſibi et Valentiae [c] Balbianae uxori ſtructo, conditum eſt. Is paulo ante, neque id omittendum viſum eſt, etiam poſtquam in cardinalium collegium cooptatus fuerat, ritum obſoletum in uſum revocaverat, qui poſtea rurſum exolevit, choreae religioſae, quae totam B. Pauli, quae ſecundum Euſtochianam ampliſſima eſt, paroeciam obibat; in qua, accenſis ad mediam noctem [3] facibus, clero cruce praelata praeeunte, ſenes, viri, juvenes, foeminae omnis aetatis, [4] pueri, innuptae puellae, ad ſymphoniacorum cantiones ſacras potius incedebant, quam ſaltu indecoro [a] movebantur. Plus ſex mille omnis generis et aetatis cantabant, et quaſi in ſupplicatione procedebant, inter arcus per vias diſpoſitos, et inſignibus Biragi ornatos; [5] menſis appoſitis cum vino et dulciariis, quae ab hominibus ad id ex familia ejus ordinatis ſine tumultu et laſcivia perquam honorifice tranſeuntibus propinabatur. Idem olim in S. Benedicti paroecia Petrus Valla, quem dixi, ſe puero factitatum narrabat, et choream ab extremo S. Jacobi ſuburbio ad [d] Parvi Caſtelli fornicem uſque, et inde per [e] Mauberti plateam et [f] Carmelitarum coenobium, ſe porrexiſſe: quae publicae laetitiae potius quam devotae [6] religionis ſpectacula, quae a ſimplicitate initium ceperant, quia paulatim malitia graſſante in licentiam degenerabant, tempore ſuſpecto celebrata offenſionis cauſam praebere poterant, ſenſim quoque in deſuetudinem [7] abierunt; quae tamen tunc auctore tanto renovata nemo in malam partem interpretatus eſt: adeo haec et hujuſmodi multa pro ratione temporum, locorum, & perſonarum, bene vel ſecus uſurpantur aut feruntur.

VAR. LECT. [a] movebantur; cui et Jacobus ipſe cum *Jacobo* Denneto familiari ſuo, ut memoriam rei ſervaret, ſe immiſcuit. Plus ſex *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Saintonge.* [b] *le Conneſtable.* [c] *Balbiani.* [d] *le petit Chaſtelet.* [e] *Place Maubert.* [f] *Carmes.*

NOT. [1] parentatum fuit, proſequentibus una cum ampliſſimo ordine ceteris ordinibus cunctis, qui honos ſolis

[2] S. Catharinae, unde elatum fuerat, reportatum eſt, et in ſacello, monumento inſigni —— conditum. Is paulo

[3] facibus, clero praeeunte, ſenes,

[4] pueri, puellae, ad ſymphoniacorum cantiones ſacras incedebant; et numerata ſunt capitum omnis generis millia ſex. His inter arcus per vias

[5] menſis appoſitis ſine tumultu et laſcivia perquam honorifice

[6] religionis ſpectacula, ſimplicibus initiis coepta, quia paulatim

[7] abierunt. Ea tamen tunc auctore tanto

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER TERTIUS.

CIↃ IↃ LXXXIV. IAM quartus et octogeſimus annus inire coeperat ſupra milleſimum quingenteſimum, Thuano et Chevernio cancellario funeſtus, violento morbo poſt partum abſumpta Anna Thuana uxore [a] [1] Rochettae primo ab urbe lapide; cui mater Jacoba Tullia ſemper aſtitit, et ſupremo pietatis officio ſumma conſtantia defuncta eſt. [2] Vir, quamvis in ſummo magiſtratu, aliquot dies publico abſtinuit, [3] et intra privatos parietes, confluente ad eum e proximo tota aula, ſolatium in [4] ſolitudine ex ſuorum alloquiis, et Thuani inprimis, qui eidem dolori participabat, [5] capiens. [6] Corpus magna pompa per urbem in curru traductum, et in [b] Cheverniam arcem in Bloeſenſi agro [7] aſportatum, conditumque in ſacello majorum. Poſt quadrageſimale tempus, atque adeo poſtquam rex Lutetia Bloeſas petiit, magna praeſulum, cognatorum, et amicorum [8] ad id honorifice vocatorum corona funus [9] Chevernii peractum VII Kalendas Novembreis. Mortuam laudavit Reginaldus [c] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis, proxima cum Chevernio cognatione conjunctus, oratione luculenta; quae eodem anno edita eſt, cum Jo. Aurati et Pauli Meliſſi verſibus, et carmine Thuani, quo ſe et ſororium ſuum in tanto luctu ſolatur.

[10] QUONIAM heic primum R. Belnenſis facta eſt mentio, ulterius progredi non poſſum, quin, quae fando de tam celebri aetate ſua et in aula noſtra viro a Thuano accepi, [α] poſteris tradam. Is Jacobi Belnenſis injurioſe olim Franciſco I rege, ut imperioſae matri mos gereretur, damnati et morte adfecti nepos, egregie a puero literis Graecis et Latinis inſtitutus fuit ſub Jacobo Tuſano et Jac. [d] Stracelio; tantumque memoria et judicio valuit, ut quae in illa aetate ex poetis Graecis et Latinis aliiſque bonae notae ſcriptoribus didicerat, quamvis maximis negotiis, quibus tota vita occupatiſſimus fuit, a cogitatione harum rerum avocaretur, ea, cum occaſio ſe offerebat, aut publice aut inter amicos fideliter recitaret, et ſermonibus inſtitutis ſcitiſſime accommodaret. Audiverunt illum permulti paginam verſuum Homericorum integram recitare, quos a quadraginta annis non legerat. Erat inſuper in eo ſpecies oris decora, dulcis linguae facundia, comitas et ſuavitas morum, tantaque manſuetudo, ut nunquam iraſceretur, nunquam verbo quenquam laederet: quod in eo magis mirandum fuit, quod temperamento ad iram et violentos impetus natus videretur; quippe tam calido, ut continuo cibo refici neceſſe haberet, eoque copioſo, non ad gulam, ſed ad valetudinis conſervationem, cujus ſemper ille jam a prima

VAR. LECT. [α] poſteris eadem fide tradam. *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *la Roquette.* [b] *Chiverny en Blaiſois.* [c] *de Beaulne archevêque de Bourges.* [d] *Stracelet.*

NOT. [1] *dele* Rochettae primo ab urbe lapide;
[2] *dele* Vir, *lege* Chevernius
[3] *dele* et intra privatos parietes confluente ad eum e proximo tota aula
[4] *poſt* ſolitudine, *lege* quaerens
[5] *dele* capiens.
[6] *lege* Defunctae corpus magna
[7] *dele* aſportatum, *lege* portatum,
[8] *dele* ad id honorifice vocatorum
[9] *dele* Chevernii
[10] *lege* Quoniam vero heic primum

prima adoleſcentia ſumme diligens fuit. Nec vero multo ſomno aut aſſidua corporis exercitatione opus habuit ad cibum concoquendum, calore naturali, modo aleretur, ad id abunde ſuppetente: nam vix quatuor horis ſomnum capiebat, quibus exactis ventriculi aviditate excitabatur. Itaque poſt alteram horam matutinam aut temporius ſtatim [a] excitato menſa apponebatur, in qua ſolus cibum capiebat: inde quieti potius quam ſomno ſe dabat, et negotia domeſtica plerumque inſpiciebat uſque ad horam quartam. Tum ſurgebat, et altera menſa inſtruebatur; in qua non deerant convivae, jam cunctis excitatis. Sub horam dein octavam tertio cibum ſumebat, et inde ad negotia publica ſe accingebat, uſque ad prandium; ad quod multos ſemper convivas adhibebat. Merendam dein quatuor poſt horis celebrabat; et coenam, non minus prandio opiparam, ſub veſperam inſtruebat; et, antequam ad lectum iret, pocoenium denique ſumebat. Cibum autem ita per otium ſumebat, ut ſumendo horam integram impenderet hyeme; aeſtate, in qua tardior orexis, horae etiam quadrantem adderet: et ambulantibus, quales in aula noſtra, coenis ſummopere offendebatur; adeo ut cum ſaepius a principe primario ad prandium invitaretur, et toties ſe excuſaret, rogatus qui id faceret, facete reſponderit, illum non humano ſed canino more prandium uſurpare, feſtinatas nimis epulas intelligens: quo intellecto ille cum ſe non ſolum laute, quod ſemper faciebat, ſed prolixe acceptum promiſit; et eo invitato ſemper ſtructorem monebat, ut miſſibus adponendis legitimum tempus interponeret. Inter haec nunquam commotior aut ſomnolentior viſus, nulla gravedine aut dolore capitis tentabatur; ſemper aeque ſui compos et ad omnia paratus, extra negotia quietem et confabulationes ſectabatur; eadem illa decora facie ad extremam ſenectutem ſervata, nec convulſionibus aut ſanguinis ſuffuſionibus, ſicuti in intemperantibus uſu venire ſolet, per aetatem deformata. In tanta ciborum, quibus alebatur, copia, cum nec membrorum agitatione nec deambulationibus, ne exuperantem appetitum proritaret, corpus exerceret, naturam ſucco nimio turgentem medicamentis purgantibus crebro adjuvabat, quae medicae rei non ignarus domi per homines peritos ſibi parabat: itaque raro aegrotabat; et, quamvis in ſumma corporis pigritia mens ſemper laboraret, nunquam fatigabatur. Adoleſcens admodum ſenator Pariſienſis primum allectus, et barba prolixa feſtinatus vir ante annos, claſſis inquiſitoriae praeſes, magna ſolertiae ſemper fama, dein libellorum ſupplicum magiſter, et mox [a] Mimatenſis epiſcopus, creatus, commendatione ſororis Margaritae gratioſae in aula foeminae, quae ſub id Claudio [b] Guſerio Boſſii marchioni et [c] Rodannae ob id creato duci, magno Franciae ſcutifero, nupſit; maximis jam tum negotiis adhibitus, etiam Franciſci [d] Alençonii ducis cancellarius fuit: quo tempore cum regis fratrum ordinarentur a Catharina familiae, Chriſtophorus Thuani parens Henrici [e] Aureliani ducis cancellarius creatus fuerat: quod munus aulicum in ſenatu aſſiduus cum commode exercere non poſſet, Philippo Huralto Chevernio genero tranſcripſit; idque illi poſtea ad ſummos honores portam aperuit. Ceterum Belnenſibus, ut hoc obiter dicam, cum Thuanis magna neceſſitudinis vincula interceſſerunt, jam ab avitae calamitatis temporibus, quibus, ab omnibus, ut fit, in aula et in urbe deſerti, apud Thuanos perfugium habuerunt; et in Auguſtini avi Thuani domo Reginaldus aliquandiu manſit, et jam tum de Margaritae ſupra commemoratae cum Chriſtophoro Auguſtini filio nuptiis actum fuerat: quibus non ſecutis, tamen veteris et tam honeſtae flammae veſtigia remanſerunt; praecipuoque

VAR. LECT. [a] excitato in lecto menſa apponebatur, in qua cibum capiebat; quod raro faciebat ſine convivis, nam hoſpitum convictu mirum in modum oblectabatur: nec convivales ſermones deerant et docti et elegantes. Inde quieti *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de Mende.* [b] *Gouffier M. de Boiſſy.* [c] *de Roannez, Grand Eſcuier de France.* [d] *Alençon.* [e] *Orleans.*

praecipuoque favore eum poſtea, cum in flagranti Catharinae gratia floreret, ſecundum fratres ſemper fuit proſecuta. Ante mortem diu condito teſtamento, illud apud ſingularem amicum, ſic eum vocabat, depoſuit, ejuſque executorem ipſum nominavit; et precum horariarum inſigni, quem a Claudia Ludovici XII filia, Franciſci I uxore et Henrici II matre, acceperat, libro, plurimis miniaturis, quibus plantae arte cum natura certante exprimuntur, ornato donavit: quem Thuanus adhuc inter pretioſam ſervat ſupellectilem. Ad Reginaldum redeo, cum quo poſtea Thuanus conjunctiſſime vixit, cum ille in clauſtralibus aedibus itidem habitaret, et fere apud eum Thuanus quotidie coenabat; renovata Auguſtini avi et recenti patris memoria, quam vir minime omnium ingratus ſemper ſacroſanctam ſervavit. Ea familiaritate totum triennium uſus eſt Thuanus, quouſque ab aedibus clauſtralibus ad paternas, matre inſtigante, migravit: quae tamen nec illa corporum ſeparatione divulſa eſt, et crebris, quae per temporum iniquitatem natae ſunt, occaſionibus, et quae deinceps referentur, ad extremum conſtanter perſeveravit.

INTEREA urgebat mater ut ſe Thuanus reſpiceret, et, quando in ſacris muniis obeundis jampridem ceſſaret, et praecipuam beneficiorum partem ejeraſſet, vitae ſe quamprimum ſolutae manciparet; quod tamen fieri non poterat, quamdiu inter eccleſiaſticos ſenatores maneret. Itaque ab inquiſitoriis claſſibus migrandum fuit, non ambitione, aut aulici ſplendoris, a quo ſemper natura abhorruit, deſiderio, ſed neceſſitate; et libellorum ſupplicum magiſtri quaerendum officium, quod tam ſolutis quam eccleſiaſticis perſonis apud nos attribui ſolet: in quo rurſus non mediocris pro tempore difficultas occurrebat; nam rex, inaequali ingenio, poſt nimias profuſiones et novas ac inauditas officialium creationes in arctum ſe coëgerat, et turpeis officiorum nundinationes ſevere admodum prohibuerat; quae, ſi vel morte vel judicum ſententia vacabant, aut omnino extinguebantur, aut delegatis mandabantur, aut magno delectu dignis attribuebantur; laudabili ſane inſtituto, ſi per turbonum ingenia pace frui diuturniore licuiſſet. Sola permutationis via reſtabat; cujus beneficio, nec ſine reginae parentis, quae Chriſtophorum impenſe dilexerat, commendatione, nam hoc etiam tunc gratiae loco reputabatur, Thuanus IV Eidus Aprileis libellorum ſupplicum magiſtri dignitate auctus fuit, in locum Gul. [a] Varii; qui adoleſcentiae annos vix egreſſus, etſi ob eximiam indolem ac doctrinam eo munere digniſſimus judicaretur, tamen in ſenatoris eccleſiaſtici ordine ſedere, quam protinus a foro ad aulam tranſvolare, iſtuc aetatis malebat.

CUM vero, et dilectiſſimae ſororis morte et paterna non mediocriter infractus, ſolatium in publico et privato luctu quaereret, ad lectionem et priſtina ſtudia revolutus, Mauritium [b] Breſſium mathematicarum ſcientiarum profeſſorem regium, qui nuper profeſſionem Rameam cum Joanne Stadio, illuſtriſſimi viri Franciſci a [c] Foxo Candalae judicio, partitus fuerat, doctorem adhibuit, et Euclidem Graecum cum Procli ſcholiis diligenter percucurrit, toto hoc, quantum per occupationes licebat, et ſequenti anno: inſuper et ſub exitum hujus anni Jobum poëtica paraphraſi explicandum ſuſcepit, poſt Pſalterium dignum eum maxime reputans, in quo ſe vel meliora ingenia exercerent; quippe qui majorem partem, atque adeo, ſi principium, hoc eſt duo priora capita, et extremum, excipias, totus hexametris verſibus conſcriptus ſit, ita ſentente B. Hieronymo, dactylo ſpondaeoque currentibus, et propter linguae idioma crebro recipientibus et alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum; interdum et rhythmo dulci ac tinnulo, qui numeris pedum ſolutis fertur, quod a metricis magis quam a ſimplici lectore intelligi dicit. Stylus ſane vel ex verſione ſubobſcura totus figuratus apparet; in quo explicando, praeter ejuſdem B. Hieronymi interpretationem,

INTERPR. [a] *Du Vair.* [b] *Breſſieu.* [c] *de Foix Sr. de Candale.*

interpretationem, Thuanus uſus eſt Joannis [a] Merceri accuratiſſimis commentariis, ut Hebraicam veritatem, quantum in ſe eſſet, cum aliquo Latini ſermonis lepore exprimeret, et quae divulſa et inconnexa primo intuitu parent, cum legentium non poenitendo fructu, conjungeret: ad quod cum, cum conſilium ſuum ipſi communicaſſet, hortatus eſt P. Pithoeus; cui quicquid probabatur, nemini non probatum iri ſibi perſuadebat. Totum biennium in eum incubuit.

[α] Quo tempore cuſi ab Henrico Stephano, ſed alienis typis, quia propriis carebat, A. Gellius et Macrobius: verum, subortis inter eum et Lud. Carrionem Brugenſem, qui editionem illam adornabat, altercationibus, et typographo ipſo turbidi ingenii homine cum utroque rixante, annotationes, quas Carrio pollicebatur, et quarum tantum ſpecimen in Gellium dedit, non ſunt adjectae, quantumvis annitente Thuano et Cl. Puteano communi utriuſque amico, ut Carrio ſe precibus amicorum, qui magnam ex iis in rem literariam utilitatem ſperabant, vinci pateretur.

Erat et tunc in urbe Janus Gulielmius, qui majoris molis opus itidem adornabat, novam ſcilicet Ciceronis editionem; quem cum typographi quaeſtu invitati prenſarent, etiam Stephanus ſe medium interpoſuit: ſed ſubortis rurſus difficultatibus, et Gulielmio [b] Avaricum Biturigum ſub id ad magnum Cujacium profecto, et mox vivis exempto, res exitum non [β] habuit.

Funestum et hunc annum Thuano et omnibus bonis multa fecerunt; Franciſci fratris regis mors, quae Hiſpanis ad recuperandum Belgium, ex quo ſemper nec aliunde Galliae ſigna intulerant, viam aperuit, et bellum civile mox apud nos excitavit: item Pauli [c] Foxii archiepiſcopi Toloſani, et [d] Vidi Fabri Pibracii praeſidis Pariſienſis, obitus; de quibus in Annalibus et jam multa in ſuperioribus dicta ſunt. Quibus addendum, Vidi beneficio, et cura Thuani et Scaevolae Sammarthani, carmina Michaëlis [e] Hoſpitalii in lucem ſub id prodiiſſe; ſed jam inclinata Vidi valetudine, ut nec hic operi a ſe inſtituto ſupereſſe, nec illi, quod ab eo deerat, ſupplere potuerint: nam chartas omneis penes ſe retinebat; ut eas, antequam ederentur, ſimul ſub unum intuitum habere, ut ordine digeri et temporum ſervata ratione, quod rei magnam lucem et ornamentum attuliſſet, diſponi poſſent, integrum illis non fuerit. Quod nunc ſe facere poſſe Thuanus profitetur, et tertia parte ampliora reddere, poſtquam ex [f] P. Pithoei et Nic. Fabri conſilio ea digeſſit.

Mortem Brabantiae ducis, ſic enim vocabatur, proximo anno bellum inter- CIↃIↃLXXXV.
necinum ſecutum eſt, quod regi ac regno et ipſis incentoribus poſtremo exitioſum fuit. Thuanus, ut ſe adverſus calamitatem publicam conſtantia muniret, in Jobo ſuo pergebat, et mathematicis ſtudiis aegrum animum doctore Breſſio oblectabat.

Multoties Auguſtinus patruus regius patronus cum Thuano egerat, ut ſucceſſor in munere, quod beneficio patris ſe habere ingenue fatebatur, amicorum, quos

VAR. LECT. [α] Quo tempore apud nos erat Henricus Stephanus; qui, ſive natalis ſoli deſiderio, ſive laris a Roberto patre imperati taedio, nihil praeter Lutetiam reſpirare videbatur, crebroque ad Jacobum ventitabat, et fere quotidie cum eo coenabat, quippe qui in proximo habitaret. Cuſi ab Henrico Stephano, ſed alienis *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] habuit. Stephanus vero cum videret Jacobum in Jobum ſuum incumbere, non deſtitit quin quae jam effecta habebat, deſcriberet; quae poſtea ſecum, cum urbe diſcedere poſt edicti Henotici promulgationem coactus eſt, aſportavit, et Theodoro Bezae oſtendit: qui inde occaſionem ſumpſit paraphraſis in eum librum, ut et poſtea in Eccleſiaſten, ſcribendae, qualem in Pſalmos antea ediderat; qua divulſa illa et inconnexa, quae dixi, conjungere conatus eſt: ſed ſerius id factum, quam ut ex illius diligentia ac labore proficere Jacobus potuerit, quippe metaphraſi ſua jam edita. Dum Lutetiae adhuc eſſet Stephanus, longioris morae in ea faciendae cupidus, crebra ſpecimina novarum editionum, quae fere Latinorum ſcriptorum erant, P. Pithoeo oſtendebat: cumque importune, ecquid de illis ſibi videretur, rogaret, vir acuti judicii pro omni reſponſo eum hortabatur, ut in Graecis edendis pergeret: quo verbo ſatis indicabat, quam felicem ejus operam in Graecis judicaret, tam infelicem in aliis ejuſmodi aeſtimare induſtriam. Funeſtum et *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Mercier.* [b] *Bourges.* [c] *de Foix, archeveſque de Toulouſe.* [d] *Gui du Faur Sr. de Pibrac.* [e] *le chancelier de l'Hoſpital.* [f] *Pierre Pithou, & N. le Fevre.*

quos multos in aula habebat, commendatione deſignaretur, et gratioſum ea de re diploma a rege impetraret: nam ſibi dolere, quod morte ſua familiae ea dignitas pereat; et moriturum ſe aequiore animo, ſi dignitatis, quam filio ab ea profeſſione alieno relinquere non poterat, ſucceſſorem, et quaſi heredem, gentilem ſuum haberet. Contra Thuanus pro tam benevolo erga ſe animo gratias patruo agere; ceterum a munere laborioſo, quod in publica actione, ad quam ſe minime a primis annis comparaverat, et quaſi aſſidua ad aſtanteis allocutione conſiſtat, ſe excuſare. Verum haud multo poſt per [a] Henotici edicti promulgationem non ſolum pax et publica ſecuritas conturbata eſt, ſed nundinationibus illis tam enixe inhibitis latior quam antea porta patefacta; continuoque praeſidis officium, quod morte Pibracii ante annum extinctum fuerat, in patruum regis voluntate collatum fuit: quod non prius ille acceptavit, quam Thuanum religioſa pollicitatione obligavit, omnem operam per amicos daturum, ut in illo munere, a quo ſe excuſare amplius non poterat, ſibi ſucceſſor deſignaretur; alioqui, ſi rem commodo ſuo aeſtimet, ſibi potius eſſe inter triumviros principem locum tenere, quam inter praeſides ultimum ſedere. Ita inter eos tranſactum ſine ulla conditione, niſi quam Thuanus ſponte, nec repoſcente patruo, ſine ſyngrapha addidit; quam demum poſt obitum ejus, nec prius, ſyngrapha obſignavit, et religioſe tandem exſolvit. Eant nunc qui tantopere religionem vultu, labiis, verbis, toto corporis geſtu, prae ſe ferunt, et eandem honeſtatem, fidem, charitatem, non verbis ſed factis, ſine fuco praeſtent et exequantur. Nulla lex alia a viro gratiſſimo addita, quam ne Thuanus non ſecure ac negligenter, quod illi in rebus domeſticis ſolemne erat, ſed diligenter ac ſedulo, negotium curaret: quod tamen, quia plus commodum ſuum quam alterius damnum ſpectare videbatur, more ſuo inſuper habuit; nec niſi anno ſequenti ex occaſione tentatum, et dicto citius ad exitum perductum fuit.

TUNC vero, cum allatum eſſet de Gregorii XIII pontificis maximi obitu, rex, quanquam ſciret ſub eo jacta Henotici foederis prima fundamenta, tamen ſublato eo verebatur, ne alius violento magis quam erat ille ingenio in pontificem eligeretur, qui ſemel accenſum a deceſſore ſuo ignem non manſuetae prudentiae aqua reſtingueret, ſed, oleo in caminum addito, incendium magis ac magis inflammaret. Itaque e re primo viſum, et rex maxime probabat, ut Carolus Borbonius, qui nuper in purpuratorum collegium cooptatus fuerat, et cardinalis [b] Vindocinus ad diſtinctionem patrui dicebatur, Romam ad futuram electionem proficiſceretur, et regis regnique cauſam, hoc eſt, ſuam, contra factionem Henoticam praeſentia tueretur. Is arcta jam ab aliquot annis literarum nomine, quas impenſe amabat, cum Thuano conſuetudine conjunctus erat, conſilioque ejus uti ac regi credebatur; eoque auctore factum et impulſore, ut ſuperiore anno in comitiis ad [c] Germani-fanum celebratis de ſedendi praerogativa Ludovico [d] Guiſiano, contra cardinalis Borbonii patrui factioni addicti voluntatem, controverſiam moveret: ab eoque tempore crebris cum patruo altercationibus luctatus, eum reluctantem, quominus Romam a rege mitteretur, habuit, et ad extremum impeditus eſt. Profectioni comitem ſe Thuanus obtulerat; nec ulla re ſe illi defuturum, et pro mutua pecunia ſumenda etiam ſe paratum fidejubere, oſtendebat: quod et poſtea fecit, magno ſuo damno, certe moleſtia et gravi incommodo; cum, mortuo eo, antequam aes illud alienum omnino diſſolutum eſſet, a creditoribus importune vexaretur.

HOC enim ingenio et fato natus eſt, ut principum et magnatum amicitiam per calamitates publicas demeritus ſit, dum fortunas eorum adverſas aut ſolatio aut conſilio ſublevat, nihil inde aliud ſperans, quam repoſitam in bona conſcientia mercedem; qua contentus facile ab iiſdem proſpere agentibus ſe ſenſim ſubducit, et felices

INTERPR. [a] *l'edict de l'Union.* [b] *de Vendoſme.* [c] *St. Germain.* [d] *le cardinal de Guiſe.*

felices colentibus vacuam ſedem relinquit, qui fere adulatores ſunt et infidi amici, a quibus illi ſe decipi patiuntur, obliti officiorum et navatae fideliter operae, mendaciis gaudentes, nihilque pejus veri cultoribus abhorrentes. Quo factum, ut eos Thuanus bene merendo, abſit verbo invidia, erga ſe ingratos perpetuo ſit expertus. Verum ille, cui fixum animo nunquam a ſe diſcedere, aut bene faciendo fatigari, ad patientiam jampridem ſe obfirmavit; ut nec anteactae innocenter vitae poeniteat, nec porro ejus rationem ſit mutaturus, quamvis hactenus fraudi illi fuerit fidem ſervaſſe, et ſervili obſequio defungi noluiſſe.

Quod licet cardinalis Vindocini occaſione dictum ſit, tamen de ipſo minime dictum intelligit, quem egregie erga ſe animatum ſemper expertus eſt uſque ad annum CIƆ IƆ XCI, quo [a] Tertiana factio invaluit, dum rex [b] Autricum Carnutum obſideret; quae principem credulum, patruo jam defuncto, ne factionibus dux ex ipſa regia familia deeſſet, pravorum circa ſe hominum aſtu involvit, et veteres amicos ab ea alienos illi ſuſpectos reddidit. Tunc enim aliquo ſe frigore afflatum ſentiens Thuanus, qui antea in flagranti ejus gratia floruerat, ubi primum Lutetia recepta fuit, in libertatem priſtinam ſe vindicavit, et ultimum vale aulae dixit, in opere ante biennium inchoato pergere certus, quod jam ad regnum Franciſci II perduxerat. Et tamen cum ad S. Genovefae, et mox S. Germani, ex morbo, qui illi fatalis fuit, decumberet illuſtriſſimus princeps, neminem magis familiariter quam Thuanum, ad ſe ſaepius vocatum, ad ultimum uſque vitae ſpiritum aut vidit aut adlocutus eſt: tunc vero, cum in privato colloquio, quod frequenter ad mutuum ſolatium inter ſe habebant, miſerabilem rerum ſcenam deplorarent, et uterque merito indignaretur, ignavia ſeu caecitate noſtra factum, ut Hiſpanorum in Belgio ſucceſſibus et Sabaudi ambitioni per civile apud nos et in nos bellum excitatum via aperiretur; argumentum hinc ſumptum carminis ad eum Kalendis Aprilibus hoc anno exarati, quod heic ſubjici alienum non erit.

Sidus coruſcum Borboniae domus,
Et magna ſtirpis gloria regiae,
Ocelle muſarum, et togatae,
Carole, grande decus Minervae,
Vides ut armis omnia perſtrepant,
Totamque verſis in ſe animis furens
Committat Europen Enyo
Gorgonio metuenda flagro.
Tot cladibus jam totque domeſticis
Fracti procellis, tot redeuntium
In ſe malorum aeſtu madentes
Triſtibus et toties procellis,
Praedaque onuſti civica, ad ultimum
Vincendo victi, ſcilicet invidi
Hoc egimus, virtute avita
Finitimis populis tremendum
Formidoloſumque imperium exteris
Everti ut eſſet nunc facile hoſtibus,
Et marte jam deſtructa noſtro
Moenia victor Iber ſubiret.

Ignara

INTERPR. [a] *le Tiers parti.* [b] *Chartres.*

Ignara recti pectora conſili!
Parumne noſtri ſanguinis heu ſuper
Campiſque Neptunoque utroque
Bella per inſidiaſque fuſum eſt?
Teſtes tot urbes, mater et urbium
Pars ipſa motus maxima civici,
Et fortium volvens acervos
Amne [a] Liger rapido virorum:
[b] *Vigenna teſtis, totque [c] Carantonus*
Nuper canoris cinctus oloribus,
[d] *Claniſque verticoſus amnis,*
Teſtis et aequoreus [e] Garumna.
At, ceu nihil nos jam toties mala
Experta tangant, protinus horrida
Ad arma conjurati, ad arma
Currimus immemores pericli;
Dotale non ut rurſus in [f] Inſubrum
Regnum inferamus ſigna, nec alite
Ut auſpicatiore ſumptis
[g] *Parthenopen repetamus armis;*
Non ut feracis rurſus Apuliae
Vertamus uncis arva ligonibus,
Terraque victores marique
Per Siculas equitemus undas;
Non clauſtra ut inter Caſpia Thracium
Noſter tyrannum miles agat, nec ut
Tandem reſurgenteis Sionis
Pronus humi veneretur arces:
Stat cuncta ferro perdere, dum ſitim
Diram expleamus, dum ſatis ambitus
Deſiderantis uſque plura
Fiat avaritiaeque voto.
Juſtus quidem irae principio impetus,
Caeco ſimultas atque odio flagrans,
Tot bella patrataſque caedeis,
Sedibus atque revulſa ab imis
Delubra Divum, excuſet: at, heu nefas!
Mercede conducti arma reſumimus,
Auroque decepti exteriſque
Fraudibus ecce iterum retuſum
In noſtra caeci viſcera condimus
Ferrum: negabunt poſtera ſcilicet
Hoc ſaecla, nec credent nepotes
Tantum odiis licuiſſe noſtris.
In caſtra Gallus tranſit Iberica
Turpis relicto transfuga principe:
At ecce feriantur hoſtes
Interea, memorique avitum

Sub

INTERPR. [a] *la Loire r.* [b] *la Vienne r.* [c] *la Charente.* [d] *le Clain.* [e] *la Garonne r.* [f] *l'etat de Milan.* [g] *Naples.*

Sub corde celans dedecus Allobrox
Vigil nivoſis excubat Alpibus;
Qualeſque praerupta ſedentes
Vulturii in ſpecula jacentum
Procul ſagaci nare cadaverum
Ducunt odorem, ſic vafer imminet
Praedo rapinae, ſeque tantae
Spe recreat tacitus ruinae.
Nec heu furoris nec ſcelerum piget?
Saltem jacenteis nos pudor erigat:
Impune nunc portis refractis,
Excubitore et aperta nullo
Patent Iberi limitis oſtia;
Impune lentus Belgium obambulat
Parmenſis, et late incruento
Milite cuncta tenet ſuperbus.
Tunſus marinis [a] *Barcino fluctibus*
Nunc nuptiali laetitia fremit,
Thalaſſionis ſtans Iberus
Inſolitum bibit aure murmur;
Nuperque noſtris heu genibus minor
Ludos Sabaudus nunc agit, et novae
Securus armorum maritae
Oſcula dat ſine caede victor.

INTEREA urgebat mater Thuani, ut, poſtquam jam libellorum ſupplicum magiſter effectus eſſet, et beneficia ejeraſſet [α] ſua, in paternas aedeis concederet. Itaque, cum per biennium fere ejus imperia ſive obteſtationes eluſiſſet, aſſiduas urgentis expoſtulationes diutius ferre non potuit; quae non tam filium penes ſe habere vellet, quanquam et hoc unice cupiebat, quam illi perſuadere, ut de alio vitae genere atque adeo de nuptiis ſerio cogitaret. Tandemque convaſata omnia; et bibliotheca CIↃ IↃ LXXXVI.
inprimis, jam locuples et numeroſa, magno ſtudio, ne libri ornate compacti corrumperentur, capſis ad id paratis tranſlata: nam de ceteris minus laborabat Thuanus; et indulgentiſſimae parentis hac in re juſto ſatisfactum eſt deſiderio. Diverſa parte, nec minus impatienter, Auguſtinus patruus inſtabat ut ſibi nepos in recenti praeſidis dignitate, quam ea lege acceptaverat, in mortis eventum ſuccenturiaretur; et negligentiae Thuanum arceſſebat, et, paulum aberat, convitiis cum eo agebat. Tuncque forte accidit, ut Franciſcus [b] Choeſnus Carnutum praetor in urbe eſſet. Is Paulo [c] a Foxo puer datus legationum tempore diu a lectionibus illi fuerat, et in legatione Italica, in qua Paulum ſecutus fuerat Thuanus, eodem officio apud eum defungebatur. Inde arcta inter eos amicitia, quae mutuae virtutis opinione et conſiliorum de re publica conſenſione ſemper creverat. Cum igitur ad Auguſtinum ſalutandum veniſſet, ille protinus de Thuano, quem ſciebat arcta cum ipſo neceſſitudine conjunctum, familiarem querimoniam inſtituit; rogat apud amicum pervincat, ne tam ſegniter et pigre in rebus ſuis verſetur. Nec illibenter provinciam ſuſcepit Choeſnus; qui, rem Auguſtino gratam, Thuano utilem et ſibi honorificam,

aggreſſus,

VAR. LECT. [α] ſua, clauſtraleis aedeis relinqueret, et in paternas migraret; quod ille aegre fecit, commoditati et ſplendori illarum XIV annorum habitatione inſuetus. Sed cum biennium fere *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Barcelone.* [b] *Choeſne Lieutenant-general de Chartres.* [c] *de Foix.*

aggreſſus, Thuanum continuo convenit, et quid ſibi a patruo mandatum eſſet expoſuit. Cumque ille pro officio gratias ageret, et patrui praecipitem benevolentiam excuſaret, reique exequendae commoditatem expectandam eſſe diceret; nihil enim inpraeſentiarum urgere, ceterum ipſum ſcire, quam a prenſationibus et gratia procerum ambienda ſit alienus; nihil quippe carius videri ſibi, quam quod precibus emitur; et tamen eo res loco nunc eſſe, ut nihil impetrari poſſit a rege, niſi commendatione eorum qui in gratia ejus regnant: plura dicturum interfatus Choeſnus, Atqui de tempore queri ejus eſt, qui illud ſibi perire patitur! Si nihil aliud te retinet, quam quod gratia procerum tibi ambienda eſt, quod homine libero et meritis ſuis nitente indignum tibi videtur, rem tibi ſine prenſationum faſtidio et ſine repulſae periculo confectam dabo. Scis mihi arctum cum Philippo [a] Portaeo communi amico neceſſitudinis, imo et cognationis, vinculum intercedere: quantum autem rurſus apud [b] Annam Jouſae ducem, qui nihil non apud regem his in rebus poteſt, et ille poſſit, minime ignoras: rem autem me gratiſſimam utrique et Portaeo et Jouſae facturum exiſtimo, ſi me gratiae, quam a rege per eos petis, pararium interpoſuero. Quibus dictis ad Portaeum pergit; quem cum pugillaribus rerum agendarum ad Jouſam proficiſcentem nactus paulum ſeducit, et, cujus ergo veniſſet expoſito, paratumque illum videns, ut pugillaribus hoc etiam inſereret, haud gravate obtinuit: monituſque ab eodem ut ad prandium, nam id mane actum, veniret, et reſponſum expectaret, cum veniſſet, negotium peractum reperit, et ad Jacobum ſtatim retulit: qui, tam feliciter tantaque celeritate rem confectam miratus, ſibi ſuccenſere coepit, quod non officioſa deprecatione beneficium apud utrumque praeveniſſet; ſeque in ruborem ab amico datum queſtus, verba ſibi deeſſe dixit, quibus pro tanto beneficio gratias ageret. Ceterum cum ad Portaeum ſubito ire perrexiſſet, in officioſam Choeſni diligentiam ſuae ruſticitatis culpam rejecit; obſtructoque a Portaeo plura addere volentis ore, Hoc te e numero eſſe ſcio, ait, quos decentius pro accepto beneficio gratias agere, quam in petendo fatigari, convenit: cum hoc beneficium a Jouſa per me requiſiviſti, magno utrumque beneficio obligaſti, quippe occaſione per illud praebita de bene merito bene merendi; nam ratam eſſe in ejuſmodi rebus ſententiam, beneficium dando accipere qui digno dedit. Cumque e veſtigio ad Jouſam deduci peteret, Portaeus feſtinantem inhibuit, et non reperturum eum dixit: neque vero convenire, ut, qui in gratiae petitione tam benignam ſortem expertus eſſet, in gratiis agendis moleſtia afficeretur: cujus rei onus in ſe recipere: neque ſuccenſurum Jouſam, ſi tardior in agnoſcendo beneficio Thuanus, quam ipſe conferendo, fuiſſet. Itaque cum ſub id Jouſa in [c] Neuſtriam, cujus ſummam praefecturam obtinebat, quod illi quotannis in Paſchalibus feriis ſolemne erat, profecturus eſſet, dilatum in reditum officium.

TANDEM diploma a Claudio [d] Pinario e quatuorviris a ſacris juſſionibus confectum XI Kalendas Aprileis, ſed ſerius obſignatum; ita ut non citius Eidibus Sextilibus ſacramentum in ſenatu dixerit Thuanus, magna ampliſſimi ordinis gratulatione; qui, poſt avum, patrem, et patruum, in illo renovatam Thuanae gentis dignitatem non modice laetabatur. Additum, cum recitaretur diploma a Matthaeo [e] Quadrigario antiquae gravitatis ſenatore, quo referente id actum, ut, ſi Auguſtinum ante decedere contingeret, quam Thuanus, qui tantum XXXIII annos natus erat, aetatem legitimam attigiſſet, non prius praeſidis ordine ſententiam diceret, quam quadrageſimum annum ingreſſus eſſet, ne quid in ea re fieret, in qua gratificatum Thuano cupiebant, quod legibus vim faceret, aut in poſterum diſciplinae praejudicaret. Certatim et amici gratulabundi ad eum venerunt, quibus carmine extemporaneo

INTERPR. [a] *des Portes.* [b] *Anne duc de Joyeuſe.* [c] *Normandie.* [d] *Pinart ſecretaire d'Etat.* [e] *Chartier.*

extemporaneo gratias egit Thuanus ad P. Pithoeum et Antonium Oiſellum directo; qua re, ſi non aliud, id effectum, ut ipſe dicere ſolebat, ut pro malo carmine bonum a Pithoeo elicuerit: quod inter ejus opera tanto viro digniſſimum legitur.

Quibus actis, reſtabat ut de nuptiis ageretur: quibus contrahendis ut omne impedimentum, quod a foro eccleſiaſtico eſſe poterat, juris via removeretur, in eodem foro res agitata; et, porrecto officiali Pariſienſi libello ſupplici, vocatiſque legitimis, quorum intererat, contradictoribus, Jacoba [a] Tullia parente, religioſiſſima, quod omnes norunt, foemina, Philippo Huralto Chevernio Franciae cancellario, Achille Harlaeo primario regni curiae praeſide ſororiis, Renata [b] Balieta Joannis Thuani fratris, de quo in ſuperioribus dictum, vidua, Chriſtophoro Auguſto Thuano altero fratre, qui minime comparuit, reliquis aut aſſenſum praebentibus aut rem judicis arbitrio relinquentibus, poſtquam teſtimoniis et probationibus ſuper ea re confectis conſtitit, Nicolai Thuani [c] Carnutum epiſcopi praeſertim teſtimonio, reverentia paterna coactum Thuanum ad minores, quos vocant, ordines, cum in ſenatorem e ſacro ordine cooptatus fuit, promotum, ceterum ſemper ab ea profeſſione alienum ſe eſſe ſaepius etiam ſuperſtite patre declaraſſe, idque mater ejus interrogata non diffiteretur; officialis tandem pronunciavit ordinis vinculo eum minime teneri et obligari, ac a votis quibuſcunque liberavit, et in priſtinum ſtatum reſtituit, illique ut matrimonium cum aliqua muliere nullo jure ſibi prohibita, ſi expedire videretur, contrahere poſſet, facultatem fecit, prolemque ex eo naſcituram legitimam fore declaravit. Id actum in pervigilio Dominicae Palmarum, quod in IV Kalend. April. hoc anno incidebat.

Quo exeunte finis Jobi conſtantiae impoſitus eſt, et metaphraſis a Dionyſio [d] Vallenſi cuſa; quae ſemel atque iterum majore cura poſtea recuſa eſt, cum elogiis; quorum partem Jo. Pineda ſpiſſo commentario, quem in eum librum duobus voluminibus ſcripſit, praefigere non eſt gravatus. Additum tunc a viro doctiſſimo, cum conſtantiam Jobi publicatam legiſſet, elogium, *Non alio fuit hic Pelides dignus Homero.* Intermiſſa inter haec ſtudia mathematica, domicilii mutatione, et Mauritio [e] Breſſio Romam cum illuſtriſſimo Franciſco [f] Lucemburgico Pinaei duce profecto, ut apud Sixtum V novum pontificem regis Chriſtianiſſimi nomine obedientiae officio ritu ſolemni defungeretur: nam M. Ant. Muretus jam deceſſerat, qui tot annos hoc apud pontifices munere functus fuerat. Breſſius autem, poſtquam demandatam ſibi provinciam executus eſt, in illa aula manſit, magno in pretio habitus; et per haec bella [g] Peruſiae aliquanto tempore profeſſus eſt, vixque diu poſt ad nos inde rediit.

Varius et multiplici rerum eventu triſtis laetuſque qui ſecutus eſt annus fuit, CIↃ IↃ LXXXVII.
imo prudentiorum judicio ſive augurio omnino funeſtus: nam et Jouſa cum nobilitatis flore in Santonibus caeſus eſt; et auxiliaris Proteſtantium exercitus tranſitu Ligeris prohibitus, et ſemel [h] Vimorii atque iterum [i] Alneti in Carnutibus gravi clade a Guiſianis affectus, inter proſpera cenſeri debeat, dubium fecit infelix regi totique regno rerum anno proximo ſucceſſus.

Amiſit et Thuanus initio hujus anni, quod inter publicas et domeſticas cladeis merito numerat, Jacobum [k] Dennetum, loco nobili in [l] Morinis oriundum, Lutetiae natum; cujus mores generis nobilitatem vere exprimebant: nam, quanquam in foro cauſas tota fere vita actitaverit magna integritatis et ſolertiae fama, nunquam nobilia armorum et venationum exercitia intermiſit, et ad id canes liberaliſſime ſemper aluit; amicorum commodis potius quam ſibi natus. Patrem Thuani, quamdiu vixit,

INTERPR. [a] *de Tuelleu.* [b] *de Baillet.* [c] *Chartres.* [d] *Du Val.* [e] *Breſſieu.* [f] *de Luxembourg duc de Piney.* [g] *Perugia.* [h] *Vimori.* [i] *Aulneau en Beauſſe.* [k] *Dennet,* ou *de Nets.* [l] *ceux de Terouenne.* Morini *ſe prend auſſi pour ceux du comté de Ponthieu, & de Boulogne.*

vixit, ſanctiſſime coluit, et patruos ejus, in iiſque praecipue Hadrianum, de quo in ſuperioribus dictum; Joannem etiam fratrem: quibus mortuis ſingularem illum amorem, quo illos atque adeo totam Thuanorum familiam proſecutus fuerat, in Thuanum veluti tranſcripſerat, cum eoque XIV annorum ſpatio conjunctiſſime vixit; ut quo ſe ab illo dum potuit affectu cultum non ingratus Thuanus recordatur, eodem ſe ad colendam defuncti memoriam obligatum merito ſentiat et profiteatur. Aegrotantem cum officioſe inviſiſſet in clauſtralibus aedibus, in quibus habitabat, ultimos benevoli animi ſpiritus legit, cum ultimo elogio, quo ſuis mandabat, et inprimis Aegidio fratri, qui [1] in Neuſtria domicilium tranſtulerat, ut contractam a tot annis cum Thuanis amicitiam hereditario jure in poſterum colerent. Vixit annos LVIII: ex pleuritide deceſſit, et ad S. Andreae, ubi Thuanorum monumenta viſuntur, tumulari voluit.

UT triſtia et mala mittamus, tunc auguſto augurio Thuanus duxit in uxorem Mariam Barbanſonam, Franciſci [a] Barbanſoni Canii proelio [b] Sandionyſio extincti, de quo in Annalibus, filiam, Michaëlis, qui ſub Ant. [c] Borbonio Vindocino Picardiae praeſide provinciam, in qua ampliſſima bona poſſidebat, [d] vicarii titulo rexit, neptem. Ea gens [e] Hannonia oriunda; ubi et Barbanſoni principatus in horto, quem vocant, praecipua mentio eſt; quam dignitatem hodie obtinent Arembergii comitum ſecundo geniti, et quo nomine inſignes fuerunt qui bellis Belgicis ſub Henrico II et Carolo V ſummis exercitibus in eo limite praefecti fuerunt. Franciſcus moriens ex Antonia [f] Vaſeria, antiquae ut et proſapiae ſic et moris foemina et poſſeſſionum maximarum herede, Ludovicum filium, Annam et Mariam filias, reliquit. Et Anna jam Antonio [g] Pratenſi Nantollieto, cardinalis Pratenſis ſub Franciſco I Franciae cancellarii et multis rebus nominatiſſimi nepoti, nupſerat; cui cum Thuano arcta amicitia pridem patre ſuperſtite contracta: eoque libentius in eas nuptias, quantum in ſe erat, conſenſit, quarum pararius fuit Carolus [h] Turchantius libellorum ſupplicum magiſter, arcta neceſſitudine Thuano conjunctus; nec non et Petrus Valla, de quo in ſuperioribus dictum, qui Vaſeriae plerumque operam navabat, aſſiduis de matre filiaque ſermonibus Tulliae, cujus veluti commenſalis erat, eas nuptias optatiſſimas reddiderat. Chevernius ſororius, quo res honorificentius fieret, ultro ad matrem, quae in [i] Piquinianis aedibus in Sangermani ſuburbio habitabat, Thuanum magno comitatu deduxit, et Mariam uxorem Thuano ab ea impetravit: quae cum ſub id morbo lethali correpta eſſet, morte tamen ejus nulla re contrahentium voluntas mutavit. Itaque perſcriptae conditiones Maio menſe; ſed propter luctum et quadrageſimales ceremonias res in Sextilem proximum dilata: quo demum, poſt ſolemneis in eccleſia uſurpari ſolitas denunciationes, nuptiae contractae ſunt. Sponſalia fecit Nicolaus Thuanus patruus [k] Carnutum epiſcopus, coram Tullia matre, Chevernio cancellario, Achille Harlaeo primario praeſide, Auguſtino Thuano praeſide, Chriſtophoro Auguſto filio Thuani patruele, Renata Balieta, Ludovico Barbanſono Canio, Carolo Barbanſono Ludovici patruo, Ant. Pratenſi Nantollieto Pariſienſi praepoſito, Anna uxore, [l] Eſtrumeliis fratribus Barbanſonorum avunculis, aliiſque in pactis dotalibus memoratis; et poſt mediam noctem ad vitandum tumultum celebratae nuptiae ab eodem Nicolao, qui et ipſe ſacrum peregit in S. Andreae in Arcubus templo: et, quia Proteſtantium olim doctrinae addicti uterque parens ſuſpicionem faciebant, quaſi liberi, quanquam ad ſacra majorum jam ante rediiſſent, in religionis cauſa nutarent, Maria in arcano ab Arnulfo [m] Menilio archidiacono Brienſi et epiſcopi Pariſienſis vicario audita et confeſſione ſacra prius expiata eſt.

Eant

INTERPR. [a] *Barbanſon Sr. de Cani.* [b] *de S. Denis.* [c] *de Bourbon duc de Vendoſme gouverneur de Picardie.* [d] *lieutenant de Roy.* [e] *Hainault.* [f] *de Vaſieres.* [g] *du Prat de Nantouillet.* [h] *Turquant.* [i] *hôtel de Piquigny.* [k] *Chartres.* [l] *d'Eſtourmel.* [m] *du Menil archidiacre de Brie.*

NOT. [1] Sic in *Editt. Genev.* ſed aut legendum *in Neuſtriam*, aut forſan *e Neuſtria.*

Eant nunc et videant homines adeo infenſi, qui, non contenti calumnioſe Thuani opus hiſtoricum inceſſere, ne quid ad livorem malignum deeſſet, etiam in vitam ejus domeſticam anquirere voluerunt; videant, inquam, an quidquam, quantum ad religionem et magni illius ſacramenti reverentiam, ad ſacros ritus, aut denique ad publicam honeſtatem, et parentum, eorumque qui loco parentum ſunt, conſenſum, qui non exiguam honeſtatis publicae in ea partem faciunt, in eo matrimonio deſiderare poſſint.

HAUD multo poſt de clade in Santonibus accepta allatum: quare, ut par eſt, homo omnium minime ingratus, et qui publica damna ad ſe vel privatum pertinere ſemper exiſtimavit, graviſſime adflictatus eſt; quippe recenti gratia obſtrictus, et apud ſe cum ſummo moerore reputans, juvenem illuſtrem decore et fervore aetatis, adde et factionum ubique pullulantium aeſtu, abreptum, occubuiſſe, et ſecum florem juventutis, hoc eſt, robur Gallicum, eadem ruina involviſſe: has primitias nimirum funeſti belli eſſe, turbulentis ingeniis et externa conſilia ſectantibus alieno maxime tempore excitati, cum regnum ad farciendas atque adeo profligandas praeteritorum malorum reliquias, ipſam denique religionem in tuto collocandam, quiete opus habebat; qua turbata libertatem odiis datam, laxatum fraenum ambitioni, leges oppreſſas, nomen Gallicum paene extinctum, et religionis, pro qua ſcilicet arma ſumebantur, nullibi in agro, raro in urbibus, veſtigia, vidimus; ipſis ſacrorum antiſtitibus ubique in allocutionibus et ex ambone apud plebem bacchantibus, et, charitate ejerata, contentiones, ſimultates, ultionum incendia, per familias, per domos, per oppida, ſpargentibus. Haec facies rerum toto regno fuit poſt illam cladem, quam aliae atque aliae tanquam catenae nexu ſecutae ſunt: quorum jam tum praeſagus Thuanus caſu Jouſae non potuit non magnopere commoveri.

ITAQUE ad Philippum [a]Portaeum, qui prae moerore hominum occurſus fugiens ad Sanvictorianum ſuburbium in Jo. Antonii Baifii aedes ſeceſſerat, officioſe ſe contulit, ut bene meritum de ſe amicum, ſi poſſet, ſolaretur, et in communi luctu mutuum ab ipſo ex alloquiis ſolatium acciperet.

POSTEA, ut ſibi amplius ſatisfaceret, et Franciſco cardinali a Jouſa, qui ſolus ex tanta familia ſuperabat, nam Henricus [b] Bucagii comes jam ſe in monaſterium conjecerat, ignaro gratiae ab Anna fratre in Thuanum collatae, id ſignificavit, ut haberet in familia, in quo accepti beneficii, auctore ejus adempto, memoriam recoleret; nihil minus et ipſe tunc cogitans, nam qui poterat? quam fore aliquando, ut arctiore cum illo neceſſitudinis vinculo conjungeretur: quod diu poſtea accidit, ac demum ſexto decimo poſt anno, cum, priore conjuge elata, ex qua nullos liberos ſuſceperat, Gaſparam [c] Caſtream Gabrielidis [d] Batarneae Franciſci materterae filiam in uxorem rurſus bonis avibus duxit, et paene intermortuam gentis Thuanae ſpem foecunda prole renovavit.

TULLIA [a]parens magnum ex eo caſu dolorem ſenſit, et pejora metuens pro filio rerum ſuarum ſecuro conſilium cepit; et, cum plura vellet et poſſet, a filio vix tandem impetravit, ut partem, quam in bonis ſuis habiturus eſſet, ſeorſim a reliquis heredibus donatione et ultimo voluntatis elogio [b] acciperet. Accedebat, quod domum paternam, quam, pro portionibus quae in praediis ruſticis illi competebant, filii et generi ipſi attribuerant, Thuano relinquere cupiebat; ut qui in faſceis paternos quaſi ſucceſſurus erat, etiam monumenta majorum in proximo templo ac jura ſacrorum, in quae vectigalia non modica erogaverat, religioſe tueretur, et onera injuncta ſine

VAR. LECT. [a] parens, ingenui et ipſa animi foemina, magnum *MSS. Reg. Samm. & Aut.* [b] acciperet: ſic enim illa, quae Jacobi perſpectum ingenium habebat, de eo judicabat, nimirum fore, ut in diviſione, quo pacem cum fratribus et ſororiis haberet, inſigne damnum ab ipſis paſſurus eſſet. Accedebat *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Des Portes.* [b] *Beauchage.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *de Batarnay.*

ſine mora exſolveret: quod de Thuani [a] fide certo ſibi perſuaſerat. Nihil clam actum, ſed conſciis heredibus ceteris; quibus et ultro cavit Thuanus, ut qua moderatione benevolentia materna uſus eſſet ipſis oſtenderet, ſi, facta aliquando diviſione, contingeret, ut quaepiam heredum portio a ſua vinceretur, oneribus, quae in ipſum mater rejecerat, deductis, quod excurreret, id coheredum arbitrio ſuppleret. Quae conditio a Thuano, cum mater nollet, adjecta fruſtra fuit: nam nemo heredum poſt diviſionem queſtus eſt de donatione et legatis ipſi a matre factis, tantaque aequitate omnia inter eos tranſacta compererunt, ut faterentur ultro Thuanum, quod ſibi factum nollet, alteri facere noluiſſe. Paulo poſt, non tam annis fracta quam moerore poſt virum amiſſum confecta, Tullia, cum, maritato filio, quod unice exoptabat, nullam cauſam juſtam videret cur diutius in vita manere deberet, in lethalem morbum incidit; cum quo bimeſtre totum in lecto luctata eſt: ad extremum, ſacramentis Chriſtiano more ſumptis, ad mortem ſe tam praeſenti animo et certa ſalutis fiducia comparavit, ut paucis antequam moreretur horis, cum amicos ad ſe venienteis dimitteret, eadem qua vixerat mentis tranquillitate et comitate ſe ipſis commendaret, et, ut ſe abſentibus commendarent, rogaret. Itaque cum [a] Pithoeus ab ea diſcederet, ita ſe ab ipſa dimiſſum dicebat, quaſi urbis pertaeſa in [b] Villetam ſuburbanum
CIↃIↃLXXXVIII. ſuum ad paucos dies diverteret. Septuagenaria deceſſit ineunte Januario proximo, cum quinquennium totum viro ſuperſtes fuiſſet. Mortuam laudavit in ſenatu et ſolemni pompa ei parentatum fuit, praeſidibus feretrum deducentibus, et proceribus aulae ac reliquis urbis ordinibus longo ordine funus proſequentibus.

Hic annus ad amicitiam Gaſparis [c] Schombergii comitis Nantolii et equitatus Germanici ſummi tribuni Thuano viam patefecit; quam ſancte poſtea, et omni officiorum erga ipſum et ſuos genere, coluit: quae, ex adfinitatis occaſione nata, conſuetudine exinde et voluntatum ac conſiliorum conſenſione ita coaluit, ut, quamdiu vixit Schombergius, a latere ejus Thuanus vix diſceſſerit.

Adulta factione in urbe jam tumebant omnia; et rex male conſultus, inſita in rebus agendis cunctatione, dum molli brachio efferentem ſe conjurationem coercere tentat, perditis hominibus ad majora audenda animos fecit; qui [d] Guiſium [e] Auguſtae Sueſſionum tunc haerentem, et fortunae ſuae auguria e propinquo captantem, contra regia juſſa in urbem venire poſtremo compulerunt: quod non perinde rex, ut decuit et potuit, ultus eſt. Qui primus error altero pejore mox cumulatus eſt: cum, introductis in urbem Helvetiis et praetorianis, attonito Guiſio et turbatis ſeditioſae factionis ducibus, mora ſua rurſus ſpatium conceſſit ad colligendos animos, famoſa illa, quae a ſepimentis doliaribus dicta eſt, die; qua Thuanus, malorum, quae jam oculis cernebat, inſita de publica quiete ſolicitudine jampridem praeſagus, praeſentius eorum ſpectaculum pro ſolatio accepit; et, accenſa ſeditione, ſine armis, cum uno et altero comitibus in urbe notis, ultro ad [f] Luparam pedes tendit: ubi cum fluctuare conſilia, in horas remittere, nihil generoſe decerni, videret, triſti ubique ſilentio ac ſolitudine, inde ad Guiſianas aedeis hinc longe diſſitas tranſvolat, et Guiſium ipſum ante aedeis ſuas in vico, in quem Momorantianarum aedium poſticum deſpicit, ſpatiantem offendit, cum Petro [g] Spinaco Lugdunenſi archiepiſcopo, utrinque diſpoſitis ſive mirabundis e plebe hominibus ſive ſatellitibus; quibus et ſe immiſcuit, diuque Guiſium attente contemplatus eſt, dum nunc imperia per fidos diſtribueret, nunc a conſciis de rebus quae in urbe agebantur certior per momenta fieret, quamvis ſolicito in ſpeciem vultu, ſervata tamen eadem oris ſerenitate et conſtantia, ut vel ex eo jam certum de rerum ſucceſſu judicium fieri poſſet,

victricem

VAR. LECT. [a] fide, cum alios heredes id inſuper habituros diceret, certo ſibi *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Pithou.* [b] *la Villete.* [c] *de Schomberg comte de Nantueil.* [d] *le duc de Guiſe.* [e] *Soiſſons.* [f] *le Louvre.* [g] *d'Eſpinac archeveſque de Lion.*

victricem nimirum ejus fortunam eo die futuram. Inde digreſſus, jam calente ſeditione, cum dolia paſſim erecta et vias obſtructas reperiſſet, quod inermis eſſet, et in urbe notus, ſaltu obſtantia ſuperare a ſtationariis permiſſus eſt, donec ad S. Michaëlis pontem venit; cujus caput jam ſeditioſi occupaverant, et doliis poſitis muniverant, regiis copiis in forum novum retractis. Ibi cum Alfonſo [a] Ornano illuc a rege miſſo, quem a tempore quo Valentiae Segalaunorum Cujacio operam navabat, quo ille Corſorum legionem in praeſidio tenebat, cognitum habebat, ſermonem aliquandiu habuit: et cum ad proximum tabernae ſuperioris conclave, in quod Nic. [b] Auxius Turrianus uxoris cognatus, in pede paulo ante ſcloppeto ictus, tranſlatus fuerat, ire pergeret, ab eo prohibitus eſt, et domum propere ſe conferre juſſus; nam res jam calebant. Itaque propius ad [c] doliaria ſepimenta accedit; in quibus, praeter ſeditioſos armatos, qui dolia ab imo ponte ad caput jam promoverant, etiam praecipuae dignitatis viros cum illis ſtare miratus eſt; qui ſe illuc veniſſe poſtea dixerunt, ut ſeditioni modum facerent, et majorem tumultum impedirent, re vera quod ſibi metuerent: quod cum faciebant, non metuebant ne animos tumultuantibus facerent, et auctoritatem factioni conciliarent. Cum ſaltu dolia ſuperaret, aliquandiu a Joanne [d] Ruta ſartore, ſeditioſorum illa urbis regione anteſignano, retardatus eſt; et alta voce clamanti, quo faciliorem tranſitum ſibi pararent, regem mandaſſe ut copiae militares diſcederent, ſuperbe reſpondit, id jam illas non regis juſſu ſed metu feciſſe. Itaque praefractae impudentiae et verbis et factis hominem miſſum faciens, qua via data, in ulteriorem partem ad aedeis proprias haud hinc longe ſitas ſe recepit, ubi uxorem in limine anxie praeſtolabundam reperit; tintinnabulis templorum ad [e] Palatini pulſum ubique claſſicum jam canentibus: quae, pluribus [α] quia in Hiſtoriarum libris perſcripta ſunt, heic omittere pretium duxi. Sub veſperam, atque adeo poſt coenam, cum jam recedentibus aut diſturbatis regiis [f] Guiſius urbis potens eſſet, ad pontem reditum: et cum in taberna pannificia cum Barnaba [g] Briſſonio praeſide, penes quem copiarum urbanarum illius regionis [β] imperium erat, colloqueretur Thuanus, ſenſit, [1] hominem jam vulgi auram captare et tempori obſecundare; quod illi poſtremo male vertit. Eo mox venit a Guiſio [h] Moius Riſborgius; et voce canora, ut ab omnibus exaudiretur, rege ſugillato, et exagitato eorum qui circa ipſum eſſent ſcelere, quid Guiſii voluntatis eſſet aperit, et imperata facere jubet. Nox inter fragores metumque tranſacta. Poſtridie a ſenatu delegati ad Luparam eunt, et pacis internuncios inter regem Guiſiumque ſe profitentur. Diverſa parte, in ea urbis regione quae Univerſitatis nomine indigitatur, odio ſectariorum, quibus regem regioſque in occulto favere blaterabant factioſi, ſcholis incluſi juvenes armantur; arma etiam ad Franciſcanorum collegium maxime populoſum, juſſu, ut jactabatur, [i] Briſſaci, comportantur. Jamque de Lupara obſidenda rumor percrebuerat, cum rex conſilii inops, praevalentibus circa eum, nam [k] Eſpernonius in Neuſtriam diſceſſerat, qui factioni clam nomen dederant, propudioſum urbem relinquendi conſilium capit, et fugae diſceſſu ſimili majores animos conjuratis fecit, abductis ſecum praetorianis: quibus comitatus, facto per [l] Clodoaldi-fanum itinere, [m] Trapas contendit. Proceres qua potuere, alius poſt alium, regem ſunt ſecuti: regina parens in urbe manere juſſa, ut concordiae ratio iniretur.

VAR. LECT. [α] quia in Annalibus nondum editis perſcripta ſunt *MSS. Reg. Samm. & Aut.* [β] ſummum imperium *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *d'Ornano.* [b] *d'Auxy Sr. de la Tour.* [c] *les barricades.* [d] *la Rue.* [e] *l'horloge du palais.* [f] *le duc de Guiſe.* [g] *Briſſon.* [h] *de Mouy de Risbourg.* [i] *de Briſſac.* [k] *le duc d'Eſpernon.* [l] *S. Cloud.* [m] *Trapes.*

NOT. [1] *lege* hominem, plus literis quam moribus praeſtantem, jam *Put. L.*

SCHOMBERGIUS poſt triduum, petita a Guiſio, nam tunc omnia in urbe ejus imperio etiam praeſente regina gerebantur, ſecuritate, qua et Thuanus et Albertus Bellevrei filius, qui poſtea archiepiſcopus Lugdunenſis fuit, comprehendebantur, in viam ſe dat; et eodem itinere Autricum Carnutum, quo jam rex pervenerat, profectus eſt. Ibi ad eum venit e Neuſtria Eſpernonius; et, ejerata protinus in [a] Monpenſerii gratiam ſumma provinciae praefectura, in [b] Santones et Engoliſmenſem principatum profectionem adornat.

[c] VILLAREGIUS interim ultro citroque ad reginam et Guiſium commeabat. Cum res de induſtria a Guiſio firmandis rebus ſuis poſt caſum Pariſienſem moras nectente extraheretur, placuit ut delegati in provincias mitterentur, qui de rerum ſucceſſu, voluntate regis in convocandis regni ordinibus, praefectos et magiſtratus edocerent, et in fide confirmarent.

THUANUS Neuſtriam ſortitus eſt; et ex conſilio [d] Moiì Petrocurii praefecti, qui in comitatu regis tunc erat, et poſtea mutavit, [e] Mediolanum Eburovicum primo venit, et cum [f] Claudio Sanctio urbis epiſcopo jam ſecus affecto egit. Inde per [g] Lupariam [h] Rotomagum profectus, et in ſenatu primum, dein apud decuriones, auditus, aditum ad urbem regi venturo paravit. [i] Diepam inde iter fuit, ubi affectos oppidanos egregie erga regis cauſam reperit, quippe majorem partem Proteſtanteis et propterea Guiſianis infeſtos: ſed veriti, ut et [k] Cadomi plerique, ne rex non tam de auctoritate recuperanda, quam de quiete vel cum dignitatis diſpendio redimenda, cogitaret, quod ex ingenio eorum qui de rebus componendis adhibebantur aeſtimabant, egregios adeo affectus intra pectus premebant: ceterum, ſi res ad bellum, quod minime rebantur, ſpectaret, ſe vitam, fortunas, pro regio nomine impendere paratos demonſtrabant. Diepa per [l] Valerii-fanum Fiſcanum itum, coenobio opimo nobile, quod inſtar arcis ſupra portum ſitum eſt, in quo reliquiae pretioſae olim librariae ſupellectilis adhuc viſuntur. Ibi praefectum convenit: quo facto [m] Montivilleriam tendit; ubi omnia turbata offendit vicini praefecti minis, cui parere oppidani neceſſe habebant. Is erat Andreas [n] Brancatius Villarius, ab Anna Jouſa, quem proxima cognatione contingebat, [o] Franciſcopoli impoſitus, factioni, jam accepta a Pariſienſibus pecunia, addictus: quem regis nomine adire et compellare juſſus, nihil ab eo niſi verba ludibrii et contumeliae plena accepit. Tranſmiſſo Sequana per [p] Petri Divaci fanum cum Cadomum veniſſet, longe aliter et oppidanos et praefectum Gaſparem [q] Peletum Verunam affectos reperit. Is ſiquidem, miti ingenio vir, quanquam arcta cum Villario neceſſitudine conjunctus, longe ab eo diſſidebat, et nihil praeter regis obſequium ſpirare videbatur; ſed eodem, quo dixi, cum primariis civibus reſpectu retinebatur. Inde [r] Lexovium ventum; ubi [s] Loncampium factioni itidem mancipatum nequicquam convenit Thuanus: et mox ſe [t] Millaregium contulit, ſicuti cum Petrocurio convenerat. Ibi a loci domino, Petrocurii, qui interim ex [v] Eburovicibus illuc venerat, fratre, exceptus, coram utroque quid Franciſcopoli, quid Cadomi egiſſet, exponit; et cum ſermones a Villario habitos referret, mirati veſaniam hominis, ea laborare arrogantia et ambitione illum ambo dixerunt, quae nulla ratione, niſi tranſverberato ſcloppeti ictu capite, curari poſſet: et ita [1] Millaregium ſentire poſtea Thuanus ad regem retulit. Jam rex [w] Autrico Rotomagum venerat, ubi ſe ſpectaculis inanibus oblectabat. Auditus Thuanus in arcano, mox in Picardiam, quia ad eam provinciam miſſi nondum redierant, incerto rege quid in illa ageretur, cum mandatis ipſius regis manu exaratis remittitur; factoque per [x] Novum-caſtrum itinere,

INTERPR. [a] *le duc de Montpenſier.* [b] *Saintonge, & Angoulmois.* [c] *de Villeroy.* [d] *de Mouy de Pierrecour.* [e] *Evreux.* [f] *Claude de Sainctes.* [g] *Louvieres.* [h] *Rouen.* [i] *Dieppe.* [k] *Caen.* [l] *St. Valery, & Feſcamp.* [m] *Montivilliers.* [n] *Brancas de Villars.* [o] *Havre de Grace.* [p] *St. Pierre ſur Dive.* [q] *de Pelet de la Verune.* [r] *Liſieux.* [s] *Longchamp.* [t] *la Meilleraie.* [v] *pays d'Evreux.* [w] *Chartres.* [x] *Neuf Chaſtel.*

NOT. [1] *ſcil.* Petrocurii fratrem Millaregii dominum.

itinere, ad [a] Abbatis-villam ivit; in qua magiſtratum convenit, et arcis, quae tunc ſtabat, praefectum. Inde per [b] Remigii pontem [c] Samarobrigam Ambianorum venit, jam factione praeoccupatam, [d] Balagnio e propinquo vireis et pecuniam oſtentante, qua ſe adverſus Navarriſtas religionis hoſteis, ſic regios vocabat, tueretur. Vix oſtenſis mandatis, quae dixi, illis perſuaſum, regem, ſecus quam rebantur affectum, et ipſis et religioni proſpectum cupere. Inde adverſo [e] Somona [f] Corbiam ventum: ubi [g] Pontium Belloforerium loci praefectum, qui aberat, diem integrum praeſtolatus, optimae antiquitatis bibliothecam, jam a multis expilatam, ſed bonis adhuc libris et bonae notae fragmentis refertam, perluſtravit; multaque ſeorſim a reliqua congerie ſepoſuit, quae rebus compoſitis olim ſibi atque adeo rei literariae uſui fore ſperabat. Sed ſpem ejus fraudavit belli diritas, et direptio oppidi aliquot poſt annis ſecuta; quae pretioſas illas reliquias, non templi, in quo aſſervabantur, religione tutas, diſſipavit. Itaque, cum poſtea eas requireret, et praefectus loco a rege impoſitus, arcta cum uxore ſua cognatione conjunctus, nihil ei negaturus videretur, inſpecto loco, nihil in arca in qua fragmenta repoſita erant, nihil in pluteis huc illuc disjectis, priſtinae opulentiae reperit; tantum aſſeres et tegumenta librorum lacera per terram ſparſa calcavit. Hic bellorum civilium, quae male-feriati homines hodie, religionis zelo ſcilicet inflammati, tantopere exoptant, fructus, haec merces; haec pietatis, quae per caedeis et incendia graſſatur, repoſita in terris remuneratio. Ibi Belloforerium rure reverſum compellat Thuanus, ad quem ſigillaritias a rege literas habebat; et ſermonum quos cum rege nuper habuiſſet, fideique datae, memorem eſſe jubet. Ad quae cum ille ambigue reſponderet, quid egiſſet Samarobrigae, quid ad Abbatis-villam, ad regem diligenter perſcribit, et verba ſibi egregie data, ceterum fidem Belloforerii nutare, monuit Thuanus: qui inde [h] Noviodunum et Varanam in propinquo, arcem Ludovici [i] Barbanſoni ſororii primariam, in [k] Eſiae inſula ſitam, divertit; quo ei uxor, quam in urbe reliquerat, obviam proceſſit.

Rebus interim ita compoſitis ut bellum atrox Navarro denunciaretur, et edicto Juliano condito, cui vix tandem adduci potuit ut ſubſcriberet [l] Nivernius, rex Rotomago cum aulico comitatu, regina parens cum Guiſio jam reconciliato Lutetia, Autricum convenerunt, ut de belli decreti ratione in commune conſultarent.

Heic rex ultro ſpem Rotomagi factam implevit, et Thuanum in ſanctius conſiſtorium legit, qui ſacramentum dixit VII Kal. Septembreis. Quo tempore de immanis Hiſpanorum claſſis ad Britanniam invadendam deſtinatae ſucceſſu ſuſpenſi erant omnium animi, praeſertim ſub adventum in aulam Bernardini Mendozae, qui res Philippi, atque adeo Henotici foederis apud nos, pluſquam oratoris officium patitur, ſtudioſe procurabat. Itaque cum conſiſtorium haberetur, in quo ſedebant Chevernius, infra cum [m] Villoclarus, Claudius Pinarius, et Brulartus [n] Cronius regi a ſecretis epiſtolis, in adverſa menſa archiepiſcopus [o] Bituricenſis, et rurſus infra eum Guiſius: inter eos qui aſſederant, aderant Thuanus et Emericus [p] Vicus. Habita tunc plena hinc diſſimulationis, hinc et adulationis, ut erant tunc in aula ſciſſa partium ingenia, de claſſe Hiſpana ſermocinatio potius quam deliberatio; quae extemporanei carminis ad Puteanum ſcripti occaſionem praebuit: quod inter chartas ejus jacere cum comperiſſem, non indignum viſum eſt quod nunc lucem videat, et heic ſuo loco inſeratur.

AD

INTERPR. [a] *Abbeville.* [b] *Pont-de-Remy.* [c] *Amiens.* [d] *Balagny.* [e] *la Somme.* [f] *Corbie.* [g] *Pons de Belleſouriere.* [h] *Noyon, & Varane.* [i] *de Barbançon.* [k] *l'Oyſe.* [l] *le duc de Nevers.* [m] *de Villequier.* [n] *le Sr. de Crone, ſecretaire d'Eſtat.* [o] *de Bourges.* [p] *du Vic.*

JAC. AUG. THUANI

AD CL. PUTEANUM SEN. PARIS.

CLASSIS Hiſpanae profligatio.

POSTQUAM legitimi pertaeſa Lutetia regis
Intra Eidus Maias ſe ſeditione nefanda
Polluit, in [a] *Luparam verſis quae ſumpſerat armis,*
Mentitaque ream ſe relligione peregit,
Mox et Quintili pax non bene tuta ſequenti
[b] *Rotomagi coiit,* [c] *Carnutum accedit ad urbem*
Rex iterum Henricus magna comitante caterva
Lectorum procerum, nuperque reconciliatis
Principibus; venit et gilvo aſturcone ſuperbus,
Aerea clariſonis cui tintinnabula bullis
Circum armoſque jubaſque crepant, orator Iberus:
Tempore quo tot claſſem annorum totque virorum,
Et biſſenarum, nam ſic aiebat Iarbas,
Auri myriadum, mandaverat ire Philippus
Oceanum in magnum, et fineis penetrare Britannos.
Dum venit, ambiguas per diverſoria voces
Perque vias mirus fingendi ſeminat auctor.
Nam ſi quos fratres, ſi quos de faece popelli
Nactus erat, prenſos vanis rumoribus implet.
Cantat Io laetos viſo nondum hoſte triumphos;
Anglos disjectos paſſim Drakumque fugatum,
Huc illuc ſparſos proceres, aulaque relicta
In Londinenſi reginam turre latentem.
Obvius huic aliquis de nobilitate fuiſſet,
Ne planus et mendax, ut erat, videatur agyrta,
Compoſito mox laeta inter et triſtia vultu
Luctantem narrat ſuſpenſo remige claſſem
Exſpectare auras facileis, nondumque triremeis
Appulſas, certa ſed ſpe tamen omnia plena.
Ingens interea [d] *Boiatum ad littora navis*
Vento pulſa gravi fulvis illiſit arenis.
Major ad aequoreum clades accepta [e] *Caletum,*
Qua brevis ad [f] *Doveram tractus patet, Iccius olim,*
Aut Geſſoriaci dictus cognomine pagi,
Implevit totos numeroſo remige vicos,
Augurioque fidem fecit praeſaga ſiniſtro.
Nunc de ſucceſſu noſtra quis ſenſus in aula,
Quae vota atque metus, quaeque exſpectatio claſſis,
Accipe; ſolemnemque una, Puteane, memento,
Quantum fas inter turbas, ridere cachinnum.
Forte cohors procerum contracta ad praeſulis aedeis,
In quibus hoſpitium rex pacis amator habebat,
Venerat anguſto conſultatura ſacello.
Concilio ipſe aderam, (tanto rex ſponte benignus
Indignum me nuper erat dignatus honore.)
Primum heic pupillis intra ſua clauſtra retractis,

Cornea

INTERPR. [a] *le Louvre.* [b] *Rouen.* [c] *Chartres.* [d] *coſte de Medoc.* [e] *Calais.* [f] *Douvres.*

Cornea ut exterius tantum appareret imago,
Stabat adoranti ſimilis, coeloque levabat
Lumina, et adductas jungebat ad oſcula palmas
[a]*Petreius, digne factum juſte atque decore,*
Quodque vehat paſſim ſublimi gloria curru,
Jugiter exclamans, et laudans regis Iberi
Conatus, magnos auſus, forteiſque tribunos.
Ex adverſo infit [b]*Pinarius indole natus*
Diverſa, cunctis ut contradicere ludum
Duceret, ut merita eſt pereat quoque claſſis oportet,
Obrutaque inſana vento reflante procella
Piſcibus eſcam avidis ludibria debeat undis,
Quae noſtros auſa eſt venia ſine tangere portus,
Injuſte ſatagens alienum invadere regnum.
Excipit hunc miti teretes [c]*Reginaldus ineſcans*
Et blando ſermone aures; quo tanta profatus
Agmina et ingentes belli immaneſque paratus,
Hinc niſi devictis Hiſpania ut arma Britannis
Protinus in ſegneis vertat victricia Gallos,
Parturiens illam lacerato ex orbe coronam,
Quam ſibi jam multis ſpe credula ſpondet ab annis?
Nam nullam in turbis pietas ſibi vindicat iſtis,
Nullam relligio divinaque gloria partem:
Ambitione furit. Non hoc ſeptemplicis urbis
Praecipit antiſtes, non hoc Tarſenſis et ipſe;
Non haec doctrinae fundamina jecit uterque,
Cum peterent mortem; non hac per tempora priſca
Simplicitas graſſata via eſt interrita patrum,
Infula profuſo decorat quos tincta cruore,
Et fidei teſteis veracibus inſerit actis.
Haec dum ſolicita dubius bibit aure [d]*Philippus*
Contractis humeris oculos huc volvit et illuc;
Et pavitantis heri vultus ex tempore ſumens
Nunc tacitus muſſat, nunc percontatur ab omni
Quiſquis adeſt ſocio, quid garrula fama ſuſurret
Sincerive crepet, quas aeſtifer Aeolus auras
Fluctibus immittat, caeco quas carcere claudat?
Poſt illum ſucco turgens cathedraque ſedebat
Plena ipſo dirum monſtrum peſtiſque [e]*Renatus,*
Obſequiis ſemper gaudentis turpibus aulae
Foedus adulator, corrumpendique magiſter
Strenuus: (huic tetro crus ulcere laeve fluebat
Ex intemperie nimia crapulaque frequenti)
Qui ſcurra digno ſic eſt ſermone locutus.
[f]*Callaico provectus ovat* [g]*Sidonius Auſtro,*
Et poſita Boreas rabie deſaevit et Eurus.
Sentio: nam mihi pus lachrimoſo crure reſudat
Plenius, et ſanie manante ligamina foedat.
Scurra valet, pelagoque volat praetoria victrix.

Guiſiada

INTERPR. [a] *de Crone.* [b] *Pinart.* [c] *de Beaulne.* [d] *de Chiverny.* [e] *de Villequier.* [f] *la coſte de Galice.* [g] *le duc de Medina Sidonia.*

[a]*Guiſiada haec coram, rege intra ſepta latente,*
Fabula agebatur; cui pulchri utrinque patebant,
Nam decet hoc illum, diducta veſte lacerti:
Qui comem ſimulans omneis aſſederat infra.
Is, ter percuſſa poſt longa ſilentia menſa,
Pauca refert, imo ſuſpiria pectore ducens,
Nemo niſi e portu ſolvens cum claſſe propinquo
Speret in Anglorum ſine damno exſcendere litus,
Saxonicoque ſolo titubantem ponere greſſum.
Longinquo ſiquidem jactatus ab aequore miles
Nauſeat, abjectis ad munia debilis armis.
Atqui a [b] *Scaldi et Mattiacis aeſtuaria ad* [c] *Atae*
Belgica vix pandas admittit terra carinas:
Sola tenet portus armatis navibus aptos,
Sola, nec ambigitur, conatus Gallia tantos
Suſcipere, optatumque poteſt praebere triumphum.
Nec temere hoc ſiquidem tentata [d] *Bononia nuper,*
Ante diu claſſi ſtatio proviſa juvandae;
Gnaviter obſeſſis ſed defendentibus urbem
Nequicquam amiſſos dux facti moeret amicos
Pro vallo, turpique fuga tormenta relicta.
Haec ubi Guiſiades corde eructavit anhelo,
[e] *Vici, qui prope erat, ſubito converſus ad aurem;*
Jam de naufragio conſtat mihi certius, inquam,
Quam ſi rem Veneri denarret epiſtola Martis.
His in concilio dictis ſurreximus omnes.

Autrici Carnutum IV Kal. Sept. CIↃ IↃ LXXXVIII.

[f]AUTRICUM et Schombergius, qui in Juliani edicti negotio operam reginae navaverat, cum aliis venit, et, pactis nuptialibus inter Ludovicum Barbanſonum Canium et Catharinam filiam Lutetiae Thuani ſororii interventu confectis, ſponſalia coram rege et regina parente, quae pro ſponſa olim in ſacro lavacro fidejuſſerat, celebrari voluit. Nic. Thuanus epiſcopus verba fecit, magna corona et gratulatione circumſtantium. Nec minore laetitia convivium ſub veſperam inſtauratum, cui rex cum regina et aulae proceribus interfuit. Annas [g]Anglurius Givrius arcta cognatione cum Canio conjunctus, qui in aula juventutis veluti princeps habebatur, forma conſpicuus, verbis lepidus, totoque corporis geſtu concinnus, quodque in noſtra nobilitate rarum, literis Graecis Latiniſque non mediocriter tinctus, et, quod caput erat, militari virtute praeſtans et ſtrenuus inter aequaleis creditus: is equi lapſu paulum luxatus, quanquam invitatus, ſe excuſaverat: ne tamen omnino Canio cognato deeſſet, ut erat ingenio in his rebus feſtivo, rationem invenit, qua novo ſpectaculo non injucundus conviva interveniret; et, quia rectus adhuc ſtare non poterat, a claſſiariis Turcis, quibus ob Hiſpanorum recens naufragium tota urbs oppleta erat, ſuccollantibus ſellae impoſitus, facie aperta, ſed habitu quaſi ad pompam perſonatam compoſito regem Indicum referente, in coenaculum inopinato illatus eſt, incondita voce occinentibus vectoribus, magnoque riſu regem totamque aulam complevit. Sponſalibus Autrici factis Lutetiam reditum, et peractae in Schombergii aedibus nuptiae, nuptaque a patre in Varenam arcem ad maritum deducta.

THUANUS

INTERPR. [a] *le duc de Guiſe.* [b] *l'Eſcault, & Zelande.* [c] *Aa r.* [d] *Boulogne ſur mer.* [e] *de Vic.* [f] *Chartres.* [g] *d'Angiure de Givry.*

THUANUS poſt tumultum Pariſienſem, jam malorum quae impendebant praeſagus, cum urbem amplius in regis poteſtate non eſſe exiſtimaret, ſupellectilem ſatis amplam, cujus partem faciebat, quam a matre legato acceperat, argenteam gazam, gemmas, aulaea, tapetes, veſtem ſtragulam, lectos, ex nuptiarum ſororii occaſione aſportaverat; quae inde accenſo bello cum ſupellectile Schombergii, quam Nantolii copioſiorem habebat, [a] Faram Veromanduorum deportata fuit juſſu ipſius Schombergii, qui utramque tuto loco depoſitam putabat, quod [b] Guerrerium hominem ſibi addictum cum cohorte ſua ei impoſuiſſet. Quod prudenter ab illo in ſpeciem factum male utrique ceſſit: ſiquidem ſequenti anno locus a Florimondo [c] Halvinio Menelei marchione captus et direptus fuit, et utriuſque deperdita ſupellex, niſi quae a [d] Lametis fratribus ſervari potuit; nam quicquid ab iis, qui domum ſervabant, amoveri potuit, et [e] Buchavanii in manus etiam conſignatum fuit, uxori ejus, quae [f] Cuciacum, quod praeſidio tenebat Lametus ejus frater, per hos motus ſe receperat, bona fide reſtitutum eſt. Nec minor tamen x aureorum millibus ea jactura aeſtimata eſt: quae ad alias pleraſque, quas hoc bello fecit, cum acceſſiſſet, nemo tamen Thuanum ea de re conquerentem vidit, aut litem cuiquam, quod alii plerique fecerunt, poſt res compoſitas ob id moventem intellexit; ſive quod ab omni contentione abhorreret ejus animus, ſive quod vereretur, ne vel damni metu aut ſpe lucri regias partes ſecutus, aut, praeteritis ſemel oblivioni traditis, privati commodi cauſa memoriam eorum renovaſſe videretur.

JAMQUE inſtabat comitiorum tempus; et rex [g] Bloeſas, quo loco ordinum delegati convenire jubebantur, profectus fuerat: ubi priſtinae adminiſtrationis pertaeſus, et res novas agitans animo, novam faciem aulae induxerat, domum relegatis cancellario, Bellevreo, Villaregio, Pinario et Brularto a ſecretis epiſtolis.

BLOESAS mox profectus eſt Schombergius, cumque ſecutus Thuanus diverſo per [h] Eclimontanam arcem in Carnutibus itinere; ubi Chevernium domum remiſſum convenit, et per triduum cum eo commoratus eſt. Inter varios de republica ſermones, cum quotidie de controverſiis inter regem et Guiſium ſubinde adulta factione per occaſionem exorientibus afferretur, in iiſque ſemper ſuperiorem Guiſium evadere, triſte de exitu augurium Chevernius fecit, atque aliud quam quod vulgo rebantur homines; quippe patientia et diſſimulatione regis auctoritatem ac dignitatem regiam minui ac prorius in dies infringi, cum interea Guiſii potentia per ſuorum efferentem ſe inſolenter audaciam magis magiſque creſceret: nam contra ille, qui regis ingenium perſpectum haberet, ſic diſſerebat; diſſimulationem illam et patientiam, poſtquam omnia tentaſſet quo res ad moderationem adduceret, ſi pergerent factioſi, ut minime deſtituros apparebat, ad extremum in furorem verſum iri, ac fore, ut, cum minus putabatur, animos rex ex deſperatione ſumeret, et cum paucis Guiſii cubiculum in arce ingreſſus, depoſito omni periculi ex eo ſecuturi metu, ipſum cum ſuis pugionum ictibus confoderet.

ID pro tempore Thuanus preſſit, et Bloeſis comitiorum tempore fuit; ubi multa inciderunt ſingularia, quae in hiſtoriae univerſae corpus cum compingi non commode poſſint, heic, prout Thuani memoria ſuggerere potuit, aſcribentur. Ille cum Carolo [i] Vindocino cardinali et Carolo [k] Sueſſionenſi Borboniis fratribus aſſiduus erat, et plus ſtudio quam auctoritate res eorum adjuvabat. Crebro etiam ad Annam [l] Ateſtinam, Guiſianorum et [m] Nemoroſii communem matrem, itabat, pro familiaritate quam poſt utriuſque parentis obitum cum ipſa colebat, ſi qua ratione inter duas

INTERPR. [a] *la Fere en Vermandois.* [b] *Guerry.* [c] *Hallewin M. de Meignelers.* [d] *Lamet.* [e] *de Bouchavanes.* [f] *Coucy.* [g] *Blois.* [h] *d'Eclimont au païs Chartrain.* [i] *le cardinal de Vendoſme.* [k] *le comte de Soiſſons.* [l] *d'Eſte.* [m] *le duc de Nemours.*

duas familias non tam inimicas quam aemulas concordia iniri poſſet. Ante tumultum Pariſienſem et poſtea [a] Autrici et Rotomagi fuerat, in aula et tunc Bloeſis erat Michaël Montanus, de quo in ſuperioribus demonſtratum eſt; qui arctum cum Thuano exercebat amicitiae officium, et ipſum in dies urgebat, ut de Veneta legatione, cui deſtinabatur, ſerio cogitaret: nam ſub id ex ea redierat Andreas [b] Huraltus Meſſius Chevernii gentilis. Ipſe Venetias cogitabat, et toto tempore quo Thuanus in ea urbe eſſet, ab ejus conſuetudine non receſſurum ſe oſtendebat. Cum vero de cauſis horum motuum diſſereret, ſic aiebat, nam ſe aliquando inter [c] Navarrum Guiſiumque, cum ſimul in aula eſſent, medium interpoſuerat; ‘Guiſium amicitiam Navarri omni officio et ſedulitate ambiviſſe; ab eo, quem amicum, quem placatum habere expetiverat, deluſum, et diſſimulatione excluſum, cum ſe hoſtem cumque infenſiſſimum habere ſentiret, ad extremum armorum remedium, ut ſe decuſque familiae tueretur, confugere neceſſe habuiſſe: haec alienati animi inter eos initia in hoc belli incendium poſtremo exarſiſſe, cujus non alium exitum videat, quam alterutrius exitium; cum et Guiſius incolumi Navarro de vita propria et ſuorum ſalute deſperet, nec Navarrus ſuperſtite Guiſio jus ſuum tueri ſe poſſe in regni ſucceſſione confidat: religionem, quae utrique obtendatur, ab iis qui illos ſequuntur ſpecioſe praetexi; ceterum neutrum ipſorum reſpicere: nam et Navarrum, niſi a ſuis deſeri metueret, ultro ad ſacra majorum paratum redire; et Guiſium, ſi periculum abſit, ab [d] Auguſtana confeſſione, cujus guſtum aliquem ſub Carolo cardinali patruo quondam habuerit, non abhorrere. Ita, cum inter eos communicaret, utrumque ſentire animadvertiſſe.’

INTEREA Guiſius ſuorum cauſam ſuſcipere, alienos a ſe demulcere, ſingulos prenſare, honores, dignitates, magiſtratus, praefecturas, quaſi eas in poteſtate haberet, avidis venditare; denique nihil reliquum facere, quo univerſorum gratiam ſibi devinciret. Et cum ſub id rumore allatum eſſet, Annam Barbanſonam Nantolieti uxorem a ſicario pugionis ictu in jugulum directo petitam eſſe, Guiſius a Thuano officioſe quaeſivit, quid ſuper ea re reſciviſſet, et utrique operam ſuam et gratiam benigne detulit. Thuanus contra, qui a factione omni alienus eſſet, cum illum nunc vultu ſereno reſpiceret, nunc blanditia ſermonis provocaret Guiſius, modeſte ſe removere et ſobrie reſpondere. De quo cum ille apud Schombergium quereretur, Thuanus ſic ſe excuſabat, ut ſibi non ſolum honorificam tanti principis benevolentiam, ſed etiam his temporibus utilem ac ſumme neceſſariam, non diffiteretur: ceterum cum videret raros in ejus comitatu bonos civeis, ipſum cum rege aſſidue altercari, perditum quemque ad ejus latus ſe applicare, ea re fieri ut ſe libenter ſubducat, et malit in obſcuritate conſeneſcere, quam vitae ſplendorem hujuſmodi hominum ſocietate redimere. Quod cum ad Guiſium relatum eſſet, ille rurſus replicabat, ſumma ſe ſemper omnia feciſſe, ut bonos illos civeis, quorum penuriam exprobrari ſibi doleat, omni officio ac beneficio ſibi conciliaret: nunc, cum amicis opus habeat, reliquum eſſe, ut iis utatur, qui ſe ſponte nec rogati offerant; cum alii, quibus ultro amicitiam ſuam defert, eam defugiant, et, quo propius defertur, ab ea longius ſe removere videantur.

IIS comitiis pro ſacro ordine verba faciebat Reginaldus [e] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis, is de quo jam dixi, ab omni factione et conſiliis turbulentis alienus: cumque de luxu refraenando ageret, qui jam tum laxis habenis ſe effundebat, et poſtea ſemper crevit, ejus initia ſe Lutetiae vidiſſe dixit, et exempla priſtinae frugalitatis recenſuit; in iiſque [f] Tulliam Thuani matrem, et primarii in urbe magiſtratus conjugem, poſt honorificam admodum praefationem propoſuit; quae cum lectica, ut

aulicae

INTERPR. [a] *Chartres, & Rouen.* [b] *Hurault Sr. de Meiſſe.* [c] *le roy de Navarre.* [d] *la Confeſſion d'Augsburg.* [e] *de Beaulne archevêque de Bourges.* [f] *de Tuelleu.*

aulicae principales matronae et virgines ſemper antea conſueverant, et carruca, cujus tunc uſus rarus, vehi poſſet, tamen, ut modeſtiae ceteris inſtar eſſet, in equo poſt tergum ſeſſoris domeſtici tapeti et ſtapedae inſidens per vicos portabatur. Quod cum publice dixiſſet coram rege et frequenti procerum corona, et gravis illius ſive ſimplicitatis ſive frugalitatis commemoratio non indigna conſeſſu illo videretur; tamen in oratione, quae poſtea cum ceteris comitiorum actis publicata eſt, id totum omiſſum fuit. Et vero non ita diu eſt ex quo effraenis illa in luxu licentia per urbem graſſari coepit: nam primus qui in urbe curru vectus eſt, extremo Franciſci I regno, fuit Jo. [a] Lavallus Boſcodelphinus, vir illuſtri loco alioqui natus, quod propter corporis obeſitatem commode equo inſidere non poterat; tantumque tunc in aula duae carrucae erant, ex Italia nuper uſu invecto, altera reginae, altera aliquanto poſt Dianae Henrici II naturalis [α] filiae. Prima in urbe fuit Chriſtophori Thuani, poſtquam princeps ſenatus creatus fuit; qua tamen nec ipſe cum in palatium quotidie, et interdum juſſus a rege, nam niſi jubente rege ex laudabili majorum inſtituto palatinis magiſtratibus eo itare religio erat, Luparam iret, minime utebatur; nec ejus uxor, cum ad inviſendas officioſe amicas et cognatione conjunctas foeminas per urbem incederet; ſed equo, ita ut dictum eſt, inſtrato vehebatur: tantum uterque cum rus proficiſcebatur, curru vehebatur: quod et in cauſa fuit, ut diu poſt nemo currum in urbe haberet. Hodie ita multiplicatus eſt carrucarum numerus, ut quot Venetiis privatis vehendis naviculae, tot nunc in urbe carrucae numerentur; nec habito ordinis et conditionis delectu, etiam infimae conditionis homines iis promiſcue utantur. Quod in tranſitu, ut multa heic, dictum ſit.

Comitiis ad exitum ſpectantibus, cum Thuanus in dies regium nomen nimia patientia vilescere moereret, de reditu ad urbem, ut publicis, quantum in ſe eſſet, et privatis rebus proſpiceret, cogitare coepit; et cum commeatum a rege ſecretius conclave poſt coenam ingrediente peteret, rex illum in tranſitu obſcuro diu manu prehenſum tenuit, et poſt aliquantulam moram, qua multa cum ipſo collocutus putabatur, nihil aliud ei mandavit, quam ut ſe et negotia ſua Achilli Harlaeo primario praeſidi ſororio ſuo commendaret. Schombergius, qui a tergo ſtabat, poſtea a Thuano quaeſivit, quid tamdiu cum rege collocutus eſſet: cumque ille ſummum inter eos ſilentium fuiſſe, nihilque aliud niſi honeſtatis ad Harlaeum mandata ſibi data reſponderet, miratus eſt Schombergius, qui tamdiu rex ſiluiſſet; ex eoque ſuſpicionem fecit, cum plura mandare initio decreviſſe, ſed re in mentem revocata mutaſſe. Et Thuanus ipſe poſt caſum Bloeſenſem ita exiſtimabat, regem, qui tunc de eo cogitaret, in animo habuiſſe aliquid diſertius per ipſum ad Harlaeum mandare, ſed ſecretum illud premi, dum apud ſe per illud ſilentium deliberaret, tutius duxiſſe.

Carolus [b] Balſacus Dunenſis Franciſci [β] Entraguii fratris vicarius in praefectura [c] Aurelianenſi, qui ante menſem hoc agere Guiſium per ſuos emiſſarios et [d] Roſſium videret, ut conciliatis oppidanis Aurelianenſem arcem ipſi et Entraguio fratri eriperet, ſummiſſo jam illuc ante, ut ad omneis caſus praeſto eſſet, [e] Tremontio, cuncta circumſpiciebat; et, cum parum praeſidii in rege, jam animo, ut ſibi videbatur, concidente, reperiret, opes aliunde, qua poterat, conquirebat, quibus ſe adverſus Guiſii et oppidanorum conatus muniret: jam enim Guiſius injurioſa cum rege contentione quaſi

VAR. LECT. [α] filiae; cujus auriga Placentinus ab Horatio Farneſio Caſtri duce marito Italia tunc evocatus, nunc et adhuc, credo, in aedibus ſuis confectus ſenio quieſcit. Prima in urbe *MSS. Reg. Samm. & Aut.*
[β] Interamnatis *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Laval de Bois Dauphin.* [b] *de Balſac de Dunes, frere de François Sr. d'Entragues.* [c] *d'Orleans.* [d] *de Roſſieux.* [e] *de Tremont.*

quaſi obtinuerat, ut Aurelianum ſibi ſuiſque ſecuritatis loco conceſſum intelligeretur. Cum haec animo agitaret Dunenſis, cum Thuano, quem, praeter non vulgarem inter eos amicitiam, regiis partibus addictum et a factione omni ſemper alienum noverat, ſaepius repetitis colloquiis Bloeſis egerat, et quibus in anguſtiis verſaretur oſtenderat: cuncta ad oppugnationem jam a Guiſianis comparata; ſe vero fratremque a rege deſertos, ac ſecuritate ejus et intempeſtiva patientia eo rem deductam eſſe, ut ſe viribus propriis adverſus Guiſii conatus tueatur: non ſibi animos et amicos deeſſe: nec item ignorare potiorem ejus futuram cauſam, qui anteverterit; ſed vereri, ſi vim mature adhibeant, ne urbem opulentiſſimam, quam ſalvam ipſe fraterque cupiunt, direptioni militum exponant: proinde ipſos majora ac tutiora agitare; arcem anguſtam, adeoque adverſus tantam urbem debilem, amplificare, cujus vi urbem in poteſtate habere poſſint, cunctis regii Francicique nominis ſtudioſis et a Proteſtantium partibus alienis certum perfugium: quod ſi contingat, ex eo etiam id ſecuturum, ut rex, quem de ſua quodammodo fortuna deſperare moerent boni omnes, animos priſtinos reſumat, et, adjutus ab iis, ipſos viciſſim et auctoritate ſua et opibus adjuvet: ad id opus eſſe pecunia praeſenti, ut exigi a milite diſciplina, et, idoneo foſſorum numero contracto, citra oppidanorum injuriam opus intra paucos dies perfici, poſſit: gemmas ſe magni pretii habere, quas pecuniam commodanti libenter oppigneret: eam bonorum omnium communem cauſam eſſe; quos proinde rogatos in occulto velit, ut in eam opes ſuas ultro conferant. Non diſplicuit conſilium. Thuano cum cardinali [a] Vindocino, ut ſupra jam dictum, arcta familiaritas erat; indignantique quod a cardinali patruo a Guiſianis praeoccupato et ipſis Guiſianis deſpiceretur, et periculum ex contemptu metuenti, facile perſuaſit, ut pecuniam ad omneis caſus paratam haberet; ab eoque mandatum accepit, ut XX CIↃ aureorum Lutetiae mutua ſumeret: quae ſi reciperet, in eam rem impenſurus, nec prius Vindocino conſilium revelaturus, erat. Ita enim cum Dunenſi convenerat: cum quo jam paratis equis diſpoſitis, poſtridie quam a rege commeatum petierat, dum colloqueretur Thuanus in ima arcis area ſummo mane XV Kalendas Januarias, forte accidit, ut Joannes [b] Burnovius Cuſſeus ſenator Pariſienſis, qui Renatam Thuani ex Joanne fratre neptem in matrimonio habebat, et cum ipſo Lutetiam erat profecturus, chirothecas amiſerit; quae eo tempore maxime neceſſariae, eoque diligenter ac diu a lixis veſtigatae nec repertae ſunt. Lutetiam profecto Thuano, ut pecuniam quantam poſſet ab amicis et aliis acciperet, morte Guiſii ſecuta, cum Dunenſi captum conſilium evanuit. Interea [c] Aumontius equitum tribunus cum Entraguio, Dunenſi, et copiis regiis quas habebat, Aurelianum miſſus, ut arcem adventu ſuo firmaret, et ſi poſſet urbem in poteſtatem redigeret. Quod ubi Lutetiae cognitum, protinus decreti auxiliares. Igitur cum Cuſſeus reſciviſſet, quo die illi Aurelianum profecturi et qua iter facturi eſſent, per lixam, qui chirothecas praeſente Dunenſi veſtigaverat, diligenter Aumontio, qui in arce erat, et urbem obſeſſurus credebatur, renunciari curat, monitum, ſi fides ei non adhiberetur, Dunenſi de chirothecis amiſſis aurem velleret. Sedulo id a lixa factum: cognitoque a Dunenſi, cum prius dubitaretur, ex mentione chirothecarum indicium verum eſſe, Aumontius eodem itinere, quo venturi erant Pariſienſes, Philippum [d] Angeneum Fargium e Rambulieta familia virum ingenio ac virtute militari praeſtantem, et Franciſcum [e] Grangeum Montinium, cum delectis mittit; qui juxta [f] Nemoroſium novos homines adſecuti, facile eos fundunt et armis exuunt. Capti carri et pulvis nitroſus cum reliquo apparatu; multi tamen ex iis, nam plus CIↃ IↃ erant, incolumes Aurelianum pervenerunt; qui clade elevata, cum nova auxilia brevi affore dicerent, oppidanis ad continuandam arcis

INTERPR. [a] *de Vendoſme.* [b] *de Bourneuf de Cuſſi.* [c] *le mareſchal d'Aumont.* [d] *d'Angennes Sr. de Fargis de la maiſon de Rambouillet.* [e] *de la Grange Montigni.* [f] *Nemours.*

arcis obſidionem adventu ſuo animos fecere. Quod eo memoratum eſt, ut hinc diſcatur, quam parvis momentis interdum et ex occaſione res magnae gerantur.

De caede Guiſii in pervigilio Natalis Dominici, cum poſt veſperas domum rediret, et triduum ante Bloeſis Lutetiam veniſſet, ex rumore et diſcurſantium tumultu ad Thuanum allatum; qui regis vitae metuens, primo ſuſpicatus eſt, regem Bloeſis a conjuratis interfectum, et hunc rumorem ab iis artificioſe diſſeminatum, ut, cum poſtea de paricidio conſtaret, principium aggreſſionis a regiis profectum dicerent, et moderamine inculpatae tutelae ſcelus excuſarent. Nox inquies exacta, ad matutinas preces pro more hinc conveniente populo, hinc armis ubique per urbem ſtrepentibus. A templo proximo cum mane rediretur, et cuncti propere ad ignem nondum bene accenſum accederent, ex faſciculo, ſive ab imbre ſive a cella ſubterranea, unde allatus erat, madido, ſerpens proſiliit, qui expoſitus et diu conſideratus amphiſbaenae ſpeciem praeferebat. Erat palmi longitudine, colore fuſco ſeu pullo maculis diſtincto, et geminum caput habebat, alterum in loco ſuo, alterum in ea parte qua cauda; et capite utrinque ſecus nitibundo tractibus orbiculatis ſerpebat, qualem eam Solinus deſcribit. Quod curioſe et per otium obſervatum: nam cum aliquandiu ab una parte progreſſa eſſet, admoto igne ut curſum mutaret, ab ea parte quae loco caudae erat progredi coepit, utrobique eadem capitis apparente ſpecie. Quod tamen a ratione alienum doctiſſimi viri diſputarunt, qui et apud nos atque adeo in occidentalibus partibus raram inventu ſcribunt, cum in Graecia et Lemno inſula, Aſia minore et Africa, ſint frequentes. Id, ſuperſtitioſis, ut erant haec tempora, cauſam ex hoc veluti prodigio multa comminiſcendi praebiturum, non evulgavit Thuanus; quod nunc non indignum commemoratione duxi, et amplius naturae peritis diſcutiendum relinquo. Ex recenti ac ſubito Thuani, quem a ſuis partibus alienum norant, in urbem adventu conjecturam fecerant factioſi, quaſi rei, quae ſecuta eſt, conſcius, ad animos regiorum et res in eum caſum praeparandas veniſſet. Itaque varia inter eos agitata contra illum conſilia; et Joannes [a] Ruta, quanquam Caniae familiae cliens, homo facinoroſus, crebro ad aedeis ejus ſuperbe ventitabat, ut qui homines in iis eſſent, quae arma, qui equi, inſpiceret. Quas contumelias impatienter ferens Thuanus, parum abſuit quin manus in ipſum injiceret: ſed ab amicis prohibitus ſe continuit, et patientia ac diſſimulatione, quod aegre faciebat, periculo praevertit.

Sub id Joannes Obſopoeus, is qui egregiam cum Nicolao [b] Fabro operam in Seneca M. Ant. Mureti recudendo navaverat, et tunc in Sibyllarum, ſive piorum Chriſtianorum, Zoroaſtrae, et aliis colligendis oraculis verſabatur, a factioſis injurioſe captus eſt; et vix Thuani, qua apud magiſtratus adhuc pollebat, auctoritate carcere liberatus eſt, et neceſſitas per libertatem illam impoſita urbe excundi. Itaque, cum videret illum in eo eſſe ut in Germaniam proficiſceretur, fidei ejus commiſit exemplar Zoſimi, quod per Ulricum Oltingerum [c] Laufenburgenſem adoleſcentem optimum, qui tunc in ipſius familia erat, et Graece Latineque eleganter ſcribendi peritiſſimum, curaverat deſcribendum ex autographo Joannis [d] Leunclavii, quod ipſe [e] Byzantinae legationis Caeſareae comes inde ſecum attulerat, et quo ante aliquot annos in eo ſcriptore Latine vertendo uſus fuerat. Id porro ille poſt verſionem ſuam abſolutam, quam cum Procopio et Agathia, Latine olim a Chriſtophoro Perſona verſis et a ſe recenſitis, per Petrum Pernam publicaverat, Franciſco Pithoeo, cum Baſileae eſſet, donaverat, ut Pithoeus aiebat, lege addita, ne niſi ſe monito evulgaretur. Itaque Thuanus, fidei Mureto datae memor, quamvis jam deceſſiſſet, et quod a multis pariter expeti ſciret, ſplendida fraude ſibi utendum cenſuit, reddito autographo Pithoeo,

INTERPR. [a] *le Rue.* [b] *le Fevre.* [c] *de Lauffenburg.* [d] *Lewenclau.* [e] *ambaſſade de Conſtantinople.*

Pithoeo, et deſcripto ex illo ad Fridericum Sylburgium per Obſopoeum tranſmiſſo. Quod biennio poſt [a] Francofurti, cum aliis Graecis Romanae hiſtoriae ſcriptoribus, ex [b] Wecheliana typographia prodiit; ſicuti et ipſe Sylburgius in praefatione profeſſus eſt.

CIƆ IƆ XXCIX. QUAM Thuanus libertatem Obſopoeo impetraverat, vix ſibi ſervare potuit, Maria Barbanſona uxore a Joanne Ruta illo, quem dixi, maritum abſentem quaerente, in [c] Baſtiliam mox deducta; quae [d] Aumalii ducis juſſu, cum totum diem in ea commorata eſſet, et Chriſtophori [e] Baſſompetrae interventu, inde profunda nocte tandem emiſſa eſt; dum Thuanus interim lateret, et ſubinde per tenebras domicilium mutaret, donec amicis ſibi metuentibus ad [f] S. Franciſci perfugium habuit. Quo in coenobio a quibuſdam fratribus ſumma fide et humanitate habitus eſt, et inprimis a Roberto [g] Cheſſeo, qui ex concionibus famam ſibi apud populum quaeſiverat, et initio regis rebus favebat, ſed mox magno ſuo infortunio mutavit, in [h] Vindocini expugnatione eodem anno ob ſeditioſas contra ipſum conciones laqueo publice ſtrangulatus. Tunc omnes boni fugam parabant, et, urbis portis frequenti cuſtodia ſervatis, exitum circumſpiciebant. Igitur variae initae ab amicis rationes, quibus Thuanus, qui libertatem vita boniſque potiorem ducebat, ſe miſerae captivitatis vinculis extricaret. Sed hoc angebat illum, quod chariſſimam coniugem, quae jam carceri mancipata fuerat, poſt ſe nollet in urbe relinquere. Itaque illa habitu matronae urbanae, poſitis nobilitatis inſignibus, equo gradario vecta diſceſſit, et ad [i] Capreolium receptum habuit in domo Petri [k] Bruneti, qui Chriſtophori parentis dapifer fuerat. Dum ad S. Franciſci adhuc Thuanus lateret, placuerat, ut amictu religioſi, dum ſupplicatio per [l] Sanjacobinum ſuburbium procederet, urbe emitteretur. Sed periculum ſuberat, ne res detecta ordinem infamia oneraret, et ludibrio deprehenſum exponeret. Tutius igitur viſum, ut militari habitu cuſtodias falleret, a [m] Feſſono notiſſimo ludi pilae exercitore, qui cardinalis Guiſiani ob id cubicularius fuerat, ſub veſperam in ſuburbium, ubi paratos equos habebat, deductus. Nec melior [α] Feſſoni quam Cheſſei ſors fuit; qui biennio poſt, cum fame premente urbe obſeſſa exiiſſet, ab infeſtis captus, ad munitionem proximam doliarem laqueo gula fracta eſt [n] Aumontii juſſu, qui nec illum noverat, et miſerum accuſantibus, quaſi regios in urbe crudeliter vexaſſet, nimis credulum ſe praebuerat: nam tum Thuanus aberat, in arce [o] Nantolieta vehementi febre preſſus; qui cum de re intellexiſſet, longe graviſſimum dolorem ſenſit, quod homini bene de ſe, uti dictum eſt, merito ſubvenire minime in tempore potuiſſet.

VAR. LECT. [α] Feſſoni, cui libertatem debebat, quam *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Francfort.* [b] *de Wechel.* [c] *la Baſtille.* [d] *le duc d'Aumale.* [e] *de Baſſompierre.* [f] *Cordeliers.* [g] *Cheſſé.* [h] *Vendoſme.* [i] *Chevreuſe.* [k] *Brunet.* [l] *fauxbourg S. Jacques.* [m] *Feſſon maitre tripetier.* [n] *d'Aumont.* [o] *Nanteuillet.*

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER QUARTUS.

CAPREOLIUM indemnati exules ubi venerunt, ex ſecura praeteriti periculi recordatione procax inter eos exorta laetitia, cum Thuanus in uxore caliendron et reliquum urbanum amictum, quo cuſtodes ad portas fefellerat, illa in viro obſoletum [α] amiculum, rideret. Poſtridie Eclimontiam Chevernii in [b] Carnutibus arcem ambo profecti ſunt incolumes medio fere Januario, a tanto hoſpite ſumma gratulatione excepti. Cum eo erat Maria ſoror, [c] Claretii in Aulercis proximis antiſtita; quae, accepto diplomate pontificio, nondum poſſeſſionem adepta fuerat.

PLUSCULOS dies ibi commorati ſunt, atque adeo uſque ad menſem proximum. Varii de republica et aulicis negotiis habiti ſermones; et multa, primis motuum noſtrorum temporibus ab obnoxiis jactata et ſcriptis mandata, ad verum familiari cum Chevernio, qui magna pars eorum fuerat, diſquiſitione expenſa; jam tum Thuano de opere hiſtorico cogitante, quod biennio poſt inchoavit. Renovata et augurii, quod Novembri ſuperiore, cum Thuanus Bloeſas tendens ad Chevernium in itinere divertiſſet, ſicuti jam demonſtratum eſt, de regis Guiſiique contentionum exitu ab ipſo mali praeſago facti memoria; de quo cum Lutetiam reverſus, ante caſum Bloeſenſem cum Edvardo [d] Molaeo ſenatore, ſumma ſecum amicitia conjuncto, inter familiaria colloquia mentionem injeciſſet, poſt caſum mox ſecutum miratus eſt Molaeus providum ex perſpecto regis alumni ſui ingenio Chevernii judicium, qui tam certam de incerto rei funeſtae eventu jam tum conjecturam feciſſet.

INSTANTE demum Purificationis feſto, occaſio ſumpta hoſpitium mutandi; et Maria ac Thuanus cum [β] uxore [e] Autricum Carnutum venerunt, et ad Nicolai praeſulis communis patrui aedeis diverterunt, non minore quam apud Chevernium gratulatione excepti. Ibi dum eſſent, et res mutarent, urbe ad hoſtes deficiente, ac Meduanio, qui capta Aureliani arce et urbe in partes ſuas aſſerta quaſi triumphans Lutetiam tendebat, ſuperveniente, regii ubique profligarentur, Thuanus, a Theodoro [f] Lignerio arcta ſecum amicitia multis de cauſis conjuncto monitus, ſibi mature conſuluit. Qua in re non parum juvit eum provida Gaſparis Schombergii mens; qui, ut amicum periculo, in quo verſari eum putabat, eriperet, literas manu Chriſtiernae Lotharingae, quae, Ferdinando magno Etruriae duci deſponſata, in eo erat ut ſe ad maritum conferret, ſcriptas ad eum miſit, quibus mandabat, ut ſe propere in viam daret, profectionis in Italiam comes futurus: quas literas Thuanus Meduanio, cum factioſi inſtarent ut illum retineret, ſinu promptas tempeſtive oſtendit, earumque beneficio

VAR. LECT. [α] amiculum, a Feſſono cum exiret urbe commodatum et propriis tunicis ſuperindutum, rideret. *MSS. Reg. Samm. & Aut.* [β] uxore, petito a Chevernio aegre eos dimittente commeatu, Autricum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Chevreuſe.* [b] *pays Chartrain.* [c] *Clairetz au Perche.* [d] *Molé.* [e] *Chartres.* [f] *de Ligneri.*

beneficio captivitatis periculum [α] evaſit. Erat Autrici Carnutum tunc forte Dominicus [a] Vicus legionis tribunus, vir ſtrenuus et regi ſumme fidus; qui, gravi ad [b] Caturiges in Provincia, res in ea gerente Eſpernonio, in crure vulnere accepto, dum crus ſervare ſperat, clinico morbo diu afflictus fuerat; vixque tandem mulo vectus, protenſo languido crure, incedebat; ſed aſſiduis in partem debilem fluxionibus et communicatione in totum corpus cum in dies magis ac magis cruciaretur, eo fiebat, ut ad munia militaria inutilis redderetur: quod virum generoſum, et qui, bello tam crudeli accenſo, opera ſua regi inſervire cuperet, plus quam morbus ipſe angebat. Itaque ex conſilio Thuani, qui non aliter convaliturum Vicum judicaret, crus ſibi amputari paſſus eſt: quo facto priſtinum robur et valetudinem recuperavit; et cum ſub Henrico III ſecunda fortitudinis militaris fama ſtipendia feciſſet, majora ſub Henrico IV geſſit.

Thuanus, uxore in Picardiam ad ſuos ad res domeſticas curandas praemiſſa, cum Henrico [c] Eſcubleo epiſcopo Malacacenſi viro integerrimo et bonarum ſemper partium, ſecuritatis literis a Meduanio acceptis, per [d] Forum nigrum et Fretevallium [e] Longovillanorum patrimonialia oppida facto itinere, Bloeſas profectus eſt.

Rex in ſolitudine et morbo jacens Thuanum ſubito admiſit; et cum dubitaret an Navarrum evocaret, inſtiterunt Schombergius, Joachimus [f] Caſtrovius, Fr. Dous, Claromontius, Balſacus, Liencurius Pleſſius, Nic. Grimovilla Larcantius, qui in arce reliqui cum eo erant, ut Thuanus et ipſe apud eum de Navarro evocando inſtaret; quod cum illi, qui adſidui apud eum fuerant, fruſtra hactenus tentaſſent, ab homine in aula recenti denuo tentari et impetrari poſſe, praeſertim neceſſitate in dies magis urgente, ſibi perſuadebant. Id ille ſedulo fecit, et neceſſitati, quae omnem deliberandi libertatem adimat, parendum eſſe pluribus oſtendit; melius id quod tutius ſit ab omnibus aeſtimatum iri: accerſendas undecunque vireis, quibus qui vincet et cauſa potior erit: ſic enim fore, ut nobilitas, quae in arcibus ſuis contra civitates vicinas tuendis occupatur, ubi cognoverit regem habere inſtructum circa ſe exercitum, ilico ſit advolatura: nam nulla re alia eam retineri, quam rerum deſperatione; alioqui nec affectum mutaſſe nec porro mutaturam, modo ſe rex ipſe minime deſerat, et oblatis a Navarro auxiliis uti minime recuſet. Tandem accerſitus, et in occulto a Schombergio et Thuano auditus, Philippus [g] Mornaeus Pleſſius; et res cum eo tranſacta.

Erat adhuc in aula Franciſcus [h] Morocenus cardinalis pontificius legatus, vir candido ingenio praeditus, et erga regem, cujus beneficio eam dignitatem adeptus fuerat, admodum bene affectus; qui nihil non agebat, ut res ad concordiam adduceret, miſſis ad Meduanium, cum [i] Caſtelloduni eſſet, internunciis, qui locum ſibi ad agendum cum eo condici peterent. Is quod cum Pleſſio ageretur minime ignorabat, nec cum Schombergium et Thuanum a rege miſſos admitteret, in arcano conſilium, quod a neceſſitate imperabatur, probare non poterat; ſed propter perſonam, quam ſuſtinebat, cum alio quam cum Meduanio agere prohibebatur. Itaque cum nihil ab eo obtinere poſſet, aegre et invitus fecit ut a nobis diſcederet, et rebus adeo turbatis in Italiam ſe conferret. Dum comitia calerent, crebro ad eum itabat Thuanus, et de ultima ſua Byzantina legatione paene furioſo [k] Corcyrenſis praefecti ſcelere everſa, ac vix prudentia ejuſdem et moderatione placatis purpuratis, multa

VAR. LECT. [α] evaſit: cetera in Annalibus nondum editis amplius perſcripta. Erat *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de Vic.* [b] *Chorges en Provence.* [c] *d'Eſcoubleau eveſque de Maillezais.* [d] *Marché-noir, & Freteval.* [e] *les ducs de Longueville.* [f] *de Chaſteauvieux, d'O, de Clermont, de Balzac, du Pleſſis de Liencour, & de Grimoville Sr. de Larchant.* [g] *du Pleſſis Mornay.* [h] *Moroſini.* [i] *Chaſteaudun.* [k] *de Corfou.*

multa didicit, quae ſcriptis mandavit; ex eoque in arctam familiaritatem cum praeſule humaniſſimo venerat: qua et effectum, ut cum ſub id Hieremiae Threnos, ut ſe in publica calamitate, quae ante oculos obverſabatur, ſolaretur, Latinis verſibus vertiſſet, eos illi tanquam ſequeſtri et optimo rerum noſtrarum moderatori inſcripſerit. Et ſane eo praeditus erat ingenio, et in nomen Gallicum adfectu non vulgari, eaque tunc auctoritate pollebat, ut, niſi utrinque mens laeva fuiſſet, per eum res componi, et tempeſtatem tam foedam, quae totum fere decennium hoc florentiſſimum regnum ad extremam perniciem adduxit, declinari potuiſſe, omnes boni ſperare debuerint. Deo non ita viſum, ut tam opportuno remedio ad mala noſtra uſi fuerimus: et ipſe cum Romam reverſus eſſet, exiſtimationis periculum adivit, quod camino oleum non addidiſſet. Ita erant inflammata tam extra quam intra regnum omnia, ut non ſolum moderata ubique conſilia rejicerentur, ſed tanquam ſuſpecti et odio publico digni cenſerentur illi omnes, qui res ad pacem et concordiam adducere, et malis, quae impendebant, prudentia ſua et aequitate praevertere, conabantur.

Nuper et in aulam poſt caſum Bloeſenſem juſſu patris venerat Henricus Borbonius [a] Dumbarum princeps, regia vere indole puer et literis bene inſtructus; quem et ſaepe inviſebat Thuanus: cumque ei Eccleſiaſten, hoc eſt ſapientiſſimi regis de ſummo bono concionem, verſibus a ſe Latinis redditam obtuliſſet, devotae in regiam familiam affectionis pignus; ille epiſtolio, quod et propria manu exarare voluit, protinus munerantem remuneratus eſt; quod cum libro poſtea excuſum eſt. Hoc non vulgare arctae et quae ad extremum ſpiritum cum Thuano ſervavit familiaritatis et amicitiae initium fuit, ut nihil fere in republica ac magnis negotiis faceret ageretve, quod cum eo non communicaret, ab eoque probari ante omnia expeteret.

Desperata concordia Bloeſis [b] Caeſarodunum Turonum ventum, captivis, qui [c] Amboſiae erant, in itinere receptis et in tutum deductis. Ibi de ſenatu legitimo conſtituendo actum, quem rex in urbe relicto et perduelli opponeret, et in quo diplomata regia ac mandata ad alias provincias mittenda more majorum publicarentur. Qua in re multae difficultates ſuboriebantur: nam ſenatores quidem et libellorum ſupplicum magiſtri idoneo numero aderant, et praeterea Jacobus [d] Faius Speſſaeus advocatus regius, et regii nominis acerrimus propugnator: verum aberant praeſides; pars in urbe remanſerat, pars carcere attinebantur; alii huc illuc ſibi et rebus ſuis metuentes in arcibus privatis latebant, conſilium ex tempore capturi. Joannes [e] Gueſlaeus nuper [f] Laureoli in Carnutibus deceſſerat, et ejus dignitas nondum in quenquam collata fuerat: igitur agitatum in conſiſtorio regio, in quo erant Carolus Borbonius cardinalis [g] Vindocinus, et Franciſcus [h] Montholonus, cui ſigillorum procuratio a rege paulo ante attributa fuerat, quid facto opus eſſet. Aderat Speſſaeus, magiſtratu ſe abdicare jampridem cupiens, et ultra eo fungi nolle ſe palam oſtendebat; paratum ſe nihilominus partes ſuas obire dicebat, modo is praeſes legeretur, qui dignitate primaria dignus ſenatoribus animos ad munus ſuum fortiter capeſſendum exemplo ſuo faceret: in eoque ipſe et omnes ceteri qui aderant de Thuano conveniebant, qui ſenatoria familia ortus avum et patrem eadem dignitate praeditos habuiſſet, alioſque praeterea ſenatores gentileis ſuos; et nobiliſſimis familiis cognatione conjunctus, quod caput erat, ſemper regias partes ſecutus fuiſſet; et, patrui ſucceſſor deſignatus, in ea dignitate quaſi jam collocatus videretur. Id abſente Thuano actum, et ignaro: qui ſubito regis juſſu ab apparitore evocatus cum ſe ſtitiſſet, et quid de ſe rex vellet ex Montholoni ore didiciſſet, additis etiam Vindocini hortatibus, pertinaciter ſe excuſavit; gratiiſque regi et conſiſtorio pro tam honorifica nominatione

INTERPR. [a] *Dombes.* [b] *Tours.* [c] *Amboiſe.* [d] *Faye Sr. d'Eſpeſſe.* [e] *la Gueſle.* [f] *le Laureau.* [g] *de Vendoſme.* [h] *Montholon.*

nominatione actis, quanquam ſe deſignatum praeſidem non diffiteretur, ſe tamen ad honores ita affectum veniſſe dixit, ut eos defugeret; ſive is pudor eſſet, ſive quaedam animi ruſticitas, qua fieret ut ad ea, quae tantopere homines ambiunt, initio cohorreſceret; et ſperaſſe fore, ut, cum ea dignitate fungeretur, non principe loco ſed ultimus poſt alios ſederet: multa ad eam requiri quae tempore parantur, et quae viro bono optabilius ſit habere quam ipſam dignitatem; qua ſi jam dignus habeatur, nolle committere, ut conceptam de ſe opinionem intempeſtiva feſtinatione fallat. Tum pulchrum inter Speſſacum ac Thuanum modeſtiae et generoſae in rempublicam pietatis exortum certamen, cum neuter eam tempore tam calamitoſo deſerere vellet, et, dum alter alteri concedit, praeſidis dignitas, qua ad res in ſenatu ordinandas praecipue opus erat, ab utroque honorifice repudiata in medio jaceret; quam tandem ut ille ſumeret, precibus et auctoritate, qua apud amicum valebat, pervicit Thuanus. Itaque in locum Gueſlaci Speſſacus praeſes creatur; et Speſſaci advocatio regia in Ludovicum [a] Servinum, juvenem doctum et regiis partibus addictiſſimum, Vindocini cardinalis commendatione tranſlata eſt.

Thuanus, cum domi tam honorifica cum dignitate a rege delata extra periculum manere poſſet, legationis Schombergio commiſſae comes maluit cum amico in Germaniam proficiſci, et ſudorem pulveremque viae cum ipſo partiri. Is auxiliarem exercitum XX CIↃ peditum et X CIↃ equitum conſcribere juſſus, dum delectibus habendis occuparetur, Thuanum ſibi ſocium adjungi petierat, qui primo Caeſarem adiret, ac dein ceteros Imperii principes, ac praecipue foederatos, quorum gratia et pecunia copiae legi debebant. Verum in itineris ratione ſummae difficultates ſubortae, cum ſparſa de Schombergio per regnum fama Henotici inſidias ubique ſtruxiſſent, ut eum interciperent, quod intercepto duce tantiſper auxilia parata remoraturos ſe crederent: nec parvum in ea mora momentum ponebant; quippe qui ſibi perſuaderent, niſi externis opibus rex juvaretur, fore ut intra quadrimeſtre toto regno ignominioſe pelleretur; ſic enim vulgo jactabant. Itaque cum primo via compendioſiore cum Philiberto [b] Guichio ſummo rei tormentariae praefecto, et [c] Montinio, cui [d] Biturigum praefectura attributa erat, per Romorantinum iter feciſſet, ut inde per [e] Carolatenſem principatum et [f] Aeduos ad [g] Lingonas et limitem tenderet, monitus validas copias ab illa parte oppoſitas, retro iter flexit, et Bloeſas propere rediit, ubi tunc Eſpernonius erat; inde miſſo ad regem, qui ad [h] Eraldicaſtrum in Pictonibus haerebat, Thuano, qui mutati conſilii rationem exponeret, et per Navarri praeſidia faciendum iter oſtenderet: nam compendioſiorem viam videri, quae tutior eſſet; et mutata ratione temporum ad eam accommodari conſilia debere: Antonium infeliciter regno Luſitaniae inauguratum, nuper apud nos profugum, cum in Armorica ad [i] Sulciniam inſulam a Philippi fautoribus paene interceptus eſſet, apud [k] Rupellanos perfugium tutiſſimum habuiſſe; indeque ad regem ſcripſiſſe, nuſquam ſe majorem fidem, quam inter infideleis, ſic noſtrates Proteſtanteis appellabat, expertum eſſe: quae nuper infeſta nobis, ea nunc ſola tuta regi regiiſque eſſe; nam a ſeditioſis cetera fere occupata. Heic rex, qui eodem tempore et de Aumalio ad [l] Silvanectum fuſo, et [m] Saveuſio a Colinio caeſo, auxiliaribus item Helvetiorum copiis per Lemanum lacum duce [n] Sancio late victricibus ac propediem venturis, accepiſſet, facile aſſenſit, ut Schombergius, qui valida illa auxilia adducturus eſſet, longius ſed tutius iter caperet.

Itaque per [o] Salmuriam, Loviodunum, Thoartium, Niortium, cum aliquot Helvetiorum tribunis ad [p] Joannis Angeriaci fanum in Santonibus incolumis pervenit;

INTERPR. [a] *Servin.* [b] *de la Guiche.* [c] *de Montigny.* [d] *Berry.* [e] *le Comté de Charolois.* [f] *Bourgogne.* [g] *Langres.* [h] *Chaſtellerault en Poictou.* [i] *l'iſle de Suſſinio, ou Bocinio.* [k] *les Rochellois.* [l] *Senlis.* [m] *de Saveuſe.* [n] *de Harlay de Sancy.* [o] *Saumur, Loudun, Thouars, & Niort.* [p] *S. Jean d'Angely.*

pervenit; ubi uxor Condaci nuper defuncti, et de cujus morte varia fama ſparſa fuerat, cuſtodia attinebatur: quae cum ad hoſpites venire non poſſet, neque vero hoſpitibus eam convenire liceret, ad hoſpitium Helionoram filiam et poſthumum nuper natum ad Schombergium ac Thuanum miſit, eoſque illorum patrocinio, quantum enixe poterat, commendavit. Nec captivae matris preces irritae fuerunt; nam utrique ab eo tempore matrem filioſque tanquam regiae cauſae conjunctiſſimos praecipuo ſtudio ac favore poſtea ſemper proſecuti ſunt, magnamque eo nomine, primum apud patruos, ac dein regem ipſum, invidiam ſuſtinuerunt.

Decreta fuerat ad reginam Eliſabetham legatio, ut gratia ſua et pecunia regis negotium in Germania adjuvaret, quae Schombergicae legationis partem faciebat: quam cum ille obire non poſſet, et Thuanus primo ei deſtinatus eſſet, Schombergius eum penes ſe retinuit, et Petro [a] Mornaco Buhio Pleſſii fratri obeundam commiſit. Is fanum Joannis venerat, ut ultima mandata a Schombergio acciperet; et inde Rupella ſolvit, et in Angliam ire perrexit.

[b] Jonzacum dein iter fuit, municipium in Santonibus frequens; ac dein per [c] Cutracum facto itinere, et luſtrato pugnae recentis loco, [d] Montanum in Petrocoriis itum, a quo Michaëli et familiae ejus nomen. Is [e] Burdigalae erat; uxor ejus, [f] Preſſaci, qui cum Schombergio erat, ſoror, hoſpites lautiſſime excepit. Haud hinc longe abeſt [g] Caſtellio ad Duranium ſitum oppidum, ultimis bellis a Meduanio diutina obſidione captum, et mox ab Henrico [h] Turrio Turenae vicecomite exiguo negotio receptum ac praeſidio firmatum, clade Talboti olim anno CIↃ CCCCLIII tota Aquitania nominatiſſimum; quod tutum per illa loca tranſitum regiis praeſtabat.

Montano [i] Bergeracum et inde Fidei-fanum itum, quod a Petro [k] Chuppio ex nobilitate Pictonica veterano ac ſtrenuo duce tenebatur. Ibi retractatum Cutracenſis pugnae negotium, in quo ipſe fortem operam Navarro navaverat; et deſcriptio loci et ordo in conflictu utrinque ſervatus in tabula expreſſus ab eo exponitur, ſignis ipſis in pugna captis, ut erant lacera et complicata, in proximo coenaculo pro aulaeis ad parietem affixis; quae Schombergius mox tolli, et, ne triſtis caſus per ea memoria renovaretur, omnino aboleri, juſſit, et ut id fieret, auctoritate qua apud Chuppium valebat, facile obtinuit.

Inde [l] Monflanquinum in Aginnatibus itum, et tranſmiſſo fluvio Neracum, atque inde rurſus [m] Lactoratum; eoque Malavicinio et Monfortio Armeniaci principatus oppidis, ut Schombergio praeſto eſſet, cum ſuis armatus venit Gul. Salluſtius Bartaſſius hebdomadis utriuſque auctor, adoleſcens, nam nondum eam aetatem exceſſerat, candido ingenio praeditus, et poetica facultate praeſtans, et, quod mirum illo coelo, nullius ope tantum opus molitus: quod per otium emendare ſe paratum oſtendebat, optabatque bellis civilibus finem imponi, ut Lutetiam ſe conferre poſſet, et priorem praecipue hebdomadem tam multis probatam denuo ſub incudem revocaret; hoc enim Thuano per tridui iter, quo ſimul fuerat, ſaepius religioſe confirmavit: quod eo heic annotandum duxi, ut ſi quid malevoli, quod fere fit, in ea carpunt, ſciant auctorem quaedam et ipſum deſideraſſe, et ex amicorum conſilio meliora fieri expetiviſſe; ſed mortem invidiſſe illi, ne et bellorum exitum videret, et ultimam manum admirando operi poſſet imponere.

Per [n] Inſulam Jordani et Manſum Virodunenſe dein itum; ibique tranſmiſſo Garumna, ut Toloſae viciniam vitarent, in [o] Cadurcos converſum iter, et Montalbanum

INTERPR. [a] *de Mornay Buhy.* [b] *Jonſac.* [c] *Coutras.* [d] *Montagne en Perigort.* [e] *Bourdeaux.* [f] *Preſſac.* [g] *Chaſtillon ſur la Dordogne.* [h] *la Tour vicomte de Turenne.* [i] *Bergerac, & Ste Foy.* [k] *de Chouppes.* [l] *Monflanquin en Agenois.* [m] *Leytoure, Mauvaiſin, & Montfort, dans le Comté d'Armagnac.* [n] *l'Iſle Jourdain, & Mas de Verdun.* [o] *Querry.*

[a] Montalbanum ad Turrium venit Schombergius; quo ad eum itidem venit cum expeditis [b] Pregentius Laſinius Carnutum vicedominus, juvenis forma et virtute praeſtans, a quo per [c] Nigrapellicium oppidum Antonii-fanum in Rutenis deductus eſt. Heic cum expeditioris per plana itineris ſpes fieret, tranſmiſſo Tarni ad [d] Villamuriam, conſultus Ludovicus [e] Amboſius Albigei comes, qui [f] Grolaeam arcem in proximo habebat; et Millacum ventum Franciſci [g] Caſſillaci Seſſaci arcem, ubi Schombergium amiciſſime excepit.

Is veteranus aulicus ac belli dux Guiſio patri filioque ſtrenuam operam in bellis navaverat, et inter equites torquatos poſtremo allectus a partibus omnino diſceſſerat, confluentem ad ipſum vicinam nobilitatem ſumma fiducia officii admonens, ſuoque exemplo ut ſaperent palam hortabatur: multorum ſe principum amicitias aſpiraſſe, nullam regia ſuaviorem expertum eſſe; ſi rex ad ſe ſcabioſum canem mittat, illi lecto proprio ceſſurum. Quod eo dicebat, quod murmura quorundam circa ſe audita intellexiſſet, ultro illum in arcano prehendentium, quod regios tam propenſa voluntate reciperet. In proximo infeſtiſſimum cum Proteſtantibus bellum hactenus geſſerat e primaria nobilitate adoleſcens impiger Ludovicus [h] Vicinus Ambra, Amboſio et Seſſaco arcta cognatione conjunctus; et tunc cum regiis, quorum cauſa utriſque regibus conjunctis par habebatur, geſturus credebatur. Is [i] Vaurum, [k] Papuli-fanum, et Albium tenebat, et inde frequentibus excurſionibus infeſta circum omnia faciebat. Cum de eo nihil ſpondere poſſet Seſſacus, auctor Schombergio fuit, ut, quoniam huc uſque progreſſus eſſet, planis [l] Septimaniae ad dextram relictis, per montana ad laevam aſperiore via ſed tutiore iter proſequeretur.

Ad [m] Villam-francam in Rutenis primum hoſpitium fuit, quo Schombergium [n] Burnazalius provinciae praefectus expectabat, multa nocte conventum, quod multoties ſubſiſtendum in via eſſet, dum equi exſoleati recalcearentur: multi ex eo equi claudicantes hic illic relicti ſunt et amiſſi. Inde per Burnazaliam arcem reflexo retro itinere [o] Figeacum ventum, et rurſus inde Calvinetum; quem ſolum in Arvernis locum tenebant Proteſtantes. Eo venit Meſſillacus [p] Raſtiniaci comes cum delectis, et poſtridie Schombergium ad [q] Murum-barrenſem deduxit. [r] Cemeni montes a Petrocoriis incipientes continuo dorſo [s] Lemovices a ſeptentrione, Cadurcos et Rutenos a meridie, et poſtea [t] Arvernos ac Velaunos, amplectuntur: inde ſecundum Rhodanum verſus meridiem porrecti, qua altiores ſunt et magis horridi, [v] Gabalos habent ab occaſu, ab ortu [w] Vivarienſem pagum; ibique demum Cemenorum nomen aſſumunt, ac mitiore jugo ad [x] Aleſiam deſcendunt. Muro Raſtiniacus regios in conſpectum [y] Marologii deduxit, quod eſt regiae juriſdictionis ſolum et unicum in Gabalis oppidum, et quaſi in tuto collocatos deſtituit. Id paulo ante a regio exercitu, aut potius privato Antonii [z] Turrii Sanvitalis odio, deſtructum: fons tantum ad ortum cum labro et ſolio ſuo integer relictus, et ad occaſum vicus: reliquum moles lapidum obruerat, ita ut venientibus ſolitudo ubique appareret; ſed poſt macerias ille quem dixi vicus latebat, ſatis frequens. [aa] Petra ad dextram longe aſſurgebat: illa Jouſae expeditione itidem deſtructa. Equis paulum recreatis placuit ultra progredi [bb] Chenacum uſque, oppidum, ut iis locis, populoſum; ubi palatium epiſcopi, et in eo Durandi ſpeculatoris muſeum, oſtenditur.

CHENACI

INTERPR. [a] *Montauban.* [b] *Pregent de la Fin Vidame de Chartres.* [c] *Negrepeliſſe & St. Antonin en Rouergue.* [d] *Villemur ſur le Tarn.* [e] *Aubigeoux de la maiſon d'Amboiſe.* [f] *Grele, & Millac.* [g] *de Caſſillac de Seſſac.* [h] *Voiſins Sr. d'Ambres.* [i] *Lavaur.* [k] *St. Papoul, & Albi.* [l] *Languedoc.* [m] *Villefranche en Rouergue.* [n] *Bournazel.* [o] *Figeac, & Calvinet.* [p] *Reſtignac.* [q] *Mur de Barres.* [r] *les Cevennes.* [s] *Limouſin,* [t] *Auvergne, & le Velay.* [v] *le Givaudan.* [w] *le Vivarais.* [x] *Alais.* [y] *Mariuges, ou Marueges.* [z] *la Tour de St. Vidal.* [aa] *la Pierre.* [bb] *Chenac.*

CHENACI pernoctatum, et inde poſtridie [a] Mimatum ventum; ubi ab Adamo [b] Urtalupio praeſule et provinciae comite, qui Reginaldo [c] Belnenſi, de quo demonſtratum eſt, ſucceſſerat, Schombergius et Thuanus cum toto comitatu humaniſſime et lautiſſime excepti ſunt: erat quippe praeſul ille et muneris ſui diligens, et erga regem regioſque mirum in modum bene affectus. Obſervatum inter menſas, quae apponebantur, volatilia aliaque ſylveſtria capite, crure, ala, clunibus, fere truncata eſſe; mirantibuſque facete a domino reſponſum, promi ſui gulae condonandum, qui miſſus praeguſtare ſit ſolitus. Cum quaererent convivae, quis ille promus quem deſignaret, ſic comperiebant. ‘Frequenteis illis locis ut montanis aquilas nidulari, quippe re omni abundantibus, et toto regno ob id praecipue pecunioſis: nidulari autem illas cavis rupibus inacceſſis, et ad quas, cum pedibus, quantum potis eſt, aſcenderis, per ſcalas comportatas aut uncos ferreos vix pervenitur: id obſervare paſtores, protinuſque juxta gurguſtium exſtruere, quo tecti ab infeſtis illis, cum ad pullos praeda onuſtae advolant, tam mas quam foemina, ſe tueantur: nam mas totum trimeſtre, foemina quamdiu pullus in nido jacet nec evolat, aut quouſque novis amoribus pertentetur, ad praedam per ſubjectam regionem diſcurrunt, et e domibus ruſticis capones, gallinas, anſeres, et ejuſmodi aveis cohortaleis, aliquando agnos, haedos, interdum et porcellos lactanteis, rapiunt, et certatim ad pullos afferunt. Major praeda et copioſior ex agro; phaſiani, perdices, gallinae ſylveſtres, anates ferae, nec non et lepores ac capreoli. Paſtores vero, ubi avolarunt parentes, ſubito ad cava erepunt, et allata auferunt, pro iiſque pullo inteſtina animalium domo allata ſupponunt: quod tam cito facere non poſſunt, quin aut pullus partem aliquam aut ipſi parentes famelici jam devoraverint. Eo fieri ut truncata illa menſae inferantur, ceterum optimi ſucci, et cui nihil eorum quae in macellis proſtant comparari poſſit. Cum vero tandem in eo pullus eſt, quod tardius accidit quia paſtu ſuo defraudatur, ut volare poſſit, tum catena nomas eum alligat, ut quo diutius in cavo haeret, eo diutius parentes praedas alendo pullo comportent, quouſque mas primum, dein foemina, novo ſuperveniente amore, penitus ejus jam grandioris obliviſcatur. Tum nomas elanguidum pullum aut ſolvit, aut miſericordia tactus ad domum affert.’ Et plena ſane erat domus ejuſmodi promorum, ut et vulturum, qui aquilis ſunt grandiores, ſed obſtipo capite, et morticina tantum ſectantes. Id coram inſpicere voluit Thuanus, et difficili admodum aſcenſu ad locum adivit, in quo pullus catena vinctus erat: ubi dum eſſet, mater advolavit, tam late ſparſis alis, ut quaſi obortis tenebris coeli lucem eriperet, et phaſianum ad pullum hiantem attulit, ſubitoque ad novam praedam evolavit; quod dum fieret, Thuanus et qui cum eo erant ſe tuguriolo infra ſtructo abdiderant, ut impetum ejus devitarent: nam a ruſticis vulgo jactabatur, pueros quoſdam nidis notandis et ſervandis deſtinatos, qui ſe incautius advolantibus obtuliſſent, infeſto roſtro et unguibus diſcerptos fuiſſe. Hoc ſubſidio ad rem familiarem utebatur epiſcopus; eoque tantum ejuſmodi eduliorum tribus aut quatuor nidulationibus ſe paratum habere aſſerebat, quantum menſae opiparae onerandae per annum fere ſufficeret. Heic tridui mora facta.

QUO exacto per [d] Cemenos montes admodum horridos [e] Villafortium ventum; et, Floraco et Anduſa ad dextram relictis, in plana tandem ad Aleſiam deſcenſum, oppidum amoeniſſimum, ſed his bellis aliquantum deformatum. Inde [f] Uticam; ubi Schombergius aliquandiu decubuit ex itineris defatigatione, quod homo corpulentus praeter morem per montium praerupta pedes incedere coactus eſſet. Ibi de Matthaeo [g] Merula carminatoris lanae filio, qui his bellis per inopinatas excurſiones inclaruit,

INTERPR. [a] *Mende.* [b] *de Hurteloup* ou *de Heurteloup,* [c] *de Beaulne.* [d] *les Cevennes.* [e] *Villefort, Florac, & Anduſe.* [f] *Uſez.* [g] *le Merle.*

inclaruit, et Mimato ac [a] Gabalis magna damna intulit, multa cognovit Thuanus, et ex fratre eius adhuc ſuperſtite, qui crebro ad Schombergium itabat; quae in Hiſtoriarum libris perſcripta.

INTERIM ad Henricum Momorantium provinciae praeſidem miſſi, qui de ratione itineris cum eo Schombergii decumbentis nomine agerent; cum nova mandata ſub id a rege veniſſent, quibus jubebatur Schombergius, quando per Sancii adventum idoneae eſſent in exercitu copiae, et majori exercitui parando pecunia opus eſſet, quae non niſi ex Italia peti poterat, in Italiam, quae jam proxima eſſet, antequam in Germaniam iret, tranſire, et pecuniam Florentiae ac Venetiis, quantam poſſet, ſumere.

HABEBAT in comitatu Helvetiorum tribunos, qui breviori itinere ad ſuos per [b]Allobroges et Sebuſianos tranſire cupiebant: quos ut commode dimitteret miſſus ad Franciſcum [c] Bonam Diguierium Thuanus cum Antonio [d] Moreto Realio, qui Navarri legatus cum Schombergio venerat, ut pecuniam mutuam ab eo acciperet. Per [e] Montelium Adaemari, Creſtum, Diam Vocontiorum, tandem ad [f] Mauri-podium ad Diguierium deducti ſunt, ſupra [g] Vapincum, cui ille imminebat, et quod ei tandem a [h] Paſquerio vicecomite, qui illud tenebat, deditum fuit. Numerata Thuano duo aureorum millia: quibus ille acceptis alia via per [i] Tricaſtinos, [k] Nionium, et [l] Grinianum, Suſa ad laevam relicta, rediit ad [m] Spiritus-fanum, cui a ponte admirandi operis Rhodano impoſito nomen; quo Schombergius jam ex infirmitate validus illum expectabat.

INDE tranſmiſſo fluvio [n]Arauſionem itum; ubi regii magnifice ab Hectore [o] Foreſto Blacono arcis praefecto accepti ſunt, diviſaque pecunia tribuni Helvetii dimiſſi. Dein Avenionem juxta habuit iter Schombergius, et [p] Barbentanam venit [q] Mondragonii arcem; ubi a loci domino benigne exceptus, cum Bernardo Nogareto Valeta Provinciae praeſide coenavit: qui [r] Caſtrum Reinardi in propinquo cum dedi poſtulaſſet, tormentis admotis locus poſtridie captus fuit, et praefectus laqueo ſuſpenſus. Inde Valeta cum Schombergio [s] Cavalionem venit, ad Druentiam ſitum oppidum in [t] Venaſcinenſi comitatu, ubi ab loci epiſcopo regii amice ac laute accepti ſunt. Heic Valeta iter cum Schombergio dividit; et mane [v] Oraſoni marchio cum delectis a Valeta Schombergio attributus, qui eum in tutum deduceret.

AD [w] Merindolium ſumptum prandium; ubi mira initio, ſicut fore praedixerat Oraſonus, ſolitudo, incolis huc illuc per ſpelaea vicina ad armatorum adventum dilapſis: qui ubi Oraſonum adeſſe intellexerunt, quod eum ipſis haud iniquum ſcirent, ſubito frequentes advenere. De iis autem idem Oraſonus, quae a Jo. Sleidano ex Gul. [x] Bellaii Langaci, in cujus aut certe Joannis cardinalis fratris familia erat, relatione prodita ſunt, narrabat; homines eſſe ſimplices, in negotiationibus probos, magiſtratui obſequenteis, nemini injurios, ab omni maleficio abſtinenteis, et qui jura ac penſiones, quas regi dominiſve debent, ſumma fide perſolvunt, ob religionem ſecum tantum neque cum aliis matrimonia contrahenteis: ita a [y] Valdenſium et Albigeorum ubique poſtea exagitatorum temporibus ad hanc diem perſeveraſſe: eorum et reliquias [z] Laurmarini et Cabreriae ſupereſſe, et paſſim in Alpinis convallibus: ipſos Merindolianos ad epiſcopum Maſſilienſem pertinere, eique jura ſua religioſiſſime dependere. Quae Oraſonus minime a Sleidano didicerat, ſed ex fama per Provinciam ſparſa memorabat.

EODEM

INTERPR. [a] *le Givaudan.* [b] *Dauphiné, & Breſſe.* [c] *Bonne Sr. de Leſdiguieres.* [d] *Moret des Reaux.* [e] *Montelimart, Creſt, & Die.* [f] *Puimore.* [g] *Gap.* [h] *le vicomte de Paſquieres.* [i] *S. Paul trois-Chateaux ou Tricaſtin.* [k] *Nions.* [l] *Grignan, & Suſe.* [m] *Pont St. Eſprit.* [n] *Orange.* [o] *de Foreſt Sr. de Blacons.* [p] *Barbentane.* [q] *Mondragon.* [r] *Chaſteau Regnard.* [s] *Cavaillon ſur la Durance.* [t] *Comtat Venaiſſin.* [v] *Oraiſon.* [w] *Merindol.* [x] *de Bellay Sr. de Langey.* [y] *Vaudois, & Albigeois.* [z] *Lourmarin, & Cabrieres.*

EODEM die Cadenetum ventum Oraſoni arcem, in qua fere habitat, ac poſtridie [a] Manoſcum Hieroſolymitanorum equitum praefecturam; et, tranſmiſſo Druentia, inde [b] Regium locum epiſcopali dignitate ornatum, vel Fauſti illius nominatiſſimi praeſulis memoria celeberrimum. Templum ſeorſim ab oppido ſubjecto in colle poſitum, per haec bella munitionibus et praeſidio profanatum. In oppido ex provinciali nobilitate plerique domicilium habent, et in iis [c] Turnonius Caſtellanus numeroſa et pulchra progenie felix; apud quem Schombergius hoſpitium [α] ſumpſit. Per [d] Draguinianum tandem, quod ab [e] Arcenſi regulo tenebatur, bidui itinere [f] Forum Julii ventum; ubi tridui tempus Tartanis apparandis, id ſcaphae genus eſt, conſumptum.

QUIBUS paratis, et divenditis equis, Schombergius ad [g] Raphaëlis-fanum, quo naves appellere ab ea parte conſueverunt, medio amphitheatro ſemidiruto, ſub veſperam cum toto comitatu ſolvit Kalendis Sextilibus; tamque proſpero vento uſus eſt, ut [h] Lerinenſem inſulam et Antipolim praetervectus, et in altum ad [i] Vari oſtium rejectus, [k] Nicaeam ſub auroram abſconderit, et ſub meridiem incolumis [l] Monacum pervenerit. Tota illa nocte nauſeam paſſus eſt Thuanus maxime vehementem; quam poſt multam evacuationem ſitis tanta ſecuta eſt, ut, cum frigida illam ſedare ſperaret, paene ſibi ventriculum ſubverterit. Uſu dein vini Corſi refocillato ſtomacho iter perſecutus eſt cum Schombergio, et ambo incolumes Genuam pervenerunt.

LEGATI regii perhonorifice, quamvis non ſine Hiſpanorum murmure, a republica habiti, miſſis e ſuo numero qui adventum gratularentur, et officium omne regi deferrent, occulto in regem regiſque cauſam favore; et ita erat totius civitatis ingenium, ut ſucceſſus ei proſperos contra ſeditioſos optarent. Cumque paulo ante [m] Maſſilia navis appuliſſet ſine Franciae inſignibus, parum abfuit quin concurſu in eam facto ab infeſta plebe ſubmergeretur; nullumque adverſus furorem irruentium praeſentius remedium repertum, quam inclamatum a Maſſilienſibus regis nomen, et ſublata Franciae inſignia; quo facto, nec prius, tumultus conquievit. Per quatriduum luſtrata urbs a Thuano, multo diligentius quam cum ante XV annos primum ad eam cum [n] Paulo a Foxo venerat: et dum incaute per aeſtus illis in locis nimios nive in potu utitur, malum nondum bene ſedatum in ſe renovavit, et lenta febre corripi coepit cum laſſitudine et inquieta membrorum infirmitate.

HIC Schombergius cum Thuano iter dividit, et Florentiam incognito habitu proficiſci ſtatuit, ut de ſperata inde pecunia certius cognoſceret, et majorem quam promiſſa fuerat, ſi poſſet, eliceret. Thuanus Venetias recta tendere juſſus, ut cum Andrea [o] Huralto Meſſio oratore regio eadem de re ageret, et loco condicto in ea ditione ſe expectaret. Adhuc de deteſtando regis paricidio in Italia ignorabatur. Superato Apennino [p] Dertonam venit Thuanus, quam dotalem poſſidebat Chriſtierna Danica Caroli Lotharingiae ducis parens, et in ea tunc erat; et inde ſubito ſe in viam dedit, ac Placentiam vix in equo ſedens pervenit: luſtrataque totum diem, dum ſe reficeret, urbe, et ampliſſimis coenobiis in ea, poſtquam ad eam primum venerat, exſtructis, commodum accidit, ut, cum equi ſuccuſſationem amplius ferre non poſſet, ſecundo [q] Pado deinceps navigio deveheretur, uſque dum Venetias appulit.

QUO

VAR. LECT. [α] ſumpſit. Medio itinere per aeſtum diei et cauda Leonis ardente ad Valençolam multi ex fonte aquae frigidiſſimae illac ſcaturiente biberunt, et inde pars cholicis doloribus, pars ſanguineo ventris fluxu, vexati ſunt. Alii laute a Turnonio accepti cum pro regis ſalute largius ſe generoſo vino proluiſſent, vix mane ſurgere potuerint: itaque reficiendis corporibus dies inſumptus. Per Draguinianum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Manoſque.* [b] *Riez.* [c] *de Tournon de Caſtellane.* [d] *Draguignan.* [e] *le Baron des Arcs.* [f] *Frejus.* [g] *St. Raphean.* [h] *l'Iſle de Lerins, & Antibes,* [i] *le Var.* [k] *Nizza ou Nice.* [l] *Monaco.* [m] *Marſeilles.* [n] *de Foix.* [o] *Hurault Sr. de Meiſſe.* [p] *Tortone.* [q] *le Po.*

Quo eodem die, hoc eſt XIV menſis, de regis morte nuncius Mediolano veniens per urbem ſpargi coepit, ſed adhuc incertus, quod a loco ſuſpecto veniret. Sed poſt triduum luctus ingens toto illo tempore in laetitiam ſubito mutavit, cum altero, quo de re conſtabat, nuncio, ſimul et conſtitit Navarrum a nobilitate regem in caſtris magno conſenſu ſalutatum: nam mox M. Antonius Barbarus S. Marci procurator de legatione pro more honorifica ad eum decernenda ad ſenatum retulit. Deliberationis tam feliciter ominoſae erant hae ſummae rationes, 'Quod principem certum ' in eo regno eſſe maxime ſereniſſimae reipublicae intereſſet, quod in Chriſtiano ' orbe bilancem facit, ad quam prudentiſſimi patres conſilia ſua dirigere conſueve' runt: cum vero non alium eſſe poſſe, quam qui legitima ſucceſſione ad regnum ' vocatur; et ſi quidem res in ambiguo poſita ſit, et non a lege regni ſola ſed homi' num arbitrio pendeat, id juris magnatibus ac nobilibus competere in eo regno, ' quod nobilitate bellicoſa abundat; cujus ut praecipuum in rege ac imperio tuendo ' robur eſt, ſic in rege ſi opus ſit creando penes eam arbitrium eſſe debet: itaque ' cum viderent patres Navarrum, qui lege vocabatur, a nobilitate regem ſalutatum, ' non poterant non ſummopere ea in re Francae nobilitatis, quae alioqui plerumque ' levitatis et nimiae ſecuritatis inſimulatur, prudentiam laudare, inſuperque bene ' de rebus noſtris ſub tanto principe ominari; cujus ſi juri ſceptrum non deberetur, ' certe virtuti deferri debere extra controverſiam eſſet'. Haec ita inter eos jactabantur.

Erat tunc Venetiis, et ad S. Georgii domicilium a republica aſſignatum habebat, illuſtriſſimus cardinalis a Jouſa, quo ſe cum Arnoldo Oſſato familiari ſuo, et arcta cum Thuano, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, conſuetudine conjuncto, poſt praecipitatam Sixti V cenſuram ſive monitoriale decretum, contulerat, ut abſentia ſua regiam dignitatem ea re non mediocriter labefactatam tueretur, et non ingratum ſe erga munificum principem, a quo tot beneficiis ornatus fuerat, omnibus approbaret. Cum eo adſiduus erat Thuanus, et ſacrum quotidie fere ſimul audiebant, ſacra peragente reverendo patre [a] Angelo fratre, qui et tunc in urbe erat, et in proximo ad S. Rochi cum Capucinis ſodalibus diverſabatur. Sic autem exiſtimabat cardinalis, poſt deteſtandum paricidium attonitis conſciis, Navarrum juſta indignatione irritatum, ultionis ardore incenſam nobilitatem, militem ſpe praedae accenſum, nihil non facturos ut urbe potirentur; nec difficilem admodum, diviſis partium ſtudiis, fore ejus expugnationem: jamque videri ſibi audire ſtrepitum armatorum per urbem diſcurſantium, obvios caedentium et ferro ac igni cuncta vaſtantium, inter ejulatus puerorum et gemitus foeminarum, et quae capta impetu urbe crudeliter multa fieri conſueverunt. Ipſe, qui per hos motus in vera patria tuto conſiſtere ſe poſſe minime putaret, impoſitam ſibi a fortuna neceſſitatem dolebat, alteram patriam, quam ſuperſtite Henrico III deſeruerat, repetendi. Sed cum nullo niſi juris, quod Romae et paſſim controvertebatur, vinculo cum ſucceſſore adhuc aſtringeretur, nec in Franciam redire vellet, reliquum erat ut Romae tantiſper maneret, donec, diſcuſſo tam foedae tempeſtatis nubilo ac ſerenitate animis reddita, e longinquo tanquam a ſpecula certius de rebus ſuis decerneret. Nam alioqui ab omni factione alienus ejus animus tunc erat, ut et ſemper fuit; et quicquid poſtea ab eo factum, potius dignitati et perſonae quam ſuſtinebat, quam voluntati, imputari debet: nam temporum conditioni ad tempus accommodare ut ſummae prudentiae erat, ita non minoris aequitatis opus fuit, cum primum occaſio ſe obtulit, a partibus omnino diſcedere, et regi regnoque operam ſuam addicere. Quod ſtudioſe ſimul et tempeſtive fecit; et ita ſe poſtea in aula noſtra geſſit, ut nullum magni momenti negotium princeps prudentiſſimus cum illo non communicaret: et poſtquam deplorando caſu nobis ereptus eſt,

INTERPR. [a] *le pere Ange.*

eſt, ſciſſis proceribus, quos omneis fere proxima cognatione contingebat cardinalis, ab omni affectu purus quaſi arbiter, neutris judicium ipſius detrectantibus, concordiae et reconciliationi ſe medium ac pararium ſemper interpoſuerit.

IGITUR Romam diſceſſit cum Oſſato; qui cum ante diſceſſum Thuanum in hoſpitio amice inviſiſſet, ex occaſione ſermonum de re publica privatim habitorum carmen a Thuano expreſſit, IX Kal. Oct. exaratum, poſtea [a] Caeſaroduni Turonum excuſum, cum eadem diei nota, ſed non appoſito ejus ad quem ſcribebatur nomine. Totum heic tranſcribi fortaſſe non abs re fuiſſet, quia rara ejus extant exemplaria, et multa ad temporis hiſtoriam pertinentia continet, quae tunc impune dici, acer ac praeſens juſtiſſimi doloris ſenſus apud iniquiſſimos rerum aeſtimatores excuſare poterat; quae ſi nunc poſt tantam temporis intercapedinem reponantur, proculdubio eos, quos placatos habere Thuani non tam ſua quam reipublicae intereſt, offendat: itaque principium et finem adſcribere ſatis erit.

Monſtris foeta aetas! quid ad omnem infamia culpam
Noſtra ſibi reliquum fecit, ſi occidere reges,
Legitimos reges longaque ab origine ductos,
Pyxide vel ſtricto nunc ludus acinace paſſim
Ducitur? O mi inter cunctos dulciſſime amicos,
Paulum audi; et quoniam Venetum convenimus ambo
Urbe boni, nulla illius contage veneni
Aſperſi, quod nunc per Gallica pectora ſerpit,
De rebus noſtris privatim Oſſate loquamur,
Compoſitis animis vulgo procul. Omnia quid ni
Credamus, ſi credibile eſt fidiſſima quondam
Pectora corruptis nunc regem moribus auſos
Occidiſſe ſuum probroſo vulnere Gallos?
Quid tamen, o cives, ſi vos hoc nomine digni,
Quid patrato, inquam, profectum crimine tanto?
Principium vos nempe malis cauſamque dediſtis,
Et quae nunc inſtant et quae ventura trahuntur.
Idne bono patriae quondam potiuſve ruina,
Noſtrarum tandem decernet clauſula rerum.
Nam ſi venturo, nec mirum, a rege timetis,
Charior hoc vobis praeſens rex debuit eſſe
Moribus antiquis et relligione probata
Cognitus, &c.

HINC poſt ducentos circiter verſus, quos auctor perire expetit, ad extremum converſo ad Henricum IV ſermone, hi ſunt adjecti:

Fatalis princeps, quae te laudare merentem
Carmina digna queant, laudeſque aequare canendo?
Reſpice nunc Venetum ad plauſus feſtoque ſonanteis
Murmure [b] Medoaci ripas, totoque vocantem
Aequore te Benaci amnem: licet Auſonis ora
Conjurata fremat contra, fuſcaeque tyrannus
Heſperiae ſaevo clam miſceat omnia bello,
Caeca in te nullum poſthac fors numen habebit.

Decretum

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *la Brenta.*

Decretum ſic namque polo eſt, Venetique ſenatus
Calculus augurium de te, rex optime, firmat.
Hi ſuper amiſſo ſermones principe et hujus
Auſpiciis, longaeva neant cui ſtamina Parcae,
Inter nos Veneta conſerti nuper in urbe.
Dum perculſa gravi mens aeſtuat inde dolore,
Ambigit inde metu, caedem qui deinde futuri
Excipient caſus, quantique infamia Gallis
Et Chriſti Europen per totam haec ſtabit ovili;
Tandem pro juſto fiducia certa dolore
Ultima ſuccedit, qua plenus uterque ſecundos
Eventus poſt tot ſaevi diſcrimina belli
Speramus, firmamque pio ſub rege quietem.
Tu Romam interea ſeptemgeminoſque reviſis,
Anxius evadet quorſum res Gallica, montes,
Ad latus adſidue Jouiſae haeſurus et aurem.
Per Rhaetos ego et Helvetios medioſque per igneis
Bellorum patriam repeto miſeroſque penateis,
Henrico properans macaritae ſolvere juſta
Fidus hero dominoque etiam poſt fata miniſter;
Cetera ſecurus, vulgi quid inane frementis
Dira paret rabies, quid iniqua mente tyranni
Secum agitent coelo certantes more Gigantum:
Quippe animo fixum ſedet immotumque tenaci
Propoſiti quoſvis conſtanter ferre labores,
Quicquid et adverſi patientibus imminet extra,
Dum ne intra ullius ſibi mens male conſcia culpae
Ingenuum occulto ſugillet teſte pudorem.

INDE utrinque diſceſſum eſt. Thuanus [a] Patavium ſeceſſit, ubi dulciſſima Jo. Vincentii [b] Pinelli, quem ante XVI annos non viderat, ad aliquot dies conſuetudine frui potuit; atque inprimis Pauli [c] Aicardi Genuenſis, quem ille domeſticum habebat, hominis lectiſſimi et in re literaria integerrimo judicio praediti. Luſtrata per otium illa inſignis et tot annorum et continua cura bibliotheca congeſta; et Aicardus, qui verſionem Baſilii et aliorum de S. Trinitate patrum cum Phoebadio epiſcopo Aginnenſi editorum ſummopere probabat, Thuano ipſum haereſiarchae Eunomii librum manu elegantiſſime ſcriptum donavit, ut ejus collatione et Baſilii jam editi et Gregorii Niſſeni, qui exſpectabantur, libri VII corrigerentur et lucem acciperent. Multa et a Pinello de viris doctrina in Italia claris, quorum nomina paulatim in oblivionem cadebant, ſtudioſe percontatus eſt Thuanus, ea mente ut eorum memoriam in Annalibus celebraret; quod poſtea ſedulo fecit: nec Hiſpanos ſua laude fraudavit; adeo virtutem et doctrinae excellentis decus ubique nullo nationum diſcrimine admiratus eſt, et, quantum in ſe fuit, ſine livore poſteritati commendavit; eaque re fiduciam ceperat, fore, ut aequiores Italos et Hiſpanos eſſet habiturus: verum, ſpe ſua falſus, nullam majorem quam ab ipſis ingratitudinem expertus [a] eſt.

INTEREA

VAR. LECT. [a] eſt: ut de iis ſacri vatis illud ſaepius ſolatio ſuo uſurpare ſit ſolitus, Pſal. XXXVII. *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mibi, quoniam ſequebar bonitatem*; et illud ex Pſal. CI. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adverſum me jurabant*: ad quae ille ex eodem vate, *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, et ſicut mutus non aperiens os ſuum et non habens*

INTERPR. [a] *Padoue.* [b] *Pinelli.* [c] *Aicardo.*

INTEREA Schombergius, qui Florentiae erat, poſt caſum revocato Guicciardino equite, qui pecuniam delectibus habendis deſtinatam ſecum vehebat, Mantuam venit, conſilium cum Andrea [a] Huralto Meſſio regio apud Venetos oratore capturus. Eo evocavit et Thuanum, et deplorata communi calamitate ambo Veronam profecti ſunt: quo cum veniſſet Meſſius, inde rurſus Mantuam ſimul repetiverunt; habitoque cum Vincentio duce in arcano colloquio, inde diſceſſum eſt, et Veronam reditum; undè Meſſius Venetias ad ſua ſe contulit. Veronae luſtratae aedes [b] Bevilaquae comitis, ſtatuis antiqui operis ac nummis et tabulis excellentiſſimorum pictorum ornatiſſimae. Ipſe, praeter harum rerum non vulgarem amorem, ſummo muſices ſtudio tenebatur; inſtitueratque domi conventum muſicum, qui ter in hebdomade celebrabatur, in quo plus XXX ſive cantores ſive organorum variorum periti ita ſeſe exercebant, ut in tanta vocum diſſonorum et inſtrumentorum diſcrepantia mirus et auribus gratiſſimus concentus exiſteret. Ei aliquoties interfuit Thuanus, et cum ipſo Bevilaqua, homine gravi ſed humaniſſimo, ſermones variis de rebus habuit, eo minus familiareis, quod coelebs et inclinata jam aetate cum de rebus ſuis Romam transferendis cogitaret, minus Navarri partibus aequus putabatur; in quas alioqui totius ditionis Venetae populi aperto favore propendebant.

TANDEM, poſt aliquantulam Veronae factam moram, Thuanus iter cum Schombergio, ut alias, dividit. Ille per Tridentinas Alpeis in Germaniam contendit: ipſe per [c] Brixiam et [d] Sebinum lacum, [e] Bergomo et Clavenna ad laevam relictis, in [f] Rhaetiam deſcendit; et amoeniſſima illa [g] Valtolina, et, quod mirum inter Alpeis, vino generoſo nobiliſſima decurſa, in qua ad [h] Tiranum prandium ſumpſit, Poſclavium venit. Superatis aſperis admodum montibus atque adeo Arbona, ex qua Rhenus horrendo cum fragore praeceps prorumpit, [i] Curiam Rhaetorum epiſcopali dignitate ornatam civitatem acceſſit: templum etiam admodum humile et neglectum haud longe ab urbe luſtravit, quod principatus titulo qui tenent, ſatis habent per abſentiam nomen tueri et vectigalibus frui; paſtorale munus de cetero inſuper habent, quod inter Proteſtanteis, quales fere ſunt tres illae foederationes, in magnum contemptum abiit. Ibi cum certiora de rebus Gallicis cognoviſſet, (et proſpera fere ubique nunciabantur) vaticinium Sequanae, eodem impetu quo carmen ad Oſſatum, illuſtriſſimi cardinalis Jouſae praeſagii memor, [α] effudit.

VATICINIUM SEQUANAE.

Nuper cum furiis actus et impio
Mentis propoſito triſtia conſciae
Urbis moenia Clemens
Infauſto pede linqueret,
Feraleis gemitus corde ciens caput
Turbatum medio ſuſtulit alveo,

Incumbenſque

bens in ore ſuo redargutiones. Subit et illud, quod humano more et inter homines loquens ſibi accommodat, ex Pſal. CXI. *In memoria aeterna erit juſtus; ab auditione mala non timebit:* item et illud ex Pſal. XXX. *Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi; quoniam tu es protector meus:* et poſtremo quod in noviſſimis ſemper dicendum erit, *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum; redemiſti me, Domine, Deus veritatis.* Quae quoties quotidianis in precibus recitat, toties contra obtrectatores quo ſe muniat, quo ſe ſoletur, auxilio ſe divino firmari credit, et animum ad patientiam obfirmat. Interea Schombergius *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

VAR. LECT. [α] effudit: in quo ſi quae erunt quae nunc minus placeant, culpa in temporum quibus ſcripta ſunt rationem rejicienda erit. *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Hurault Sr. de Meiſſe.* [b] *Bevilaqua.* [c] *Breſcia.* [d] *lago d'Iſe.* [e] *Bergame, & Chiavenna.* [f] *le pays des Griſons.* [g] *Valteline.* [h] *Tirano, & Poſchiavo.* [i] *Coire.*

Incumbenſque jacenti
Urnae Sequana transfugam
His urget monitis: Quo properas miſer
Tantum auſure nefas, nomine Gallico
Indignum, atque fideli
Reges obſequio in ſuos?
Qualem hoc principium ducat ad exitum,
Si certae objicias vile caput neci,
Indutumque cucullum
Et te quid deceat, vide:
Aut ſi haec nil animum ſolicitant tuum,
At ſaltem ſocios reſpice ad ordines,
Omneis crimine tecum
Quos uno peragis reos.
Vulgi quantus amor ſeditionibus
Olim, tantum odium ſurget, et improbos
Suaſores inopinus
Damnabit populi furor,
Cum ſpem praeter atrox civibus ingruet
Secum dira trahens fata neceſſitas,
Et penuria rerum
Ignavos premet omnium.
Tunc icti ſapient, ſero ſed heu! Phryges,
Et ſparſis nimium credula vocibus
Plangent pectora matres,
Circum templa ſenes gement.
Sed fruſtra moneo: fraude nefaria
Mandatum miſero ſtat ſcelus exequi,
Occiſoque ſuperbam
Urbem evertere principe.
O quas frugifero terra capit ſinu,
Princeps atque parens et domina urbium,
Muſarumque tribunal,
Quondam chara, Lutetia,
Nunc ſpelunca Cyclopum, arx Polyphemia,
Antaei latebrae, Antiphatae teges,
Et Laeſtrigonis antrum,
Bebryciſque Amyci ſpecus,
Quae te ſaeva manent proelia ſub novo
Herede imperii, perdere quem male
Dum conſulta laboras,
Ad regni ſolium evehis!
Mergas, altior hinc hoſtibus imminet:
Saevo marte premas, fortior emicat:
Victus cumque putatur,
Rurſus bella redintegrat.
Et jam ficta in eum tempore dilui,
Hoſtileiſque dolos cedere proſpere,
Converſaque reflecti
In te tela acie doles.

Mens

Mens caeca eſt hominum; dum levioribus
Vertunt terga malis, in gravia irruunt
Stulti pectore aperto,
Et contrarius exitus
Privat fine ſuo coepta nocentium,
Tandem juſta piis praemia dividens;
Decretamque merenteis
Poena in perniciem trahit.
Quanquam nulla animum injuria regium
Tangat, nulla animum exerceat ultio,
Ignoſcatque libenter
Victor ſupplicibus reis,
Obſtant fata tamen, ne reſipiſcere,
Cum taedere furorum utile ſit, queas,
Rectiſque obſerat aures
Iratus monitis Deus.
Largis quippe bonis undique diffluens
Pravis dona Dei moribus inquinas,
Arcto teque piaculo
Patratum ſcelus obligat,
Mactatis toties hoſpitibus ream;
Quorum nunc animas jure ſuo Deus
Effuſumque repoſcit
Per perjuria ſanguinem.
Nil regi et patriae debitam Iberico
Obſtrinxiſſe fidem foedere proderit;
[a] Fruſtra miles ab altis
Exſpectabitur Alpibus
Mendax: inſtat enim Vaſco ſuburbiis
Captis rurſus, et ultricia ſpargere
Late incendia gaudet,
Regis morte ferocior.

[a] CURIA digredientibus ante ſolis ortum et tempore pluvioſo conſcenſum abiegnum navigium ad lacum proximum; cujus natura ea eſt, ut cum inter altiſſimos et undique praeruptos montes claudatur, quod in [b] Benaco evenit, ventis incumbentibus periculoſe agitetur, et naufragium tranſeuntibus minitetur; a quo Thuanus et qui cum eo erant parum abfuerunt, eoque majore diſcrimine, quod ſumma imprudentia vector Germanum cum equo admiſiſſet, qui, undarum ſuccuſſatione territus, cum plerumque poplitibus poſterioribus ſuccumberet, navigium paene evertit: et, cum nuſquam appulſus eſſet, creſcente ſemper vento et imbre, ſaxumque continuum immenſa altitudine, qua proxima erat terra, pro ripa appareret, in ſumma deſperatione cuncti verſabantur; clavo a gubernatore abjecto, ut quiſque ſaluti conſuleret admonente. Erat cum Thuano Nic. [c] Rapinus, Nicolai, qui et ingenio et virtute per haec bella ſatis inclaruit, filius, adoleſcens ſummi animi et

VAR. LECT. [a] *Fruſtra pandet aperta*
Coeli templa vicarius;
Fruſtra ſpes animi credula mutui
Lactabit levium pectora civium. MSS. Reg. Samm. & Aut.

INTERPR. [a] *Caire.* [b] *lago di Garda.* [c] *Rapin.*

et natandi peritiſſimus; qui, abjecto thorace et interiore tunica, ultro paratum ſe in lacum deſilire oſtendebat, et Thuanum, ut ſe ſequeretur, et lumbis prenſum fortiter teneret, hortabatur: ſic enim fore, ut aut prior ipſe mergeretur, aut incolumem ſecum in ripa, quo primum daretur appellere, ſiſteret. Cum in eo omnes eſſent, et ſola in coeleſti auxilio ſpes supereſſet, ſpecus in rupe excavatus eminus apparuit; quo juſſus vector navigium jam aqua penetrante fluitans dirigere, annitentibus qui vehebantur, et remis adverſus ventum certantibus: tandem ſocii ut erant imbre madidi ſaltu in brevia proxima deſcenderunt, cum oneribus quae quiſque portare potuit, certi vel crurum tenus in aqua citra periculum manere, quouſque tempeſtas deſaeviret. Sed accidit, ut rupem intra actus quaſi per gradus in ſaxo ſculptus ſit repertus, per quem ut erant ocreati et palliati ſumma alacritate, quanquam arduus eſſet aſcenſus, ad haec imbre et vento infeſtarentur, omnes per milliaris ſpatium in ſummum evaſerunt, et in via currum a bobus tractum per praecipitium illud deſcendentem obvium habuerunt. In ſummo haud hinc longe hoſpitium erat; in quo hypocauſtorum beneficio ſiccatis ſubito veſtimentis, superveniente poſt tam praeſentis exitii metum inſperata laetitia, moleſtae viae labore non parum recreati ſunt. Poſt prandium, cum equi per devium illud iter deeſſent, ad diverſorium, quo pernoctaturi erant, ad caput lacus [a] Tigurini duobus abhinc milliaribus, per vias luto corruptas pedibus crepſerunt, quanquam per lubricum lapſantibus ubique veſtigiis; nemine de itineris difficultate, ob recentem praeteriti periculi memoriam, querente.

Inde ſerenitate reddita navigio per lacum amoeniſſimum bidui itinere Tigurum devecti ſunt. Juvit heic videre principem jam a primis temporibus Helvetiorum civitatem, quae pleriſque viris doctrina claris abundavit: ac praeſertim Conradi Geſneri et Gaſparis Wolfii cunabula, quae ſuperabant, admodum exigua, et Joſiae Simleri, luſtravit Thuanus, a Jo. Gul. Stukio homine humaniſſimo et noſtris partibus maxime addicto ubique deductus. Inde [b] Soloturnum ventum; quo Thuanus cum acceſſit, paulo plus 10 paſſibus Nic. [c] Brulartum Sillerium oratorem regium ad tiliam in via ſedentem invenit: quem nec opinato conſpicatus, ſubito cum ſuis ex equo deſiliit, et in amplexus viri amiciſſimi ruens arcte complexus eſt, indeque in hoſpitium deductus aliquot dies cum ipſo fuit. Tunc calebat negotium foederis a [d] Bernatibus cum Sabaudo initi: quod ſi a populis ditionis illius ratum habebatur, quod ſolemni ritu per juramentum fit iiſdem per praefecturas congregatis, res noſtrae magnum accipiebant detrimentum. Id [e] Quinquepagici auro externo corrupti urgebant; ad quos ab Henoticis miſſus erat Leo [f] Scotus Claromontanus ſenator Pariſienſis, cum quo arcta erat Thuano amicitia: itaque, dum res penderet, commodum viſum Sillerio ut opera Thuani uteretur, et, condicto cum Claromontano colloquio, negotium, ſi qua poſſet, mora interjecta diſturbaret. Verum aliunde ſine ejus interventu auxilium affulſit, paſtoribus, qui foedus illud maxime improbabant, in [g] [1] Valetenſi praefectura per conciones ita populum animantibus, ut advocati, qui a civitate ad ſacramentum ab illis exigendum venerant, non ſolum re infecta diſceſſerint, ſed fuga ſubita ſaluti ſuae conſulere neceſſe habuerint; in quos et tenuerunt illi, ut tanquam perduelleis et laeſae majeſtatis reos legibus anquireretur. Id magna ſolicitudine Sillerium liberavit.

Eo ſalutato Thuanus [h] Juraſſo monte ſuperato Baſileam venit, adductis ſecum Helvetiorum tribunis, qui [i] Arauſione Schombergium reliquerant, et rebus domi confectis in caſtra ad novum regem ſalutandum redibant, Nic. Harlaeo Sancio poſt Henrici III obitum remiſſo in Germaniam ab ejus ſucceſſore, ut novos delectus haberet.

NOT. [1] *lege* Vatenſi. *C.*

INTERPR. [a] *de Zurich.* [b] *Soleurre.* [c] *Brulart de Sillery.* [d] *ceux de Berne.* [e] *les cinq petits Cantons.* [f] *l'Eſcot de Clermont.* [g] *pays de Vaud.* [h] *le mont Jura.* [i] *Orange.*

habereт. Inter arma Theodoro [a] Zuingero et Baſilio Amerbachio, cum quibus Thuanus amicitiam ante decennium coluerat, vivis jam exemptis, Jacobum Grynaeum, Simonis illius magni gentilem, aliquoties Sleidani hiſtorias publice praelegentem audivit; ad quas ille multa ſingularia et ſcitu digna, quae Sleidanum fugerant, ex familiari, quam in aulis principum Germaniae habuerat, notitia hauſta addebat, et elegantiſſime explicabat.

INDE per [b] Sequanos, qua caute inceſſum eſt, in Lingonas deſcenſum; ubi novi regis nomen ſummopere vigebat, P. [c] Ruſſardo urbis praetore, Ludovici, cui juris civilis purior ſcientia ſecundum [d] Duarenum tantum debet, gentili, omnia ſumma faciente ut factio Henotica illis locis profligaretur.

[e] ANDOMATO, quod eſt civitatis Lingonum vetus nomen, per [f] Arcam Barrenſem Villani-caſtrum itum, a cujus obſidione hoſtes ante paucos dies cum damno repulſi fuerant; in eoque erat Ludovicus [g] Dijacetus loci comes, ut ruinas farciret, et praeſidio valido oppidum firmaret; quod ſolum poſt [h] Catalaunum inter Lingonas et limitem regiis ad iter ſecurum patebat. Erat arcta Thuano quaſi a parente tradita cum Dijaceto amicitia: itaque et ille Thuanum detinuit dum praeſidium ordinaret, et multa cum ipſo, qua erat prudentia, quae regem ſcire oportebat, in arcano contulit. Sic autem exiſtimabat, eo tandem res recaſuras, ut imperium penes legitimum heredem, hoc eſt Navarrum, maneret; diverſa pars, quae favore plebis in dies mutantis et externis opibus nitebatur, ſubeunte ducum ſuorum ob belli diuturnitatem faſtidio, mox concideret, et victori reconciliata prorſus evaneſceret. Dum duces praeſidii recenſerentur, ominoſa vox illi excidit: nam cum de P. [i] Choeſelio Moſa, qui in oppido tuendo ſtrenuam nuper operam navaverat, altercaretur, eum admitti nolens, ubi eum commendatione quorundam, quibus contradicere minime aequum cenſebat, admiſſum vidit, non temere factum dixit, ut tamdiu contra pugnaverit; ſiquidem futurum providere, ut ab homine rixoſo ingens ſit accepturus infortunium. Is eſt qui Dijacetum poſt quadriennium, rixa ex verbis contumelioſis ſuborta, interfecit. Itaque cum primum de illo ab uno ex praeſidiariis ducibus occiſo, coram Thuano in aulam allatum eſt, ille ſubito, id quod erat animo conjectans, antequam nomen ederetur, ominoſae illius vocis memor Moſam nominavit: compertoque ſtatim ita rem habere, interrogatus quomodo divinaſſet, id ab illo ante quadriennium audiviſſe retulit; cunctis mirantibus Dijacetum diu ante tam certo de ſuo infortunio vaticinatum eſſe. Habebat ille in matrimonio Annam [k] Aquavivam, Hadrianenſium ducis in regno Neapolitano filiam, probae ac generoſae indolis foeminam, quae cum filio filiaque ex ea ſuſceptis Andomatum, quae eſt Lingonum metropolis, manebat; quo et ille pretioſam maxime ſupellectilem transferendam curaverat, quae poſtea divendita fuit, pecunia ad belli ſumptus regi commodata. Sexagenario major, ſed firma admodum valetudine, cum deliciis a multo tempore junior adſueviſſet, tunc in cubiculo maxime illuſtri per hyemem pernoctabat, et in lecto ſine velo et plagulis dormiebat, neque ullam aut a ſerotino ac matutino frigore aut a nubiloſo aëre ex eo incommoditatem ſentiebat; quaſi Deus illi, ſicut ipſe aiebat, pro tempore robur largiretur: et cum hoc dicebat, ſumma conſtantia et priſtinae nimiae copiae faſtidio dicere videbatur, et potius pacem regno quam ſibi otium optare; eaque ſe ſpe dum ſuſtentat, quicquid damni domeſtici accideret ferebat, et porro ſe paratum ferre oſtendebat.

TANDEM

INTERPR. [a] *Zuinger.* [b] *ceux de la Franche Comté.* [c] *Rouſſard.* [d] *Duaren.* [e] *Langres.* [f] *Arc en Barrois, & Chaſteau Villain.* [g] *du Diaceto ou Dighiaceti.* [h] *Chaalons.* [i] *de Choiſeul Sr. de Meuze.* [k] *Aquaviva duc d'Atri.*

Tandem Thuanus, Villani-caſtro cum Helvetiis tribunis digreſſus, per [a] Vandevreum et Pugium Lucemburgiorum caſtella iter fecit, ipſumque Franciſcum [b] Pinei ducem, qui Romam proficiſcebatur, obvium habuit: cum quo aliquandiu collocutus, quid Florentiae, Venetiis, Mantuae, ac denique apud Helvetios, nuper actum eſſet, expoſuit. Inde Pugium venit, ab Henrico filio decenni perhonorifice cum toto comitatu exceptus.

Sub idque [c] Catalaunum acceſſit, quo Robertus a [d] Jouſa Granprati comes per triduum fortiſſime cum [e] Sanpaulo dimicavit, et victoriam ſuam morte praematura ſancivit; quam carmine hoc epitaphio extempore deploravit.

Miſta liguſtra roſis et lilia ſpargite cives
Ad tumulum: tumulo huic debita veſtra ſalus.
Per triduum extracto certamine Granpratenſis
Aſſeruit patrios victor ab hoſte lares;
Non propriam aſſeruit vitam, quam vulnere multo
Projecit veſtris ſaucius in gremiis.
At vos, o cives, tuque urbs Catalaunia gaude,
Manibus invicti facta beata ducis:
Nunc tutelari illius requieſce ſub umbra,
Cujus te toties texit amica manus.

Ibi de [f] Fara Veromanduorum cognitum; in qua totius pretioſae ſupellectilis, ſicuti jam diximus, jacturam fecit Thuanus: quam multo patientius tulit, quam juvenum illuſtrium et ſibi amiciſſimorum mortem, de quibus ſtatim dicemus.

Catalauno [g] Theodorici caſtrum itum ad Matronam, quae in Sequanam influit, et ſecundum Sequanam ipſam Lutetiae populoſae adeo urbis copioſiſſimam annonam infert. Sub veſperam ingreſſus oppidum Thuanus, cum tympanum propter cuſtodiam nocturnam pulſaretur, inter armorum ſtrepitum in via obvium habuit Petrum [h] Picherellum Firmitate Auculphi in proximo natum, et in [i] Eſſomenſi coenobio olim monaſticam profeſſum, hominem trium linguarum peritiſſimum et acutiſſimi judicii, qui Jo. [k] Vatablo olim cum [l] Jo. Salignaco et Jo. Mercero operam navaverat; qui prenſum habenis equum ſiſtit: ad quem repente converſus Thuanus, cum ecquid inter arma ac tubas iſtic locorum ageret, percontaretur, ille et diverſorium ſuum in proximo oſtendit, et ea die XIV horis ſe ſtuduiſſe, obfirmatis contra ſtridores et horrores auribus, dixit; qua et annum aetatis LXXIX clauſerit, et finem elaboratis in B. Paulum commentariis impoſuerit, abſoluta ad Philemonem epiſtola: jamque omnia deſcripta habere, praelis, cum commoditas ſe offerret, committenda; quod ut contingeret pro votorum ſumma exoptare: ſe iſtius aetatis nullam adhuc corporis magnam debilitationem pati, oculis et auribus integris valere, mentis priſtinam vim ſervare; ſed ut juvenibus multa accidere certum ſit, quae ipſos ſeneſcere non ſinant, ſic certiſſimum eſſe ſenes diu vivere non poſſe. Huic Thuanus, poſt elaboratos in B. Matthaeum et Lucam commentarios, auctor fuerat ut in Paulum ſcriberet; et ille eo auctore munus injunctum alacriter ſuſceperat, quod in eo interpretandi genere paucos admodum digne ſe exercuiſſe arbitraretur: nam extra cauſam religionis diligentiam Th. [m] Bezae laudabat; ſed poſt ejus meſſem magnum ſibi et aliis ſpicilegium relictum dicebat. Sed mala ſorte accidit, ut haud multo poſt, placidiſſima ejus morte ſecuta, res omnis ad heredes devenerit, homines litigioſos, qui, dum ſe Cadmea victoria utrinque conficiunt, pretioſam illam avunculi ſupellectilem

INTERPR. [a] *Vendeuvre, & Pougi.* [b] *Piney.* [c] *Chaalons ſur Marne.* [d] *de Joyeuſe comte de Grandpré.* [e] *de S. Paul.* [f] *la Fere ſur Oyſe.* [g] *Chaſteau Thierry.* [h] *Picherel de la Ferté Aucoulph.* [i] *l'Abbaye d'Eſſone.* [k] *Vatable, ou Guaſtebled.* [l] *Salignac, & Mercier.* [m] *de Beze.*

ſupellectilem diſſipari et in manus alienas tranſire paſſi ſunt; a quibus vix ſpes eſt ut redimi et ad publicam utilitatem prodire poſſint.

Ad coenam a [a] Combliſii vicecomite Cl. Pinarii filio vocatus Thuanus didicit de ſuburbiis Lutetiae a rege captis: tum, interpoſito de rerum ſtatu ſermone, inter ipſos convenit, ſi urbs arctius obſideretur, fore, ut brevi ad ſummas anguſtias et deditionis neceſſitatem penuria annonae adigeretur; ad idque non parvum momentum arcem, in qua tunc erat, allaturam, quippe per quam copioſa annona Lutetiam importari conſueviſſet: nam [b] Meldos, qui infra ſunt, et ab Henoticis tunc tenebantur, etiamſi frumento abundant, non ſuffecturos, adempto ex ſuperioribus locis adveniente commeatu: ea re arcem illam et Catalaunum valde opportuna regi eſſe; eoque diligentius curandum eſſe praefectis, ac cavendum ne quid illac tranſitu conceſſo importetur.

Quibus dictis, cum bene animatum Combliſium videret, mandatis inſuper acceptis ut de loco validiore praeſidio firmando cum rege ageret, poſtridie Thuanus diſceſſit: et per [c] Latiniacum facto itinere, quod Jacobus [d] Laſinius, de quo poſtea plura dicenda erunt, regis nomine tenebat, ac ſupra urbem continuato itinere, [e] Monfortium Amalrici ventum; cum jam rex [f] Stampas poſt ſuburbia capta veniſſet, et arce dedita in [g] Carnutes cum exercitu deſcendiſſet.

Monfortio per [h] Nogentum regium, Udancum, ut Autricum, quod ab Henoticis tenebatur, vitaret, flexo per [i] Aulercos itinere, [k] Frazacum ventum: et cum poſtridie juxta [l] Caſtrum-novum in [m] Thimerenſi agro per noctis tenebras, nam interdiu periculoſum erat, iter facerent, bis ad arma conclamatum, cunctis, quaſi hoſtis adeſſet, arma expedientibus. Tandem periculi metu diſcuſſo, cum regios eſſe conſtaret, qui corpora illuſtrium duorum adoleſcentum ad ſuos deducebant, luctus ingens metum exceſſit; et Thuanus ultra quam dici poteſt commotus in lachrimas ſe dedit, et, quantum per dolorem licuit, [a] his verſibus utrumque extempore deploravit.

Prior currus fuit obvius, quo Ludovicus [n] Roanus Monbazonii dux vehebatur. In eum haec pauca, ad Areten directo carmine, effudit:

Flere tuum non eſt, Arete; ſed ſolvere crineis
Te modo et attritas ungue [t] rigare genas
Vidimus, et curvis contundere pectora palmis,
In Monbazonii funere, Diva, tui.
Scilicet ille Deus, Diis certe proximus heros:
Et decet heroum morte dolere Deos.

Summa Thuano cum Monbazonio intercedebat et voluntatum et conſiliorum conſenſio; tantamque in illuſtri illo adoleſcente pietatem minime fucatam, tantum recti et honeſti ſtudium, tantam erga patriam et nomen Gallicum charitatem, animadvertit Thuanus, ut qui raras adeo dotes in primariae nobilitatis hominibus hactenus requiſiverit, nec repererit, non poſſit non ejus qui illis ornatus ſit amiſſione non maximopere dolere: et ſane teſtari poſſum, nunquam ejus mentionem incidiſſe, quin ſimul et lachrimas ipſi excuſſerit; ut mirandum non ſit ſi recenti adhuc ſenſu hos pauculos verſus inter ſuſpiria ac ſingultus dolor ab eo expreſſerit.

Vix hora abierat, cum alter currus tranſeuntibus obvius factus eſt, quo Joſiae [o] Rupifulcaudii comitis Ruſſii pugna [p] Arcuenſi VIII Kal. Oct. occiſi corpus itidem vehebatur.

VAR. LECT. [a] his inconditis verſibus *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Combliſi.* [b] *Meaux.* [c] *Lagny.* [d] *de la Fin.* [e] *Montfort l'Amaury.* [f] *Eſtampes.* [g] *Pays Chartrain.* [h] *Nogent-le-Roy, Oudan, & Chartres.* [i] *le Perche.* [k] *Frazé.* [l] *Chaſteauneuf.* [m] *le Thimerais.* [n] *de Rohan duc de Monbazon.* [o] *de la Rochefoucauld comte de Rouſſy.* [p] *d'Arques.*

NOT. [t] *notare* Put.

vehebatur. Is proxima cognatione Condaci liberos ex Helionora [a] Roia ſuſceptos contingebat, quippe ex Carlota altera Helionorae ſorore prognatus; ideoque ſumma familiaritate cum Carolo [b] Vindocino cardinali vixerat; in eoque convictu Thuanus, qui cum cardinali adſiduus erat, certiſſimam cum eo amicitiam contraxerat: quam et hoc carmine extempore tunc inter equitandum teſtatus eſt.

Ruſſius ut cecidit flevere lepoſque jocuſque,
In Geticum auditi dicere multa Deum.
Improbe Mars, noſtrum potuiſti perdere alumnum?
Pro juvene et blandae nil valuere preces?
Cui feſtivam hilaris ſolvebat gratia frontem,
Attica cui linguam melle rigabat apis.
Cernere eum coram vel certe audire tuliſſes;
Imbelli haerebant irrita tela manu.
Sed tu luminibus ſub caſſide torva tuentem,
Spirantemque avido pectore & ore minas,
Oppreſſiſti ideo juvenem, trux belliger, iram
Flectere ne poſſet fronte vel ore tuam.

ERAT feſtiviſſimus, et alioqui virtute praeſtans, quod utrumque in Rupifulcaudia familia gentile eſt; et Franciſcus pater ejus, qui in tumultu Pariſienſi ante XVII annos occiſus fuit, eo nomine Carolo regi gratiſſimus fuerat. Latine commode loquebatur, Italicam linguam perfectiſſime callebat, et ſingulas ejus dialectos pro ratione perſonarum et geſtu et voce imitatione mira [α] referebat: itaque in privatis ſeceſſibus cum cognato cardinali, quibus fere Thuanus intererat, tanta ſuavitate familiareis amicos perfundebat, ut omnes in cachinnos effunderentur, cum ipſe nunquam rideret.

TANDEM [c] Caſtellodunum, [d] Longovillanorum patrimoniale in agro Dunenſi oppidum, ventum; quo jam [e] Pataeo, cui praeſidium impoſuerat, rex venerat; quem Thuanus ſalutavit, ab eo perbenigne exceptus, et de rebus Italiae et Germaniae ac Helveticis plene edocuit; et jam tum de Mariae Mediceae conjugio, quod feliciſſimis auſpiciis decennio poſt contractum eſt, mentionem injecit, Ferdinandi magni Etruriae ducis propenſam in illud voluntatem oſtendens. Erat commune ſenatus Veneti ac ceterorum Italiae principum, qui regis Hiſpaniarum magnitudinem merito ſuſpectam habent, votum, ut rex, quod poſtea fecit, majorum religionem profiteretur; neque tamen illum eo rerum ſtatu ſibi deferendum exiſtimabant: ſed voluntates praemature renudare, regi inutile, ſibi vero intempeſtivum ac periculoſum, ducebant. Itaque eum modica pecunia clam, cum aperte non poſſent, juvabant, eum adſidue exhortantes, ut, quod ſe conditionibus certis facere paratum oſtendebat, citius faceret. Quibus expoſitis, in eam rem longus a rege habitus ſermo, 'Cum ſe a providentia divina ad illud faſtigium praeter ſpem ac votum evectum 'diceret, ad quod alii violatis legibus ac per praecipitia feſtinant. Vidiſſe ſe in 'regia familia IV ante ſe, quorum tres ordine regnaverint nullis relictis liberis; 'quartum ad regias opes incredibili felicitate perveniſſe; quibus quod abuſus fuerit, 'nec grateis Deo, quas debuerit, pro tanto beneficio dignas perſolverit, antequam 'regnum inire poſſet, concidiſſe: eo ſibi majore cura enitendum, ne ſimiliter in'gratitudine peccet, eandemque orbitatis poenam ſibi luctuoſam, regno detrimen'toſam, experiatur. Cauſa religionis ubique tantopere per odia potius quam per charitatem

VAR. LECT. [α] referebat, ut de mimica vel cum comoedis, ſi perſonae dignitas pateretur, certare potuiſſet: itaque in privatis *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de Roye.* [b] *de Vendoſme.* [c] *Chateaudun.* [d] *les duc. de Longueville.* [e] *Patay.*

'charitatem Chriſtianam agitata ſe praecipue angi; nec pertinacem adeo in doctrina, 'in qua educatus fuit et quam hactenus tanquam ſalutarem ſit amplexus, futurum; 'nec abnuere quin melius inſtructus, quod melius ſit ſequatur: ſed optare ut non 'vi nec coactus, ſed ſponte et quaſi manu, ſicuti ad regnum, ſic et eo ducatur; in-'ſuper optare, ut non ipſe ſolus, ſed multi in regno et extra regnum, ſi fieri poſſit, 'ſuo exemplo inſtruantur. Id recepta in eccleſia ratione per concilia commode et 'legitime fieri poſſe: ſi oecumenicum cogi tam cito nequeat, per nationale; aut, ſi 'nec illud queat, per collationem. Vitae ſe pretio impoſitam belli neceſſitatem 'redimere paratum, ut tot innocentium capitum, quae per haec plus quam Cadmea 'proelia exhauriantur, ſanguini parcatur. Se regia tot ſaeculorum atque adeo 'aetatum familia ortum: ſuam cum tot nationibus potentiſſimis cauſam conjunc-'tam non ita deſpici ac contemni debere, ut non ſua cauſa fiat, quod toties in ec-'cleſia magno cum fructu uſurpatum fuiſſe conſtat. Vilemne adeo animam ſuam 'apud aequos rerum aeſtimatores, vilem tot animarum ſecum tota Europa pericli-'tantium ſalutem futuram, ut non potius ratione quam periculoſa belli alea ſecum 'agi dignum ac juſtum exiſtimetur? Quem ſcire, an ipſe a Deo ſuſcitatus ſit, ut 'ejus occaſione ac periculo paci eccleſiae conſulatur? Id ut ſit et accidat, ſe credere 'ac vovere. Interim nemini vim, quam ſibi offerri nolit, ſe allaturum, et, quod 'auſpiciis regni jurata mente promiſerit, religioſe ſervaturum, ut religionem Ca-'tholicam Apoſtolicam Romanam ſartam tectam tueatur, ejus profeſſores praeci-'puos circa ſe habeat, alios ab injuria defendat, univerſos cum regni cauſa ſalvos 'cupiat: haec velle ut omnes intelligant, ſibique perſuadeant ſe minime ambitione 'bellum gerere, ſed legitimam ſucceſſionem jure delatam cernere, ut tot populo-'rum, qui jugum externum exhorreſcentes ſe tanquam debitorem appellent, ſecu-'ritati ac tranquillitati conſulat: ni faciat, merito verendum eſſe, ne non ſolum in 'aetatis ſuae ſed poſteritatis reprehenſionem incurrat, quaſi quod a virtute ſua cuncti 'expectant, per ignaviam ac diſſimulationem perire paſſus ſit'. Haec et multa alia ab efficacis eloquentiae principe addita cum lachrimis, quibus et affectum interiorem verbis reſpondere, et ex animi ſententia loqui, conteſtabatur.

Admotus interea ad [a] Vindocinum exercitus, cujus [b] gubernator a rege olim impoſitus regi deceſſori ac [c] Sueſſioni pro eo ſpondenti fidem datam fefellerat, et magni concilii aſſeſſores, qui in urbe tempore comitiorum jus dicebant, oppreſſerat: tum vero cum ſe nec ſtrenue ad defenſionem pararet, nec de deditione interpellatus ſerio reſponderet, capta ea captus et ſupplicio ſtatim adfectus eſt cum Roberto [d] Cheſſaeo Franciſcano; pro quo ſumma omnia fecit Thuanus beneficio obſtrictus, ut eum periculo eriperet: ſed in expugnationis aeſtu dum rex extra urbem eſſet, Birono ſummam rerum in ea adminiſtrante, cum illuſtri loco natus gubernator ad ſupplicium duceretur, parum valuere preces pro vilis conditionis, ut putabatur, homine, in quem, qui gubernatorem exoneratum cupiebant, defectionis invidiam rejiciebant.

Capto Vindocino rex [e] Caeſarodunum venit, magnaque gratulatione exceptus, et Achilli Harlaeo primario ſenatus praeſidi, qui paulo ante carcere emiſſus ad urbem venerat, de ſumma juris praefectura facta ſpe, in caſtra rediit, copiis, quae per [f] Andeis et [g] Caſtrum ad Ledum in [h] Cenomanos deſcenderant, jam ad [i] Vindinum provinciae caput admotis. Quo dedito, poſt incenſa ſummo regis dolore et obſeſſorum dedecore ſuburbia ampliſſima, rurſus rex eundem cum Thuano ſermonem repetiit: et ex occaſione habiti cum Vincentio duce Mantuae colloquii, quo ut [k] Nivernium patruum rex commendatum haberet enixe petebat, in eamque rem literas

INTERPR. [a] *Vendoſme.* [b] *M. de Mailly.* [c] *le comte de Soiſſons.* [d] *Cheſſé Cordelier.* [e] *Tours.* [f] *Anjou.* [g] *Château du Loir.* [h] *le Maine.* [i] *le Mans.* [k] *le duc de Nevers.*

literas ad ipſum Nivernium dederat, cum mandatis ad eum miſſus Thuanus: qui ſermones cum rege habitos animo reputans, et in ſucceſſus primis regni auſpiciis tam felices inſpiciens, inter equitandum, ut viae taedium falleret, hanc odam exaravit; quam ſine cujuſquam offenſione legi, et ad tempus quo ſcripta eſt reſpici, Thuanus cupit, ut vel ex eo de moderatione ejus et ingenio exiſtimari poſſit, qui, cum irritatis animis utrinque cuncta impune dicere et facere licebat, tanto temperamento his de rebus ſcriberet.

Nutu regentis cuncta Dei genus,
HENRICE, amicum coelitibus caput,
Belloque civili ruentis
Praeſidium columenque regni,
Succede faſci viribus integris,
Quem, fratre adempto per ſcelus hoſtium,
Deus patratae caedis ultor
Impoſuit tibi ſuſtinendum.
Tu par ferendo, jam toties Deae
Vertentis imis ſumma vices tuo
Periculo expertus, rotaeque
Praecipitem variantis axem.
Qui ſceptra magni conſilio Dei
Regenda credit, totus et in Deum
Incumbit, adverſiſque ab uno
Rebus opem auxiliumque poſcit;
Haud ille caſſus ſpe cadet irrita,
Nec vota ſurdis ſupplicia auribus
Commiſſa deluſus queretur:
Mille licet die inerme furtim
Incogitantis tela petant latus,
Illaeſus ictus negliget impios;
Tectuſque lorica ſupremi
Numinis, intrepidus cohortes
Salvum explicabit per medias caput,
Et ſigna victor moenibus hoſticis
Vellet, relucenteiſque ferro
Late acies domitor fugabit.
Praeſentis in te rarum opifer Deus
Benignitatis jam ſpecimen dedit,
Cum nuper hoſteis ad marinam
Terruit innumeros Dieppam.
Paſſim per agros denſa equitum ſeges
Undabat: heic pars faecis Ibericae,
Et Belga Germano remiſtus,
Judicis et fugiens tribunal
Heic Tranſpadanus; qualis et abietum
Faſtigiato ſylva cacumine
Saltus per umbroſos Pyrenes,
Montibus aut Benearni acutis
Pineta ſurgunt; ſic equitum arduis
Se turbo pilis horridus intulit

Campis

Campis ſuperfuſus: diremit
Tandem aciem dubiumque pugnae
Dextro reſolvit principium exitu
Sequeſtra virtus, tot ſine ſanguine et
Sudore turpiter coactis
Verſa fugae dare terga turmis.
Ut juſta vireis militis erigit,
Injuſta frangit cauſa, potentior
Igni coruſco fulgetraque
Artifici quatiente muros.
Iniquitatis conſcia pectora
Mens teſtis atrox et pudor arguunt,
Nulloque terrorem inſequente
Cordibus incutiunt protervis.
Hinc eſt, ut hoſtis plus nimio tumens,
Clauſiſſe cum ſe indagine copias
Ipſumque jactaret Navarrum,
Nec miſero, niſi nave rapta,
Patere regi crederet exitus,
Paeana dictum nec bene creditum
Turpi recantarit camoena,
Milite moxque minorem et aevo
Exoticis tot conſpicuus ſagis
Sueſſionem expaverit obvium.
I nunc, et exactos triumphos
Spartacidum ſuper aſtra tolle,
Partaſque lauros obſidionibus
Campoque, quaecunque et tabulae crepant
Mercede conducti movendis
Vulgi animis inopiſque ſexus.
Infeſta cauſae numina milites
Diroſque morſus pectore ſentiunt,
Et rege vix conſpecto abactis
Oppida depopulata praedis
Hoſti relinquunt. Cenomanos vide
Totque incruento foedere deditas
Urbeis, tot arces poenitenteis
Flagitii veteriſque culpae.
Nam contumacis ſanguine Mallii
Quid expiatum Vindocinum eſt opus
Referre, pacatumque late
Margine mox ab utroque Ledum?
Lutetiae quid capta ſuburbia
Dicam? quid ipſam vix bene moenibus
Et militari civitatem
Praeſidio veniente tutam?
Exacta poſt tot ſaecula vertitur
Nunc magnus ordo, quo pudor et fides
Et priſca Saturni recudet
Relligio tua ſaecla in aurum.

Tu

Tu fluctuantem ſeditionibus
Plebem et feroces frangere ſpiritus;
Tu ſpes iniquorum ſuperbas
Jure ſciens moderari et aequo,
Ferroque, juſtum ſi renuat jugum
Laſcivienti turba licentiae
Aſſueta civileis per aeſtus
Et toties rediviva bella;
Tu ſaevae inaneis Oenotriae minas,
Et quicquid audent hinc ſocer hinc gener,
Hujuſque debellare ſaecli
Monſtra piis inimica natus;
O perge tandem, Henrice, Deo auſpice,
Heres et ultor ſanguinis et domus,
Terriſque mentibuſque amicam
Da, patriae pater alme, pacem.

JAC.

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER QUINTUS.

REBUS cum Nivernio tranſactis jam ineunte anno Thuanus ad regem revertitur; qui poſt [a] Vindinum deditum, eodem ſucceſſu [b] Lavallum, Guntheri-caſtrum, Alençonium in Aulercis, et [c] Argentanum in Oximis, in fidem receperat, et [d] Faleziarum arcem partim vi partim benignitate ceperat, ac poſtremo [e] Lexovium; ubi quid [f] Novioduni Heduorum actum eſſet, rex de Thuano intellexit. Inde ad [g] Humflorii obſidionem itum, in qua opinione diutius rex nec ſine periculo haeſit: quo rurſus dedito et circumpoſitis caſtellis propere caſtra movet, ut [h] Melunti obſeſſis ſuppetias ferret; et Thuanum inde [i] Caeſarodunum amandavit cum literis ad [k] Vindocinum cardinalem patruelem, non ignarus quam non belli ſermones ab iis qui circa ipſum erant ſpargerentur, et jam per ſocias urbes volitarent; quorſumque haec pertinerent ſagacitate inſita veritus, enixe mandaverat, ut a latere ejus et [l] Sueſſionis fratris quam minimum diſcederet, ratus fore, ut quamdiu ipſum audirent, tamdiu pravis conſiliis aurem non eſſent adhibituri. CIↃIↃXC.

SOLUTA Melunti obſidione ad [m] Drocum in Carnutibus caſtra poſita, mox ſecuta pugna [n] Euriaca pridie Eidus Martias commiſſa: cui quod paulo ante Caeſarodunum reverſus Sueſſio non interfuiſſet, tantum dolorem cepit ut vix ſolatia admitteret; tantuſque moeror is fuit, ut, quartana XV menſium febre ob id vexatus, vix tanto tempore eum ex animo delere potuerit. In eam pugnam, cum omnia laetantium et gratulantium vocibus perſonarent, inter preces ac ſupplicationes publicas haec luſit Thuanus.

Euriaci in campis ſuperato fortiter hoſte
Debetur, princeps, gloria magna tibi.
Tu libertatem miſeris et nomina Gallis
Aſſeris, o regni cura ſaluſque tui.
Nam cum Francorum nomen delere pararet,
Liberaque inviſo ſubdere colla jugo,
Dirus Iber validis ſubnixus viribus, et jam
Signa viderentur cedere noſtra retro,
Primus in adverſos penetras, Henrice, maniplos,
Inque fugam vertis qui modo victor erat.
Auſpiciis vulgo peraguntur proelia regum,
Perque duces illis gloria multa venit;
Tu vincis virtute tua, nec militis haec eſt,
Iſta tibi propria laurea parta manu.

De

INTERPR. [a] *le Mans.* [b] *Laval, Chateau-Gonthier, & Alençon.* [c] *Argentan au pays d'Hiems en Normandie.* [d] *Falaiſe.* [e] *Liſieux.* [f] *Nevers.* [g] *Honfleur.* [h] *Meulant.* [i] *Tours.* [k] *de Vendoſme.* [l] *le comte de Soiſſons* [m] *Dreux.* [n] *d'Ivry.*

De eadem victoria et hoc in illo poëtico calore luſit.

Dicite Io, dextra Henrici victoria parta eſt,
Qua magis illuſtris non fuit ulla prius.
Teutones amiſſis tranſnarunt flumina carris;
Noſtrum eſt, Helvetiis quod ſua vita manet:
Traditaque et regis mox munere reddita ſigna
Dedecus exprobrant perfidiamque viris.
Hiſpani atque Itali caeſi, ſtoliduſque ſuperbi
Vile Lamoralli Belga cadaver habet.
Nulla ducis tanti jam non videt ora triumphos,
Sparſaque virtutis tot monumenta ſuae.
Qua trepidum miles tanta de ſtrage ſuperſtes
Ferre pedem nequiit, nuncia fama volat:
Ac, niſi divini me fallit opinio gnarum
Conſilii, magnum haec omnia pondus habent;
Unaque per cunctas victoria didita terras
Uni terrarum deſtinat imperium.

Postremo, ad urbem ipſam Turonum caput et tunc regni metropolim converſo ſermone, hoc itidem carmen in ſoluta [a] laetitia effudit.

O quae relliquias pio
Et dilecta ſinu pignora Gallici
Urbs complectere nominis;
Urbs quondam Turonum per viridaria
Princeps, nunc caput et parens,
Francorum ditio maxima qua patet;
Grateis reddere Numini
Pro parta tibi nunc tempus adorea:
Pulvinaria coelitum
Inſtaurare, vias ſternere floribus,
Ulnis excipere obviis
Evanteis ſocios, laetaque tempora
Bacca cingere laurea,
Ceſſas? O tibi quam pulchra dies adeſt,
Faſtos per memores dies
Creſſa digna nota, quae trepido anxios
Exſolvit proceres metu,
Laeto moeſta beans pectora nuncio.
Hoſtis, qui modo laureas
Spondebat ſibi, qui, praetumido truces
Iras pectore dum coquit,
Exultabat amans credulam inanibus
Mentem paſcere ſomniis;
Nunc verſa trepidus vice
Rebus perfugium quaerit inops ſuis:
Tot nuperque cohortibus

Succinctus,

VAR. LECT. [a] laetitia effudit: in quo quaedem liberius dicta, quae ut obnoxios offendere, ſic apud aequos rerum aeſtimatores defendi poterant, poſtea emollivit. Sic autem habet. *MS. Samm.*

Succinctus, tot opum praeſidio tumens,
Paucis vix bene caculis
Vix cingente latus tectus amiculo
Uno fugit et altero
Exemplo eximio poſt venientibus,
Quam nunquam popularibus
Auris ingeniis atque opibus, ſapit
Quiſquis fidere debeat,
Nunquam ſpes nimias credere lubrico
Fortunae inſtabilis trocho.
Sceptrorum et dominandi arbitrium penes
Unum ſcilicet eſt Deum,
Regnantum dominum, cujus et in fide
Reges regnaque ſunt, graveis
Faſtus terribilis frangere principum,
Inſani et populi minas.
Hinc ſceptra et trabeas, hinc titulos pete.
Non ſuffragia turbidae
Plebis, non ſcelerum conſcia factio
Tantum conciliant decus,
Nec fucata juvat relligio impios:
Mendax quippe ſequacium
Spes et vota ſuorum ambitus irrito
Tandem decipit exitu,
Umbrae et ſomnium uti lumina tranſvolat.
At tu, triſtibus hactenus
Curis ſolicitoque aegra ſilentio,
Conſtanti o celebris fide
Urbs, partam meritis ſume ſuperbiam;
Annis et redeuntibus
Solemnem renova more pio diem,
Quo feſſae ſua dignitas
Libertaſque prior reddita Galliae.
Sic nunquam rapidis Liger
Undis oppoſitos diruat aggeres;
Sic prima ſub hirundine,
Cum nix aëriis ſolvitur in jugis,
Nunquam laeta ſupernatans
Obducat ſterili paſcua flumine.

Post pugnam [a] Medunta recepta: dein cum [b] Melodunum reſiſteret, vi facta expugnatum fuit; et eodem curſu [c] Nogentum et Braia ad Sequanam in fidem adacta: quo Thuanus regem victorem convenit, et in eadem voluntate, qua eum ad Nivernium proficiſcens reliquerat, perſeverare comperit. Sed armorum ſtrepitus, quo minus tam pia vota exaudirentur, fragore ſuo aures Henoticorum obſtruxerat. Interim

INTERPR. [a] *Mante.* [b] *Melun.* [c] *Nogent, & Bray ſur Seine.*

Interim, petita a rege venia, per [a] Latiniacum [b] Silvanectum ad uxorem viſendam, quam toto anno non viderat, ire [α] perrexit.

FUIT dein irrita ad [c] Agendicum ad Igonnam obſidio, id Senonum civitati, in qua metropolitana hodie eccleſia eſt, certiſſimum antiquitus nomen: eaque mox ſoluta, ne Lutetiae obſidendae occaſio praeriperetur, propere in Pariſios reditum; ut vulgari dicterio jactaretur, regem a [d] Droci oppugnatione deſtitiſſe ut [e] Euriacam pugnam vinceret, ab Agendico itidem diſceſſiſſe ut Lutetiam caperet. Hoc illi conſilii fuit, quod tamen exitu caruit, obſidione ſpe deditionis diutius protracta, ne videlicet urbs regni primaria diriperetur: nam humanitate regis factum, ut irritus conatus fuerit, quia maluit integram relinquere quam direptam habere urbem. Quod quarto poſt anno certius patuit, cum capta nec direpta eſt: quod non niſi a legitimo principe, et potius ſui conſervandi quam alieni invadendi ſtudioſo, fieri et expectari poterat.

DUM ad obſidionem haereret, res, quae huc uſque inter arma ac diſcurſationes confuſae fuerant, ordinare cupiens, [f] Eclimontia arce ſua evocavit Philippum [g] Huraltum cancellarium; ad eumque miſſus Thuanus, qui, uno et altero itinere per immodicos calores illuc profectus, non ſine vitae diſcrimine rem confecit. In itinere illo carmen hoc elegiacum ab eo factum, quod temporis, in quo ſcriptum eſt, aeſtum et affectus refert.

Aura veni, leni mulcens ardentia flabro
Spicula, dum fervet Seirius, aura veni:
Squalent arva ſiti, riguos nec ut ante per hortos
Laeta coronato vertice Flora viret:
Non tremulae ludunt nutante cacumine frondes,
Nec movet inſtabileis populus alba comas.
Feſſa armenta jacent, caneſcunt gramina campis,
Strataque per dumos ilia ducit ovis:
Faucibus et ſiccis languet ſub ſole viator,
Et non inventa pallet anhelus aqua.
Aura veni, rapidoſque leva gratiſſima ſoles,
Dum mandata fero principis, aura veni.
Igne ardens Boreas ut Ericthidos Orithyiae,
Actaeam volucri ſyrmate verrit humum,
Talis et aura veni, noſtroque medere labori,
Dum jubeor tritas ire redire vias.
Nulla heic quae trepidet ſuſpecta ad nomina Procris,
Nec qualis Cephalo noxia dextra mihi eſt.
Quid loquor incaſſum? roſeo non Eurus ab ortu,
Non Gaditano ſpirat ab Oceano
Dilectus Veneri Zephyrus, nec plena per undas
Impellunt animae lintea Threiciae;

Non

VAR. LECT. [α] perrexit: in itinere Sapphico exarato, quod, quia melius Gallice a Scaevola Sammarthano factum eſt, heic omitti placuit. Idem illi evenit quod Scazonti, quem Joſephus Scaliger ad Henricum III Manilio ſuo in prima editione praefixerat: quem tanta felicitate et elegantia tranſtulit idem Sammarthanus, ut Scaliger eum non a Sammarthano tranſlatum, ſed ex illo ſuum Scazontem tranſductum diceret. Quod et idem in Scazonte Jacobi, quem ille in arcem Mallianam ante x annos ſcripſit, conſimiliter accidit; quem Nic. Rapinus Gallice vertens meliorem multo fecit, et ita expreſſit, ut ex Gallico ejus Latinum tranſlatum videatur. Et haec, quia privatam ejus vitam ſcribimus, addidiſſe, nec faſtidioſis fortaſſe diſplicebit. Fuit dein irrita *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Lagny ſur Marne.* [b] *Senlis.* [c] *Sens ſur Yonne.* [d] *Dreux.* [e] *d'Ivry.* [f] *d'Eclimont.* [g] *de Hurault de Chiverny chancelier de France.*

Non madidis Auſter coelum diverberat alis.
Vana queror: noſtras non capit aura preces.
Me miſerum interea torret Phoebeïa lampas,
Aëre et immoto feſſus anhelat equus.
At te per tenerae falſos Peneïdos igneis,
Dulce per et Clymenae quod Chioneſque fuit,
Parce, oro, urenteiſque manu depone ſagittas,
Et pharetram ex humeris excute Phoebe tuis;
Hoc aeſtus immitis et exitiale venenum,
Ars cui Paeonia nulla medetur ope,
Excute. Quid merui? petulantis praemia linguae
Tantalis auſa tuum laedere numen habet,
Dum prae Latona felix ſibi ſorte videtur,
Heu tot natorum prole ſuperba parens!
Ad Sipylum namque ex illo ſtupet horrida ſaxum,
Fletque udo raptam marmore progeniem.
Parce pater Thymbraee; tuis ego thurea templis
Dona tuli, nec nos nomen inane ſumus:
Et juvenile tuo caluit mihi pectus ab oeſtro,
Cum ſequerer caecum caecus et ipſe Deum.
Contra hoſtem potius, Deus, ignea ſpicula verte,
Et flammis meritos ultima perde tuis.
Factio nulla magis placidae invidioſa quieti
Emerſit Stygiis in mala noſtra vadis,
Incautas non ulla potentior icere mentes
Turbida Gallorum miſcuit ingenia.
Illam Tiſiphone praegnans enixa ſorores
Praeſto habuit, nec opem Juno vocata tulit.
Gorgoneis tremulum Alecto caput hirta colubris
Obſtetricis obit officioſa vices;
Veſtibuloque ſedens accincta Megaera flagello
Admovit piceam torva ſub ora facem:
Protinus et preſſit cunas furialis Enyo,
Martis et auditus ſaevus ubique fragor.
Hoc monſtrum, horrendum monſtrum, terraque marique
Ultor peſtifera perge abolere lue;
Sterne duces, bellique moras et foeta latronum
Injecto paſſim disjice caſtra metu.
Hac noceant tua tela tenus; ſis cetera mitis,
Et concepta pio pectore vota cape.
Militibus noſtris aeſtum defende nocentem;
Dum propero, radios Phoebe reconde tuos.
Magnanimum Henricum dura inter proelia ſerva,
Cui mea devota ſedulitate fides
Servit; ab hac anima tot vitam ſtamina ducunt
Unius abrupta mox peritura colo.
Scis huic deberi per leges ordine ſceptra,
Controverſa facit quae ſcelerata cohors.
At vincet tandem, laurumque merebit utramque,
Dux fortis bello, rex quoque pace bonus.
Amiſſis per eum ſemper victoria pennis
Serta triumphali laurea fronte geret.

Dulcia cognatis reddentur et otia Muſis,
Et vatum cinget Delphica bacca caput.
Addet et ad laurus oleae ſua munera Pallas;
Hoc bellatorem pignore vicit equum.
Ipſa trucis rabido tumeat licet angue Meduſae,
Artes condentis tempora pacis amat.
Haec feries; laſciva per otia bella feruntur,
Pax petitur bello, nulla per arma ſalus.

POSTRIDIE quam Huraltus Chevernius in caſtra venit, [a] Fanum Dionyſii deditum fuit. Quo facto res Pariſienſium ad ſummam anguſtiam redactae erant: ſed procraſtinatione illa quam dixi, cum interea Parmenſis cum auxiliari exercitu ſuperveniſſet, ſoluta obſidio.

GRAVI tunc XXI dierum febre per caniculares aeſtus ad [b] Nantolietam arcem, cujus ei cuſtodia cum firmiſſimo praeſidio attributa a rege fuerat, decumbebat Thuanus: dumque aegrotaret, chariſſimum amicum amiſit Petrum [c] Delbenium abbatem; ad quem literas quotidie in illo morbi aeſtu ſcribebat, et viciſſim ab eo accipiebat. In cujus obitum hoc ab illo carmen dolor expreſſit, moeroris et corporis adflicti idoneum teſtem.

Ecquid in humanis non vanum et futile rebus?
Delbenius vixit, vivo ego mentis inops.
Delbenius vixit ſtudioſae cura Minervae,
Phoebi Muſarumque aſſecla Delbenius:
Gratia apud regem cui pollens, mellea fandi
Copia, par ſummis rebus et ingenium.
Ut nos qui in vita hac tanquam ſtatione locavit
Fur veluti mediis opprimit in tenebris!
Hos ſero ad ſeſe, maturius evocat illos,
Spargit et arbitrio cuncta metitque ſuo.
Cur tamen o flenteis, macarita, relinquis amicos?
Quid fugis, et ſupero te fugiente miſer?
Tam cito amicitiae diſſolvi vincula noſtrae?
Aequa ne lanificis res ea viſa Deis?
Aequane res viſa eſt, ut vix ſupereſſe per unum
Cum tu ageres animam crederer ipſe diem,
Ne luctantem imis poſſem prohibere labellis
Spiritum, et extremum dicere, amice, vale?
Saltem praeſenti quod ſors negat, exſequar abſens,
Et cinerem exſequiis officiiſque colam.
Dicam naturae dotes, et rara per artes
Atque animi cultum tot cumulata bona;
Totque intra atque extra curata negotia regnum,
Mille per inſidias, mille pericla viae:
Dicam in amicitiis conſtans tibi pectus, et hujus
In partem veniam forſitan elogii.
Ut, dum vita fuit, quam tu officioſus amicis,
Tam non ingratus poſt tua buſta ferar.

METAPHRASIS poetica, qua Joel, Amos, Jonas, Abdias, Habacchuc, Haggaeus explicati ſunt, antea incepta tunc finem habuit; quam lectiſſimo adoleſcenti Henrico

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *Nantouillet.* [c] *Delbene.*

Henrico Schombergio Nantolii comiti, Gaſpare parente abſente, inſcripſit: jamque tunc de eo augurium fecit, cui eventus poſtea largiſſime reſpondit: quippe cum is ſit, qui nunc in aula noſtra magnis adfinitatibus ſubnixus, et ampliſſimorum bonorum praeter paterna in Armorica, Andibus, Santonibus heres, familiae decus et patris illuſtrem memoriam magna cum laude ſuſtineat.

NANTOLIETA arce, poſt ſolutam urbis obſidionem dimiſſo praeſidio, Silvanectum conceſſerat Thuanus cum uxore; ubi, rebus quas potuerat ex Farenſi calamitate ſive naufragio convaſatis, conſilium de transferendo in Turones domicilio cepit. Dum ſerius in viam ſe dat, in itinere [a] Meruvii a [b] Bellovacenſis civitatis praeſidiariis intercipitur, et ultimam reliquiarum ſuarum jacturam fecit, uxore cum toto gynaeceo capta. Ipſe, cum invitus faceret ut eam relinqueret, monitus a ſuis, ut ſe periculo, quod praeter captivitatem majus accenſis tunc odiis ipſi impendebat, ſubduceret, pernicis equi ope cum uno et altero e ſuis in tutum evaſit, et inde [c] Calvimontium in Vexinenſi agro ire perrexit. Arcem Jo. Calvimontius [d] Guitrius tenebat; iſque Thuano amiciſſimus tubicinem continuo Bellovacum ad expoſcendam Thuani uxorem et familiam miſit. Cum nihil obtinere potuiſſet, [e] Giſortium, ubi tunc rex erat, itum; et Bironus, ſcriptis denuo ad [f] Seſſevalium literis, libertatem uxori ac gynaeceo ac cetero famulitio impetravit, redemptis pecunia in urbe ab amicis commodata equis, quibus illa cum comitatu ad virum rediit.

IBI actum de Henrico [g] Turrio Turenae vicecomite in Germaniam ad conſcribendum exercitum mittendo; cui Thuanus in obeundis ad principes Germaniae legationibus, dum ipſe in praecipuo munere occuparetur, comes deſtinabatur: ſed tandem placuit ut domi maneret, et ad latus Chevernii cancellarii ſororii aſſiduus in negotiis explicandis ei praeſto eſſet. Poſtea regi expeditius viſum, ut [h] Caeſarodunum proficiſceretur, et cardinali Borbonio patrueli operam navaret, cumque in officio hortationibus ſuis, et gratia qua apud eum pollebat, confirmaret ac retineret: nam allatum fuerat, in arcano Tertianae factionis ab ambitioſis hominibus, qui per turbas fortunae incrementa quaerebant, fundamenta in familia regia jaci. Itaque eo miſſus Thuanus, qui jam tum deprehendere ſibi viſus eſt, non omnino vana eſſe quae ad regem perlata fuerant.

INTERIM Chevernii perſuaſione ac diligentia ad [i] Autrici Carnutum obſidionem parata omnia; quod, amiſſo ſub id [k] Theodorici-caſtro, annona copioſa ex [l] Campania ac Bria Lutetiam deveheretur, et capto Autrico, unde copioſior multo importabatur, plus illi decederet quam ex Theodorici-caſtro ſuppleri poſſet.

CUM res initio in caſtris regiis nutarent, neque ex voto eventus reſponderent, CIↃ IↃ XCI.
Caeſaroduni renudari voluntates coepere, atque in aurem primum, dein et palam jactari, regem, qui ſpem fecerat de reconciliatione ſua ad eccleſiam, poſt victoriam Euriacam quaſi ſui oblitum promiſſiones ſuas oblivioni dediſſe, neque jam in ſuorum deſideriis ſed in armorum vi omnem regni pacandi ſpem reponere: id vero quam dubium ſit et incertum omneis ſcire, et jam vel ex obſidione, ad quam nunc haeret, conſtare; nam ſi tantillum oppidum tanti ſucceſſus curſum inhibere ac diſturbare potuit, quid, tot ampliſſimis toto regno urbibus ac munitiſſimis reſiſtentibus, ſperari in poſterum poſſe? Patientiam tantam, dum ſingulae capiantur, inconſiderate facere qui a ſuorum fide exſpectet: monendum eum eſſe, ut quam primum, nullaque interpoſita mora, ſe ac ſuos reſpiciat; alioqui fore, ut, niſi publicis votis ab eo ſatisfiat, ipſi ſibi conſulant. Inter has voces Autricum, contra quam Tertiani ſperabant,

INTERPR. [a] *Meru.* [b] *Beauvais.* [c] *Chaumont en Vexin.* [d] *de Guitry.* [e] *Giſors.* [f] *de Seſſeval.* [g] *de la Tour vicomte de Turenne.* [h] *Tours.* [i] *Chartres.* [k] *Chaſteau Thierry.* [l] *Champagne, & Brie.*

ſperabant, deditione tandem receptum, ita tamen ut rumores jam ſparſi minime propterea quieverint; quippe jam adulta factione, quae non ſolum inter regios graſſabatur, ſed jam occultis minitationibus tam extra quam intra regnum incrementum capiebat. Itaque cum ſub id res in urbe turbarent, accenſa plebe ſuſpicionibus, et Guiſio ex arce nuper elapſo, ex Thuani et Aegidii [a] Sovrei Turonum praeſidis, viri incorrupta fide, quem Tertiani aliquoties fruſtra tentaverant, communi conſilio, evocati in aulam qui Caeſaroduni erant.

REX [b] Medontae erat, poſt [c] Lupariam aſtu interceptam aliquantum confirmatis rebus, et ſpe de auxiliari exercitu certa; qui venientem patruelem cum omni comitatu perbenigne extra urbem excepit, eoſque inprimis quos prava conſilia cardinali inſuſurrare inaudiverat, ea ſpe ut eos, majorum emolumentorum, quam ab illo exſpectare poſſent, ſpe, ad ſuas partes pertraheret, et exploratores ad latus ipſius haberet: quod et accidit; nam quicquid inter eos agitabatur, in horas reſciſcebat ſolertiſſimus princeps, factione interim vireis ſumente, et, paulum abſuit, ad perniciosiſſimum uſque exitum in illa ipſa urbe ubi tunc haerebat perducta. Adventu cardinalis et aliquot praeſulum qui cum eo erant, ſed a factione illa alienorum, in concilio multa agitata, ut eos non ob ſuſpiciones ſed negotiorum neceſſitate evocatos appareret; et inprimis de revocandis edictis ab deceſſore ſuo vi adducto, ut Henoticorum violentiae cederet, conditis, ac novo in gratiam Proteſtantium promulgando, quo priora confirmabantur, et pax regni ſanciebatur. Interceſſit cardinalis, et diſceſſione deliberationem abrumpere voluit, intempeſtivo conatu: quippe cum praeſules qui aderant eum minime ſequerentur. Tandem edictum factum, cujus in ſenatu promulgandi ad pacem regni tuendam cura Thuano demandata fuit a rege, quem et pacis ſtudioſum et factionibus, quae regias partes debilitabant, infeſtum ſciebat: inſuper et ad pecuniam dono ſeu mutuo a cunctis ordinibus ſumendam mandata dederat, cum literis ad Sueſſionem itidem patruelem, qui Caeſaroduni, cum frater ad regem proficiſceretur, remanſerat, quartana vexatus; ob quam et ſub id in Mallianam arcem proximam liberioris aëris cauſa conceſſerat.

ANTEQUAM Medonta diſcederet, allatum ad regem de morte Jacobi [d] Amioti Altiſſiodorenſis epiſcopi et magni eleemoſynarii ac bibliothecarii regii. Is Caroli IX et Henrici III praeceptor fuerat, magnis et opimis ſacerdotiis ab munificis alumnis donatus, quae in pleroſque jam pridem diſtributa, uſu per bella invaleſcente ut vivorum etiam bona aliis deſtinarentur, aut tunc diviſa ſunt. Reginaldus [e] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis, de quo jam dixi, eleemoſynarii dignitate ornatus, Thuanus bibliothecarii munere donatus fuit. Heic rem reticere non poſſum, quam ſciri rei literariae intereſſe exiſtimavi. Amiotus hic Poemenica Longi, Heliodori Aethiopica, Diodori Siculi Hiſtorica, ac poſtremo Plutarchum in linguam noſtram Gallicam de Graecis verterat; ſed hunc majore elegantia quam fide, dum auribus noſtris placere, quam de ſenſus veritate laborare, potius exiſtimat. His rebus magnum ſibi nomen conciliaverat; et cum eodem tempore et eleemoſynarii dignitas Joannis [f] Venatoris Carrugii Ebroicenſis epiſcopi morte, et academiae Pariſienſis cura olim illuſtriſſimis cardinalibus Carolo a Lotharingia et poſtea Odeto Colinio Caſtellionaco demandata, quae ſunt munia omnino diſtincta, vacarent, eae conjunctim Amioto attributae ſunt, magno et in poſterum pernicioſo errore. Quod jam tum Belnenſem Thuanus monuit, et poſtea illuſtriſſimum cardinalem Jacobum [g] Davidium Perronum, qui Belnenſi in ea dignitate ſucceſſit: nam, quanquam ita ſors tulerit, ut qui eas ſimul hactenus tenuerint, ob literarum peritiam et ſummum

in

INTERPR. [a] *de Souvré gouverneur de Tours.* [b] *Mante.* [c] *Louviers.* [d] *Amyot eveſque d'Auxerre.* [e] *de Beaune archeveſque de Bourges.* [f] *le Veneur de Carrouges eveſque d'Evreux.* [g] *Davy Sr. du Perron.*

in literas et literatos amorem ambabus ſe digniſſimos praebuerint, non poteſt non accidere, in hoc praeſertim regno et aula, ubi plurimum favor et gratia valent, quin aliquando altera et fortaſſe ambabus indigniſſimus illas obtineat, et literarum omnino ignarus de literis et literarum profeſſoribus arbitrio ſuo ſtatuat. Itaque iis auctor fuerat Thuanus, ut ſingularum, quod utriuſque ſeparata eſſent munia, ſingula diplomata a rege acciperent; ut qui alteram, ut opimiorem et in ſpeciem digniorem, in poſterum ambient, ſcirent, alteram ad eos qui de literis judicare poſſint tantum pertinere, neque ad Muſarum ſacra, a quibus ignorantia eos arceat, tanquam aſini ad lyram accederent. Haec Thuano dicente neuter diſſenſit: [1] ſed nec propterea Belnenſis, qui jam ad meliorem vitam migravit, nec hactenus illuſtriſſimus Perronus errorem emendavit; ut periculum ſit, ne, quod literati praeſagiunt, ultimus error ſit pejor priore.

Thuanus, ubi Caeſarodunum venit, ſtatim ad Sueſſionem ſe contulit; expoſitiſque regis mandatis, ac praeſertim ſuper edicto in Proteſtantium gratiam facto et praecedentium Henrico III extortorum, quibus ipſe a ſucceſſionis jure excludebatur, revocatione, praedixit fore, ut, re a patribus mature deliberata, eum, ut promulgationi intereſſet, regis nomine rogaret; ſic enim injunctum ſibi, quo rem magno ſuorum omnium conſenſu confectam fuiſſe ex eo cunctis innoteſceret. Nec abnuit tunc Sueſſio; ſed aliis de cauſis poſtea exaſperatus, cum Thuanus ex Aegidii Sovrei conſilio tempore praedicto inſtaret regis nomine ut in ſenatum veniret, verbis acerbioribus eum excepit, nec promulgationi intereſſe voluit. Verum acerbitatem illam paulo poſt ita excuſavit, ut non tam Thuani cauſa, cui alioqui bene volebat et in occulto favebat, quam aliorum, quos nunc nominari ſuperfluum eſſet, id ſe feciſſe oſtenderet.

Interim rex, recepto [a] Novioduno in Veromanduis, ad limitem excurrerat, ut auxiliarem exercitum, cui Chriſtianus [b] Anhaltinus princeps et cum ſummo imperio Henricus Turrius Turenae vicecomes praeerant, exciperet. Quo facto ad [c] Rotomagi obſidionem venit III Eidus Novembreis, qui B. Martino ſacer eſt: quo et venire juſſus Achilles Harlaeus ſenatus praeſes primarius, cum delegatis ex ampliſſimo ordine Joanne Thumerio, Jacobo Gilloto, Jo. [d] Villamerello. Cum iis et venit Thuanus; et cum [e] Vindini in Cenomanis ſimul eſſent, de turbis Lutetiae per Meduanii abſentiam excitatis allatum eſt, et indigna Barnabae Briſſonii praeſidis, qui res ad moderationem adducere conabatur, Claudii [f] Larcherii et Joannis Tardivi morte, quam mox generoſe ultus eſt Meduanius. Viri de literis optime meriti ut nemo erat qui non indignam vicem doleret, ita plerique ſic exiſtimabant, majorem in ejus morte literas quam rempublicam jacturam feciſſe; quippe cum ille inter eos periiſſet, cum quibus vel cum famae et vitae periculo vivere et primas tenere, quam ſalvis utriſque cum collegis regias partes ſequi et loco ſuo ſedere, maluerat.

Harlaeus cum delegatis et Thuanus ſub id [g] Darnetalium venerunt, cum rex pridie ad [h] Aumalam, incumbente Parmenſis exercitu, levi vulnere ineunte Februario perſtrictus eſſet. Magnam ea res omnibus trepidationem injecit, non ſolum in exercitu ſed quacunque fama ejus, quae ſemper eundo creſcit, pervenire potuit, reputantibus quantam mutationem tanti principis, cujus ex ſalute publica ſpes pendebat, periculum importaret, debilibus adeo ſucceſſoribus, et externis viribus ac conſiliis CIƆ IƆ XCII.

pro

INTERPR. [a] *Noyon en Vermandois.* [b] *d'Anhalt.* [c] *Rouen.* [d] *de Villemereau.* [e] *le Mans.* [f] *Larcher, & Tardif.* [g] *Darnetal.* [h] *Aumale.*

NOT. [1] *dele* ſed nec propterea Belnenſis, qui jam ad meliorem vitam migravit, nec hactenus illuſtriſſimus Perronus errorem emendavit; ut periculum ſit, ne, quod literati praeſagiunt, ultimus error ſit pejor priore. *lege* neuter tamen errorem emendavit. *Put.*

pro tempore in regno pollentibus: ſic enim tunc res erant, ut unius ingenio ac virtute ſtare, everſo una collabi, crederentur.

INOPINATO adventu cum jure metueret ſolertiſſimus belli dux ne res in caſtris turbarent, ut aliquam moram perrumpenti objiceret, Givrium [a] Novo-caſtro, quod in itinere occurrebat, et quod hoſtem minime a tergo relicturum apparebat, cum valido praeſidio impoſuerat; cui et adjunxerat Germanicas aliquot cohortes duce Fabiano [b] Reburſio, de quo multoties facta in Hiſtoriarum libris honorifica mentio. Dedito tandem loco valde honeſtis conditionibus, quia pactis Reburſii externarum copiarum primarii ducis nomen expreſſum non erat, altercatum aliquandiu fuit an iis comprehenſus intelligeretur; et Parmenſis non comprehenſum contendebat, ob idque aliquot dies quaſi captivum retinuerat Reburſium: quem tandem, poſtquam de facto inter eos convenit, ad regem, quem [c] Benearnenſem principem appellabat, remiſit, permiſſo illi libero controverſiae arbitrio; qui tandem ſecundum Reburſium pronunciavit. Cum in caſtra regia venit, antequam de cauſa ageretur, ante omnia a rege interrogatus, quid Parmenſis de excurſione ac velitatione ſuperiorum dierum diceret, cum initio ſe excuſaſſet, tandem imperio adactus, mirari reſpondit Parmenſem, qui tantus princeps nulla neceſſitate coactus tanto ſe periculo expoſuiſſet, cum nullo id operae pretio faceret, et magna clade ſuas ſuorumque res evertere periclitaretur. Hoc verius quam ad exſpectationem faciens Parmenſis judicium a rege cum ſtomacho exceptum; nec mirum eſſe dixit, ſi Parmenſis ita ſentiret, quippe qui alienis auſpiciis, milite, ſumptibus, nec ſuo periculo, bellum gerat, cum ipſe totam armorum ſuorum molem animo et corpore ſuſtineret, et eventus periculum in ſe ſolo veluti reciperet; quo fiat, ut triſtitiae et periculi impendentis impatientia plerumque in periculum ipſum ruat, et malis undique circumſtantibus vel cum vitae aerumnoſae diſcrimine per praecipitia finem quaerat.

IN adverſariis etiam haec notaverit Thuanus. Poſt cruentam illam eruptionem, cujus culpam in Ludovicum [d] Grillonium praetorianorum tribunum rejiciebat Bironus, quod itando et miſſitando ad Andream [e] Brancatium Villarium, qui urbem et [f] S. Catharinae munitionem tuebatur, rei tentandae occaſionem et commoditatem dediſſet, cum Grillonius in ſecretius regis conclave a prandio veniſſet, dum ſe excuſat, et ab excuſationibus ad altercationes prorumpit, verbis petulantibus et repetitis ſaepius dejerationibus regis iram provocaſſe: regem contra, ipſo faceſſere juſſo, cum a janua ſemper rediret, poſtremo impatientia expalluiſſe, metu injecto ne gladio ab aliquo circumſtantium arrepto importunum hominem conficeret: tandem, excluſo Grillonio, cum ex commotione illa ad ſe rediiſſet, ad proceres qui aderant, et cum iis Thuanum, converſum, mirantibus illis qui tot tantiſque irritatus modis ſibi temperare potuiſſet, reſpondiſſe, quo natura ad iram pronior eſſet, eo cautius a prima adoleſcentia id ſervaſſe, ne quid ira faceret; quippe experimento edoctum iram peſſimum conſultorem eſſe; itaque ei refraenandae ſemper ſtuduiſſe, et gaudere quod moderationis ſuae tam idoneos teſteis habeat. Et ſane ita natus erat, et adſiduis laboribus et variis fortunae aſſultibus ita animum induraverat, ut irae melius quam voluptatibus [a] imperaret. Obſervatum dum Grillonius cum rege altercaretur, Bironum, qui aderat, et ſuper arca dormienti ſimilis recumbebat, quo magis contentio incaleſcebat et voces tollebantur, eo ſomno altiore obdormiiſſe; quum Grillonius initio ad aures ejus contumelioſa verba inſuſurraret, et eum canem rixoſum et ſcabioſum

VAR. LECT. [a] imperaret: in quas pace parta toto affectu ſolutus, modum nequaquam in iis ſicuti in aliis rebus ſervare potuit, viribus potius quam voluntate ad eas deficientibus. Obſervatum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Neufchaſtel.* [b] *de Rebours.* [c] *le prince de Bearn.* [d] *Berton de Grillon meſtre de camp du regiment des Gardes.* [e] *de Brancas de Villars.* [f] *le fort Ste. Catherine.*

ſcabioſum injurioſe appellaret. Quod conſilio ab eo factum qui aderant credebant, ne, ſi evigilaſſet, contentionis neceſſitatem, quam regi integram relinquere malebat, cum homine pugnaci ſed effraenatae inſaniae in ſe ſuſciperet.

TEMPORE obſidionis ante eruptionem ſemel atque iterum luſtratum vallum; et rex Harlaeum, Thuanum, et ceteros delegatos per aggeres exſtructos et cuneos, qui feſtinatis operibus agebantur, deducere pro ludo habebat. Actum et de cenſuris pontificiis: et cum poſt decreta [a] Catalauni in Campania et Caeſaroduni in Turonibus contra promulgata inſtarent cardinales et praeſules, qui in regis comitatu erant, ut, juxta decretum paulo ante a ſe contra eaſdem cenſuras [b] Autrici in Carnutibus factum, ſibi cum bona regis venia legationem Romam mittere liceret, interceſſere aliquandiu Harlaeus et delegati, qui ob eam cauſam in caſtra evocati fuerant, ne legatio mitteretur: nam id ſenatus-conſulto expreſſe prohibitum, quod edicti regii, ſicuti in talibus motibus fieri laudabili majorum inſtituto conſuevit, vim obtineat: nam ad auctoritatem regiam tuendam pertinere, ne qui regias partes ſequantur, quidquam contra regia mandata et regiorum conſeſſuum decreta faciant. Tandem ex eorundem conſilio, cum cardinalibus et praeſulibus deliberatione habita, pragmatica quaedam ſecreta condita, juxta quam, tempore ſciſſurae, ſacerdotiorum et aliarum rerum, quae Roma peti conſueverant, diſpenſationes fierent, et juxta quam de iis in regni curiis judicaretur. Quod amplius in Annalibus explicatur.

QUO facto, et impetrata a ſacro ordine interim Romam mittendae legationis licentia, dimiſſi honorifice Harlaeus et delegati; et cum iis Thuanus, qui XXX aureorum millia undique corrogata ſecum in caſtra attulerat, Caeſarodunum remiſſus, ut rei pecuniariae expediendae denuo incumberet; eique ſecreta mandata data, quibus pro arbitrio uteretur, hominesque attributi, qui quod ipſe juberet, quaſi regia juſſa, exſequi tenerentur. Quibus tamen ita uſus eſt, ut voluntati regis, quantum in ſe fuit, factum ſit ſatis, citra cujuſquam injuriam: quam quidem plus juſto cautiores dum vitare cupiunt, in magnas ſe et inexplicabileis difficultates ſponte induerunt.

DUM redeunt in Carnutibus gravi et violenta febre Thuanus correptus eſt, quam Caeſarodunum uſque in equo, in curru, in lectica, quam potuit patientiſſime tulit; ultimaque die adeo adflictatus eſt, ut paulum abfuit in itinere defecerit. Caeſaroduni praeſto fuit Carolus [c] Falezeus, Franciſcus [d] Vertunianus, artis medicae peritiſſimi et ſingulares amici, et [e] Jalnaeus a Diana [f] Engoliſmenſi virtutis regiae heroina, quae Thuanum conſtantiſſime ſemper dilexit, miſſus. Morbum in caſtris quadrimeſtri mora contraxerat, in quibus ob diuturnitatem obſidionis aëre corrupto jam lues popularis graſſabatur: et poſt ſeptimum diem papulae effloreſcere per lumbos coeperunt, certiſſima peſtilentis mali indicia, ut plane de ejus ſalute deſperaretur. Nihil non tentatum remediorum contra periculoſum adeo morbum; demumque XIV die adhibitus ex Falezei conſilio, qui experimentum ejus feliciter aliquoties ſe feciſſe aiebat, bezoar lapis, ab eadem heroina ſedulo per Jalnaeum ſubminiſtratus, et in aqua cardiaca propinatus: cujus ſumptione poſt crebra deliquia notae illae malignae evanuerunt, et reſumptis viribus febris minui coepit; tandemque Thuanus, magno bonorum omnium, qui ſalutem ejus comploratam lugebant, in urbe gaudio, priſtinam valetudinem recuperavit. Morbo defunctus nihil antiquius habuit, quam ut grati aliquo animi teſtimonio non immemorem ſe accepti a Deo beneficii teſtaretur; et jam pridem mente conceptum argumentum in ſcenam produxit, Parabata vincto Aeſchylei Promethei imitatione edito, quem amiciſſimis ſibi et de ſalute ſua ſummopere anxiis Jo. [g] Thumerio et Cl. Puteano nuncupavit.

SUB

INTERPR. [a] *Chaalons, & Tours.* [b] *Chartres.* [c] *Falaizeau.* [d] *Vertunien dit le Vau.* [e] *Jaulnay.* [f] *d'Angoulesme.* [g] *de Thumery, & du Puy.*

Sub finem demum anni in aulam profectus eſt, quae tunc Autrici in Carnutibus erat, cum paulo ante cardinalis [a] Gondius et Jo. [b] Vivonus Piſanii marchio, poſtquam ſe [c] Lucemburgius excuſavit, in Italiam legati fuiſſent, ut reconciliationis negotium apud pontificem urgerent; cui ſe ſenatus Venetus interponere debebat, et per ſuos magnus Etruriae dux omnem ſedulam operam adhibiturum ſe ſpondebat.

Sub id Catharina regis ſoror [d] Benearni pago, ubi toto belli tempore fuerat, ad fratrem venit; eique obvius proceſſit rex, et [e] Caeſaroduni venientem excepit: per
CIↃ IↃ XCIII. cujus abſentiam hoſtis ad [f] Noviodunum in Veromanduis caſtra poſuerat, et urbem tandem deditione ceperat. Rex interim in [g] Carnutes deſcendit, et inde in Veromanduos, ſi qua poſſet urbi obſeſſae ſuccurrere. Sed jam deditionis leges perſcriptae erant, et dies praefinita deditioni, niſi intra illud tempus ſuppetiae a rege ferrentur: quod cum in tempore fieri non potuiſſet, deditio ſecuta eſt.

Venit et ſub id in aulam Sofredus [h] Calignonus per Michaëlis Huralti Hoſpitalii mortem Navarrae cancellarius creatus, qui literis olim in ſchola Burgundica operam dederat, eique ad pangendos verſus, quippe quadriennio major, viam ſtraverat; quod ipſe alicubi teſtatus eſt: vir probitate et eruditione inſignis, et uſu rerum quaeſitam prudentiam in negotiis explicandis mira ſolertia adhibens: cum quo per ſuperiorum temporum calamitates intermiſſam amicitiam Thuanus renovavit, et ad ultimum conſtantiſſime ſervavit.

Tunc et jacta colloquii inter partes fundamenta, ex occaſione ſcripti exeunte anno a Meduanio Lutetiae publicati: ad quod ex communi Thuani cum Schombergio conſilio cum a principibus, praeſulibus, aliiſque proceribus qui in regis comitatu erant, aſſentiente rege reſponſum eſſet, tandem ex mutuo conſenſu, cum neutri parti diſſentire honeſtum eſſet, condicta dies et locus quo partes utrinque convenirent: cujus multoties repetiti colloquii is exitus fuit, ut populi, per inducias, quae ex eo ſecutae ſunt, interquieſcentes, quam violento impetu per turbas initio abrepti fuerant, tam prona voluntate tunc turbas exoſi pacis conſilia ſectarentur.

Eodem tempore inchoatum hiſtoricum opus, cujus cauſa haec ſcriptio praecipue inſtituta eſt, ante XV annos animo conceptum, comparata ad id undiquaque per totum illud tempus materia, et per peregrinationes in adoleſcentia virorum illuſtrium tota Europa aut per literas aut coram contracta familiaritate, ac noſtrorum inprimis qui res magnas ſub regibus geſſerunt; commentariis item illorum qui praecipuis legationibus functi ſunt, et ipſorum quatuorvirûm a ſecretis epiſtolis ſcriniis diligentiſſime pervolutatis; etiam libris, nam nihil diſſimulandum, qui factionum ardente incendio utrinque publicati ſunt, in conſilium adhibitis, ſed ad eorum qui rebus ipſis interfuerant fidem religioſe poſtea examinatis: ut non ex rumoribus et ſparſis libellis, quod injurioſe Thuano a malevolis exprobratum eſt, ſed ex ipſo veritatis fonte hauſiſſe quae ſcripſit, merito aſſeverare poſſit. Itaque et poſtea ἀλήθειαν cui procul odio et gratia ſemper ſtuduit, luculento carmine celebravit, et libris ſuis praefixit. Et qui eum norunt, ſciunt ſic vitam inſtituiſſe, ut, cum in aliis rebus pleriſque ſe minorem minime diffiteatur, mendacio majorem ſe ſemper praeſtiterit, adeoque veritatis diligentem, quod de vetere quodam Corn. Nepos ſcripſit, ut ne joco quidem mentiatur. Sciunt et eum cum magnis viris in luce, poſtquam XX annum egreſſus eſt, magna virtutis ac fidei opinione vixiſſe, et poſtea magnis et ipſum negotiis tractandis adhibitum; in quibus et hodie occupatur, eadem virtutis ac fidei [a] opinione: in quibus et hoc caute ſervavit, ut in iis quae ad odium et contumeliam vergunt,

VAR. LECT. [a] opinione: ut quae ille ſcripſit, de dolio et in dolio, ſicuti de plauſtro convitiatores blaterant, minime ſcripſiſſe dici poſſit: in quibus *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *de Gondi.* [b] *de Vivonne M. de Piſani.* [c] *de Luxembourg duc de Piney.* [d] *Bearn.* [e] *Tours.* [f] *Noyon.* [g] *pays Chartrain.* [h] *Calignon.*

vergunt, rei acerbitatem verborum temperamento mitigaverit, et, quod in jure uſurpari ſolet, in invidioſis quod minimum eſt ſemper ſit ſecutus: quod comparatione eorum qui eaſdem res ſcripſerunt, ſi aequitati adhuc locus ſupereſt, facile animadverti poterit. Hoc et obſervabat religioſe, ſicuti ex ipſo audivi, ut, praeter orationes quas quiſque fidelium mane ſurgens ad Deum concipere tenetur, peculiarem pro inſtituto opere faceret, et non niſi expiata per preces ab affectibus mente ad ſcribendum accederet, Numen invocatum venerans, ut ſibi praeſenti auxilio adeſſe dignaretur, et lumen menti praepanderet, quo inter factionum et odiorum aeſtus latentem veritatem eruere, et in apertum citra livorem et adulationem educere, ſibi liceret: quod propitio Numine ac conſcientia bona fretus in parte ſe adſecutum confidit, niſi ſi judicium, quod in tali ſcriptione ante omnia adhiberi neceſſe eſt, in ipſo defuit; de quo praeſens aetas ſi minus ſincere, at veniens proculdubio incorruptam ſententiam feret. Itaque poſteritati totum hoc relinquere certus, carmen ab amico ipſius nomine ſcribi paſſus erat, quo ad praecipua capita, quae Romae et in aula noſtra exagitari intellexerat, apologiae vice reſpondebatur: quod heic anticipato tempore inſeri non abs re viſum eſt.

POSTERITATI.

Libertatis ego nimiae verique quod acer
Aſſertor fuerim, vitiorumque horridus oſor,
Et Romae et noſtra paſſim traducor in aula.
Quid faciam? quo me vertam? quo judice cauſam
Defendam? Judex idem accuſator et index.
Tu modo, Poſteritas, ades incorrupta roganti,
Et patrocinium deſertae ſuſcipe cauſae.
Scripſimus iſta tibi: nil nos ingrata moramur
Judicia, et vili plauſus mercede redemptos
Nil admirantis praeter praeſentia vulgi.
Tempus erit, quo nunc quae non ita grata placebunt;
Cumque odio fuerit ſatis invidiaeque litatum,
Praemia pro meritis conſtabunt juſta labori.
Interea liceat mihi ſimplice crimina verſu
Diluere objecta, et noſtro jus praeter iniuſtas
Cum venia auctorum detergere nomine labeis.
Libera lingua mihi eſt: quid ſi ſervilis? an is qui
Me nunc accuſat, non et reprehenderet idem
Tanquam vaniloquum, tanquam candoris inanem?
Primus amor veri rectis in mentibus eſſe
Debet, ut in charis etiam execremur amicis
Omne animi vitium, contra admiremur in hoſte
Virtutes; Graius Pellaeo judice necne
Barbarus ille fuat, nullo diſcrimine habentes.
Hoc toto exacti decurſu fecimus aevi:
Nec feciſſe piget; laudent culpentque ſuſurris
Pruritum ad teneras quod mollibus excitet aures
Magnatum circum volitantes atria muſcae,
Et fuci et paraſiti et nigrae nomine ficus
Indigitanda cohors, noſtrae inſidioſa quieti.

Ille

Ille boni dignus mihi civis habetur honore,
Qui ſervare fidem vel cum diſcrimine vitae
Jacturave ſua didicit, qui ſpernit honores,
Deteſtatur avaritiam fraudeſque nefandas,
Intus et eſſe pius mavult quam fronte videri.
Nulla fides hodie barbae impexoque capillo,
Nulla ſupercilio rugiſque ſevera profeſſis:
Imponunt externa oculis: Deus abdita novit
Solus, et arcanos rimatur pectore ſenſus.
Arguit ecce alius, quod amore odioque procul ſim,
Perpetua quod non uſque ad faſtidia laude
Putidus hos onerem, non illos aſper acuto
Dente ſecem, pleniſque vomam convicia buccis.
Atqui Gregorios laudavimus et Marcellos,
Atque Pios, illumque inprimis Hadria nomen
Cui dedit, et Paulum privata laude merentem
Aſcribi antiquis: habuit nam Roma probatos
Pontifices, alios minus his, et ſemper habebit.
Sic ſunt res hominum: nihil omni ex parte beatum.
Cuncta ad menſuram ſuperi regnator Olympi,
Menſurae ipſe expers, tribuit mortalibus aegris.
Nam quid Alexandro fiet, qui ſacra profanis
Miſcuit, et gladio nil non et pyxide fecit?
In charos quid avo nimium indulgente nepotes?
Altius ut repetam, quid Julius ἔρνος ἄρηος,
Italiae cunctos qui non errante ſubegit
Clave duces? contra quid Julius alter ab illo,
Allia qui vacuo dum grandia mordet in horto,
Poſthabuit levibus ſe digna negotia nugis?
Multa tegi ſed enim, quam efferri in luminis auras,
Expedit. O Corydon, Corydon! arcana potentum
Ulla putas? ut ſint, minime illos credere par eſt.
Laudanda ut faciant, audere ut turpia ceſſent,
Semper adeſſe putent qui crimina tecta revelet,
Et ſi quid peccent nunquam ſinat eſſe ſepultum.
Sola libidinibus lex eſt haec dicta potentum,
Ut metuant de ſe coram quid fama ſuſurret
Publica, quid veniens olim pronunciet aetas.
In medio quiſquis rerùm moliris habenas
Sic poſitas aedeis te crede habitare theatro,
Liber uti partem pateat proſpectus in omnem,
Perque gradus ſedeant tanquam ad ſpectacula cives.
Sic foris atque dômi, ſic corpore tutus aperto
Publicola alter eris, ipſo te teſte beatùs;
Invida nec metues plebeiae verbera linguae,
Nec Siculas inter menſas lautoſque paratus
Diſtrictum cervice ſuper trepidabis ob enſem.
Quid quod ſcribendi petulantius atque loquendi
In procerum mores ipſa mos natus in urbe?

Feſcennina

Feſcennina quis ignorat? quis ovata jocoſis
Inter cornicines neſcit dicteria pompis?
Paſquilli cui ſunt ignota ſophiſmata? cui ſunt
E medio reſponſa foro quae reddit amicus,
Vix praetextatis, vix et referenda cinaedis?
Annum Sylveſter claudit: vis cetera dicam?
Eſuriunt vates: noſti quid deinde ſequatur.
Hactenus et nullis laſciva protervia poenis
Fraenari potuit; fruſtra cuſtodia mutas
Excubat ad ſtatuas vigilique ſatellite ſervat:
Paſquillus nuſquam furto deprenſus in ipſo eſt,
Marforius ſemper loquitur ſemperque loquetur.
Doctrinam at ſanam nihil haec dicteria tangunt,
Aeternamque fidem, quam Petrus in urbe cruore
Et Paulus ſanxere ſuo, quamque ordine longo
Semper eandem et ubique et ab omni gente probatam
Inde ad nos ſeries deducta oſtendit avorum.
Non ſi quis liber, ſi verum dicere gaudet,
Laudatorque boni vitiis ſi parcere neſcit,
Continuo niger eſt, tibi vel, Romane, cavendus;
Non pietati adeo libertas pugnat avitae.
Ingenua ſi quid ſum ſimplicitate locutus,
Liberius ſi quid, ſubitove quid excidit aeſtu,
Non ego propterea lactantis ab ubere matris
Abſceſſi et gremio; deſertis non ego caſtris
Miles in adverſum migravi transfuga vallum:
Non ego Smalcadicae juravi foedera pacis,
Namnetumve dedi dextram inconſultus in urbe,
Amboſiae turreis fruſtra tentare paratus:
Sed procul a turbis omnique cupidine vitam
Majorum conſtans in religione peregi,
Semper et abſtinui rebus per bella novandis;
Oſſatum ſit fas poſt tempora ſumma citare,
Oſſatum teſtem, qui me juvenemque virumque,
Inque toga et trabea, qui me intus et in cute norat.
Viveret! haud triſtis vexet cenſura columbas,
Cunctave permittat laxata licentia corvis.
Illumne appellem, qui nunc ſuperatque vigetque,
Perronum, Aonidum ſpem praeſidiumque ſororum?
Unus pro cunctis magni pars magna ſenatus
Tu,[a] *Franciſce, mihi es, rerum o tutela mearum:*
Tu mecum, tanto tu me complexus amore,
Partiri ſuetus curas, ſcis ſtrenuus in me
Quid ſolidum crepet, aut mendoſo tinniat aere,
Candoremque meum, qui ſit, re ſaepe probaſti;
Sponſorem te proinde ac praedem huc denique ſiſto;
Ne, Franciſce, bonae vadimonia deſere cauſae.
At Proteſtanteis laudas, quos nempe Vatini

Debueras

INTERPR. [a] *Franciſco Moroſini cardinale.*

Debueras odiſſe odio, et cane pejus et angue.
Eloquium quidni laudem, ingeniumque colendis
Artibus, et ſi quid calamo vel voce valebant ?
Nam Siculi exemplo Diodori inſtructa paratur
Bibliotheca viris quos Mars amat atque Minerva,
Quos Clarius, Clarii quos dilexere ſorores.
Hermias hoc fecit idem, et feciſſe diſerte
Gaudet, et hoc minime facto peccaſſe fatetur.
Ergo Leunclavius, Geſnerus, Fabritiuſque,
Dictus honorifice, Camerarius atque Xylander,
Junius et Wottonus, et Aſchamus et Buchananus ;
Laudati Stephani, queis tota Lycaea recuſos
Egregie ob veterum libros bene grata precantur ;
Inſuper et plures alii. Quid magnus Eraſmus ?
Mene in eum, cui res tantum literaria debet,
Et debebit adhuc, genuinum ſtringere ? crimen,
Vos veneror manes, hoc a me deprecor abſit.
At peccavit ; homo fuit atque humanus Eraſmus,
Humane et carpi voluit, placideque moneri.
Hem quis homo es, qui ferre alium nequis improbe lapſu
Peccantem humano, cum tu deterrima pecces
Interea, inque homines Divoſque injurius ipſos,
Obſcoenaſque cavo luctantis pectoris antro
Admota doleas face perlucere latebras ?
Sunt hominum aetates variae : juveniliter illum
Exultaſſe ſtylo fateor ; verum ultima ſemper
Diſtractae ſtudiis ſpectanda eſt clauſula vitae,
Quae pulchra in Batavo fuit irreprenſaque cycno,
Ad Belgas teſtis quam ſcripſit epiſtola fratres.
Hinc alii atque alii inſurgunt, quibus, altera leges
Numina quod patrias dixi moreſque receptos,
Diſplicet, ignaris fundata crepidine qua ſtet
Publica res, quantoque tot uſurpata per annos
Legitimo in regno mutentur jura periclo.
Imperiorum auctor Deus, imperiiſque regendis
Conſtituit leges ; quas qui violaverit olim
Ultricem ſciat ille paratam Numinis iram,
In Tiberim Sejanus ut alter ſcilicet unco
Ducendus, meritaque adfectus morte Cethegus.
Nunc et ſacra vide quid in hanc rem pagina dicat,
Ne tu limitem agro poſitum metaſve revelle :
Frigidus ecce rubos inter latet anguis acutos ;
Si ſapis, o mediam paſtor ne dirue ſepem.
Offendit ſynodi Piſanae et mentio quoſdam,
Quam pius et memori recolendus pectore Gallis
Indixit Lodoicus, ut importuna minacis
Arma coerceret Juli, coetuſque fidelis
Tunc pulchro haerenteis aboleret corpore ſordeis.
Narravi hiſtoriam totum quae nota per orbem :
An narraſſe nefas, et erit narratio fraudi ?

Propoſitum ſed enim laudati principis ipſe
Laudaſti, et ſedem obliquo ſermone notaſti.
Tu, qui me arceſſis, vitam non ante peractam
Arguis aut mores, ſed verba jacentia tollis.
Emendari et quae fieri meliora neceſſe
Tunc erat, ac penitus Babylonis nomina perdi,
Id non in tanto ſumme laudabile rege
Procurare fuit, totaſque impendere vireis,
Sponſa Dei ne qua vileſceret obſita ruga,
Ullius offenſaeve querelae aut cauſa ſubeſſet?
Atque utinam optatum potius ſortita fuiſſent
Conſilia eventum, quam poſtquam Julius omnem
Miſcuit Italiam ferro graſſatus et igni,
Haud meliore via Leo graſſaretur et ipſe,
Cuncta ſuis ſibique indulgens ac ſacra profanans,
Accenſa cineris concluſo e fomite flamma,
Quae totum ſerpens invaſit protinus orbem.
Non reliquo avulſi nunc corpore Teutones errent,
Anglia non laxis impulſa feratur habenis,
Anglia aboriginum mox ſigna ſecuta ſuorum.
Rurſus Pragmaticam objectant Carli atque beati
Laudatam Lodoïci, indignanturque repoſtum
Oblivi caeca mallent quod nocte ſepultum.
Quid facias? Galli pridem, dum fata ſinebant,
Felices, hoc paſſim uſi ſunt jure, priuſquam
Ulla infeciſſet miſeros ſectaria labes.
Nunc, quia Germanos vexant, vexantque Britannos,
Pannoniaſque duas longi contagia morbi,
Jure ſuo Gallos prohibent et legibus uti,
Et ſcriptis mandare quod uſu et more receptum,
Tempore quod rebus tanto fuit utile noſtris.
Idne aequum, cives, aut aequa mente ferendum?
Poſtremo mihi crimen atrox et morte piandum
Objicitur, verbis quod ſum inſectatus amaris
Urbe Pariſiaca lanienam mane patratam,
In Conſtantini quae nunc et viſitur aula,
Praecipuos inter Romae depicta triumphos.
Tempora nil opus heic, loca ſed diſtinguere. Montes
Hanc citra vobis liceat, pia turba Quirites,
Illuſtrem laudare diem et celebrare quotannis.
Per Vaticanas alternis dicite cellas,
Eumenides Siculae ſacra veſpertina canamus.
Non eadem Gallis, Italis quae laeta videntur;
Quiſque ſuo gaudet ſenſu: tu mellea credis,
Alterius quae ſunt abſinthia tetra palato.
Laudem ego, tantorum quod apud nos cauſa malorum
Exſtitit, et porro ſaeclis erit uſque futuris?
Quod cunctas gentes inter populoſque propinquos
Gallorum infami deturpat crimine nomen,

Quodque tot edictis damnavimus? hoc ego laudem,
Implevit trepidas quod ſuſpicionibus urbes,
Libertatem odiis dedit, immanique cruoris
Per caedeis populos fundendi accendit amore?
Non execrer ego potius, diraſque nefando
Indicam ſceleri, legum quod vincla reſolvit,
Quod pacem turbat, regni qua publica conſtat
Alma ſalus, ſummo quam paſſim eccleſia tota
A rerum Domino concepta voce precatur,
Temporibuſque ſuis optat contingere ſupplex?
Vos quoque, Dardanius ſanguis, quibus otia blanda,
Et plumae molles, et corda oblita laborum
Securam ſpondent aeterna in pace quietem,
Damna aliena ad vos qui nil ſpectare putatis;
Ex improviſo ſi Martius ingruat horror,
Hiſpaniſque ferox opibus poſt funera victor
Carolus in media ponat vexilla Suburra,
Nocturniſve dolis Albanus moenia pulſet,
Sera licet tandem capiet miſeratio noſtri,
Inviſaeque adeo pacis pia cura ſubibit.
Quod mihi, quod cuiquamve, poteſt contingere cuivis.
Sunt exempla domi. Scit dives Avenio quondam
Qua Serbelloni luerit mercede furorem
Roma potens, quantiſque laboribus atque periclis
Conſtiterit ſaevas expertus Arauſio flammas,
Vae nimium veſtris vicinus Arauſio terris.
Quid ſi animis idem redeat furor, et, quod ubique
Multi urgent laris expertes ac jura gravati
Exlegeſque, domi naſcens lachrimabile bellum
Invadat placidas turbato foedere gentes;
Naufraga ſi totiens puppis non horreat undas,
Nec foedis pelagi tot conflictata procellis
Illiſum trepidet ſcopulis affigere roſtrum;
O quanti ex illo motus errore ſequentur?
Quae tantas inter ſat erunt ſolatia cladeis,
Lymphatus cum vaſta dabit Mars omnia circum,
Sanguis ubique fluet, deſerto nullus in agro,
Vallata rarus viſetur in urbe ſacerdos,
Siquis erit, diris probriſque a plebe petetur,
Fons quaſi tantorum fomeſque caputque malorum?
Et ſane, ut fuco verum quaeramus omiſſo,
Quam partem in turbis Chriſtus ſibi vindicat iſtis?
Cognatas ſocialis amor qui jungere mentes
Debet, ubi eſt, ſine quo virtutum cetera turba
Friget? ubi innocuus pudor et reverentia legum,
Queis ſervire bono libertas maxima civi?
Ut verbo expediam, belli civilis in aſſe,
Si totum excutias, non eſt ſemuncia recti,
Non fidei aut priſcae pietatis ſcrupulus unus.

Ponite

Ponite jam gladios igitur, qui corpora laedunt,
Trojugenae, ferrumque, animas quod dividit, anceps
Sumite, ſiderea ferrum fornace recoctum,
Et lachrimis precibuſque Deum placate potentem.
Haec vos arma decent. Multis ſectaria peſtis
Non culpa eſt, culpae ſed debita poena putatur.
Quo minus in tali licet excandeſcere caſu,
Si vitio humano lapſae, non crimine, mentes
Doctrinae cujuſque leves agitantur ab aura.
His blandi affatus monſtris manſuetaque corda,
His opponenda eſt melior doctrina piorum
E priſco deprompta penu cellaque parentum;
Non tela atque cruces, quibus irritabile turbae
Segregis ingenium tantos ciet orbe tumultus.
Jamque mihi oppoſitos caſſeis livoris iniqui
Retiaque et nodos pius evaſiſſe videbar,
Cum ſubito a laeva purgatam vellicat aurem
Ingeminatque patris monitor venerabile nomen,
Cujus ego cineres et manes rite ſepultos
Solicitavi amens conturbavique quietem,
Invitum excuſaſſe diem cum diximus illam,
Obligat infando quae Gallica ſceptra piaclo.
Patris ego cineres placidos maneſque revelli?
Patris ego nomen laeſi? pro numine nomen
Quod mihi ſemper erit, cujus ſpiranſque recenſque
Uſque magis noctem atque diem obverſatur imago.
Quicquid ago, quicquid meditor vel mente revolvo,
Semper adeſt; culpae tanquam objurgator acerbus,
Si quid deliqui; ſi quid laudabile conor,
Inſtat agens, ſtimuloſque animis properantibus addit:
Ille mihi ante oculos majorum exempla meorum,
Dictaque praeclare, generoſe et facta reponit:
Ille refert proavos ad moenia celſa [a] Genabi
Fortiter occubuiſſe focos araſque tuenteis;
Ille refert [b] Marlam bis centum circiter ante
Palati quaeſtorem annos, [c] equitumque magiſtrum,
Ambos devotos, ambos pro rege ruenteis,
Immanem plebis rabidae ſatiaſſe furorem.
Jam [d] Deganaium quid ego, [e] pacalis olivae
Heroem quid ego memorem de nomine dictum,
Officio atque arcta conſanguinitate propinquos?
Nec me degenerem ventura redarguet aetas,
Plura habitis cupidum non incuſabit habendi,
Praeſocante animos non ambitione furentem,
Non ſimulatricis graſſantem fraudibus artis,
Infeſtas quae nunc virtutibus obſidet aulas,
Et caligantum praeſtringit lumina regum.
Vos o majorum cineres, teque optime longis
Soliciti genitor defuncte laboribus aevi,
Teſtor, pro patria nullas regnique ſalute

Vitaviſſe

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *le Chancelier de Marle.* [c] *le Connétable d'Armagnac.* [d] *le Chancelier de Ganay.* [e] *le Chancelier Olivier.*

Vitaviſſe vices, veſtra virtute meaque
Indignum nil feciſſe, et, ſi fata tuliſſent,
Prodeſſem ut patriae, patriae ſuccurrere, livor
Abſiſtat, pietate mea meruiſſe petenti.
Pura ad vos anima atque hodiernae neſcia culpae
Deſcendam, quandoque noviſſima venerit hora,
Noſtraque ſub tacitos ibit fama integra maneis.
Nunc quia fata obſtant, manifeſta et percitus ira
Conſiliis placidas ſanis Deus obſtruit aures,
Quod puer augurium praeſago pectore feci,
Cum canerem aërias acies pugnaſque volantum,
In flexu aetatis ſeniique in limine firmo,
Invidiae cedo et faſceis trabeamque reſigno.

Eid. Martiis CIↃ IↃ CXI.

Cum hoc carmen ab amico nomine Thuani ſcriberetur, ille, praeſagus quod in publicam utilitatem elaboraverat, non tam ſibi quam publicae rei futurum fraudi, ſubeunte animum augurio, quod de ſe ante XXVII annos fortunaque ſua in extremo Hieracoſophio fecerat, hoc etiam amico inſinuaverat: quod ut clarius intelligatur, verſus ipſos heic quoque apponere placuit.

Atque aliquis, longo cineres poſt tempore noſtros
Miratus viridi tumulatos ceſpite, dicet,
Huic quanquam in plumis fortunaque inſuper ampla
Contigerit naſci, et ſuperarent gratia opeſque
Quas teneris hodie cuncti mirantur ab annis;
Majorum quamvis repetentem exempla ſuorum
Gentis honos, et laudis amor, clarique parentis
Fama recens, majora etiam ſperare juberet;
Otia Muſarum tamen ignotoſque receſſus
Maluit ille ſequi, ſcopuloſque aulaeque procellas
Effugere, et vanos hominum contemnere fumos:
Maluit ille ederas et lauros ſponte virenteis,
Quam ſpolia et macra pingueis de pace triumphos.

Cum igitur nihil gratiae, nihil odio, nihil denique ambitioni datum ſit, nihilque aliud ſibi in toto opere propoſuerit quam Dei gloriam et publicam utilitatem, ad quam pertinet ut rerum geſtarum veritas in praeſens propaletur, et ad poſteritatem incorrupta tranſmittatur, cum nihil niſi certiſſimis teſtimoniis et magnis auctoribus in eo ſcriptum ſit, mirari ſaepe ſubiit, qui homo qui neminem tota vita laeſit, qui bona pro malis ſaepe [α] rependit, tot obtrectatores ob hiſtorias a ſe editas habeat; qui non contenti humanos lapſus notare, qui non poſſunt in tam magno opere non [β] obrepſiſſe, omnem exagitandi auctoris occaſionem per calumnias et cavillationes arripiunt, et a ſcriptis ad mores vitamque domeſticam, ne quid intentatum relinquant, rabie abrepti [γ] deſcendunt.

Cum

VAR. LECT. [α] rependit, qui, ſub Scorpio natus, eos a quibus laeſus eſt ſemper juvit, tot obtrectatores *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] obrepſiſſe, de iiſque, ſi charitas inter homines hodie vigeret, ipſum monere, omnem exagitandi auctoris *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[γ] deſcendunt. Sed ſtylum inhibeo, ne majore quam ipſe auctor injuriae ſenſu tangi videar, qui non ſolum libro famoſo reſpondere, quod multi ſuadebant, in animum minime induxit, ſed ne amici pro illo reſponderent, precibus et obteſtationibus apud eos cavit. Et quod nunc vix permiſſu ejus ſcribo, non eo conſilio ſcribitur, ut convitia convitiis, quod unicum hodie ſcripturientium, etiam religioſorum

Cum tanti odii atque adeo gratuiti cauſas diligentius inquirerem, eaque de re auctorem ipſum conſulerem, reſpondit ille, non alias ſe videre quam quae non videntur, quae latent, quas malevoli expromere non audent. Cum hoc reſponſo ab eo dimiſſus, cum divinationi tantum locus ſupereſſet, coepi apud me cogitare, quaenam illae latentes cauſae eſſent: et tandem, poſtquam rem diu intra me volutavi, eas nec alias eſſe comperi, quam quod toto opere bellum ob religionem ſuſceptum deteſtari et ab eo abhorrere videatur; quod ita ſcripſerit, ut legenteis ab armis aliquando in hac cauſa ſumendis deterrere poſſit; item, quod in praefatione liberius dixit, bellum non eſſe legitimum modum tollendae ex eccleſia ſciſſurae; inſuper, quod paſſim innuere videatur in uſum revocandam eccleſiae priſtinam diſciplinam; et, quod Conſtantienſi oecumenica ſynodo decretum fuerat, inſtauranda concilia, et ſingulis decenniis univerſale cogendum, niſi neceſſitas urgeat ut citius *cogatur. Urit et maxime omnium illos, quod de legibus patriis, praerogativa regni, libertatibus, privilegiis, ac denique de Palladio, adjectum eſt; quippe qui cum ſint Sinones illi, qui ex alienis damnis ſuum faciendi compendium, hoc eſt, ex regnorum calamitatibus in eorum libertates invadendi, et calcata regii faſtigii majeſtate nimiam potentiam oſtentandi, et per bella ac turbas vel cum eccleſiae pernicie et ſciſſurae majoris periculo amplificandi, occaſionem inſidioſe captant. Hoc illos angit, hoc turbat, hoc in arcano excruciat: hinc irae atque odia, hinc famoſi libelli ubique ſparſi, nec aliunde, originem trahunt: hinc Romae ſuggeſtum, ut indicta cauſa ſine conditione Jacobi Auguſti Thuani hiſtoriae cenſura notarentur, quarum tunc pars tantum edita fuerat, ſed cum praefatione illa, qua tantopere intra pectoris ſcrinium ringuntur, neque tamen fatentur: nam et tunc ab illuſtriſſimo cardinali Bellarmino, cum eam legiſſet, interroganti amico quid ſentiret, reſponſum eſt, nihil in ea eſſe quod reprehenſione dignum videretur: addito tamen, praecipitatam illam, nec regnum Henrici II bellis externis tantummodo exercitatum hac excuſatione opus habuiſſe. Atqui praefatio totum opus, quo bella noſtra plus quam civilia narrantur, jam ad finem perductum reſpiciebat; et regnum Franciſci II, quod originem iis dedit, cum praefatione editum erat.

Pergunt tamen obtrectatores, neque poſt decennium ceſſant. Hi ſunt nimirum, qui pacem fiduciariam, qua fruimur, turbatam cupiunt, cui conciliandae auctor tanto tempore ante XIII annos juſſu magni Henrici IV incubuit; qua re et ſe obligatum putat, ut majore cum moderatione, quod ipſi vitio a malevolis vertitur, et aequo veluti cum aliis jure, de Proteſtantibus loquatur. Hi ſunt, qui novitia doctrina imbuti, ceterum de providentia divina ſecuri, per bella, caedes, coitiones, machinationes, conjurationes, gloriam Dei augeri credunt: corda contrita, lachrimas, preces, amicas cum Sectariis collationes parum valida contra malum indies ingraveſcens praeſidia putant: adverſus conciliorum opem imploranteis, tanquam ſegreges et in religionis cauſa tepenteis ac ſuſpectos, debacchantur: qui charitatem majorum prorſus exuerunt, unaque aberrantium ovium curam omnem a ſe abdicarunt; qui faſtum, pompam, typhum, ac dominandi impotens deſiderium cum ſciſſura, potius quam ſimplicitatem, tenuitatem antiquam, et mutuum amorem cum pace

religioſorum hominum, ſi Deo placet, quaſi ſtudium eſt, retalientur; ſed potius ut tota vita auctoris ſine fuco et fallaciis, a quibus, quantum a maledicentia, tantum ipſe longiſſime ſemper abſuit, ſub oculos ponatur, et ratio ſcriptae ab eo Hiſtoriae omnibus reddatur. Sed antequam ulterius progredior, faciendum mihi duxi, ut in tanti odii atque adeo gratuiti cauſas diligentius inquirerem: quas penitius rimanti, cum ea de re auctorem ipſum conſulerem, *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

VAR. LECT. * cogatur. An vero minus nunc urgeat poſt LI annum, ex quo Tridentino finis impoſitus eſt, interrogent ſuam conſcientiam qui tantopere laudabili praecepto eccleſiae refragantur. Urit et maxime *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

pace, ſectantur; maluntque in eos qui unionem ſervant, libertatis eccleſiaſticae colore, ſeveritatem intempeſtivam exercere, quam in iis qui defecerunt requirendis charitatem teſtari: denique ut ſapientes ſaeculi in pace bello idonea parant, ut, quod huc uſque tam infeliciter ſucceſſit, ferro flammaque cuncta permiſceant, et quicquid perniciofis conſiliis ipſorum obſtat, aut non conſpirat, proturbent, dejiciant, evertant.

Cum iis hominibus ſcriptori Annalium res eſt. Hac ille invidia apud illos flagrat; cujus eo periculoſius incendium, quod incluſis ardet ignibus, nec niſi ruina reſtingui poſſe creditur. Jura regni, libertates, dignitatem tueri, exemplis ſe majorum adverſus externas machinationes munire, legum Gallicanarum praeſcriptione regiam ſalutem defendere, gladios a jugulo et a latere ejus arcere, ingens hodie crimen eſt, et laeſae divinae majeſtatis ſcilicet dignum nomine. Et hoc qui facit, olim querna corona et triumpho, cum Franci nominis praerogativa inter concordes vigebat, dignus; nunc per diſſidia, poſtquam ignavia noſtra ſeu praevaricatione in arcana regni juratis hoſtibus penetrare permiſſum eſt, cacumine illo proſtrato, et fide quae regi debetur calcata, ipſe tanquam diris devotus, ſacer et inteſtabilis,

Triſte jacet cunctis evitandumque bidental.

[1] Sed rurſus ſtylum inhibeo, et veniam a lectore peto, ſi in tam juſtae cauſae defenſione pro viri innocentis dignitate longius et cum calore aliquo evagatus ſum, fecique quod ille non feciſſet nec factum [a] vellet.

VAR. LECT. [a] vellet. Nunc, quod ipſe fecit et cunctis innoteſcere cupit, ut ratio non ſolum vitae domeſticae ſed etiam ſcriptae ab eo hiſtoriae conſtet, brevicula ad ſingulos libros ab eo praefixa, cum nomenclatore ſcriptorum et auctorum e quibus hauſit, ſicuti ille ſibi privatim ſcripſerat, continua ſerie apponam, comprehenſis etiam libris illis qui nondum lucem viderunt; ſi prius praefatus fuero noſtrum auctorem lectione, publicis negotiis, et amicorum officiis toto vitae curriculo occupatum, in adoleſcentia quidem poeticae, cujus praecipuo amore tangebatur, operam dediſſe; ceterum nunquam ſex pagellas, antequam ad ſcribendam hiſtoriam ſe accingeret, ſoluta oratione exaraſſe. Ut mirum non ſit, ſi nondum efformato ſtylo inaequalitas orationis in prioribus libris ubique deprehendatur, et ſtylus ipſe, tanquam polypus, pro rei cui adhaeret objectu, mutet colorem, ac ſubinde fluctuans in clauſulis langueſcat, nec conſtantiam in membris ſervare videatur. Sequuntur argumenta librorum LXXX qui jam editi ſunt, cum nomenclatore quem dixi, et inſuper XLVI ante decennium abſolutorum, qui adhuc premuntur, et [b] quae XVII ſequenteis libros conficient, et, cum opus recudetur, ſi ita lectori placebit, ſingulis libris praefigi poterunt. *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

NOT. [1] *Quae ſequuntur tres lineae in* Ed. Gen. 1620 *leguntur; deſunt autem* Ed. Gen. 1626-30.

[b] *Vide praefationem editioni Rob. Stephani praefixam.*

JAC.

JAC. AUG. THUANI
COMMENTARIORUM DE VITA SUA
LIBER SEXTUS.

THUANUS [a] Caeſarodunum, ubi cum uxore domicilium habebat, reverſus, reliquum annum ſcriptioni impendit, ex inſtructiſſima bibliotheca, quam Lutetiae reliquerat, adductis ſecum per induciarum tempus libris ac commentariis jam diu ante congeſtis.

SEQUENTI anno de conſecrando rege, qui jam ecclesiae reconciliatus fuerat, ſed nondum in gratiam a pontifice receptus, actum eſt; et [b] Autrici Carnutum a Nicolao Thuano urbis epiſcopo Thuani patruo res peracta: quo et ipſe cum uxore venit, in comitatu Achillis Harlaei primarii praeſidis et aliorum ſenatorum a rege evocatorum. CIƆIƆXCIV.

JAM tum de occultis Lutetiae tradendae conſiliis cum Briſſaco actum; idque reſciverat per procuratores ſuos quos in aula habebat Anna [c] Ateſtina Nemoroſia Meduanii parens, et fruſtra Meduanio ipſi aperuerat, ſicuti amplius poſtea ipſi Thuano, quicum arctam cum patre coeptam familiaritatem colebat, narravit. Neque tamen his monitis Meduanius pro tempore ſapuit, ſed ad exercitum proficiſci certus, urbem cum certiſſimae fiduciae ſignificatione in poteſtate Briſſaci reliquit; qui jam cum regiis convenerat, et eam mox regi tradidit.

INTEREA Thuanus cum Harlaeo Caeſarodunum reverſus eſt; et menſe Martio ſequenti conſilium ſecretum exitum habuit. Cum urbe recepta ſpes eſſet, ut non ante ſenatus in urbe reſtitueretur, quam qui in fide regis remanſerant, et Caeſaroduni jus toto quinquennio dixerant, ad urbem revertiſſent, Franciſci Doi, qui in minuenda ſenatus dignitate unus omnium maxime laborabat, et, quia urbis praefectus erat, gratiam a nuper reconciliatis et plebe ipſa hoc facto ſe initurum putabat, prenſationes apud regem tenuerunt, ut non expectato Harlaei reditu res praecipitaretur: quod incredibili cum dolore Harlaei accidit, qui factionis pernicioſae ſemina omnino extirpandi tam praeclaram occaſionem ſibi ademptam dolebat, et ea gratia factioſis animos ad priſtina conſilia olim reſumenda addi impatientiſſime ferebat. Doi interitus praeter opinionem ſtatim ſecutus leniit dolorem, cum, ſciſſa et imminuta illius praefecturae potentia, nemo eſſet qui factionis intermortuae igniculos in urbe pari auctoritate colligeret.

EXACTI et ſub finem anni Jeſuiticae ſocietatis [β] ſodales. In eo negotio anxie verſatus eſt Thuanus, cum publicae ſecuritati poſt tantum periculum omni ratione conſuli expeditum ac maxime neceſſarium putaret, et interea aegre ferret, ea re fieri, ut a Clementis [d] Puteani ſocietatis illius provincialis, quicum arctiſſimam colebat amicitiam, familiaritate divelleretur. Ventitabat is crebro ante caſum cum P. [e] Pithoeo

et

VAR. LECT. [α] Abſolutis hiſtoriarum jam editarum, et quae adhuc premuntur, epitomis; tempus eſt, ut inſtitutum de vita auctoris ab 1593, in quo ſcribendi initium fecit, ad annum in quo deſiit, ſermonem perſequamur. Thuanus Caeſarodunum *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

[β] ſodales: (quorum cauſa paulo ante in ſenatu diſcuſſa, Doo ſuperſtite cum ſibi addictis annitente, comperendinata fuerat,) ex occaſione Caſtelli paricidae, et Guignardi ex eodem ſodalitio ob libellos contra regem regiumque nomen deteſtanda impietate ſcriptos ad mortem damnati; quorum diſceſſu metus ille ad tempus quievit. In eo negotio *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *Chartres.* [c] *d'Eſte, ducheſſe de Nemours.* [d] *Dupuy.* [e] *Pithou, & le Fevre.*

et Nic. Fabro ad Thuanum, et in pace publica conſtituenda aequitatem animi ſummam prae ſe ferebat; vir alioqui doctiſſimus ſimul et eloquentiſſimus, et acerrimo judicio praeditus.

SUB id Carolus Lotharingus Guiſius cum rege in gratiam rediit, et conditionibus diſceptandis Thuanus cum Maximiliano [a] Betunio Ronio delectus. Quo facto ad ſtudia antiqua revolutus in ſcriptione totum annum ſequentem impendit, ſcripto etiam carmine, ex quo palam fiebat, quam invitus et a calamitate publica ſeu provocatus ſeu coactus in aulam veniſſet, et quam libenter eam, qua ab initio carere maluiſſet, occaſione oblata inde diſcedendi reliquiſſet: quod et heic inſeri placuit.

Aula vale Muſis inimica, aulaeque miniſtri,
Quos coluiſſe pudet, quos memorare piget.
Res tamen ut memorem, fumus, ſimulatio, fucus,
Fluxaque mentita relligione fides,
Et vox pectoribus, frons et contraria menti,
Speque lucri foeda conciliatus amor,
Rebus et alterius macreſcens livor opimis,
Pluſque ſua ſemper ſors aliena placens,
Et libertatis ſpecie qui fallit apertae,
Ipſe palam laudans, clamque inimicus atrox,
Cunctaque monſtra adeo Stygio quae Ditis ab antro
Extudit in poenas ingenioſa ſuas
Gens humana, doli, technae, fraudeſque, valete,
Non ego vos poſthac, turba profana, colam.
Utne tegam ſpurco vilis latus aſſecla Lydo?
Carmina Virronis flagitioſa legam?
Furacis menſas ſecter paraſitus Amilli?
Suſtineam faſtus, dives Apella, tuos?
Vipereos patiar morſus impune Ceraſtae?
Thaidos aut frontem nequitiaſque feram?
Faſque habeam atque nefas uno ordine, ſitque vel hujus
Aut hujus potior quam mihi juris amor?
Ingenua illatam non vim virtute repellam?
Aut nullo offenſas murmure ferre queam?
O potius valeant felicis commoda vitae,
Quicquid et hac redimi conditione poteſt,
Quam mea libertas turpi labefacta lucello,
Aut intentata vique metuque minor,
In leges peccet patrias, tritumque relicto
Devia virtutis calle ſequatur iter.
Sed bene habet; cura non ſolicitatus avara,
Non acri fervens ambitione, lares
Deſerui, teſtor ſuperos, aut illicis aulae
In foveam prudens me laqueoſque dedi;
Invitus colloque obtorto raptus in aulam
Vos liqui caſtae numina chara Deae.
Tempore quo poſitis regina Lutetia caſtris
Ad Luparam rabie ſuſtulit icta caput,
Conata Henricum regnis detrudere avitis,
Exemploque urbes traxit ad arma ſuo:

INTERPR. [a] *de Bethune marquis de Roſny.*

Tunc

Tunc qui vitandos ſapientibus eſſe tumultus
Tutius et procul hinc rebar abeſſe mihi,
Me turbae eripui, teque, o Schomberge, ſecutus,
Aulicus hinc coepi protinus eſſe cliens.
Nec mora, legatus Borealeis mittor in oras,
Armoricique procul litus ad Oceani:
Scilicet ut cauſam regni cauſamque bonorum
Unus apud multos nomine regis agam,
Spe trepidos animem, titubantia pectora firmem,
Graſſantiſque premam ſemina dira mali.
Heic primum arriſit tanto fortuna labori,
Rotomagum noſtra rexque receptus ope eſt.
Inde mihi invidiam, ſcio, magnam odiumque creavi:
Quid facerem? res eſt imperioſa fides.
Ordine commiſſi mandatus muneris hic eſt,
Emendicatus non mihi venit honos.
Jamque videbatur callum duxiſſe cicatrix,
Vulnus et in ſolidam jam coiiſſe cutem:
Acrior inſurgit violato foedere praedo,
Regnandique modum neſcit habere furor.
Ergo conjurata iterum miſer exulo ab urbe,
Aulicus et fieri cogor, ut ante, cliens.
Cum fugerem, quoties oculis poſt terga reflexis
Exciderunt moeſto talia verba mihi?
Principium atque morae ſcelerata Lutetia belli,
Alite non dextro tela retuſa rapis:
Magna quidem erga te generoſae gratia gentis,
Multa, nec inficior, gloria, multus honos:
Sed quanto infauſti conſtabunt ſanguine amores,
Tanti paene tibi gente carere fuit.
Sic ego. Sed venti juſtas rapuere querelas
In mare et averſus Sequana ferre dedit.
Quid referam interea terra quot adire labores
Contigerit, ſaevo quotque pericla mari,
Ad latus haererem dum Gaſparis? utile regi
Hoc ſervate, oro, Dii, patriaeque caput.
Teſtis Aquitanae luſtratus circulus orae,
Quam rapido medius amne Garumna ſecat;
Teſtes Marologi manes et triſtia buſta,
Et ſacer exuſta qui fluit urbe liquor;
Rex Gabali et Mimate jugi, Oltaeque fluenta
Mutatis toties praetereunda vadis,
Atque Uticae cunis Merceri urnaque recenti
Urbs quam tergemina mole ſuperba magis.
Inde Forum Juli deſcendimus, et rate curva
Verrimus aequorei coerula terga ſali:
Aëriaſque procul Nicaeae abſcondimus arces,
Radimus et muros, alta Saona, tuos.

Marmoreae

Marmoreae tandem Genuae ſtatione recepta
Subſtitit in tuta picta phaſelus aqua.
Moxque per Eridanum prono delabimur amne
In Venetum terras Hadriacoſque lacus.
Heic ego dum Pragam meditor, quo juſſa trahebant
Vixiſſe Henricum fama moleſta refert.
Ut mihi vis animi menſque omnis corde receſſit,
Brachia ut ex humeris tunc cecidere mea!
Publica tu moriens fregiſti commoda princeps,
Gallia tecum una tota ſepulta jacet.
Ergo complexu Schombergi avellor, iterque
Hinc mihi per Rhaetos Helvetioſque fuit:
In patriam donec redii miſerabilis hoſpes,
Exul, inops, ipſa nec bene mente valens,
Et procul a ſtudiis, quod re mihi durius omni eſt;
Haec poterat tantis eſſe medela malis.
Rurſus at in turbas aeſtu vehemente reſorbens
Torta palatini me tulit unda freti.
Ex illo jam nunc hyemes per quatuor aulam,
Atque novus miles regia caſtra ſequor.
Quo ſpes ante alios et amor male fidus habendi
Ducebant trita per ſcelus omne via,
Noſtrarum huc rapiunt me deſperatio rerum,
Atque alibi nuſquam tuta reperta quies,
Damnoſuſque mihi patriae pudor utilis uni,
Et nullo ſortis turbine laeſa fides.
Cauſa perorata eſt: ſuffragia libera de me
Poſteritas, praeſens nam vetat hora, feret.
Tollite ſi merui, veniam a me deprecor omnem,
Invitus plectar ſi modo ſponte peri:
Non ego ſponte peri; magnum ſolamen in hoc eſt,
Cum pereas, culpa non periiſſe tua.
Sed non omnino perii, ſperare ſalutem
Rebus et integris poenituiſſe licet.
Jamque adeo ad Muſas atque otia blanda relabor;
Sera licet certa eſt quae venit inde ſalus.

ANNO exeunte legati Veneti longe honorificentiſſimo comitatu venerunt, aliquandiu in itinere commorati, et majore quam pro more pompa Lutetiae excepti ſunt: et quia Thuanus ad eos a rege orator deſtinatus erat, cum Andrea Huralto Meſſio exlegato obviam miſſus, et cum iis dictim ac fere aſſidue manere juſſus.

HOC et anno Auguſtinus Thuanus curiae Pariſienſis praeſes optime meritam de republica ac ſuis animam Deo reddidit: cui jam pridem ſucceſſor deſignatus Thuanus ſtatim ſuffectus eſt, tanta moderatione in novi honoris adeptione uſus, ut cum antea ſuperſtite patruo, dum Achilles Harlaeus primarius praeſes cum eo Lutetiae carcere attineretur, inſtante quantumvis rege, [a] Caeſaroduni eo munere defungi recuſaſſet, ſicuti in ſuperioribus demonſtratum eſt, tunc eo mortuo non

INTERPR. [a] *Tours.*

non prius quam poſt juſta perſoluta et rite conditos manes ſenatum ingredi voluerit.

Eodem anno in negotio Condaci principis tunc pueri et illuſtriſſimae parentis, quae ob viri dubiam mortem periclitata fuerat, Thuanus, qui jam ante utrique ſedulam operam navaverat, officioſe admodum laboravit; et poſtquam uterque regis juſſu ad urbem adducti ſunt, quicquid ad eorum dignitatem et ornamentum pertinebat, quod id ad regis regnique res conſtituendas pro tempore conducere exiſtimaret, in aula et in ſenatu diligenter procuravit. Ea re in ſuſpicionem ab invidis in aula adductus, fideli opera ſua meruit ut malam gratiam utrinque reportaverit: quod ipſi diu poſt nocuit; ſed eo minore ſenſu, quod gratiae, quam cuncti in aula tam anxie aucupantur, et rerum externarum jacturam parvi aeſtimare ſit ſolitus, idoneam ſcilicet exantlatorum laborum mercedem eam reputans, quam in bona conſcientia repoſitam habet.

Ut res facilius conficeret, neque Proteſtantes remoram negotio interponerent, antequam ad Condacum Joannes Vivonus Piſanii marchio Fanum [a] Joannis Engeriaci proficiſceretur, edictum ex Nivernii ſententia ad Germani-fanum conditum et in ſenatu procurante Thuano promulgatum fuit, quo caput XIX edicti anno LXXVII publicati de Proteſtantibus ad honores publicos admittendis ampliari placuit; idque ſine conditione locum habuit. Id quia ſe audito non etiam poſtulante factum ab omnibus intelligi cupiebat cognitor regius, ex eo ſuſpicio Proteſtantibus injecta, quaſi a prioribus edictis diſcedendi occaſio quaereretur. Itaque novi edicti anno ſe- CIↃ IↃ XCVI.
quenti condendi neceſſitas regi impoſita. Nam cum in [b] Farae ad Eſiam obſidione haereret, Proteſtantes libello oblato amplius ſibi caveri intempeſtivo maxime tempore petierunt: et prudentiſſimus princeps, ut tumultus perículoſi tempeſtatem averteret, mature conſulendum ratus, nec conventum eorum inhibendum cenſuit, et, qui in conventu de capitibus propoſitis cum ipſis diſceptaret, fidum e conſiliariis mittendum.

Is fuit Thuanus; qui nihil tale cogitans domi in ſcriptione totus occupabatur, et poſt quinquennalem bonorum omnium ſpoliationem in rebus domeſticis ordinandis laborabat. Mandatis acceptis jubebatur, etiam inſalutato rege, in viam ſe dare et [c] Loviodunum in Pictonibus proficiſci. Verum [α] ille, qui ſummam ingratitudinem huc uſque a quibus minime debuerat expertus eſſet, ſe excuſare apud regem et [d] Villaregium qui mandatis ſubſcripſerat: jam tum ſcilicet ille praeſagiebat, hujus negotii, quod tantae molis ac momenti, ut ſunt inter nos res, reputabatur, procurationem ſibi aliquando fraudi futuram, ex eoque invidiam Romae, apud ſuos periculum a malevolis creatum iri. Cum ſemel atque iterum Schombergii amiciſſimi ſibi, qui Lutetiae aegritudine detinebatur, advocatione implorata ſe excuſaſſet, Villaregius contra inſtare, et apud Schombergium pervincere, ut, omiſſa omni tergiverſatione, Thuanus negotium, quod regis per ipſum, ut aiebat, neque tamen rationes addebat, adminiſtrari intererat, quam primum ſuſciperet.

Cum nihil in Schombergio ad excuſandum ſe praeſidii reperiret Thuanus, ad Nicolaum [e] Harlaeum Sancium, qui tunc aerarium adminiſtrabat, antiquum amicum et adfinitate ſecum aliqua conjunctum, ſe contulit; cujus favore et interventu apud regem meruit, ut ab hoc onere excuſaretur; ejuſque loco a rege delecti Mericus Vicus et Soffredus Calignonus Navarrae cancellarius. Ipſe cum Schombergio in Turones

VAR. LECT. [α] ille, qui ſe ſub maligno aſtro natum noſſet, et ſummam *MSS. Reg. Samm. & Aut.*

INTERPR. [a] *S. Jean d'Angely.* [b] *la Fere ſur Oiſe.* [c] *Loudun en Poictou.* [d] *de Villeroy.* [e] *de Harlay Sr. de Sancy.*

Turones proficiſci juſſus, ut coram [a] Aloiſia regina defuncti Henrici III vidua cum delegatis [b] Mercuriani fratris de pacis conditionibus ageret.

POST aliquot dierum diſceptationem [c] Andegavum itum. Ibi Thuanum nuncius oppreſſit mortis P. [d] Pithoei, viri et conſiliorum et ſtudiorum conſenſione ſibi conjunctiſſimi, qui ſcribendae hiſtoriae auctor ipſi fuerat; quo perculſus, parum abſuit quin ea quae jam fecerat concerperet, tanto adjutore deſtitutus, et opus omnino relinqueret. Ad aliquot certe dies publico abſtinuit, et multum de priſtina hilaritate remiſit, cum ducem ſtudiorum undique circumſpiciens fruſtra requireret, nec reperiret: nam ad hoc quod inſtituerat praecipue ejus opera utebatur, utpote qui magnam rerum noſtrarum notitiam habebat, et ſubactum maxime judicium ad eas adhibebat, verique ac recti incorruptum amorem rara prudentia et aequitate temperabat. Res Henrico II geſtae eo ſuperſtite ſcriptae, et ab eo in parte recognitae et emendatae: et, cum vivere deſiit, earum exemplum penes ſe habebat. Aliis amicis philologis ad alia utebatur. Andegavo [e] Caeſarodunum cum Schombergio reverſus ad Jacobum [f] Gillotum antiqui moris ſenatorem, qui eum per literas ſolatus erat, ſcripſit: et cum ad Caſaubonum ſcribendi occaſio ſe obtuliſſet, literas ad eum dedit; quibus ut in recenti tantae jacturae ſenſu conceptum dolorem quibus potuit verbis in ipſius ſinum veluti effudit: quarum exemplum inter ſchedas ejus repertum inſeri pretium viſum eſt, ut ex iis quanti virum illum fecerit quantamque ex ejus amiſſione animi aegritudinem ſenſerit, cunctis appareat.

Jacobus Auguſtus Thuanus viro doctiſſimo Iſaaco Caſaubono S. D.

'CUM nuper Andegavi eſſem, eo [g] Armoricae pacificandae cauſa cum viro 'clariſſimo Gaſpare Schombergio [h] Nantolii comite a rege miſſus, triſtem de 'P. Pithoei morte nuncium accepi: quo, ut par erat, quod praeter ſpem et opi'nionem omnem accidiſſet, cum animo ultra modum conſternatus fui, tum quod 'nullus adeſſet qui tantam jacturam ſatis aeſtimaret, et in cujus ſinum conceptum ex 'ea dolorem deponere poſſem, inſolabiliter dolui, paene ut mei oblitus, muneris 'quoque ac dignitatis obliviſcerer. Nec vero apud te animi mei impotentiam aut 'mollitiem excuſabo, quod tanto dolori ſuccubuerim; quippe cum hujuſmodi ſit, 'qui in conſtantiſſimum virum cadere potuerit: nam qualis quantuſque vir fuerit 'Pithoeus, ſatis ipſe per te ſcis, qui illum ex facie nunquam noviſti; ſciunt et qui 'longiore locorum intercapedine a nobis abſunt: quo minus te miraturum arbi'tror, ſi ii qui vivum familiariter noverunt, et ejus amicitia ac jucunda conſuetu'dine diu uſi ſunt, ejus quoque mortem impatientius ferunt. Nam quid amicitia 'pii juxta ac ſapientis viri, et ſupra quam humano ingenio capi poteſt eruditi, ju'cundius? Siquidem praeter raram et exactam ſcientiam, atque omnis antiquitatis, 'atque eccleſiaſticae inprimis, juris noſtri ac literarum cognitionem, in eo erant 'mores probiſſimi et ab omni fuco et ambitione alieni, tum ſumma in rebus agen'dis peritia ac prudentia: in publicis vero negotiis perſpicax et futuri provida 'mens; ut quamvis privatam vitam degeret, ab eo tamen ii qui civilis adminiſtra'tionis clavum apud nos tenent, tanquam ab oraculo veluti reſponſa peterent, et ſe 'in conſiliis capiendis inſtructiores et confirmatiores exiſtimarent, quotiens eum 'conſultorem aut conſiliorum ſuorum approbatorem adhiberent: adeo nihil magni, 'nihil ſerii, a magnatibus noſtris viris bonis pro ſalute regni privatim in aula aut in 'urbe agitabatur, aut palam in deliberationem deducebatur, quod prius cum eo 'communicatum ac diſceptatum non fuiſſet. Quae omnia ii qui illum non vide'runt neſciunt, cum alioqui Pithoei nomen minime ignorent. Me certe, ipſius amicitia

INTERPR. [a] *la Reine Louïſe.* [b] *le duc de Mercœur.* [c] *Angers.* [d] *Pithou.* [e] *Tours.* [f] *Gillot.* [g] *la Bretagne.* [h] *de Nanteuil.*

‘ amicitia, quamdiu ea frui licuit, felicem, nunc poſt ejus mortem unico ſtudiorum
‘ meorum et conſiliorum duce et adjutore orbatum, tantus afflixit dolor, ut parum
‘ abfuerit quin ſtatim ſtudiis omnibus et reipublicae adeo ipſi, cui me in aliqua parte
‘ inſervire voluit Deus, ſummum vale dixerim, niſi me ejus ipſius, ex cujus amiſſione
‘ tantum dolorem ſentio, praeclarae voces, quae adhuc animo meo inhaerebant, re-
‘ vocaſſent: nam in mentem veniebat, illum, cum me de republica deſperantem
‘ ac plane animo dejectum videret, hac ratione ſaepe erigere ſolitum, cum diceret,
‘ quamvis haud melius ipſe de regni ſtatu ominaretur, boni civis ac ſtrenui mi-
‘ litis eſſe ſtationem a ſummo imperatore mandatam vel deploratis rebus minime
‘ deſerere. Enimvero is vir, ut verbo dicam, publico bono natus, et magnitudine
‘ animi atque ingenii univerſam rerum ſcientiam ac negotiorum publicorum ex-
‘ actam cognitionem admiranda prudentia complexus, nullum tempus a ſeriis occu-
‘ pationibus vacuum elabi ſinebat, quo vel editis antiquitatis monumentis diligentia
‘ ſua erutis et induſtria illuſtratis poſteritati conſuleret, aut aliorum conatus ac la-
‘ bores in commune utileis adjuvaret, vel prudentia denique ac conſilio ſuis pro-
‘ deſſet: quo magis eos, quibus ingenium largitus eſt Deus, eniti decet, ut tam
‘ laudabilem bene de publico merendi voluntatem aemulentur, et eadem opera
‘ ſummi viri memoriam apud poſteros commendent. Te vero Caſaubone, vir doc-
‘ tiſſime, ille ſummopere inter omneis ſemper dilexit, et unum ſaeculo hoc eſſe di-
‘ cebat, qui literarum per bella civilia exulantum acciſam ſpem excitaret, neque
‘ nos de iis plane deſperare ſineret: ac memini ſane, cum de literis inter nos ſermo
‘ eſſet, et oſtenderem ei Scaligeri noſtri literas, quibus te hodie principem inter lite-
‘ ratos locum vel fatente invidia obtinere ſcribebat, tanti viri de te praeconio illum
‘ magnopere gaudere ſolitum, ac laetari quod te Deus adverſus imminentem bar-
‘ bariem, ſic enim loquebatur, oppoſuiſſet. Itaque mihi auctor fuerat, ut te ad pro-
‘ fectionem ad nos adornandam invitarem: quod et ipſe crebris ad te datis literis,
‘ ut puto, fecit. Sperabat enim vir humaniſſimus, et qui nihil aliud ante oculos
‘ niſi commodum publicum propoſitum haberet, ex mutua communicatione non
‘ mediocrem in publicum emanaturam utilitatem, et ſe effecturum ut te conſuetu-
‘ dinis familiaris ac colloquii non poeniteret: nam ille permulta habebat, quae aut
‘ propter jam inclinatam aetatem aggredi, aut mole negotiorum praepeditus, non
‘ poterat; quae tibi juveni et ab occupationibus magis vacuo traditurus erat, quae-
‘ que ipſe libenter, ut exiſtimabat, eſſes ab eo accepturus. Nunc illa partim morte
‘ ejus omnino interciderunt, partim ita confuſa ſunt, ut, niſi a Nicolao Fabro viro
‘ optimo et ipſi amiciſſimo, quicum ille his calamitoſiſſimis temporibus in urbe
‘ conjunctiſſime vixerat, et qui propterea magnam ejus conſiliorum notitiam habe-
‘ bat, a nemine colligi ac farciri, et ad opus, ut publice proſint, perduci poſſint:
‘ quod ut ille aggredi aliquando velit, non ceſſabo hortationibus crebris contendere.
‘ Ne moleſtum interea tibi ſit doloris noſtri verboſius fortaſſe explicatas cauſas intel-
‘ lexiſſe, et, qua humanitate es, cum, cui te participaturum certo ſcio, ſcriptis apud
‘ poſteros conteſtari: nam, ſi quis alius hoc aevo, certe is dignus fuit, cujus memoria
‘ per ſe ſatis clara honorificis ſuperſtitum clarorum virorum praeconiis apud poſteros
‘ celebretur: quod ut ipſe facias, namque potes, et alios, ſi qui poſſunt, ut id fa-
‘ ciant horteris, te etiam atque etiam rogo. Vale, et me de tuis ſtudiis ac rebus cre-
‘ bro certiorem fac; tibique perſuade, in hoc miſeriarum humanarum ſalo conflic-
‘ tantem me nulla majus ex re ſolatium capere poſſe, quam ex tuis literis. Iterum
‘ vale. Caeſaroduni Turonum VII Kal. Dec. anno S. CIƆ IƆ XCVI.

TOTA

Tota hyems in irrito pacis cum Mercuriano negotio exacta fuit. Interimque Vicus et Calignonus, Proteſtantium noſtratium diſceptandis conditionibus praepoſiti, cum fruſtra itidem laboraſſent, [a] Rotomago Caeſarodunum ad Schombergium venientes diploma a rege attulerunt, quo Schombergius ipſe et Thuanus commune illorum negotium adjuvare jubebantur. Id cum minime recuſaret Schombergius, quanquam invitus faceret Thuanus, ut negotio ſibi invidioſo, quo ſe ab initio excuſaverat, ſe immiſceret, tamen a Schombergio, a quo nunquam dum vixit res ſeparatas habuit, diſſentire noluit, et negotium ſuſcepit; quod tandem adhuc indeciſum in humeros ſolius ipſius et Calignoni incubuit, Vico Lugdunum a rege miſſo, et Schombergio in Armoricam profecto, ut, nectente moras in dies Mercuriano, res ſerio ad bellum pararet. Ad [b] Salmuriam et Eraldi-caſtrum conventus agebatur, et interdum delegati Caeſarodunum conveniebant, ut Aloiſiae reginae, quae [c] Cenoncellis erat, dum per intervalla Mercurianus ſuos mittebat, praeſto eſſent.

CIↃ IↃ XCVII. Ibi nuncius de [d] Samarobriga Ambianorum intercepta ad Schombergium incertus initio mox et a rege venit, non ſolum cum publico moerore acceptus, ſed cum ſingulorum deſperatione; qui, cum de ſalute univerſa male ominarentur, ſibi conſulere privatim expeditum ducebant. Ipſi Proteſtantes et primarii eorum duces cum aliis, non religione ſed calamitatis publicae neceſſitate, conſilia ſociabant, non conſulto rege: quod, quantumvis repugnaret Thuanus, clam illo et Schombergio faciebant. Totus annus, in expectatione tantae expeditionis ad recuperandam Samarobrigam ſuſceptae ſuſpenſus, hinc triſtitia, hinc ſpe animos dubios implebat; quae regis fortitudini ad extremum reſpondit, recepta urbe et pacato limite. Quo ſucceſſu infracti toto regno hoſtium conatus, et Proteſtantes, qui eo res adductas antea rebantur, ut quiſque ſibi privatim, ſi ſe ſalvum vellet, conſulere teneretur, a rege victore conditiones tandem accepere; quippe ſub quo publicam ſecuritatem conſtitui poſſe non jam deſperarent. Incerto adhuc obſidionis eventu ſaepius monuerat [e] Bullionium et Tremollium Thuanus, ut copias conſcriberent, et cum delectis in caſtra ad regem proficiſcerentur; alioqui fore, ut edictum, quod pleriſque capitibus ampliatum urgebant, in publicum odium incurreret, et regni curias, in quibus promulgari debebat, infeſtas haberet. Verum rebus ubique perturbatis ſic erant affecti omnium animi, ut nec ſalutaria ſuadentibus aures praeberent, nec ipſi recta conſilia rebus ſuis caperent. Itaque alter per [f] Lemovices coactis ex regia pecunia copiis in [g] Arvernos et Gabalos, ubi tunc [h] Momorantius Foſſa bellum excitaverat, deflexit, alter in [i] Pictonibus lectum itidem regia pecunia militem inutiliter retinuit, et neuter regi praeſto fuit.

Quod ad animum cum rex non citra rationem revocaſſet, ejus rei tenacem memoriam nunquam poſtea ex animo depoſuit. Et ipſe Thuanus, cum eos cum quibus tam ſaepe et animoſe coram altercabatur per literas excuſaret, et propterea regi minus gratus, et in edicti promulgatione magnam invidiam ſuſtinuit.

Cum autem illos apud regem et alios palam excuſabat, non eo animo faciebat, ut eorum gratiam aucuparetur, quos in arcano liberius increpitare ſolitus erat; ſed quod vereretur, ne paucorum culpa, ſi in majus extolleretur, negotio, quod ad publicam tranquillitatem ſummopere ſpectare rex ipſe judicabat, conficiendo remoram afferret. Nam qui factionis nondum extinctae igniculos in occulto colligebant, inde exagitandorum Proteſtantium quaſi a fortuna oblatam occaſionem arripiebant, et magna invidia illos atque adeo ipſos regis delegatos, quaſi favore in eam partem propendenteis, onerabant, et ad illuſtriſſimi [α] legati cardinalis Florentini, qui Lutetiae erat,

VAR. LECT. [α] legati Alexandri Medicis cardinalis *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Rouen, & Tours.* [b] *Saumur, & Chaſtelleraut.* [c] *Chenonceaux.* [d] *Amiens.* [e] *les ducs de Bouillon, & de la Tremoille.* [f] *le Limouſin.* [g] *Auvergne, & le Givaudan.* [h] *de Montmorency Sr. de Foſſeux.* [i] *Poictou.*

erat, aures aſſidui importunas querelas ſuas deferebant; ut non plus illi in diſceptandis conditionibus, quam in aula cum infeſtis, et apud populum, ac poſtremo in ſenatu, laborandum fuerit, ut illae approbarentur et reciperentur. Qua in re Thuanus illuſtriſſimi legati aequitatem ac moderationem non vulgariter laudabat, qui juſſus a rege quotiens ad conventus proficiſcebatur, quod ſemel atque iterum accidit, cum eo agere, et rationem quorundam controverſorum capitum reddere, ſummum candorem in eo expertus eſt: nam nec delatas ad ſe multorum querelas diffitebatur, ſed ſic eas accipiebat, ut ſe in alieno verſari meminiſſet, et rei publicae curam iis, quorum prudentiae a rege commiſſa erat, liberam relinquendam eſſe exiſtimaret. Itaque cum ab eo diſcederet Thuanus, ſumma non ſolum benevoli animi ſignificatione ſed fiducia dimitti ſe ſentiebat, ut nihil in eo negotio perageretur, niſi quod rerum conditio et regni tranquillitas exigeret; neque plus gratiae quam neceſſitati temporum a rege et ejus delegatis tribueretur.

SUB tempus deditae Samarobrigae Thuanus cum Vico per diſpoſitos equos in Ambianos profectus eſt, ut conditiones cum Proteſtantibus diſceptatas regi oſtenderet, qui tunc in [a] Atrebates excurrerat, et dum ad [b] Durlanium ſederet ad eas reſpondit. Tunc et a Villaregio cum Ricardoto praeſide condictus locus et tempus colloquio, quo de pace inter reges ageretur. Nec multo poſt illuſtriſſimus legatus [c] Vervinium ad colloquium profectus eſt: quo et a rege miſſi Pomponius Bellevreus et Nicolaus Brulartus Sillerius, ut cum Philippi delegatis capita conferrent. Negotium ab anno hoc in ſequentem extractum; quo rex, ordinatis rebus in limite, et CIↃ IↃ XCVIII. Samarobrigae relicto Henrico Momorantio equitum magiſtro, in Andeis venit cum armato ſed exiguo comitatu, et [d] Salmuriae Bullionium ac Tremollium [e] Chinone venienteis perbenigne, ſic enim convenerat, excepit, et [f] Andegavi ultimam manum edicto impoſuit: quod tamen aliis ſubinde ſuborientibus difficultatibus, non prius quam [g] Condivicini omnino finem accepit, ab eoque Namnetenſe dictum eſt.

ANTEQUAM rex adveniret, quaedam quanquam levia Chinone et Salmuriae, quo Thuanus cum Calignono venerat, inciderunt, quae privatam et interiorem vitam ejus ſcribenti non omittenda viſa ſunt. Chinone hoſpitium habebat in domo oppidi ampliſſima, quae quondam Franciſci [h] Rabelaeſi fuit; qui literis Graecis Latiniſque inſtructiſſimus, et medicinae, quam profitebatur, peritiſſimus, poſtremo omni ſtudio ſerio omiſſo ſe totus vitae ſolutae ac gulae mancipavit, et ridendi artem, hominis, ſicuti ipſe aiebat, propriam, amplexus, Democritica libertate et ſcurrili interdum dicacitate ſcriptum ingenioſiſſimum fecit, quo vitae regnique cunctos ordines quaſi in ſcenam ſub fictis nominibus produxit et populo deridendos [α] propinavit. Hominis ridiculi, qui tota vita ac ſcriptis ridendi aliis materiam praebuit, memoria a Thuano et Calignono heic renovata eſt, cum belle cum Rabelaeſi manibus

VAR. LECT. [α] propinavit. Ejus, praeter ea quae ſcripſit, in communi noſtrorum ſermone innumera jactantur dicteria factaque, et inter alia illud. Thecam calamariam praegrandem habebat, quam de zona pendulam ante ſe geſtabat cum pari granditate atramentario, ut occaſionem de grandiore forma interrogandi ſpectantibus praeberet, quibus aperta theca et atramentario riſum movebat: in altero pro calamis tomaculum ſeu farcimen, cujuſmodi Ciſalpini ad nos mittunt, ex miculis carnium ſuillarum infectis, et cum arvina ac pipere ſolido fartis; alterum ſinapi pro atramento plenum oſtendens, et hoc ſe ſcribere et ſibi naſum ſimul pungere dictitans. Eam thecam ſe habuiſſe, ac neſcio quo caſu amiſiſſe, ſancte affirmabat Carolus Falezeus virorum optimus et praeſtantiſſimus medicus, qui Jacobo in graviſſimis morbis, non tantum medici ſed amici conſtantiſſimi officio defungens, per haec bella ſemper praeſto fuit. Narratur et illud. Cum faſtum cardinalis Pratenſis impatienter ferret Rabelaeſus, ut ejus actione ridicula ulciſceretur, obſoleto habitu et faſcia praſina involutus ante aedeis cardinalis in caio Auguſtinianorum deambulare inſtitit. Tum a Pratenſi mirabundo miſſus, qui, quis eſſet, hominem ſibi ignotum interrogaret: ille vero e veſtigio reſpondit, detrahendis vitulorum pellibus ſe operam navare; in percontante, ſi vellet, aut ipſius hero artis experimentum ſe facere paratum: quod ad cardinalem magna corona circumfuſum cum relatum eſſet, aſtanteis cunctos in riſum dedit. Hominis ridiculi *MSS. Reg. & Samm.*

INTERPR. [a] *Artois.* [b] *Dourlans.* [c] *Vervins.* [d] *Saumur.* [e] *Chinon.* [f] *Angers.* [g] *Nantes.* [h] *Rabelais.*

manibus actum uterque diceret, quod domus ejus publico diverſorio, in quo perpetuae comeſſationes erant; hortus adjacens ad ludum oppidanis per dies feſtos ſe exercentibus; projectum in hortum deſpiciens, in quo, cum literis operam dabat, libros habere et ſtudere ſolitus erat, vinariae cellae inſerviret: ex eaque occaſione Thuanus a Calignono invitatus hoc carmen extemporaneum fecit.

Ipſe Rabelaeſus γελωτοποιὸς loquitur.

Sic vixi, ut vixiſſe mihi jocus, atque legenti
Quos vivus ſcripſi ſit jocus uſque jocos.
Per riſum atque jocos homini data vita fruenda
Inter amareſcit ſeria felle magis.
Et nunc ne placidos laedant quoque ſeria maneis
Cavit Echionii provida cura Dei.
Nam quae a patre domus fuerat Chinone relicta,
Qua vitreo Lemovix amne Vigenna fluit,
Poſtquam abii communis in uſum verſa tabernae
Laetifico ſtrepitu nocte dieque ſonat.
Ridet in hac hoſpes pernox, ridetur in horto,
Cum populus feſto ceſſat in urbe die,
Tibiaque inflato ſaltanteis incitat utre,
Tibia [a] Pictonicos docta ciere modos.
Et quae muſaeum domino, quae cella libellis,
Nectareo ſpumat nunc apotheca mero.
Si mihi poſt mimum vitae tam ſuaviter actum,
Dent hodie ad priſcos fata redire jocos,
Non alia patrias aedeis mercede locare,
Vendere non alia conditione velim.

QUAE Chinone eodem tempore intervenerunt, magis ſeria ſunt. [b] Bellomontius quidam nomine, nobili loco, ut aiebat, natus, [c] Engoliſmae reus magicae impietatis peractus et damnatus ſenatum appellaverat. Cum duceretur, ab illuſtri matrona harum rerum plus juſto curioſa Chinone retentus fuit, eoque loco totum fere biennium quaſi in libera cuſtodia manſit; quo tempore multa naturalem rationem ſuperantia dixiſſe et feciſſe memorabatur. Itaque [d] Aegidium Sovraeum Turonum praefectum, qui tum forte Caeſaroduno illuc venerat, hominis videndi et ſcitandi deſiderium inceſſit, et a Thuano praeſide ut coram ſiſteretur impetravit. Cum inſtaret Sovraeus ut et reus interrogaretur, excuſavit ſe Thuanus, quod provideret fore, ut ipſe, qui capitalium rerum claſſi in ſenatu praeerat, cum ex muneris neceſſitate aliquando interrogaret. Itaque hoc oneris in ſe Calignonus ſuſcepit, vir bonis literis egregie inſtructus, et in philoſophia ac mathematicis artibus ac denique juris ſcientia verſatiſſimus, ad haec ſolerti admodum ingenio praeditus; qui poſt quaeſita, quae vulgo a ceteris reis quaeri ſolent, de principiis, ratione, praeſtantia, profeſſoribus magiae, effectis, et rebus a ſe geſtis, ante et poſt ſententiam Bellomontium graviter interrogavit, dum Sovraeus et Thuanus, verſa ad feneſtram facie, ne conſpicerentur, ambo laterent. Tanta autem lenitate Calignonus ſe inſinuavit, ut reus, qui ſibi jam liber videbatur, fiduciam ex eo ceperit, et multa ultro confeſſus ſit; quae poſtea Lutetiae in judicio, ubi ſe ſpe ſua falſum vidit, aſſeveranter pernegavit. Sic autem ex colloquio illo verius quam in jure interrogatione comperiebat Calignonus, magiam, quam profitebatur Bellomontius, daemonum, qui Numinis

INTERPR. [a] *branſles de Poictou.* [b] *de Beaumont.* [c] *Angouleſme.* [d] *Gilles de Souvré gouverneur de Tours.*

Numinis divini particula ſunt, cum hominibus conciliatricem artem praeclaram eſſe, ad beneficium inventam non ad maleficium, quo ſortiarii qui vocantur vulgo utuntur, ipſi malorum ſpirituum vilia mancipia in craſſam ignorantiam demerſi, et veneno ac diris faſcinationibus eorum arbitrio perniciem humano generi machinantes; cum contra magi ipſis daemonibus imperent, et eorum conſortio ac familiaritate arcana naturae vulgo ignota nec libris prodita cognoſcere, futura rimari, mala declinare, pericula antevertere, amiſſa recuperare, corpora citerius, quam humana ratione fieri poſſit, de loco in locum transferre, diſſidenteis componere, patres cum filiis, uxores cum maritis, et amicitiam cum iis quibus debet, conciliare diſcant: denique ſibi rem cum aëriis ſpiritibus et coelo participantibus eſſe, qui natura benefici nihil niſi juvare ſciunt; cum terreſtres et ſubterranea incolentes, qui ſortiariis imperant, ſint maligni et nocere tantum noverint: tam praeclarae artis ſcholas toto terrarum orbe ac profeſſores ſparſos, et adhuc in Hiſpania [a] Toleti, Cordubae, Granatae, aliiſque locis frequentari; fuiſſe olim et in Germania celeberrimas, ſed magna ex parte defeciſſe, poſtquam Lutherus, ſeminato haereſis ſuae fermento, tot ſectatores habere coepit: in Francia et in Anglia in nobilium quorundam familiis per manus in arcano traditam nunc etiam vigere; ſed tantum initiatos ad haec ſacra admitti, excluſis profanis, ne tam digna myſteria in vulgus et ad indignos emanent. Tum quae ipſe geſſiſſet mira narrabat, ſine cujuſquam noxa, et tantum ſuam operam depoſcentium bono. Haec cum diceret, tantam in vultu conſtantiam prae ſe ferebat, ut in ſumma artis vanitate et impietate tanquam certo comperta aſſeverare videretur, et quod faceret minime rem vetitam ſe exiſtimare oſtenderet. Inde in arcem reductus arctiore cuſtodia Thuani juſſu cuſtodiri coepit; et [α] Sovraeus, qui aderat, hominis pervicaciam admiratus, auctor illuſtri matronae illi fuit, ut reum, quem tanto tempore detinuerat, Lutetiam ducendum curaret. Quod et ſtatim factum, antequam Thuanus in urbem rediiſſet: ubi non eadem quae coram Calignono confeſſus, ceterum ex probationibus Engoliſmae confectis convictus, dignum flagitioſa vita exitum [β] habuit.

CUM

VAR. LECT. [α] Sovraeus vir pius, qui *MS. Samm.*

[β] habuit. Coeptum a rebus jocoſis ſermonem ridicula narratione, ſed quae fortiſſimum ac conſtantiſſimum quemque commovere potuerit, tandem claudemus. Salmuriae frequens procerum et hominum, nectente moras Mercuriano, conventus a Schombergio habebatur: cujus occaſione Jacobus, qui cum eo in aedibus publicis hoſpitium habebat, ut novis hoſpitibus locum relinqueret, in ſuperius conclave conceſſerat, quod abietinis aſſeribus Pleſſius urbis et praefecturae praeſes cingendum curaverat. Erat tunc forte in oppido foemina amens, Jacobo non viſa aut fama audita, quae per agrum a ſuis neglecta diſcurſabat, a lixis et caculis exagitata. Dum quieti locum quaerit, ad Jacobi jam dormientis conclave venit, quod clavicula tantum, non etiam ſera, clauſum erat, peſſulis intus minime obductis; quod a Jacobo tantum fieri poterat, famulis extra in proximo pernoctantibus. Noverat illa aditus: itaque omni alio loco excluſa ſine ſtrepitu conclave intrat, et ad focum nondum extinctum veſtem aqua per laſciviam effuſa madidam exponit; et ubi paulum interius induſium ſiccavit, ad lecti in quo Jacobus cubabat, admodum anguſti, quales ſunt qui vulgo caſtrenſes vocantur, pedes obrutum ſomno corpus depoſuit, et eo uſque quievit, donec Jacobus, dum poſt primum ſomnum in alterum latus volutatur, onus pedibus impoſitum excuſſit, et illa impulſa in pavimentum confeſtim tanto fragore concidit, ut ipſe excitaretur; qui tamen et foeminae et rei ignarus aliquandiu arrectis auribus ſubſtitit, dubius primum an ſibi ſomnus illuſiſſet. Tum ubi aliquem per conclave ambulare ſibi ſentire viſus eſt, diductis ſubito lecti repagulis, nam nox ſubluſtris erat et feneſtrae minime clauſae, hinc albam quandam ſpeciem incedentem eminus aſpicit: inde ad focum cominus laceras veſtes conſpicatus, tot mendicos qui ad praedam veniſſent ſedere arbitrabatur: tum, ubi ſpeciem illam propius vidit accedere, inclamat quis eſſet? et illa ſe reginam coeli reſpondit (id ſibi nomen credula fatuitate impoſuerat.) Tum vero foemineam illam vocem et laceras ad ignem veſteis non hominis eſſe animadvertens Jacobus, ſe colligit, et in pedes erectus, vix famulis ex alto ſopore expergefactis, foeminam amentem cum laceris ſuis veſtibus conclavi faceſſere coegit, et rurſus ad ſomnum ſe compoſuit. Mane cum rem Schombergio per jocum narraſſet, vir praeſentiſſimi alioqui in periculis animi non perinde eam accepit, ſed ad narrationem toto corpore tremere viſus, ſi id ſibi accidiſſet, pavore exanimatum iri ſe ingenue profeſſus eſt: et cum poſtea id ad regem ipſum, ubi Andegavum venit, retuliſſet, ille eodem ad rei narrationem affectu ſe commotum ſenſit. Res deinde paſſim in aula per ora

INTERPR. [a] *Toledo, Cordoua, & Granada.*

Cum in Namnetibus rex adhuc eſſet, a Joanne [a] Valeto et Joanne Talueto, viro e nobilitate Armorica admodum ſtrenuo, qui praefecti caſtrorum munere diu apud Mercurianum ſumma cum laude defunctus fuerat, [b] Coſmus Rugerius tunc ſacris addictus ad regem delatus fuerat, quaſi ipſius vitae deteſtandis magiae artibus perniciem molitus eſſet: nam in arce Namnetenſi ſpecie pingendi cellam peculiarem habuiſſe, in qua ceream imaginem, quae regis ſpeciem referebat, diris epodis excantatam quotidie acu figebat; eaque re fore ſpem fecerat, ut rex mortifero languore ſenſim abſumeretur. Libello ab accuſatoribus ſubſcripto, rex Thuanum et Carolum [c] Turcantium delegavit, qui de crimine quaererent. Is Coſmus erat, qui ante XXV annos paulo ante Caroli IX mortem in conjuratione tunc detecta captus, et ob eaſdem maleficas artes tortus fuerat. In jure interrogatus cum hoc illi a Thuano reponeretur, injuria ac calumnioſe ab inimicis id ſibi objectum reſpondit, et, innocentia ſua judicibus approbata, ſe honorifice dimiſſum; ob id autem pleriſque ſuſpectum fuiſſe, quod aſtrologiae peritus certiorem ac ſibi cum paucis cognitam natalium horarum conficiendarum ſcientiam calleret; cujus ope ac ductu cum multa multis praedixiſſet, in eam veniſſe opinionem, quaſi occulta cum malis ſpiritibus familiaritate haec didiciſſet: nihil niſi ex arte factum; quae ſi aliquando reſponderit, male ſibi propterea colligi, quidquam imputari poſſe: quam vero alienus ſit ejus animus a crimine objecto, exiſtimari debere ex affectu praecipuo, quo regem a tot annis ſit proſecutus: nam cum poſt tumultum Pariſienſem in aula conſultatum eſſet, quid de Navarro et Condaeo, quos rex in poteſtate habebat, regni bono faciendum eſſet, Catharinam parentem a ſe, cui multum tribuebat, petiiſſe, an horas nataleis ipſorum confeciſſet; et cum confeciſſe diceret, et ex arte neutrum res deinceps in regno turbaturum affirmaſſet, a captis jam in eorum perniciem conſiliis diſceſſum eſſe: id ſe jam tum F. [d] Lanovio, qui in aula erat, inſinuaſſe, ut Navarro et Condaeo clam renunciaret, moneretque ſuo nomine, ita ſe erga regem et Catharinam in poſterum gererent, ut fidem dictis ſuis adſtruerent, eademque via ſaluti propriae conſulerent: id autem non tam ex arte quam adfectu erga ipſos bene animato feciſſe, quippe cum res ejuſmodi eſſet, ut per aſtrologicae artis rationem praeſtari non poſſet: credere ſe regem tanti beneficii memoriam minime depoſuiſſe, ac confidere ut potius ejus rationem apud generoſum animum ſuum ſit habiturus, quam commiſſurus, ut plus calumnioſis delationibus, tradita oblivioni praeteriti temporis recordatione, quam certis adeo bonae voluntatis teſtimoniis tribuiſſe dicatur. Haec cum ad regem retuliſſet Thuanus, ille poſt aliquot deambulationes recordari ſe dixit, Lanovium ea de re ſecum tunc temporis egiſſe; ceterum ſe Dei praeſidio tutum parum curare maleficas hujuſmodi praeſtigias, quae in eos tantum valent, qui certa in Deum fide deſtituuntur. Itaque intermiſſa ulterior in Coſmum inquiſitio, et ipſe libertati reſtitutus fuit, et in arctam familiaritatem cum gynaeceo venit; cujus favore a rege, cum haec diceret, jam gratia in arcano facta fuerat.

Haec eo pluribus explicare viſum, quod in libris Hiſtoriarum non publicatis cum ob certas cauſas omiſſa eſſent, homo impudentiſſimus ac perditiſſimus poſtea auſus

ora jactari coepta poſtremo in riſum abiit, et rex ipſe Paſchali die, cum in Dominicanorum aede poſt veſperas ſolemnis ad Beatiſſimam Virginem oratio conciperetur, ad *reginae coelorum* verba rei memor in pedes ſe erexit, turba ſubjecta paſſim oculis veſtigans, ſi Jacobum forte conſpiceret: quem poſt ſacrum peractum in porticu, ubi cum Mercuriano nuper reconciliato deambulabat, ſtatim evocavit, et rem coram eo denuo repeti voluit; qui pari cum ſtupore eam intellexit: et uterque miratus eſt Jacobum in re adeo terrifica tam praeſenti animo fuiſſe, ad cujus ſolam narrationem ipſi in periculis verſari ſoliti cohorreſcerent. Ipſe poſtea Schombergius, qui rem, quam Jacobus tegi maluiſſet, evulgaverat, memorare ubique gaudebat, multaque ex ingenio, ut erat mire feſtivus, magna cum animi voluptate ad eam addebat; et paucis ante mortem horis, nihil tale cogitans, in Confluentiis Villaregii aedibus, ubi rex prandium ſumpſerat, Bullionio duci narrabat. Cum in Namnetibus *MSS. Reg. & Samm.*

INTERPR. [a] *Valet, & Talhouet.* [b] *Coſmo Ruggieri.* [c] *Turcant.* [d] *de la Noue.*

auſus eſt palam dicere, quae ad annum LXXIII de Coſmo Rugerio commemorantur ad ſe minime pertinere, ſed Thuanum olitoris cujuſdam cognominis tunc poſtulati errore allucinatum eſſe; eoque veſaniae venit, ut emendicato ſtipendio in aula obtinuerit, ut ſcribendae hiſtoriae munus ſibi demandaretur: atqui ex confeſſionibus ipſius manu ſubſcriptis, quae penes Carolum Turcantium virum incorruptae probitatis adhuc manent, contrarium conſtat: nam et iis eundem ſe eſſe minime diffitetur, ſed per calumniam accuſatum, et poſtea honorifice, ſicuti jam dixi, dimiſſum: in quo rurſus inſigniter mentitus eſt; nam ex archivis curiae itidem conſtat, eum poſt quaeſtionem ad triremeis damnatum eſſe, ſed aulicorum in hoc hominum genus prono favore poenam remiſſam fuiſſe, et cum duceretur vinculis exemptum in aula ſtatim comparuiſſe. Cum hoc ſcirent impudentiſſimi calumniatores, qui Thuani famam per omne nefas laceſſendam ſibi propoſuerant, non auſi ſunt negare, Coſmum, qui Carolo rege ob magicas artes tortus fuerat, eundem eſſe cum eo qui Condivicini Henrico IV rege ob idem maleficium poſtulabatur: ſed, ne quam exagitandi Thuani occaſionem praetermitterent, hoc in eo reprehenderunt, quod hominem ſacris addictum deteſtandi criminis inſimulare maligne adſectaſſet. Atqui cum Coſmus primum torquebatur, minime ſacris addictus erat, et cum a Thuano aſtrologia ſua, quae judiciaria eſt, illi ut impia et Chriſtiano atque adeo ſacerdote indigna objiceretur, ipſe ſe quibus potuit verbis etiam elevata ea excuſavit, et inter alia adjecit ac religioſe affirmavit, ſe poſtquam ſacris addictus eſſet, quod diu poſtea fuit, nunquam nataleis cujuſquam horas confeciſſe, ſicuti ex iis quas dixi confeſſionibus apparet. * An vero maligne Thuanus, cum res geſtas traderet, de Coſmo illo ſenſerit, exitus flagitioſi hominis ſane deplorandus abunde fidem fecit, cum ille, qui ſumma diſſimulatione vixerat, in extremis conſtitutus alienum ſe a Chriſtiana fide oſtendit, ac proinde ſacrae, quae fidelibus ab eccleſia impertiri ſolet, abſolutionis minime particeps, etiam extra Chriſtianorum communionem poſitus, non ſine publica offenſione et magna eorum qui nefandum praeſtigiatorem in aula commendatione adjuvabant, loco profano abjectus fuit.

IN opere coepto pergebat ſemper Thuanus, quantum temporis a negotiis aulicis ſuffurari poterat; et Namnetenſi edicto tandem poſt multas et varias, quae privatos reſpiciebant, difficultates ad exitum perducto et ſigillo firmato, ipſe cum Calignono collega conjunctiſſimo, venia ab rege prius quam ex Armorica diſcederet petita, ambo Lutetiam venerunt exeunte Maio. E re eſſe pleriſque videbatur, antequam factio Henotica, edicto in occulto adverſa, poſt tot proſperos ſucceſſus quibus oppreſſa tandem in ſilentio jacebat, vireis colligeret, et novas ex ea occaſione tragoedias excitaret, in ſenatu promulgatio urgeretur; et ita cenſebat Thuanus, ut, protinus confecto negotio, animi, antequam mora commoverentur, voluntati regis acquieſcerent, et ſub lege pacis ab optimo ac prudentiſſimo principe condita cuncti regni ordines vivere deinceps inſueſcerent: ſed legati tam bene de rebus noſtris meriti auctoritas interceſſit, tenuitque ut poſt diſceſſum ſuum promulgatio ſuſpenderetur; idque ne ſecus interpretarentur Proteſtantes, Bullionius in ſe recepit. Itaque res in annum ſequentem dilata, et poſt varias et longas altercationes tandem carniſprivii die promulgatum edictum. CIↃ IↃ XCIX. Suborituras poſt tantam moram graveis difficultates quia apparebat, quibus ſolvendis Thuani, qui negotio interfuerat, praeſentia opus erat, ille, qui ad ſereniſſimam rempublicam Venetam legatus deſtinatus erat, domi retentus, et ejus loco Antonius Seguierius praeſes miſſus. Cetera, quae ad edictum illud pertinent, amplius CXXII Annalium libro non edito perſcripta ſunt.

QUO

VAR. LECT. * utrum vero maligne magis Jacobus cum res geſtas traderet, de Coſmo illo ſenſerit, an ii qui magna poſtea cum eo familiaritate conjuncti librum famoſum conſarcinarunt, exitus flagitioſi *MS. Samm.*

Quo anno Thuanus ex trium illuſtrium virorum et cognatione ac conſiliorum conſenſione conjunctiſſimorum morte, Gaſparis Schombergii comitis Nantolii, Philippi Huralti Chevernii cancellarii, et Joannis Vivoni Piſanii marchionis, graviſſimum longe dolorem ſenſit.

Quod in Hiſtoriarum libris de concilio Tridentino, quoniam exitum tunc non habuit, verbo tantum tangitur, amplius heic ex Thuani adverſariis eſt explicandum. Poſt edictum Namnetenſe in Proteſtantium gratiam conditum et in ſenatu promulgatum, multa inciderunt quae ſummo odio nec minore invidia res regis ex ea occaſione onerabant; ad quae lenienda pretium videbatur, ut aliquo inſigni facto Catholicis atque adeo Henoticae factioni, quae Catholicos periculo ſuo accendebat, jactura per gratiam Proteſtantibus factam, ſicuti jactabant, accepta reſarciretur. Itaque toties ante agitata et hactenus eluſa Tridentinae ſynodi mentio repoſita, cujus recipiendae inter conditiones regi a pontifice propoſitas neceſſitas impoſita fuerat.

Eam urgebat Villaregius, et deceſſori ſuo decretam illius promulgationem [α] affirmabat. Nonnulli ex Villaregii amicis praeſervido ſtudio negotium adjuvabant; atque ex compacto regi perſuaſerant, rem eſſe, quae et pontifici promiſſa, et Catholicis ſimul grata, eluendaeque edicti Namnetenſis invidiae valde opportuna, ac Proteſtantibus minime ſuſpecta eſſet: idque allegatis [a] Henrico Turrio Bullionii duce et Maximiliano Bethunio Ronii marchione, qui aderant, praecipuis ex Proteſtantium numero, confirmabant; quippe quibus et ipſi perſuaſerant, ſynodi promulgationem nihil ad ipſos ſpectare: nam diplomate regio cautum iri, ut promulgatione illa nihil juribus, praerogativis ac privilegiis regni coronaeque regiae, libertatibus eccleſiae Gallicanae, edictis pro pacificatione factis, derogatum intelligatur: his conditionibus et regni Francicique nominis dignitati, eccleſiae Gallicanae immunitatibus, ac denique Proteſtantium ſecuritati, abunde proſpectum eſſe; neque curioſius aut moroſius in examinandis ſingulis ſynodi capitibus per ſenatum, in quo promulgatio fieri debebat, laborandum.

Ita cum bene praeparatos in aula animos putarent, reliquum erat ut eandem curam in animis ſenatorum, in quibus plus difficultatis ſubeſſe arbitrabantur, praeparandis adhiberent. Quod ut facerent, ſingulos prenſare inſtiterunt, [β] principio a principe ſenatus facto, quem conſiliis ſuis maxime adverſaturum rebantur. Et, quia is tum forte in lecto decumbebat, per regem concilium in aedibus ejus celebrandum primariis conſiliariis indicunt: quod cum illi, quid ſe rex vellet omnino ignaro, ſignificatum eſſet, morbo ſe excuſare, et tam honorificum regis ad ſe adventum ſuppliciter deprecari coepit, ac poſtremo addere, ea die ſe medicamentum ſumpſiſſe, neque proinde regi in re ſeria vacare poſſe. Conſilium erat eorum qui tanto calore et aeſtu ſimul callideque negotium urgebant, imparatum Achillem Harlaeum, et praeſentia regis honorifice eum inviſentis attonitum, opprimere, ne rationes ad contradicendum coram rege in re tam ſeria paratas haberet, et votum ejus per illam conſultationem ſaltem in id obligare, ne tam ſtrenue poſtea in ſenatu ſententiam diceret.

Cum ſe excuſaſſet, et rex, qui jam in curru erat ut ad eum veniret, reflexo itinere ad [b] Zametianas aedeis divertiſſet, Thuanus, qui rei itidem ignarus regis juſſu ad concilium vocatus fuerat, et Jacobus [c] Gueſlaeus fiſci procurator comparuerunt. Poſtquam

VAR. LECT. [α] affirmabat. Bellevreus cancellarius Villaregio intimus, cui filii in cardinalium collegium cooptandi ſpes facta fuerat, praeſervido ingenio negotium adjuvabat; amboque ex compacto *MSS. Reg. & Samm.*

[β] principio ab Achille Harlaeo principe ſenatus facto, *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *H. de la Tour duc de Bouillon, & Max. de Bethune marquis de Roſny.* [b] *de Zamet.* [c] *de la Gueſle.*

Poſtquam Thuanus de re ab Andrea [a] Huralto Meſſio, qui aderat, in arcano monitus primùm reſcivit, videns ſe ſolum ex praeſidibus eo evocatum, magna ſe invidia, et non oculis tantum ſed ipſo nomine deſignatum ſenſit, quem cauſae patrocinantes quaererent; eoque ſibi cautius agendum putavit, ne quam calumniandi anſam aemulis et inimicis praeberet. Ubi venit, ſeorſim eum rex ſeducit; et quaedam de collatione, quae inter Jacobum [b] Davidem Perronum epiſcopum Ebroicenſem et Philippum Mornaeum Pleſſium inſtituta fuerat, et poſtea ſecuta eſt, prolocutus, ſibi in animo eſſe dicit, pontifici de ſynodo Tridentina tandem ſatisfacere: et cum Thuanus magni momenti eam conſultationem eſſe oſtenderet, quo verbis ſuis fidem aſtrueret, hoc addebat, totos XXXVII ännos eam multoties agitatam fuiſſe, primum ſub Carolo IX, dein et ſub Henrico III religioſiſſimo ſimul et ſectariis infeſtiſſimo principe, et toties eluſam; unde ipſum conjecturam facere poſſe, multis magniſque difficultatibus implicatum tunc negotium viſum, quae nec hodie ceſſent, et quas per otium omni reſpectu poſthabito excutere, et matura deliberatione ponderare, ante omnia ſit neceſſe, in conſiſtorio ſuo primum, deinde et in ſenatu: proinde petere, ne de re tam ſeria, de qua ſententiam poſtea in ſenatu ſit ſuo loco dicturus, eam nunc anticipare ſine ulla praemeditatione jubeatur.

Haec ubi et ſimilia ad excuſationem Thuanus dixit, rex ex procoetone cum primariis conſiliariis in interius cubiculum perrexit, et lecto inſidens, cunctis circum ſedere juſſis, orditur. Datam a procuratoribus ſuis de concilii promulgatione fidem exſolvere decreviſſe; quam ne facerent, deceſſores ſuos non tam rei periculo, quam eorum qui in eo negotio parum ſincera fide verſari dicebantur odio, revocatos fuiſſe: ſe vindice ſuorum jurium et Gallicanae libertatis eccleſiaſticae defenſore nihil metuendum eſſe ab inermibus hominibus, qui, ſi quid ſecus faciant, fraude non vi graſſantur: neque plus Proteſtantibus inde metuendum, quibus abunde clauſula de pacificatoriis edictis appoſita cavetur: adeſſe Bullionium et Ronium, qui nihil hanc promulgationem ad ſe pertinere palam agnoſcunt et profitentur: non jam cardinalem Lotharingum eam urgere, ſed regem ipſum, qui ab omni adfectu pravo alienus, ut armis jam fecit, ita ſuos in pace optime conſulere et prudentia innata et charitate erga ſubditos didicerit: ſed cupere, ut gratia, quam pontifici, cui multum debeat, ea re facturus eſt, ingrata mora et horrida illa praeteriti temporis, quam aetas hodierna non admittit, libertate non delibetur; proſpiciaturque, ut rixoſis, quae in tali re intervenire ſolent, altercationibus in ſenatu abſtineatur, et clauſulis adjectis ſine exactiore ſingulorum capitum examine contenti patres in promulgationem conſentiant.

Perorantem excepere Bellevreus et Villaregius, et diploma cum clauſulis jam ſubſignatum et ſigillo firmatum declararunt, ac tantum ſupereſſe, ut, eo ad ſenatum miſſo, ſine ſtrepitu aut aliis conditionibus res tranſigatur. Quibus dictis altum in conſeſſu ſilentium fuit, cum alteri alteros taciti reſpicerent.

Tum Thuanus a rege dicere juſſus, cum ſe iterum excuſaſſet, et ſententiae libere in ſenatu dicendae anticipata deliberatione praejudicium fieri cauſaretur; cum nihilominus rex inſtaret, ut quid animi ſui eſſet, aeque libere ac ſi in ſenatu eſſet, coram ipſo exponeret, ad extremum ſubjecit, animadvertiſſe ſe ex regis verbis ejus ac conſiliariorum eam mentem eſſe, ut concilium non ſolum recipiatur, ſed ſine ampliore cognitione cum clauſulis appoſitis, ac nullis aliis praeterea conditionibus adjectis, fiat promulgatio: ſed, quando juſſu ac gratia regis ſibi libere loquendi copia facta ſit, nolle celare majeſtatem ſuam, quicquid illi contra ab aliis perſuaſum ſit, negotii

INTERPR. [a] *de Harault Sr. de Meiſſe.* [b] *Davy du Perron eveſque d'Evreux, & Phil. de Mornay Sr. du Pleſſis.*

negotii in ſenatu exitum ipſius voto minime reſponſurum; nam et ampliorem fore ejus cognitionem, et ſingula capita examinatum iri: id ex eo providere, quod a primis potentiſſimi toto Chriſtiano orbe principatus incunabulis nullum ullius concilii in eo recepti extet exemplum; nam reges acerrimos pietatis ac ſacrae diſciplinae vindices hoc religioſe ſervaſſe, ut manus a ſanctuario quidem abſtinerent, ceterum per praeſules ſuos ex ſacris conſtitutionibus ac conciliis delectas ſanctiones excerperent, et per pragmaticas ſuo nomine promulgarent. Hoc alterius ſtirpis reges ac imperatores optimo atque ad poſteritatem laudando ſucceſſu et exemplo factitaſſe: et nunc Caroli magni, Ludovici pii, Lotharii, aliorum capitula adhuc extare. Poſtremis temporibus ante CC annos poſt Conſtantienſe et Baſileenſe concilia celebrata, cum theologi noſtri, qui iis interfuerunt, inſtarent, quo fructus aliquis inde ad eccleſiam univerſam atque adeo Gallicanam redundaret, ut illa in Gallia publico teſtimonio approbarentur, conventus maxime memorabilis [a] Avarici Biturigum Cuborum habitus fuit, in quo ſingulis capitibus ex ſententia regis, praeſulum, ac procerum regni, ac delectorum ex regni curiis mature perpenſis, et miſſis prius pro quibuſdam controverſis articulis ad pontificem legatis, tandem [b] Pragmatica ſanctio, quam vocant, Caroli VII regis nomine confecta eſt; et pro lege ſuprema ac ſalutari ab omnibus regni ordinibus recepta, et in curiis publicata, ad noſtra uſque tempora etiam a theologorum noſtrorum collegiis ubique religioſe ſervata eſt. Hoc unicum eſſe concilii in regno recepti ac recens exemplum, cujus mentio, quoties de Tridentino ultimo agetur, proculdubio in memoriam revocabitur; et in eo examinando ac recipiendo eandem rationem et ordinem, quam majores noſtri in Pragmatica Carolina ſervarunt, ſervari debere regni curiae cenſebunt, ac praeſertim Pariſienſis, quae et auctoritate ceteris et gravitate ad exemplum praeibit.

QUIBUS dictis [1] cum plerique nulla re majorem pontifici, cui rex gratificari cupiat, quam Pragmaticae ſanctionis, quae Baſileenſem ſynodum ſecuta eſt, mentione, offenſionis cauſam praeberi poſſe [2] dicerent, potiuſque eſſe, ut promulgationis negotium omnino omittatur, quam committere, ut pro gratia, quam ex illa exſpectat, injuria longe graviſſima rependatur: atqui, ſubjecit Thuanus, imponunt regi [3] imprudentiſſime, qui citra Pragmaticae mentionem peragi deliberationem poſſe ei perſuadent; nam ex C patribus, qui ſententiam dicent, quod capitis periculo affirmare poſſum, nonaginta et amplius Bituricenſis conventus exemplum ſequendum cenſebunt.

AD quam vocem rex prudentiſſimus, ceterum de re ab iis qui promulgationem urgebant ſecus quam oportuit edoctus, ne conſultationem ſine aliquo operae pretio abrumpere videretur, Non jam de promulgatione decernenda, inquit, et diplomate ad curiam mittendo heic actum putate, ſed in id vos vocatos ut rationes ineantur, quibus tantae molis negotium cum gratia pontificis et citra regni detrimentum ex curiarum conſenſu confici poſſit: eam ob cauſam cum reliquis praeſidibus et advocatis fiſci ſeorſim agi volo, antequam miſſo in ſenatum diplomate res in deliberationem deducatur.

QUIBUS dictis cuncti ſurrexerunt. Tum [c] Meſſius coram [d] Bellevreo et Villaregio conſilium promulgationis hoc diſcriminis pleniſſimum dixit, et neminem unum eſſe qui ejus periculum regi regnoque praeſtare poſſit. Contra [4] alii referre; cum primum ea de re poſt concilium Tridenti peractum in regis conſiſtorio ad Fontem-Blaudi actum fuit, vocatis e curia praeſidibus, Chriſtophorum Thuanum ſenatus principem,

INTERPR. [a] *Bourges.* [b] *la Pragmatique Sanction de Charles* VII. [c] *Hurault Sr. de Meiſſe.* [d] *les Srs. de Bellievre, & de Villeroy.*

NOT. [1] *dele* cum plerique, *lege* Bellevreus ultra modum commotus interfatur, et nulla re *Put.* [2] oſtendit, *Put.* [3] impudentiſſime, *Put.* [4] Bellevreus retulit. *Put.*

principem, virum regni jurium peritiſſimum et priſcae gravitatis retinentem, aperte quidem reclamaſſe, longaque ac vehementi oratione contra ſynodum diſſeruiſſe, et cardinali Lotharingo rem urgenti non ſine ſtomacho in faciem reſtitiſſe: [1] ſed Petrum Seguierium alterum praeſidem contra cenſuiſſe, et cum temperamento concilium admitti poſſe multis nec minoris ponderis rationibus demonſtraſſe: itaque jam tum tantis auctoribus ſciſſum ſententiis ſenatum fuiſſe. Quod eo dicebatur, ut, renovata ſuppoſititii illius diſſidii memoria, in ſenatu nova ſciſſura ſuſcitaretur.

VERUM aſtus non proceſſit: nam Thuanus, ſumma familiaritate cum Petro Seguierio, qui hereditariam dignitatem obtinebat, quique ex compacto ad illam conſultationem minime vocatus fuerat, conjunctus, continuo ab eo rogatus quid in illa actum eſſet, poſtquam cognovit de memorato inter utriuſque parentes diſſidio, praefracte negavit patri ſuo cum Thuani parente ſuper concilii promulgatione unquam diſconveniſſe; ſed unam eandemque ac per omnia concordem utriuſque ſententiam ſemper fuiſſe, publice et privatim amicis confirmavit.

QUOD ubi reſciverunt, qui in ſciſſura illa ſpem negotii conficiendi poſuerant, cum ſe fruſtra eſſe cernerent, a negotii tanto fervore et aſtu inchoati ulteriore perſecutione omnino deſtiterunt.

NEC multo poſt ſecuta Ebroicenſis epiſcopi cum Pleſſio ad [a] Blaudi-fontem collatio, et poſtremo regis in Sabaudiam expeditio; quibus de rebus plenius in extremis Annalibus.

NEC minore invidia mox eodem anno flagravit Thuanus, cum poſt ſtatutorum [b] academiae Pariſienſis, in quibus digerendis et corrigendis ſtrenue totum biennium cum Reginaldo [c] Belnenſi archiepiſcopo Senonenſi laboravit, in [d] curia promulgationem, eadem in calatis academiae comitiis, adjunctis ſibi duobus ſenatus luminibus Lazaro [e] Coqueleio et Edvardo Molaeo, celebrare ex curiae mandato juſſus eſt: nam in iis pleraque addita ob temporum conditionem, quae factioſos et Henoticae partis reliquias in occulto urebant, pro ſecuritate regis regnique contra pernicioſam de tollendis regibus et ſolio movendis a paucis annis invectam ab exteris doctrinam; quae nihilominus, ſive nimia aulicorum ſocordia ſive praevaricatione, et inter haec factionis hydra pullulante, poſtea vireis amiſſas reſumpſit, eoque majore ſucceſſu, quod qui contrariam illi atque adeo antiquam a majoribus acceptam fidem tuebantur, paulatim ex ea occaſione in aula falſis et exoticis opinionibus faſcinata a gratia decidere, et tanquam ſuſpecti a muneribus publicis removeri, coeperunt.

SEQUENTEM annum Thuanus funeſtum expertus eſt, quo poſt longum ac moleſtum morbum [α] dilectiſſimam uxorem extulit, cujus mortem hoc extemporaneo carmine [β] deploravit.

Bis ſeptem exactis nunc ecce revolvitur annis
Lux eadem, taedis quae prima jugalibus arſit,
Funereaſque faces genialibus ultima lectis
Intulit: haec eadem fratri vitam abſtulit olim,
Semper acerba dies, ſummo mihi ſemper honore
Et ſemper lachrimis, voluit ſic numen, habenda.

At

VAR. LECT. [α] Mariam Barbanſonam Caniam dilectiſſimam *MS. Samm.*

[β] deploravit, et poſtea mortuae inſigni monumento parentavit, in eoque luctu finem ſcribendi fecit, (ubi et nos finem de ipſo ſcribendi faciemus) ulterius perrecturus, ſi per temporum iniquitatem, quod vix illi et omnibus bonis ſperare licet, hiſtoriam perſequi, et ad exceſſum uſque Henrici magni, ſicuti ab amicis exoratus apud ſe poſtea conſtituerat, perducere Dei benignitate concedatur, cui trino et uni ſit laus et gloria in ſaeculorum aeternitatem. Amen. *MSS. Reg. & Samm.*

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *univerſité de Paris.* [c] *de Beaulne archeveſque de Sens.* [d] *Parlement.* [e] *Coqueley, & Molé.*

NOT. [1] *lege* ſed Petrum Seguierium alterum praeſidem, qui hodierni temporis adhibita prudentia exoletam illam gravitatem condire rerum uſu didicerat, contra cenſuiſſe, *Put.*

At tu, laetitiae quondam nunc cauſa doloris,
Barbanſona anima atque oculis mihi charior ipſis,
Erepta ante annos primoque in flore juventae,
Quo fugis? atque virum in luctu et ſqualore relinquis
Heu ſolum atque orbum! ſaltem mihi ſi qua ſupremum
Ante diem de te proles ſuſcepta fuiſſet,
Quae matrem ſpecie et vera pietate referret,
Eſſe aliquod potuit tanti fortaſſe doloris
Solamen. Sed vana queror, fruſtraque laboro,
Heu demens! ſtat fixa Dei conſtanſque voluntas
Voto adverſa meo, cui me parere neceſſe eſt:
Hanc veneror, teſtorque animo, quod voce vovere
Quiſque ſolet, fiat pater o tua ſumme voluntas
In coelo et terra: uxorem mihi nempe dediſti
Dilectam, atque a qua optaſſem mihi lumina condi;
Hanc repetis, miſerumque jubes ſupereſſe maritum.
Ordine naturae praecedere debuit ille,
Viſum aliter tibi ſumme parens; natura repugnat,
Haud ego diffiteor, primique in pectore motus
Adverſus mentem pugna luctantur iniqua.
Sed mens divina vincat ratione ſubacta,
Atque Dei juſta moderantis cuncta bilance
Imperiis diſcant captivi cedere ſenſus.
Tu potius ſanctum verae pietatis amorem
Mortis et impavidum pectus, vitamque pudicis
Moribus exactam, memori complectere mente,
Certaque ab his juſto ſolatia quaere dolori.
O anime, haec tua ſunt: quae fruſtra amiſſa requiris
Haud tua erant, ideoque minus jactura dolenda eſt.
Illa propinquantem mortem imperterrita contra
Mente petit ſolida, vultuque immota ſereno
Sub pedibuſque premens mundum, vitaeque fugacis
Illecebras, morbo vires ſumebat ab ipſo,
Atque innixa Crucis merito, nocteſque dieſque
Hanc animo verſans, vitaeque hinc omina captans
Aeternae, CHRISTUM ſpes defigebat in unum;
Hunc animis et voce, hunc tota mente vocabat.
Haec ſunt vera pie tranſacti praemia curſus,
Ut bene qui coepit, bene deſinat, atque peractae
Quale fuit tempus, talis ſit clauſula vitae.
Nulla dies abiit, quotquot fuit illa ſuperſtes
Nobiſcum in terris, quin ter pia foemina ſupplex
Funderet ad ſummum ſolemnia vota parentem,
Deque Deo ſummo crebros gaudebat habere
Sermones, mortem media inter gaudia vitae
Aſſidue meditans, ut cum veniſſet ad ejus
Conſpectum trepido non expalleſceret ore.
Quin et quotidie ſacros evolvere libros
Sueverat, et mentem mane exercere legendo;
Cetera lux rebus tranſmittebatur agendis:

Has

Has illi a teneris quaſi lac immulſerat annis
Relligioſa parens artes, quas inde petito
Exemplo in mores longo contraxerat uſu.
Quid memorem ingenium excelſum et donare benignum,
Proſpera quod ſpernebat, in adverſiſque gemebat
Alterius, miſeris ſemper ſuccurrere promptum,
Sincerum, atque a labis avarae crimine purum?
Quod ſi ſpernere opes, aulae contemnere fumos,
Et procerum faſtus, illuſtris gentis et infra
Tot numerantis avos ſeſe demittere ſortem,
Praeſenti in vita jam vitam agitare futuram,
Humani exſuperant longe faſtigia captus,
Huic ſublimis apex virtutum contigit uni.
Iſta, Thuane, tibi conjux in morte reliquit
Pignora, quae memori gratus ſub pectore ſerves,
Atque animo recolas tanti ſolatia luctus:
Illa tibi charae ſpirantem uxoris ubique
Ante oculos ſiſtent ſpeciem, exemploque praeibunt
Fortiter ad mortem, cum venerit hora, ferendam.
Quid majora petis? jam contrahe plena vaganti,
Ne ſpatio excurrat plus juſto, vela dolori.
Spes ſupero vitae melioris in axe repoſta eſt:
Huc nos reſpicere, huc par eſt intendere curſum,
Teque ſequi: cui me miſerum perſolvere juſta
Quando Deus voluit, meritis ſi forte minora,
Inferiora tuis ut ſunt mea cuncta, rependo,
Ignoſce, o dilecta mihi, dilecta marito
Quantum nulla fuit: jampridem exaruit in me,
Si qua olim puris Muſarum e fontibus hauſta
Vena fuit; lauri atque hederae vis marcida languet,
Et dudum vitae portum quae reſpicit aetas,
Obrutus et curis, tanto accedente dolore,
Ipſe animus veluti de coelo tactus hebeſcit.
Ignoſce, o conjux, fideique extrema jugalis
Adfectuſque probi cape triſtia munera, quae nunc,
Singultu fauces intercipiente canoras,
Vix ego vocali ſuſpiria pectore mitto.
His te ſupremum affari, dulciſſima conjux,
Meque ſimul ſolari et curas demere dictis
Ut liceat, felix coelo patiare recepta,
Atque boni officium pietatis conſule noſtrae.
Jamque vale, mea lux nuper, mea ſancta voluptas,
Nunc tenebrae et gemitus deſideriumque perenne;
Donec honoratae decurſo ſtamine vitae,
Poſt exantlatas in publica commoda curas,
Mors aerumnoſo tandem me corpore ſolvat,
Et patriis, quo nunc praemitteris, inſerat aſtris.

STATUAE e Lunenſi marmore a praeſtantiſſimo artifice Bartholomaeo Priore factae, et ad S. Andreae in arcubus in ſacello Thuanorum erectae, ſtylobata hanc inſcriptionem in antica parte habet.

D. O. M.
MARIAE. BARBANSONAE. CANIAE. FRANCISCI. F.
MICHAELIS. PICARDIAE. LEGATI. N.
QVAE. DVM. VIRO. MORIGERA.
ET. PATRITIAE. CVRAE. DVLCE. LEVAMEN.
CONCORDIAM. CONIVGALEM. SVAVISSIMAM. FACIENS.
INTERIORE. AC. SINCERA. PIETATE.
ASSIDVA. SACRORVM. LIBRORVM. LECTIONE.
ALACRI. ET. ANIMOSA. ERGA. TENVIORES. BENIGNITATE.
IN. OMNES. LIBERALITATE.
MORVM. SANCTITATE.
VETERIS. ET. CLARISS. FAMILIAE. DECVS. AVGET.
IN. HOC. VIRTVTIS. VITAEQVE. CVRSV.
FLORENTIBVS. ADHVC. ANNIS. EREPTA. EST.
IACOBVS. AVGVSTVS. THVANVS.
TANTAE. IACTVRAE. PROPEMODVM. INTOLERANS.
HOC. MONVMENTVM. VXORI. INCOMPARABILI.
MAESTISSIME. P.
VIXIT. ANN. xxxiv. M. vi. D. xvi.
OBIIT. A. S. CIↃ.IↃC.I. NON. SEXTILIB.
HAVE. ET. VALE. DIMIDIVM. ANIMAE. MEAE.
DIMIDIVM. QVOD. SVPEREST. CVM. DEVS. VOLET.
IN. CAELIS. RECIPERATVRA.

In interiore parte hi verſus Iſaaci Caſauboni leguntur:

ΑΙ. ΑΙ. ΑΡΙϹΤΟΓΕΝΕΘΛΕ. ϹΥ. ΜΕΝ. ΒΡΟΤΕΩΝ. ΜΕΛΕΔΩΝΩΝ.
ΛΗΞΑϹ'. ΟΥΛΥΜΠΟΝΔ'. ΑϹΜΕΝΗ. ΕΙϹΑΝΕΒΗϹ.
ΚΟΥΡΙΔΙΟΝ. Δ'. ΑΛΟΧΟΝ. ΠΡΟΛΙΠΟΥϹΑ. ΠΡΟΩΡΙΟϹ. ΑΙ. ΑΙ.
ΘΑΥΜΑ. ΒΙΟΥ. ΘΥΑΝΟΝ. ΩΧΕΟ. ΘΑΥΜΑϹΙΗ.
Χ'Ω. ΜΕΝ. ΟΔΥΡΟΜΕΝΟϹ. ΓΟΕΡΟΝ. ΤΗΝ. ΝΥΚΤΑ. ΚΑΙ. ΑΩ.
ΙΜΕΙΡΕΙ. ΓΛΥΚΕΡΩΝ. ΠΟΤΝΙΑ. ϹΩΝ. ΟΑΡΩΝ.
ϹΩΝ. ΟΑΡΩΝ. ϹΕΜΝΟΥΤΕ. ΝΟΟΙΟ. ΦΥΗϹΤ'. ΕΡΑΤΕΙΝΗϹ.
ΓΡΑΠΤΟΝ. ΕΧΩΝ. ΚΡΑΔΙΗ. ϹΗϹ. ΤΥΠΟΝ. ΑΓΛΑΙΗϹ.
ϹΥΖΥΓΙ. Δ'. ΑΙΑΖΟΝΤΙ. ϹΥΝΑΙΑΖΟΥϹΙΝ. ΟΜΑΡΤΗ.
Η. ΤΛΗΜΩΝ. ΑΡΕΤΗ. ΤΑΙΤ'. ΑΓΑΜΟΙ. ΧΑΡΙΤΕϹ.
ΟΙ. ΜΟΙ. ΛΕΥΓΑΛΕΗϹ. ΑΤΗϹ. ΤΙϹ. ΝΥΝ. ΧΕΡ. ΟΡΕΞΕΙ.
ΥΜΜΙΝ. ΟΙΖΥΡΗ. ΤΕΙΡΟΜΕΝΟΙ. ΠΕΝΙΗ.
ΝΟΥϹΑΚΕΡΟΥϹ. ΤΙϹ. ΕΠΙϹΚΕΨΕΙ. ΤΙϹ. ΛΥΤΡΑ. ΔΕΘΕΙϹΙ.
ΔΩϹΕΙ. ΤΙϹ. ΓΥΜΝΟΥϹ. ΕϹΘΕϹΙΝ. ΑΜΦΙΑϹΕΙ.
Α. ΔΕΙΛΟΝ. ΜΕΡΟΠΩΝ. ΓΕΝΟϹ. ΗΡ'. ΕΤΕΟΝ. ΤΙϹ. ΕΕΙΠΕ.
ΠΑΝ. ΤΟ. ΠΕΡΙΤΤΟΝ. ΑΕΙ. ΕϹΤΙ. ΜΙΝΥΝΘΑΔΙΟΝ.

INDEX

INDEX

LATINO-VERNACULUS

Nominum Propriorum et etiam *RERUM*

Quae in THUANI VITA continentur.

A

ADRETIUS. *Vide* Bellomontius.
AMIOTI, *Amiot*, (Jac.) obitus et elogium, p. 124
Amphisbaena a Thuano viſa et obſervata, 91
ANGELUS (Mich.) *Vide* Bonarota.
ANGLURIUS GIVRIUS, *d'Anglure de Givry*, (Annas) Canii nuptiis feſtive adeſt, 86. ejus elogium, *ib.*
ANICIUM. *Vide* Podium Velaunorum.
Aquilae Mimatum juxta volatilibus menſae ſupplendis inſerviunt, 99
ARELATI, *Arles*, deſcriptio, 56
AVENIONIS, *Avignon*, deſcriptio et hiſtoria, 55
AUGUSTAE AUSCIORUM, *Auſch*, deſcriptio, 48, 49
AUTRICI CARNUTUM, *Chartres*, obſidio, 123

B

BAIONAE, *Bayone*, deſcriptio, 44
BALANI, *de Balan*, in amicum qui ſororem corruperat vindicta, 48
BARBANSONUS CANIUS, *de Barbanſon de Cany*, (Lud.) Catharinam Gaſp. Schombergii filiam in uxorem ducit, 86
BARBANSONAE (Mariae) Jac. Aug. Thuano nuptae gens, 78
BARTASSII, *du Bartas*, (Salluſtii Gul.) elogium, 97
BELLOMONTIUS, *de Beaumont*, mira de magica arte narrat, 148. in ſupplicium ductus, 149
BELLOMONTII ADRETII, *de Beaumont baron des Adrets*, deſcriptio et effigies, 9
BELNENSIS, *de Beaulne*, (Reginaldi) genealogia, ingenium, mores et elogium, 68, 69. in comitiis Bloeſenſibus pro ſacro ordine verba facit, 88. magnus eleemoſynarius regius factus, 124. in academiae Pariſienſis ſtatutis digerendis laborat, 155
BENEARNENSIUM, *de Bearn*, thermarum ratio et uſus, 43
Bibliotheca Senlaurentia apud Florentiam, 17
Eraſmiana et Baſileenſis, 33
Moiſſacenſis, 47
Corbienſis, 83
BIRAGI, *de Birague*, (Renati) elogium, 66. et funus, 67. de filia in ſumma egeſtate decedente, *ib.*
BONAROTAE, *Buonaruoti*, (Mich. Angeli) Cupido egregii operis ſtatua, 14. item tabula Lazari hiſtoriam referens, et cum Raphaele Urbinate certamen, 52
BORBONII, *de Bourbon*, (Henrici) Dumbarum principis indoles et elogium, 95
BORBONIUS, (Car.) cardinalis Vindocinus Thuano ſuadente controverſiam cum cardinali Guiſiano de ſedendi praerogativa movet, 72. regiis partibus favet, 90. Tertianae factionis princeps, 123, 124
BOSCODELPHINUS. *Vide* Lavallus.
BRISSONII, *Briſſon*, (Barnabae) mors et elogium, 125
BROAEI BONI, *Bon Broé*, elogium, 28, 29
BUCHANANI, *Buchanan*, (Geor.) de ſenectute querelae, 39

C

CALIGNONI, *de Calignon*, (Sofredi) elogium, 128, 148
CANIUS. *Vide* Barbanſonus.
CARPENTARII, *Charpentier*, (Jac.) cum P. Ramo controverſia, 13
Carrucarum uſus primo in Lutetiam admiſſus, 89
CARTERIUS, *Chartier*, (Mathurinus) Thuanum Salſedae conjurationis certum facit, 53. de infelici exitu praemonitus, *ib.* ejus vitae ratio, 54
CASTELLIONAEUS COLINIUS, *de Chaſtillon Sr de Coligni*, (Gaſpar) monita de ſuo periculo et Pariſienſi laniena ſpernit, 10. caeſus et tandem ſepultus, 11
CASSILLACI SESSACI, *de Caſſiliac Sr de Seſſac*, (Fran.) elogium, 98
CEMENI MONTES, *les Cevennes*, 98
CHESSEUS, *de Cheſſé*, (Robertus) Franciſcanus Thuanum latentem excipit, 92. laqueo ſuſpenſus, 113
CHEVERNIUS HURALTUS, *de Hurault Sr de Chiverny*, (Philippus) Annam Thuanam in uxorem ducit, 5. et mortuae funus inſtruit magnificum, 68. domum ab aula relegatus Guiſii caedem praedicit, 87. in regis caſtra venit, 122. obit, 152
CHOESNUS, *de Choeſne*, (Franc.) Jac. Aug. Thuano amiciſſimus, 75. ut Auguſtino patruo in praeſidis munere ſuccenturietur, Portaeo et Jouſa mediantibus, obtinet, 76
COLASII, *Colas*, ingenium et mores, 57
COLINIUS. *Vide* Caſtellionaeus.
CONTII, *le Conte*, (Ant.) elogium, 7
CORSORUM Maſſiliae degentium ingenium, 56
CUJACIUS, *Cujas*, (Jac.) Paratitla in juris codicem Paulo Foxio dicat, 13. Pandectis MS. Florentini uſum fruſtra deſiderat, 18

D

DALECAMPIUS, *Dalechamp*, (Jac.) Herbarium edit, 24, 58
DEMOLINEI RUPIFORTII, *de Moulins de Rochefort*, (Vidi) elogium, 13, 14

DENNETI

I N D E X.

DENNETI, *Dennet*, (Jac.) obitus et elogium. 77

DIJACETI, *Diaceto* ou *Dighiaceti*, (Lud.) de ſua infelici caede a P. Choeſelio Moſa patranda vaticinium, 109

DIOI, *de Dieu*, (Philiberti) elogium, 28

DIVIONIS, *Dijon*, deſcriptio, 58, 59

F

FABRI PIBRACII, *du Faur de Pibrac*, (Vidi) elogium, 50. obitus, 71

FABRI (Petri) elogium, 51

FAIUS SPESSARUS, *de Faye Sr d'Eſpeſſe*, (Jac.) a Thuano tandem perſuaſus praeſidis in ſenatu Turonenſi munus a Thuano repudiatum ſumit, 95, 96

FALCONIS, *Faulcon*, (Claud.) elogium, 28

FERRERIUS, *du Ferrier*, (Arnoldus) regius orator apud Venetos Thuanum excipit, 15. Thuanum de vitae genere eligendo monet, 23

FOXII, *de Foix*, (Pauli) elogium, 9, 10. vitae inter domeſticos ratio, 13, 22. apud Venetos exceptio, et ad Patavium mora, 15. ad Florentiam a Franciſco principe et Coſmo Mediceo exceptio, 17. Romam ingreditur et cauſam ſuam pontifici gravi errore committit, 19. Venetias redit, 23. Romam remiſſus, inde Lugdunum ad regem ſe confert, pacis conſilia irrito urgens, 24. obit, 71

FRANCISCUS I Galliae rex ad Papiam captus Pſalmi CXVIII verſum 70 recitat, 14

G

GIVRIUS. *Vide* Anghurius.

GREGORIUS. *Vide* Pontifex.

GUISIUS. *Vide* Lotharingus.

GULIELMIUS, *Guiliem*, (Janus) novam Ciceronis editionem adornat, ſine exitu, 71

H

HENRICUS III Galliae rex Lutetia a Guiſio pulſus, 81. Rotomagum venit, 82

HENRICUS IV Galliae rex Thuanum de ſuo in religione conſilio certum facit, 112, 113. Vindinum capit, 113. Lexovio et aliis locis captis pugna Euriaca victor exit, 117. Meduntam, Melodunum, Nogentum et Braiam expugnat, 119. ad Aumalam vulneratus, 125. Parmenſis de iſta velitatione judicium ſtomachoſe excipit, 126. Grillonii petulantiam mira patientia fert, *ib.* Romam legationem mittere decernit, 127. conſecratur, et Lutetiam recipit, 139. Tridentini concilii in Gallia receptionem fruſtra urget, 153, 154

Hieracoſophion, 37, 39, 49, 64, 65

HOSPITALII, *de l'Hoſpital*, (Mich.) cancellarii carmina in lucem prodeunt, 71

HURALTUS HOSPITALIUS, *Hurault de l'Hoſpital*, (Mich.) ex ſenatu Pariſienſi ad jus in Aquitania dicendum delegatus, 37

HURALTUS CHEVERNIUS. *Vide* Cheverniius.

J

JOUSAE, *de Joyeuſe*, cardinalis elogium, 102

JUCUNDUS, *Gaillard*, ob crudele facinus ad mortem damnatus, 44, 45

L

LACTORATI, *Leytoure*, deſcriptio, 47

LANGUETI, *Languet*, (Huberti) elogium et cum Thuano ſermones, 31

LAPURDA, *nunc* Baiona, 43

LAVALLUS BOSCODELPHINUS, *de Laval de Boiſdauphin*, (Jo.) primus in Lutetia curru vectus, 89

LIÇARRAGUIS, *Liçarrague*, (Jo.) elogium, 43

LOTHARINGUS GUISIUS, *de Lorraine duc de Guiſe*, (Henr.) regem Lutetia excedere cogit, 81. amicitiam ſuam Thuano fruſtra defert, 88

M

MAgicae artis a fortiariorum diverſae ratio, 149

MAIUS, *Maye*, Colinii fatum et Pariſienſem lanienam praedicit, 10

MARAEOLIA, *de Mareuil*, (Gabrielis) bene de Jac. Aug. Thuani valetudine et indole auſpicatur, 6

MASSILIAE, *Marſeille*, deſcriptio, 56

MEDICEUS, *de Medicis*, (Coſmus) a P. Foxio ſalutatus, 17. obit, 24

MERCURIALIS (Hier.) elogium, 16

MERINDOLIENSIUM, *crux de Merindol*, mores, 100

MONANTHOLII, *Monantheuil*, (Petri) elogium, 6

MONTANI, *Montaine*, (Mich.) elogium, 39. de Navarro et Guiſio cauſiſque alienati inter eos animi judicium, 88

MOROCENI, *Moroſini*, (Fran.) cardinalis pontificii legati elogium, 94. et cum Thuano amicitia, 95

MURETUS, *Muret*, (Ant. M.) cum Thuano de viris doctis ſermones habet, 22. Zoſimi MS. codicem Florentinum fruſtra videre deſiderat, 24. obit, 77

N

NARBONA, *Narbonne*, multis antiquitatis monumentis decorata, 52

NIPHI ingenium et in Scaligerum odium, 16

O

OBSOPOEUS (Joannes) a Thuano carcere liberatus, Zoſimi exemplari MS. ejus fidei commiſſo, Germaniam proficiſcitur, 91

OISELLI, *d'Oiſel*, (Ant.) elogium, 39

OSSATI, *d'Oſſat*, (Arnaldi) cardinalis elogium, 13. Romae ad negotia animum transfert, 22

P

PARISIENSIS laniena, 9, 10, 11

Academiae ſtatuta digeſta et in ſenatu promulgata, 155

PIBRACIUS. *Vide* Faber.

PICHERELLI, *Picherel*, (Petri) elogium, 110

PISANIUS. *Vide* Vivonius.

PITHOEI, *Pithou*, (Petri) obitus et elogium, 144

PLATERUS, *Plater*, (Felix) animalia quaedam rariſſima Thuano oſtendit, 35

PODII VELAUNORUM, *le Puy en Velay*, deſcriptio, 57

PONTIFEX Rom. Gregorius XV obit, 70

PUTEANI, *du Puy*, (Clem.) elogium, 140

PYRENAEORUM montium altitudo, 40, 41

R

RABELAESI, *Rabelais*, (Fran.) ingenium et mores, 147

ROANI, *de Rohan*, (Lud.) Monbazonii ducis obitus et elogium, 111

RUFI, *le Roux*, (Raimundi) elogium, 51

RUGERIUS, *Ruggieri*, (Coſmus) magiae poſtulatus dimittitur, 150. moriens ſe a Chriſtiana fide alienum oſtendit, 151

RUPIFORTIUS. *Vide* Demolineus.

RUPIFULCAUDII,

Rupifulcaudii, *de la Rochefoucauld*, (Joſiae) comitis Ruſſii obitus, epitaphium, elogium, 111, 112

S

Salsedae confeſſiones in dubium a Matignono vocatae, 46. de iis Pibracius pejus auguratur, 49. illis fidem aſtruit Carterius, 53. non vanas eſſe credit Henricus Engoliſmenſis, 56

Santacrucii, *di Santa Croce*, (Proſperi) cardinalis elogium, et de aulae Romanae conſiliis ad Foxium monita, 19, 20, 21

Scaligeri, *della Scala*, (Joſephi) cum Thuano amicitia et elogium, 8. in ejus familiam calumnia a Nipho commenta, 16. errorem de Lapurda a Thuano monitus corrigit, 43

Scaligeri (Silvii) elogium, 38

Schombergius, *de Schomberg*, (Gaſpar) Thuano amicus, 90. Thuanum periculo eripit, 93. in Germaniam Thuano comite miſſus, 96. novis acceptis mandatis Italiam petit, 100. obit, 152

Sigonii (Car.) elogium et opera, 16

Spessarus. *Vide* Faius.

Stephanus, *Eſtienne*, (Henricus) A. Gellium et Macrobium cudit, 71

T

Tertianae factionis, *le Tiers parti*, origo, 123

Texieri, *Texier*, (Joannis) elogium, 28

Tolosae, *Toulouſe*, deſcriptio, 50, 51

Tridentini, *de Trente*, concilii in Gallia receptio fruſtra a rege, Villaregio, et aliis urgetur, 152

Tulliae, *Tulleu*, (Jacobae) Chriſtophori Thuani uxoris elogium, 60. filium Jac. Aug. ad nuptias hortatur, 70, 75. obit, 80. ejus modeſtia, 88, 89

Turnonii, *de Tournon*, (Fr.) cardinalis ingenium et mores, 48

Thuana, *de Thou*, (Anna) Chevernii uxor obit, 68. ejus funus et tumulus, *ib.*

Thuani, *de Thou*, (Auguſtini) elogium, 4

Thuanus (Auguſtinus) Chriſtophori frater curiae Pariſienſis praeſes creatus, 72. ut Jac. Aug. nepos ſibi ſuccenturietur inſtat, 75. obit, 142

Thuani (Chriſtophori) nuptiae et liberi, 4, 5. Pariſienſis lanienae deteſtatio, 10. in innocentia periclitantium tuenda conſtantia, 50. mors, 58. ſepultura, 59. et mauſoleum, 60. memoria ab excellentibus illius ſaeculi ingeniis celebrata, 61. ille ſenatus princeps creatus primus in urbe carruca vectus, 89

Thuani (Hadriani) elogium et deceſſus, 3, 4, 7

Thuanus, (Jac. Aug.) natus, 3. ejus majores et genealogia, 4, 5. infantia difficilis, et gentile in pingendo oblectamentum, 5, 9. in ſchola Burgundica educatio, 5, 6. educationis errores, *ib.* ingenium et cum literatis conſuetudo, 7. Valentiam Segalaunorum ad Cujacium audiendum adit, 8. cum Joſepho Scaligero amicitiam contrahit, *ib.* Lutetiam cum Car. Lamonio redit, 9. lanienae Pariſienſis, a Maio praedictae, teſtis, 9, 10, 11. cum Paulo Foxio Auguſtam Taurinorum adit, 13. Papiam item, Mediolanum, Placentiam et Mantuam, 14. Mirandulam item, Venetias et Patavium, 15. Venetam in Ciſalpina regione ditionem luſtrat, Bononiamque adit, 16. et Florentiam, ubi P. Victorium inviſit et Vaſarium Arretium, 17, 18. Romam ingreditur, 19. Neapolim adit, Romamque redit, ubi Muretum inviſit, 22. Venetias redit, ubi bibliothecam locupletat, de vitae genere eligendo a Ferrerio monitus, 23. inde Romam, mox Lugdunum, et inde ad patrem reverſus, 24. ejus cum viris doctis conſuetudo et amicitia, 25. ad Fr. Momorantium cum ſecretis mandatis miſſus, *ib.* Picardiam et Belgium luſtrat, 25, 26. a Fr. Nanſio et Chr. Plantino exceptus, 26. ſenatoris Pariſienſis dignitatem invitus accipit, 27. coram ſenatus delegatis examen ſubit, 28. ejus in eo munere geſtus, *ib.* cum fratre Plombinum adit, 30. ad Badam Hub. Languetum inviſit, 31. via aberrat a ruſtico laute exceptus, *ib.* Stugardiam, Heidelbergam, Ulmam, Auguſtam Vindelicorum luſtrat, 32. mox et Lindavium, Conſtantiam, Schafuſiam et Baſileam, ubi ab Amerbachio et Felice Platero benigne exceptus, 33. per Muluſenam et Colmariam Plombinum et inde Lutetiam redit, 34. in Turones ad Andinum miſſus Malliam arcem ſcazonte deſcribit, 35. Cadomum et S. Michaelis montem luſtrat et deſcribit, 35. in Turones redit cum Arturo Coſſaeo equitum tribuno de rebus arcanis mox acturus, 36. ad jus in Aquitania dicendum delegatus Hieracoſophion ſcribit, 37, 39. ab Henr. Condaeo benigne exceptus Liburnum adit, 37, 38. mox et Neracum, Navarro, uxore et ſorore ſalutatis, *ib.* a Car. Fabro Gratinio, Jo. Secondato Rupio et Silvio Scaligero exceptus, *ib.* Burdigalae jus dicit, et amicitiam cum Largobaſtono, Montano, et Vineto contrahit, 39. Medulos et Boiates luſtrat et deſcribit, a Fr. a Foxo Candala benigne exceptus, et de Pyrenaeorum montium altitudine certior factus, 40, 41. Sparta, Corduenna turre, Blavia luſtratis Burdigalam redit, 42. per Vaſconiam, Bigerrones, Benearnum, Baionam, Atyrum et Cantabriam peregrinatur, 42, 43. cum collegis quaedam judicia memoranda fert, 44, 45. a patre revocatus cum Matignono de Salſedae conjuratione colloquitur, 46. per Moiſacum et Aguillonium ad Mariae fanum, et inde itinere ſatis longo Aginnum venit, 47. mox Lactoratum adit, *ib.* inde Auguſtam Auſciorum, 48. et Pibracium, a Vido Fabro exceptus, 49. Toloſam venit, 50. inde Montalbanum, Carcaſſonem, et Narbonam, 51. mox et Biterras, ubi a Momorantio humaniſſime exceptus, 52. inde Pezenacum et Monpelium, ubi a Condaeo humaniſſime exceptus, 54. inde Aquas Mortuas, Nemauſum, Villam novam et Avenionem, 55. Maſſiliam, Aquas Sextias, et Montelium Adelimari adit, 56. mox et Podium Velaunorum et Claromontium in Arvernis, 57. inde ad Lugdunum, Ciſtertium et Divionem proficiſcitur, 58. de morte patris certior factus, 59, 60. Lutetiam revertitur, 60. Hieracoſophion vulgat, 65. libellorum ſupplicum magiſter creatus, 70. literis addictus paraphraſin poëticam in Jobum et Pſalmos ſcribit, *ib.* 71, 77. cardinalem Vindocinum ad controverſiam cum cardinali Guiſiano de ſedendi praerogativa movet et impellit, et pro mutua pecunia ab eo ſumpta fidem jubet, 72. Auguſtino patruo in praeſidis dignitate ſuccenturiatus, 76. ordinis eccleſiaſtici vinculo liberatus, facultate matrimonii contrahendi data, 77. Mariam Barbanſonam in uxorem ducit, 78. Jouſae clade commotus, 79. cum Gaſp. Schombergio amicitiam contrahit, 80. rerum quae in urbe ſepimentorum doliarium die geſtae ſunt teſtis, *ib.* Lutetia excedit, in Neuſtriam ad praefectos in fide confirmandos miſſus, 82. mox et in Picardiam, *ib.* in ſanctius conſiſtorium lectus, 83. ſupellectilis direptae jacturam x aureorum millibus aeſtimatam ſine querela patitur, 87. Bloeſas comitiorum tempore adit, *ib.* Guiſii amicitiam defugit, 88. Lutetiam redit, 89. cum Carolo Balſaco Dunenſi de Aureliani arce firmanda agit, 90. nuncio de Guiſii caede Lutetiam allato periculum vitae adit. Obſopoeum carcere liberat, et Zoſimi exemplar MS. ad Sylburgium mittit, 91. Lutetia diſcedit, 92. Eclimontiam et inde Autricum Carnutum adit, unde vix evadit, 93. Bloeſas tendit, et regi ut Navarrum evocaret ſuadet, 94.

Hieremiae Threnos et Eccleſiaſten Latinis verſibus vertit, 95. praeſidis in ſenatu Turonenſi dignitatem deſugit, *ib.* in Germaniam cum Schombergio miſſus, 96. in via pecuniam a Diguierio obtinet, noviſque mandatis acceptis ad pecuniam mutuo ſumendam Italiam petit, 100. Genua luſtrata Venetias tendit, 101. Patavium ſecedit, et Jo. Vincentii Pinelli Paulique Aicardi conſuetudine fruitur, 104. per Mantuam et Veronam Curiam Rhaetorum accedit, 105. in lacu proximo periclitatur, 107. Tigurum, Soloturnum et Baſileam venit, 108. Sequanis et Lingonibus peragratis, cum Helvetiis tribunis Catalaunum et Theodorici caſtrum venit, 109, 110. ad Caſtellodunum regem de rerum in Italia ſtatu, rex eum de ſuo conſilio certum facit, 112, 113. cum mandatis ad Nivernium miſſus, 114. mox et ad cardinalem Vindocinum, 117, 125. et ad Chevernium cancellarium, 120. metaphraſin poeticam in Joelem, Amos, Jonam, Abdiam, Habacchuc, et Haggaeum ſcribit, 122. ſupellectilis reliquiarum jacturam facit, uxore abducta, ſed tandem liberata, 123. bibliothecarius regius factus, 124. ad Sueſſionem miſſus, 124, 125. Caeſaroduni rei pecuniariae expediendae incumbens periculoſe aegrotat, et mox Parabatam vinctum edit, 127. Hiſtoricum opus inchoat, 128. ejus in illo opere propoſita, 129, 136. cenſurae in Hiſtoriam, et odii in auctorem cauſae, 137. Venetos oratores excipit, patruo in praeſidis munere ſuffectus, 142. Condaei negotium in ſenatu procurat, et cum Proteſtantibus agere deſugit, 143. P. Pithoei morte perculſus literas ad Caſaubonum dat, 144. cum Mercuriani delegatis de pace irrito tractat, et mox cum Proteſtantibus invitus agit, 146. Bullionium et Tremollium fruſtra monet et excuſat, *ib.* cum Proteſtantibus de edicto Namnetenſi, legato pontificio non diſſentiente, convenit, 147, 151. Concilii Tridentini per Galliam receptionem impugnat, 152, 153, 154. in ſtatutis academiae Pariſienſis digerendis et corrigendis laborat, quae in curia promulgantur, 155. uxorem amiſſam deplorat, 155

THUANI (Jac. Aug.) poema ad Carolum Vindocinum cardinalem exaratum 1 Apr. 1585, 73
— ad Puteanum de Hiſpanae claſſis anno 1588 profligatione, 84
— ad Oſſatum ſub Henrici III caedem, IX Kal. Oct. exaratum, 103
— ad eundem, Vaticinium Sequanae dictum, 105
— Roberti a Jouſa Granprati comitis mortem deplorans, 110
— in Lud. Roani Monbazonii ducis mortem, 111
— et in Joſiae Rupifulcaudii comitis Ruſſii, 112
— in regis Henrici IV primis regni auſpiciis ſucceſſus, 114
— in pugnam Euriacam, 117
— de aëris et temporis aeſtibus in itinere ad Eclimontiam ſcriptum, 120
— in Petri Delbenii abbatis obitum, 122
— Poſteritati, apologiae vice inſcriptum, 129
— de ſe fortunaque ſua, occaſione ab Hieracoſophio ſumpta, 136
— de ſuo ex aula ſeceſſu, 140
— in Franc. Rabelaeſum, 148
— uxoris mortem deplorans, 155

THUANUS (Joannes) morbo diuturno laborat, 27. ad Plombinenſes aquas proficiſcitur, 30. obit, 34

THUANUS (Nicolaus) Carnutum epiſcopus creatus, 11

V

VARIUS, *du Vair*, ſenator Pariſienſis eccleſiaſtici ordinis creatus, 70

VENETUS, *de Veniſe*, ſenatus legationem ad regem Henricum IV decernit, 102

VICI, *de Vic*, (Dominici) elogium, 94. crus abſciſſum, *ib.*

VICTORII, *Vettori*, (Petri) elogium, et cum Thuano ſermones, 17

VILLAREGIUS, *de Villeroy*, (Nic.) concilii Tridentini in Gallia receptionem urget, 152

VINDOCINUS cardinalis. *Vide* Borbonius (Car.)

VINETI, *Vinet*, (Eliae) cum Thuano conſuetudo, 39

VIVONUS SANGOARTIUS PISANIUS, *de Vivonne Sr de S. Goart marquis de Piſani*, Romam miſſus pontificem ad liberandum Gajacii comitem adigit, 20. obit, 152

Z

ZOSIMI exemplar MS. ex Leunclavii autographo deſcriptum, 91. biennio poſt Francofurti editum, 92

INDEX
VERNACULO-LATINUS
NOMINUM PROPRIORUM
Quae in THUANI VITA occurrunt.

des ADRETS. *Vide* Beaumont.
AMIOT, Amiotus.
ANGLURE DE GIVRY, Anglurius Givrius.
ARLES, Arelatum.
AVIGNON, Avenio.
AUSCH, Auguſta Auſciorum.

BAYONE, Baiona.
BALAN, Balanus.
BARBANSON, Barbanſonus.
du BARTAS, Bartaſſius.
BEARN, Benearnum.
BEAUMONT, *baron des Adrets*, Bellomontius.
de BEAULNE, Belnenſis.
BIRAGUE, Biragus.
BOIS-DAUPHIN, Boſcodelphinus.
BOURBON, Borbonius.
BRISSON, Briſſonius,
BROE, Broaeus.
BUCHANAN, Buchananus.
BUONARUOTI, Bonarota.

CALIGNON, Calignonus.
de CASILLAC, *Sr de Seſſac*, Caſillacus Seſſacus.
les CEVENNES, Cemeni montes.
CHARPENTIER, Carpentarius.
CHARTIER, Carterius,
CHARTRES, Autricum Carnutum.
CHASTILLON, *Sr de Coligny*, Caſtellionaeus Colinius.
CHESSE, Cheſſeus.
CHIVERNY, Chevernius.
CHOESNE, Choeſnus.
COLAS, Colaſius.
COLIGNY, Colinius.
le CONTE, Contius.
CUJAS, Cujacius.

DALECHAMP, Dalechampius.
DENNET, Dennetus.
DIACETO *ou* DIGHIACETI, Dijacetus.
DIJON, Divio.
DIOU, Dious,

ESPESSE, Speſſaeus.
ESTIENNE, Stephanus.

FAULCON, Falco.
du FAUR, Faber.
FAYE, Faius.
du FERRIER, Ferrerius.
FOIX, Foxius.

GAILLARD, Jucundus.
GIVRY, Givrius.
GUILIEM, Gulielmius.
GUISE, Guiſius.

*de l'*HOSPITAL, Hoſpitalius.
HURAULT, Huraltus.

JOYEUSE, Jouſa.

LANGUET, Languetus.
LAVAL, Lavallus.
LEYTOURE, Lactoratum.
LICARRAGUE, Liçarraguis.
LORRAINE, Lotharingus.

MAREUIL, Maraeolius.
MARSEILLE, Maſſilia.
MAYE, Maius.
MEDICIS, Mediceus.
ceux de MERINDOL, Merindolienſes.
MONANTHEUIL, Monantholius.
MONTAINE, Montanus.
MOROSINI, Morocenus.
de MOULINS, Demolineus.
MURET, Muretus.

NARBONNE, Narbona.

OISEL, Oiſellus.
OSSAT, Oſſatus.

PIBRAC, Pibracius.
PICHEREL, Picherellus.
PISANI, Piſanius.
PITHOU, Pithoeus.
PLATER, Platerus.
du PUY, Puteanus.
le PUY EN VELAY, Anicium *ſeu* Podium Velaunorum.

RABELAIS, Rabelaeſus.
de la ROCHEFOUCAULD, Rupifulcaudius.
ROCHEFORT, Rupifortius.

de S. GOART, Sangoartius.
di SANTA CROCE, Santacrucius.
della SCALA, Scaliger.
SCHOMBERG, Schombergius.

TEXIER, Texierus.
le TIERS PARTI, Tertiana factio.
de THOU, Thuanus.
TOULOUSE, Toloſa.
TOURNON, Turnonius.
TRENTE, Tridentum.
TULLEU, Tullia.

du VAIR, Varius.
VENISE, Venetiae.
VETTORI, Victorius.
VIC, Vicus.
VILLEROY, Villaregius.
VINET, Vinetus.
VIVONNE, Vivonus.

V.

V.

DE

THUANI HISTORIAE

Succeſſu apud JACOBUM I. Magnae Britanniae regem.

Ex MS. *Sereniſſimo Angliae, Scotiae, et Hiberniae regi, Jacobo.*

MIRUM tibi fortaſſe videbitur, ſereniſſime rex, quod ſacras occupationes tuas homo ignotus hoc tempore interpellare auſus fuerim. Virtutum tuarum fama, quaſi novi ſolis fulgor exoriens, ſincera cum principe noſtro amicitia, arcta Franco-Gallici et Anglo-Scotici nominis hodie conjunctio, ſingularis tuus erga literas et literatos amor, et in omneis humanitas, aditum mihi ad majeſtatem tuam patefecerunt, ſpemque dederunt, fore, ut hoc induſtriae noſtrae qualecunque munus, quod tibi per comitem Bellomontium oratorem regium, proxima mihi cognatione conjunctum, offeretur, benigne comiterque accipias. Id non inconſulto principe noſtro factum, immo ſuadente, ac jubente, atque inſuper addente, de tantis rebus ſcriptum opus, niſi ipſi a me dicatum eſſet, tibi inſcribi debuiſſe. In eo multa bene, plura ſecus, noſtrorum et tuorum facta; ſed et ſalutarium praeceptorum, quae tu aureis ad omnem aeternitatem literis exarando * libro conſignaſti, exempla reperies: atque haec apud te ſatis; cetera ex opere ipſo exercitatiſſimi judicii prudentia, qua plurimum polles, obſervabis. D. O. M. oro, ut Chriſtianiſſimum regem ſuis, te tuis, ambos univerſo Chriſtiano orbi incolumeis, quam diutiſſime conſervet; atque ut animos veſtros ad colendam amicitiam novis officiorum ac neceſſitudinum vinculis nuper devinxit, ſic voluntates ac ſtudia ad ſarciendam eccleſiae concordiam mutuo conſenſu conſpirare faciat; ne potius in firmanda pace de finibus tuendis, quam de ipſius gloria amplificanda, cogitaſſe videamini. Vale, ſereniſſime rex, meque eadem, qua cunctos tui amanteis proſequeris, benevolentia complecti non dedignare.

Lutetiae Pariſiorum, pridie
Kal. Jan. 1603.

Tuae majeſtati
Devotiſſimus,
JAC. AUG. THUANUS.

Ex MS. *A Monſieur. de Thou Conſeiller du Roy en ſon Conſeil d'Eſtat, & Preſident en ſa Court de Parlement.*

MONSIEUR. J'ay preſenté voſtre lettre, avec voſtre livre, au Roy; qui en a faict une telle eſtime en ma preſence, & depuis en public en a parlé ſi dignement, que certes vous avez occaſion d'en eſtre fort content, & de vous conſoler & fortifier par ſon teſmoignage contre l'envie & la calomnie, deſquelles j'entends que vous eſtes aſſailli de beaucoup d'endroits. Il m'a promis de reſpondre à voſtre lettre, dont le ſtile lui a pleu extremement. Il a leu celle que vous faites à ſa Majeſté, & m'a dit que c'eſtoit une des belles pieces qu'il eut jamais veues en toute l'antiquité; & certes tant plus je la lis, tant plus je l'admire. *Magnum opus aggreſſus es*, auſſi digne de la liberté de voſtre courage, qu'indigne en eſt la ſervitude du ſiecle où nous ſommes. Je penſe que vous ferez bien pour quelque temps de ſurſeoir à imprimer juſques à l'année xc; car je craindrois que vous ne peuſſiés reſiſter aux oppoſitions de ceux qui ont regret de voir leurs peres nottés. Ce prince envoye dans peu de jours un gentilhomme viſiter ſa Majeſté, ſur la mort de Madame de Bar. Si je puis, je feray qu'il vous ira remercier en ſon nom, & vous portera

* cui titulus *Baſilicon Doron.*

portera de ſes lettres: & ſur cela, aprés vous avoir baiſé tres humblement les mains, je prieray Dieu, Monſieur, qu'il vous donne en ſanté heureuſe & longue vie.

De Londres ce 10 Mars 1604.

Voſtre tres humble Neveu & Serviteur,
De Harlay.

Ex MS. *A Monſieur de Thou, Preſident au Parlement de Paris.*

Monsieur le Preſident. Nous vous remercions tres affectueuſement des lettres que nous avez eſcrites, & du livre que nous avez envoyé, dreſſé par voſtre labeur; tant par l'offerte de celuy-cy, comme par le teſmoignage de celles-là. Vous nous faites paroiſtre le reſpect & la bonne volonté que vous nous portez, leſquels nous recueillons & recognoiſſons de pareille affection; & prenons en tres bonne part l'exhortation que d'un cœur rond nous avez voulu faire d'embraſſer & nous employer à l'union de l'Egliſe, par l'eclairciſſement & compoſition des differents qui regnent en la Religion. A quoy nous vous pouvons aſſeurer que nous ſommes & ſerons tousjours de noſtre part non ſeulement diſpoſés, mais tres affectionés; & apporterons en toute occaſion à une ſi bonne œuvre tout ce qui dependra de nous: n'ayans jamais, Dieu merci, eſté d'humeur ſectaire, ny reſtifs au bien de la Chreſtienté; & deſirerions que tous princes & potentats fuſſent touchés d'une meſme inclination & deſir en ceſt endroit que nous ſommes, pour acheminer & mener une œuvre ſi digne & importante à quelque bonne concluſion, au ſoulas & repos univerſel de la Chreſtienté; & convertir unanimement nos differents contre l'ennemi commun. Pour voſtre livre, bien que nous n'ayons pas eu le loiſir de le recognoiſtre encores qu'à demi, & bien legerement, nous y avons toutesfois aſſez recognu voſtre ſuffiſance, & y avons gouſté du plaiſir & contentement, tant pour l'amour du ſtile que de la matiere; ainſi que Monſieur l'Ambaſſadeur vous pourra teſmoigner, auquel nous avons ingenuement declaré ſur la lecture d'iceluy, le jugement que nous en faiſions: & n'y a rien qui nous ait plus contenté que de vous y recognoiſtre ſi fidele obſervateur de ce que vous recommandez par vos lettres, d'avoir banni de vos eſcrits toute partialité, qui eſt le vice mortel & trop frequent de l'Hiſtoire. Ce qui nous croiſſant l'envie de voir le reſte & ſuitte de ce bel œuvre de meſme fabrique, ſelon la promeſſe que vous faites de vous vouloir engager en ceſte peine, nous vous prions & ſommons auſſi d'adjouſter & parfaire ce contentement à la curioſité de vos amis; & de croire, Monſieur le Preſident, que perſonne ne ſera plus deſireux, & diſpoſé à honorer & recognoiſtre vos vertus & vos merites, que ſera

A noſtre palais de Weſtmeſtre le 4me Mars 1603.

Voſtre affectionné amy,
Jaques R.

Ex Sylloge Camd. et illuſtr. Viror. Epiſt. a Thoma Smitho edita, Lond. 1691. 4to. p. 68.

Jac. Aug. Thuanus viro doctiſſimo Gul. Camdeno S. D.

Ago tibi gratias, vir doctiſſime, pro tanta humanitate et egregia adeo mihi navata opera. Vix ſperaveram, ut rogatus a me faceres, quod ſola D. Inſulani amiciſſimi mihi viri commendatione feciſti. Quid enim ſum, ut ſeria tua ſtudia tantiſper remorer? Camdenum in meis legendis jacturam bonarum horarum feciſſe? tanto hominem ſibi ignotum beneficio devinxiſſe? Verum age, quando ita officioſus eſſe voluiſti, pro humanitate me inhumanum amicum experieris. Velim idem praeſtes in Scoticis, nam potes, quod in patria hiſtoria feciſti; nam vereor ut aliqua in parte impegerim. Velim et ut mihi conſilium des, quomodo Scotica anni CIƆ IƆ LXVI, (nam pars ea noſtrarum hiſtoriarum jam ſub prelo eſt) citra offenſionem, et tamen vere, exequi poſſim. Heic haereo, jam dudum invidiam et odium noſtrorum in aliis expertus; nec committere volo, ut imprudentiae apud vos arguar, aut quidquam denique feciſſe dicar, quo ſe laeſum is merito queri poſſit, qui me nuper literis ſuis dignatus, et ad cetera, quae pari candore et veritatis ſtudio ad annum CIƆ IƆ XCVI perduxi, edenda hortatus eſt. Acerbius haec fortaſſe a Buchanano ſcripta, et audio diſcipulum praeceptori ob id ſuccenſere; et tamen, quia geſta ſunt, citra flagitium diſſimulari non poſſunt. Scribe, et amico conſilii inopi tuum ne denega. Innuere verbo potes, nec opus eſt ut diſtinctius ſcribas. Quicquid ſcripſeris, non ſolum pro conſilio ſed pro imperio erit. Proxima partis jam editae editione cognoſces, quanti, uti debeo, monita tua fecerim. In Hibernicis veſtris plane peregrinus ſum, nec dum qui viderit, aut fando quicquam de iis acceperit,

ceperit, adhuc conveni. Pauca de illis, ut ſcis, ſcripta; et praeter Stanihurſtum et tabulas inſulae nuper editas, et quod in tua ad omne aevum victura Britannia adjeciſti, nihil habui, unde me inſtruere poſſem. Ultimum vero bellum qui ſcripſerit, adhuc vidi aut audivi neminem. Scire cupio de his quae habes, et quae a tuis ſperare poſſum: de Tiroënae comite imprimis, cum quo vobis res fuit; qua gente, origine, quibus clientelis ſubnixus, quibus moribus et ingenio fuerit, ut tantum bellum adverſus ſereniſſimam reginam ſuſcipere in animum induxerit, et quibus tandem conditionibus cum eo fuerit deciſum. Doleo neminem adhuc apud vos extitiſſe, qui res geſtas tantae heroinae literis mandaverit. Sane ſi ſcribendi facultas et ingenium tam nobili argumento dignum mihi eſſet, ſi otium et interior rerum veſtrarum notitia, ſi documenta idonea ad id ſuppeterent, non alium quam me praeconem habuiſſet. Sed vereor, ne id arrogantius tibi dictum videatur, quod potius eximio meo in eam affectui condonandum eſt, qui tantam ex eo ad me redundaturam gloriam non quidem ſperare, ſed optare, auſus fuerim. Vide quam familiariter tecum loquar: verum id humanitati tuae imputa. Viciſſim me tanquam tibi devinctiſſimo utere. Vale, mi Camdene, et me porro, quod in praecipua felicitatis parte pono, amare, et literis ad me, cum per otium licebit, ſcriptis amorem tuum teſtari perge. Vale iterum. *Lutetiae Pariſiorum* 4 Eid. Febr. 1605.

Ex MS. *Gul. Camdenus Cl. Viro Jac. Aug. Thuano S. D.*

VEHEMENTER me angit et ſolicitat, vir clariſſime, quod literae tuae et D. Inſulani ad me 4 Eid. Febr. datae, neſcio quo fato, vel cujus incuria, ante Eid. Aprilis non ſint redditae. Incommode enim accidit; nam praeterquam quod negligentiae nomine tibi ſim ſuſpectus cum culpa vaco, et nihil magis in votis habeo quam illi tuo optatiſſimo amori reſpondere, opportuniſſime tibi menſe ſuperiori praebere poteram, et nunc negotia impendent. Interim haec, quae magnitudo et vis amoris juſſit, ſcribenda putavi. In Scoticis jam impreſſis quid praeſtare poſſum non video, omni tamen opera et ſtudio praeſto futurus ſum.

Anno 1566, caute tibi incedendum eſt inter comitem Moraviae, Hamiltonium, Reginam, Regem, et partium ſtudioſos: medio tutiſſime ibitur. Jacobus comes Moraviae, frater nothus reginae, et Hamiltonius dux Caſtri-Heraldi, regnum plane affectarunt, hic jure hereditario, utique cui avia filia fuit regis Jacobi II; ille elato animo, neſcio quae ſponſalia inter patrem et matrem ſomnians, natalium defectum ſpecioſo reformatae religionis obtentu, ſuis virtutibus et clientelis ſupplere ſperavit: uterque reginam e Gallia reducem in coelum tranſlatam libens lubenſque audiret; uterque ſua ſpe inflatus reginam a nuptiis arcere ſategit: ſed imprimis nothus ille, qui malis artibus reginae abdicationi et exilio viam praeſtruxit, uſus Buchanano adminiſtro, (*Archiſollem ad Rebellionem excitandam* rex noſter ſubinde vocat) qui famoſis libellis reginam inſectatus quamplurima falſa affinxit, ut illi non temere credas in iis quae ad Moravium et reginam ſpectant, in ceteris fidem utcunque mereatur. Regina juvencula, et nova regnandi, rebus ſecundis luxuriavit; rex juvenis, nullo rerum uſu, credulus, pluma et folio levior, nec ipſe ſibi conſulere, nec bene monenti parere novit, et cui arcana tacere admodum grave. Unde et reginae gratia excidit, et partium ſtudioſi illum inſidioſiſſime tractarunt, et demum ſuſtulerunt. Regina noſtra Elizabetha haec ſpectavit, et ſaepius Scotam commiſerata eſt, ſed minus, quod titulum et inſignia regni Angliae uſurpaverat, et in eam pontificii apud nos ſpem repoſuerant omnem. Haec quae prudentiores et aequiores apud nos propius a vero abeſſe credunt, verbo innuo; tu tuo utere judicio et penicillo.

In Hibernicis majorem lucem praebere fortaſſe potero, nam ea ſatis diligenter obſervavi, et propediem Deo favente praebebo.

Interim ad annum 1566, ſi nondum eo perventum, rebellionem in Hibernia poſt hanc ultimam Tiroënii longe maximam adjicias. Ea his praerupit initiis, ut paulo altius rem repetam.

Cum circa annum 1452 bellum inteſtinum inter Lancaſtrenſes et Eboracenſes exardere coepiſſet, ex Ultonia (ſeptentrionalior ea pars eſt Hiberniae) ab Eboracenſi duce Richardo, qui hereditario jure etiam Ultoniae comes erat, et cujus majores de *Mortuomari* et de *Burgo* cognominati pacifice aliquot ſaeculis tenuerant, Anglorum praeſidia ad partes ſuas in Anglia confirmandas evocata fuiſſent; familia O-Neal, quae ab antiquis Ultoniae regibus genus repetit, Ultoniam quaſi pro derelicta uſurpavit, et nomine O-Neal hic rerum potita eſt.

Ex hac Conus Bacco O-Neal, qui prae ceteris opibus et potentia valuit, in Angliam venit anno 1542 ad Henricum noſtrum VIII, cum jam Ordines Hiberniae ipſum et ſucceſſores (qui tantum domini Hiberniae antea audierant) Hiberniae reges declaraſſent, et ejus ſubditum fide data ſe profeſſus, titulum comitis Tir-Oen ab eo accepit ſibi, et nominatim Matthaeo filio primogenito, qui etiam tunc baro de Dunganon creatus, et heredibus maſculis

tulis ejuſdem Matthaei legitime procreatis. Filius autem ejus ſecundo-genitus Joannes O-Neal (Shanum Hibernici vocant) aegerrime hunc honorem fratri delatum tulit, quem pro fratre nunquam agnoſcere voluit, utique quem dictitavit filium eſſe fabri ferrarii ex oppido Dundalkiae, cujus uxor amaſia fuit illius Coni Bacco, plurimoſque ex familia O-Neal nunquam laturos ut ille patri ſuccederet: demum vero ipſum Matthaeum inter venandum perfide ſuſtulit, et patri inſidias ſtruxit, qui paulo poſt moerore ob filii caedem et ſenio confectus expiravit. (Matthaei hujus filius eſt Hugo, nunc comes Tir-Oen, qui ſceleratiſſima rebellione contra ſereniſſimam Elizabetham nuper orbi innotuit.) Joannes ſive Shanus O-Neal, fratre jam ſublato, patre defuncto, et fratris filiolo Hugone neglecto, in paternam involat hereditatem, publice ſe eſſe O-Neal declarat, eoque nomine dominationem ſibi abſolutiſſimam in Ultonia arrogat, proceres et plebem partim blanditiis, partim tyrannide ſibi adjungit, Scotos Hebridianos, qui ex Hebridibus inſulis hanc regionem praedabundi ingreſſi fuerant, ſubinde profligat: hinc elatior a fide reginae Angliae deficit. Henricus Sydneius, tunc prorex Hiberniae, in quaeſtionem vocat quo jure Hugonem nepotem avita hereditate excluderet; reſpondet, Hugonis patrem Matthaeum vel filium fuiſſe fabri ferrarii, non Coni illius, vel adulterinum Coni filium; ſe autem legitimo matrimonio natum; Conum non potuiſſe ſibi heredem conſtituere, niſi ex conſenſu procerum et plebis Ultoniae; proinde codicillos Henrici VIII ſub magno Angliae ſigillo non valuiſſe illum heredem inſtituere, imo et Anglorum lege codicillos illos fuiſſe irritos, quod 12 virorum jurejurando heres patris non fuerit compertus. Sin autem Matthaeus filius fuiſſet legitimus, lege tamen Hibernica (Taniſtriam vocant) virum matura aetate et ſanguine proximiorem praeferendum puero nondum XXI annos nato, cujus pater etiam mortuus ante ipſius patrem. Denique, quod inſtar omnium, ſe unanimi provincialium conſenſu fuiſſe electum O-Neal (*i.e.* Ultoniae dominus) cum omnimoda juriſdictione, nec opus eſſe confirmatione regis Angliae. Prorex haec ſigillatim ſe reginae Angliae, a qua jus aequabile expectaret, relaturum dixit; hortatus interim in fide erga principem perſtaret: quod promiſit, ſed ſtatim fidem omnem barbara levitate exuit. Ut rex Ultoniae ſe geſſit, cohortem IↃCC ſatellitum ad corporis ſui cuſtodiam ſeligit, provincialium delectum habet, videt ſe mille equites, IV CIↃ pedites poſſe conſcribere: his fretus, rapinis et incendiis omnia circumquaque miſcet, pacis nuncios irridet, Dundalkiam, quae Anglorum praeſidio tenebatur, obſidet, ſed magna ſuorum clade repulſus abſcedit. Ad hunc reprimendum prorex copias cogit, et provide navigio Edwardus Randolphus chiliarcha in ulteriorem Ultoniae partem cum IↃCC veteranis, qui a tergo inſtarent, mittitur, (quod in poſtremo contra Tir-Oenum bello improvide nimis diu neglectum.) Ille caſtris poſitis Dirriae juxta Lough-Foile ſive lacum Foile, Shanum rebellem a depraedationibus retrahit, qui ad hoc praeſidium hinc exturbandum cum robore exercitus advolat: Randolphus proelio excipit, rebellem in fugam conjicit, caeſis quamplurimis, paucis Anglorum deſideratis, inter quos ipſe chiliarcha fortiſſime dimicans. In ejus locum ſurrogatus eſt Edwardus S. Lo, qui rebelles graviſſime aliquandiu exercuit, donec praeſidium cum omni commeatu et apparatu fortuito igne deflagraverit; tunc enim, peditibus navigiolis quae habuerunt impoſitis, equites per medios hoſtes quatuor dierum itinere non ſine admiratione viam ad proregem ſua virtute aperuerunt. Qui ita nunc rebelles terruit, ut vix a longe ſe oſtenderent; et plurimi, jam tyrannidis et bellorum pertaeſi ſe ſubmitterent; adeo ut una hac expeditione pars maxima Ultoniae ad obſequium redacta fuerit. Ipſe tamen Shanus, praedatoriis turmis circumquaque per vicos et villas graſſatus barbara immanitate, iterum Dundalkiam obſidione incingit, ſed maxima ſuorum ſtrage relinquere cogitur. Jam a ſuis quaſi deſtitutus, et copiis omnino acciſis, animum deſpondet, et capiſtro ad collum alligato cogitavit ſe proregis genibus advolvere, et vitam veniamque rogare. Sed a ſuorum nonnullis perſuaſus, prius opem petere a Scotis Hebridianis, qui tunc in Clane-boy inſederunt, eos cum ſuorum electiſſimis et O-Donelli conjuge, quam a viro vi rapuerat, accedit. Comiter accipitur a Gilliam Buſco et Alexandro Ogeo Scotorum ducibus, qui ſtatim inter pocula ad jurgia prolapſi, et ad vindictam exardentes, (patrem enim Buſci, cognatoſque Ogei, ille antea in proelio occiderat,) in Shanum irruunt, et cum ſuis fere omnibus trucidant, menſe Junio 1567: et ita poſt annum quintum feſſae et fatigatae provinciae pax reddita.

Haec an hiſtoriae tuae intexenda exiſtimes, tuo utere judicio: ſi nihil aliud, hinc comitis Tir-Oeniae gentem et originem videas; quod expetis. Cetera a me expectes, nam ejus rebellionem nemo deſcripſit: ego tibi capita rerum brevi expediam. Interim me tibi tuo merito affixum eſſe perſuadeas. D. Inſulanum, ad quem jam ſcribere per negotia non licet, officioſiſſime meo nomine ſalutes.

Londini 16 Kal. Maii,
ſtylo veteri, 1605.

Ex MS.

Ex MS. *Gulielmus Camdenus Cl. et Eruditiſſ. Viro Domino Jac. Aug. Thuano S.*

MENSE Junio jam praecipite, relicti fuerunt, V. C. apud vicinum, dum forte domo aberam, partis primae Hiſtoriarum tuarum tomi duo, ampliore et meliore quam qui vulgo proſtant charta, bene compacti et ad me Gallice inſcripti; ſed literae plane nullae. Unde vero eſſent, et cujuſnam tam propenſae in me benevolentiae μνημόσυνα ſubinde ſerio cogitavi, ingenium animumque verſavi, bibliopolas Gallos apud nos percontando nihil comperi; adeo ut a tua fuiſſe humanitate animum jam induxerim meum, et tibi omnino gratias quantas poſſum maximas agere, cui jure optimo debentur, cum (a quocunque miſſi) revera a te ſint, utique tui ingenii partus, et laboris fructus.

Verum enim vero fieri poteſt ut literae, quae comitabantur, interciderint, quod etiam male metuo ne meis, quas ad te dederam ſuperiori anno, acciderit. Tuae enim quae datae fuerunt IV Eid. Febr. CIↃ IↃCV incuria vel invaletudine D. Fontani ante Eid. Aprilis redditae non fuerunt. Quibus ſtatim reſpondi per tabellionem, et de rebus Scoticis et Hibernicis quae petiiſti, ad annum CIↃ IↃ LXVI, paulo fuſius. An perlatae fuerint dubitavi, cum anno jam vertente et amplius a te nihil plane literarum. Sin autem periiſſe intellexero et tibi uſui fore, facile denuo deſcribantur, et damnum reſarciatur. Reliquas Hiſtoriae tuae partes avidiſſime expectamus, ſupremam enim manum impoſuiſſe audivimus. Vale, vir clariſſime. Dominum Inſulanum a me ſaluta.

Si auderem, et tua humanitate abuti non viderer, a te contenderem ut ampliſſimum virum D. Boiſaciſium, Chriſtianiſſimi regis apud reginam Eliſabetham quondam legatum, meis verbis officioſiſſime ſalutes, cujus ſummam et beneficam erga me benevolentiam non poſſum non agnoſcere, et animo ſemper proſequi gratiſſimo. Londini Kal. Julii CIↃ IↃCVI.

Ex Sylloge Camd. et illuſtr. Viror. Epiſt. a Tho. Smitho edita, Lond. 4to. p. 73.

Viro doctiſſimo Gul. Camdeno J. Aug. Thuanus S. D.

POST longum ſilentium, vir doctiſſime, mitto ad te, ſive excuſationis loco, ſive ad purgandam moram, ſecundum Hiſtoriarum noſtrarum tomum; ſed valde vereor, ut temperamentum illud, de quo monueras, in rerum Scoticarum narratione ubique ſervaverim. Rem in omnium ore poſitam omnino praeterire, quod libentiſſime feciſſem, ſi licuiſſet, magna me invidiam apud vos deprecandi moleſtia nunc levatum ſentirem. Verum in opere ſuſcepto, niſi officio deeſſe vellem, aeque mihi flagitioſum ſilentium, quam mendacium ipſum, fuit vitandum. Quod ſi igitur id ſcribi oportuit, quomodo aliter ſcribi potuerit, ſane non video. Nam criminis, quod ipſe palam admiſeris, culpam in alium ex ſuſpicione rejicere, quid aliud eſt, quam reo periclitanti per calumnioſas exceptiones patrocinium parare? In reo, in ancipitis cauſae defenſore, quippe omnis expediendae ſalutis honeſta ratio, id excuſationem fortaſſe mereat: at veritatem profeſſo, ut alium culpa liberes, alium infamia onerare nefas. Res ipſa loquitur: nam demus, quod ab diverſa tradentibus jactatur, Moravium ambitione ardentem ſcelerate regnum appetiiſſe: quod tamen conſtanter negant omnes fide digni Scoti, quoſcunque mihi alloqui contigit; etiam ii, quibus alioqui Moravius ob religionis cauſam ſumme inviſus erat; nam virum fuiſſe aiebant extra religionis cauſam ab omni ambitione, avaritia, et in quenquam injuria alienum; virtute, comitate, beneficentia, vitaeque innocentia praeſtantem, et qui niſi fuiſſet, eos, qui tantopere mortuum exagitant, hodie minime rerum potituros fuiſſe. Sed demus illum calcata omni divini humanique juris religione tantum animo ſcelus concepiſſe, quo tandem conſultore et adjutore ad rem exequendam uſus eſt? Primum omnium conſtat, nunquam ullas capitaliores inimicitias, quam inter Moravium et Botuelium, exarſiſſe. At quis ſibi perſuadeat, inter tam infeſtos de tanto ſcelere, qualis in regem conjuratio fuit, conſilia agitari potuiſſe, aut ſperari, ut ſecretum, quod ad illam requirebatur, inter eos ſervaretur? Deinde, quis credat, Moravium tantas cum Botuelio inimicitias exercentem, poſt patratum ſcelus, ſorori parricidae in virum ducendi auctorem fuiſſe? aut reginam tam ſupino ingenio fingi poſſe, ut fratri infameis juxta et periculoſas nuptias ſuadenti aureis praebuerit? Denique, cur Moravius poſt haec omnia ſponte in Galliam ſeceſſit, ſi ex his turbis commodum aliquod ſperare praeſentia ſua potuit; aut cur poſtea revocatus tanta fide, rege infante, regnum adminiſtravit, et adverſus Hamiltonios imbecillam ejus aetatem tutatus eſt, ſi per regis calamitatem regni occupandi ſpem conceperat? Nam minus invidioſum et periculoſum illi erat cum Hamiltoniis, ſi rem perfeciſſent, perduellibus de imperio decertare, quam ſororis filium a matre regnique ordinibus tutelae ſuae commiſſum opprimere. Poſtremo, quid aliud quaeſo in cauſa fuiſſe putas, cur Hamiltonii, qui tyrannidem adfectabant, in Moravii necem

conſpiraverint, quam quod ſuperſtite tam ſtrenuo regis infantis regnique vindice de ſucceſſu deſperarent? Ex adverſo, apud animum tuum reputa familiarem plus quam oportuit reginae etiam ante parricidium cum Botuelio conſuetudinem, regis miſeri apertum poſt Rizii caedem odium, et ex eo contemptum; deinde poſt parricidium annitente regina feſtinatum de Botuelii, qui non ſolum facti ſuſpectus, ſed omnium opinione quaſi convictus habebatur, innocentia judicium; moxque diſſolutas turpiter Botuelii cum Gordonia uxore nuptias, ut alias mox turpiores contraheret. Nam raptum illum quis non rideat? aut non potius ex iis, quae memoravimus, neceſſario colligat, ingentis animi foeminam, niſi ſuopte ingenio et praeoccupata diu ante voluntate ad id fuiſſet inducta, nunquam tam facile in illas nuptias fuiſſe conſenſuram, aut eas poſtea tam artificioſis literis apud nos excuſaturam? Verum haec tecum, et ſemotis arbitris. Nam quenquam accuſare, aut ullius defenſionem ſuſcipere, neque his brevibus literis neque toto opere noſtro inſtitui. Ab omni infectatione et obtrectatione, ut mens, ſic ſtylus abeſt: et me plurima orationis lenitate mollivisſe, quae alii acerbius ſcripſerant, ipſa lectione comperies. Rem, ut ex Scotorum, qui interfuerant, ſermonibus didici, ita literis mandavi; et ad eorum fidem ſcripta a Buchanano expendi. De cetero nigrum in candidum in cujuſquam gratiam convertere, neque animus ab initio fuit, neque nunc eſſe debuit. Itaque enixis precibus, quantum poſſum, pro jure amicitiae noſtrae a te contendo, ut quoties in aula veſtra inter proceres, et in amicorum colloquiis, de me deque fide noſtra in ſcribenda hiſtoria mentio erit, toties horum argumentorum recorderis; efficiaſque, ut omnes intelligant, me ſola muneris impoſiti neceſſitate coactum, quae de ea re ſcripſi, ſcripſiſſe; nam alioqui famae gloriaeque Anglo-Scotici nominis ex animo favere, et haec ipſa, quae ſcripſi, ſepulta maluiſſe, niſi jam ante publica fama et aliorum ſcriptis innotuiſſent. Interim tibi ſummas gratias ago pro Hibernicarum rerum fragmento ad me miſſo, quod ſuo loco inſertum videbis. Et quoniam te tam officioſum expertus ſum, rogare non dubitabo, ut eandem diligentiam, quam antea non rogatus adhibuiſti, in his recenſendis adhibeas; et me per literas, quantum tibi a Britannia tua, quam avidiſſime expectamus, otii ſupererit, amice, ut feciſti, moneas. Vale, mi Camdene, et me amare perge. *Lutetiae Pariſiorum* pridie Kal. Sextil. CIƆ IƆC VI.

Ex MS. *Viro Cl. Henrico Savilio Jac. Aug. Thuanus.*

QUOD has primas ad te dem, vir amiciſſime, nolim negligentiae adſcribas, aut quod non plurimi, ſicuti debeo, amicitiam tuam aeſtimem. Occupationes moleſtae, quibus aſſidue diſtineor, in cauſa fuerunt, cur non citius ad te ſcripſerim, et quod vacuis manibus has ad te pervenire nollem. Accipe igitur ſecundum Hiſtoriarum noſtrarum tomum, quae res hujus aevi, ſive praeteriti potius, ab anno 1560 ad annum 72, amplectuntur: vereor, ne non ſine offenſione multorum, ac eorum imprimis quibus ſummopere placere cupio. Scis per hanc temporum intercapedinem quae in Scotia acciderint, quae fortaſſe impune ſuperſtite heroina veſtra Elizabetha libertate hiſtorico digna ſcribi potuerunt. Nunc, ut ea abierit, non mediocris inceſſit animum formido, ne ſecus quam pro ſcriptoris candore accipiantur. Moderationem eam in iis, ſalva veritate, a me adhibitam quae debuit, agnoſcat lector, multaque verbis mitigata, quae acerbius ab harum rerum oculatis teſtibus, et quos vera dixiſſe, diligenti indagatione a minime ſuſpectis poſtea facta, comperi, prodita ſunt. Sed rem fama publica vulgatam omnino diſſimulare, aut ejus culpa in alios derivata invidiam innocentibus creare, ad conſcientiam flagitioſum exiſtimavi; neque tamen adeo pertinax ſum, quin pro arbitrio eorum, quibus plus quam mihi ipſi his in rebus credere ſtatui, quae in melius mutari interſit, emendare ſim paratus: rectum doceant, et quid agere debeam praeſcribant. Nam ut fidem et candorem in me hactenus minime deſiderarunt, ſic neque moderationem requirent. Id ut per te, pro ſingulari qua operae meae te favere ex Bellomontio comite intellexi benevolentia, et per amicos in aula veſtra et ubicunque opus erit meo nomine ſignificandam cures, enixe te rogo. Nunc ad te venio, et praeclarum illud propoſitum tuum, quo magnatibus et principibus viris ac iis praeſertim qui * ex publico ſacro patrocinio
quod inde ad Dei
gloriam et communem utilitatem redeat viciſſim rependant, pudorem incuſſiſti, ſatis
et laudare et praedicare non poſſum: cui juvando ſi quantum animi, tantum opis et virium eſſet, profecto ſentires me, ſi non primas, quas ultro tibi defero, ſaltem qui ſecundas a te ferrem, non omnino indignum eſſe: quod potui feci, et poſt intractabilis noſtri ſenis obitum, bibliotheca regia tuis ad patuit,
Iſaaco Caſaubono, qui in id munus ſucceſſit, nihil non faciente, ut

ſua

* *Quamvis hujuſce Thuani epiſtolae exemplar, quod unum uſquam reperiri potuit, crebris lacunis interrumpitur, mutilatum tamen, quale eſt, heic inſerere duximus, quia ex iis quae adhuc reſtant ſubſequentem* Savilii *epiſtolam huic reſponſoriam eſſe conſtat.*

ſua alterius nondum ſepultum in animis tuorum memoriae induceret

In Billiano Nazianzeni codice plus difficultatis fuiſſe quam vellem, et dolui et indignatus ſum: vix tandem per amicos illius, cujus in poteſtate liber erat, impetratum, ut tuis qui hic ſunt ad uſus commodaretur, ut ad te in Britanniam perferretur. Quod cupiebatur impetrare non potuerunt: ſi quid aliud tua cauſa jube, impera. Audio te Andrea Dudithio

Lut. Pariſ. VI Kal.
Sextil. 1606.

Ex MS. *Ampliſſimo Viro Jac. Aug. Thuano Henricus Savilius S. P.*

HISTORIAE tuae, vir ampliſſime, partes omnes, ea qua decuit moderatione ſcriptas, ambigit nemo, niſi qui te tuumque in ſcribendo candorem minime norunt. Verum enimvero Hiſtoriam ſui temporis ſcribentem in multas multorum reprehenſiones incurrere, et tute ſciſti optime, et omnes vident. De ſecundo tomo quid noſtri heroes ſentirent, (nam de primo ſcripſi ad te antea) non neceſſe habui anxie diſquirere, ne ea refricarem, quae ſanare non poſſem. Quaedam ſunt vulnera, quae vel leviſſima tractatione exulcerentur: et ſcis tu, pro tua prudentia, apud teneras et delicatas aures multa diſſimulari melius quam excuſari: ſic tamen habe, nihil eſſe hic, quantum ego intelligere potui, irarum; integram manere et ſartam tectam a ſuperiore volumine collectam gratiam. Nam de ceteris, qui ἄνευ παθῶν tua legunt, odiique et amoris cauſas procul habent, nihil eſt neceſſe dicere, cum omnes vel me tacente clament nihil eſſe natum aevo noſtro verius, utilius, politius. Editionem Chryſoſtomi, ſpiſſum opus et multis involutum difficultatibus, urgebo quoad potero. Quod niſi mihi characterum veſtrorum uſum veſtri invidiſſent typographi, et rex ipſe noſtro regi per legatum poſtulanti negaſſet, opus jampridem effectum cerneremus. Sed has difficultates ut potero ſuperabo: ſaltem ecqua ſpes ſit propediem intelliges. De libero meis aditu in bibliothecam veſtram patefacto, et de Billiano Nazianzeni codice, maximas tibi debeo gratias, deinde etiam fortaſſe poſteri.

Cum Andrea Dudithio vixi familiariter Wratiſlaviae anno 1581, in proximis quidem aedibus, ſed in eadem paene ſemper menſa menſes ſex, ita ut ab ejus latere nunquam fere diſcederem. Quo temporis ſpatio multa vidi, multa inaudivi, multa obſervavi, non tamen eo animo, ut vel ipſe poſteris aliquid de eo aliquando mandarem, aut mandanti praeirem. Quo fit, ut minus certa ſint quam vellem, ut in memoriae non bonae quaſi leviter impreſſis ſimulachris, quae a me proficiſcentur omnia. Natus eſt vir ille, ex omnibus quos ego novi inter peregrinandum maximus, anno 1533 Febr. 5, in Hungaria, vel Budae, vel alicubi, ſi recte memini, in agro Budenſi, parentibus utrinque nobilibus. Nam et maternum genus ex Shardelatis nobilibus Venetis duxiſſe mihi videor meminiſſe, et ipſum Shardelati agnomine aliquandiu uſum conſtat. Puer a parentibus, qui fortunis omnibus erant a Turcis exuti, ſtudiis bonarum literarum traditur, eique tanquam futuro ſacerdoti praepoſituram impetrant Thermarum Budenſium. Quo ille auctus titulo in Italiam proficiſcitur ſtudiorum gratia, ubi doctis omnibus, Sigonio, Manutio, Robortello, praecipueque Joanni Vincentio Pinello notus gratuſque vixit; ſtudiis eloquentiae eo uſque deditus, ut bis ſe manu ſua Ciceronem integrum deſcripſiſſe mihi ipſe retulerit. Vixit quoque Patavii una Stephanus Bathorius, qui poſtea rex Poloniae, inter quos leves jam inde ortae ſimultates una cum aetate creverunt. Cardinali dein Polo in Angliam proficiſcenti ſe comitem adjunxit: apud quem ſummopere cultus vixit aliquandiu Londini, una cum Priulo: a quo conſcriptam poſtea cardinalis vitam Dudithius Latine vertit eleganter, ut omnia. Ex Anglia reverſus Lutetiae Caninii viri doctiſſimi opera uſus eſt in lingua Graeca, una cum nobilibus aliquot Italis: quam certe linguam accurate callebat non minus quam Latinam. Inde ad Carolum imperatorem profectus in Flandriam ab eodem magni judicii principe commendatur de meliore nota fratri Ferdinando, jam tum, ut opinor, Caeſari deſignato, in Germaniam receſſuro. Apud quem in magna gratia vixit, conſiliorum, cogitationum omnium particeps, uſque ad extremum diem. Ab eo factus eſt epiſcopus Tinninienſis, et, niſi fallor, vice-cancellarius Hungariae, cancellario ipſo Nicolao Olaho archiepiſcopo Strigonienſi adhuc in ſumma ſenectute ſuperſtite. Praelatorum deinde clerique Hungarici ab eodem Ferdinando miſſus orator ad concilium Tridentinum, aliquot in concilio luculentas habuit orationes, quas puto te vidiſſe, de uſu calicis; et aliam de conjugio ſacerdotum, quam tamen non puto extare. Habuit enim illa duo capita in mandatis a domino ſuo, in quorum priore aliquid obtinuit a patribus illis,

in

in altero plenam paſſus eſt repulſam ; adhibitus tamen omnibus ſecretioribus patrum illorum et legatorum pontificiorum tractatibus, et in ſumma apud omnes gratia uſque ad finem concilii ſubſtitit Tridenti. Inde ad dominum ſuum reverſus, qui non multum ſuperfuit, et epiſcopus Quinque-Eccleſienſis factus. Poſt ejus mortem in eadem aut etiam majore gratia apud Maximilianum fuit : ſub quo cum multis feliciter obitis legationibus floruiſſet, ad extremum miſſus in Poloniam ad Sigiſmundum Auguſtum, ſeu certa animi inductione, ſeu alia de cauſa quacunque, legationis muneri religionique pontificiae valedixit : et in Polonia ſubſtitit, ſine ulla tamen, quod mirum eſt, Caeſaris domini ſui offenſa, qui eum perpetuo amare non deſiit : pauloque poſt uxorem duxit ex gynaeceo reginae nobilem foeminam ; eaque defuncta, alteram fratrum Sboruskiorum ſororem : quarum ex utraque ſobolem ſuſcepit. Hic cum aperta videretur pontifici apoſtaſia, cum Romam vocatus non compareret, damnatus eſt, et in imagine combuſtus : nec tamen noſtris hominibus ſatisfecit, ut ex epiſtolis adverſariis Bezae et ipſius apparet, cujus tamen amicitiam ad extremum ſtudioſiſſime coluit. Neque vero Maximilianus poſtea ejus conſilio, etiam colloquio, quamvis reclamante multum nuncio apoſtolico, abſtinuit. Ceterum Dudithius, cum in Polonia aliquot annos vixiſſet, primo in luce civium, et poſtea in ſolitudine Paſſoviana, inde convaſatis omnibus, venditiſque praediis, Wratiſlaviam ſe contulit, quae urbs eſt Sileſiae primaria, ſub ditione principum Auſtriacorum : quorum fidei ſe ſuaſque omnes fortunas commiſit ; modica multorum millium aureorum, quae Rodolfo Caeſari mutuo dederat, uſura (quam felici conſilio neſcio) laute ſplendideque victitans. In illo receſſu Paſſovienſi, et poſtea aliquam-multos annos Wratiſlaviae, adhibitus eſt ab Auſtriacis ad res maximas tractandas, miſſus orator paene αὐτοκράτωρ ad ordines Poloniae, ad bina illa comitia regia in quibus reges declarati ſunt Bathorius et Suecus, rejectis Auſtriacis. Obiit Wratiſlaviae anno 1589 ineunte, levi apoplexia correptus, cum annos aetatis expleſſet ſex et quinquaginta : vir magnus, cui, praeter ſummam in rebus agendis dexteritatem et eloquentiam omnibus notam, in reliqua ἐγκυκλοπαιδείᾳ non multos reperio pares, ſuperiorem neminem. In Ariſtotele et Platone exercitatiſſimus, in ſcholaſtica philoſophia et theologia verſatiſſimus. Ad mathematica magno quidem ille impetu ferebatur, ſed non eadem qua in reliquis philoſophiae partibus felicitate. Aſtrologiam divinatricem, quam initio ita ſtudioſe excoluit, ut ſua mihi manu ſcriptum oſtenderit τετράβιβλον Ptolemaei, et e regione Procli paraphraſin, ad extremum comperta vanitate contempſit ; quo in genere quaedam ipſius ingenioſe conſcripta feruntur, contra Germanos quoſdam de cometis, *&c.* Statura fuit grandi, corpore habitiore paulo, victu moderato ; toto vitae tempore vinum, adeoque cerviſiam, nunquam guſtavit. Dies noctesque libris invigilavit : ſtudiorum immodicus, cetera moderatiſſimus. Nihil eo candidius, nihil apertius : ſumma gravitas ſumma humanitate temperata ; magna morum ſimplicitas cum maxima prudentia conjuncta. Obiit ſuperſtitibus uxore liberiſque ex utroque matrimonio ſuſceptis. Interfuit morienti frater meus natu minor, qui ſi jam viveret, plura haberes de Dudithio et certiora. Nunc te ad clariſſimos et eruditiſſimos Redingerum et Jacobum Monavium Wratiſlavienſes, et Matthaeum Wackerum J. U. doctorem, qui jam apud Caeſarem Rodolfum ſumma in gratia eſt, quorum familiaritate uſque ad extremum ſpiritum uſus eſt, allegabo, ſi tamen adhuc ſuperſunt ; a quibus omnia te jubeo et pleniora et certiora ſperare. Noſtra et pauca et dubia cogitato. Praeter ea quae ſupra commemoravi, Halicarnaſſenſis libellum de Thucydidis hiſtoria vertit, publicique juris fecit, et alia nonnulla : multa quoque ſcripſit, quae certis de cauſis non paſſus eſt exire in lucem. Atque haec de Dudithio : qua in re tibi malui petenti quoquomodo ſatisfacere, quam mihi ipſi ; neque enim ſum neſcius, quantum et a tua expectatione et ab ejus praeſtantibus meritis ſint abſutura : ſed tu veniam, ut ſpero, facilem, ſi quid per imprudentiam erratum eſt, dabis, et quod literis tuis ſero mihi redditis ſerius reſponderim. Vale, vir ampliſſime, et me virtutum tuarum ſummum admiratorem in numero clientium repone ; clariſſimumque Hotomanum, mihique amiciſſimum, cujus opera tuae ad me pervenerunt literae, meo nomine, ſi placet, ſalutabis.

Londini Kal. Dec. 1607.

Ex MS. *Guil. Camdenus Clariſſimo viro Jac. Aug. Thuano S. D.*

DIUTURNI ſilentii culpam, vir clariſſime, deprecor, cum purgare ſane ſit difficile. Me enim, crebris tuis impulſum officiis, ſilentio in amicitiae jura commiſiſſe agnoſco ; fatentem arguas, et te in ampliſſimo ſenatu praeſidem veteri formula per Genua, vel per Genium, ut iſtuc, quod ait ille, inſipienter factum ſapienter feras et ignoſcas, obſecro. Excuſationem haudquaquam moliar, licet multifariam negotiis fuerim diſtentus, quia alternis otii vicibus negotia fuerint interſtincta. Nec, quod veriſſime poſſum, in ſubruſticum pudorem culpam transferam, utique qui aere tuo tam diu oppreſſus, ut obaerati aſſolent, foro ceſſerim,

ceſſerim, et coram comparere auſus non fuerim. Nunc vero cum *Britannia mea* in lucem denuo prodierit, magna acceſſione adaucta, tabulis chorographicis illuſtrata, novoque colore, quamvis ille dilutior, adumbrata, non alium mihi pararium interponam, qui apud te nomina diſſolvat. Habe igitur illam qualemcunque una cum his literulis, quique meae bibliothecae Hiſtoriae tuae prudentiam intuliſti, ut hanc chorographiam loco aliquo in bibliotheca tua digneris, oro. Quid praeſtiterim tu et alii eruditi judicaveritis, quorum candida benignitas ſciat favere, ubi aliorum livor neſciat ignoſcere. Scotiam, quia in ea peregrinus, leviter attigi ; et ne Scotorum ſtudia et diligentiam anteveniſſe viderer, quibus expertus ſenſi nihil in hoc genere placere poſſe, niſi Scotia Angliae (quod coeli ſolique natura negat) praeponatur, aut ſaltem *παραλληλίζεσθαι*. Hiberniam pleniore paſſu obambulavi, utique Angliae regno jam diu ſubditam, et nobis magis exploratam. Rebellionem illam poſtremam comitis Tir-Oen, cujus mihi jam eſt e ſacri conſiſtorii ſcriniis notitia, deſcripſi eamque adjunxi, ut habeas quod jampridem expetiiſti. Utinam hoc ſcribendi genere me poſſis diſcipulum tuum agnoſcere, qui aſſidua tuae hiſtoriae lectione animum formare, et inde colorem ducere, ſtudui. Temperamentum in rerum Scoticarum narratione prudenter ſane ſervaſti, dum calamum ab omni inſectatione continueris. Rex tamen noſter, Buchanano infenſiſſimus, Moravium noxae maxime damnat, ut maternae calamitatis fontem et fundum, idque a ſecretorum eo aevo participibus edoctus, ut fertur ; auctorque eſt, ut inaudio, cuidam ut matris vitam deſcribat, quam tamen editurum haud facile credo. Tua fides in hiſtoria tantum abeſt ut apud noſtrates defenſione egeat, ut in hoc religionis diſſidio, uti ſincere candidam, admirentur et exoſculentur omnes ; tuaque gravitas jejunas quorumcunque infringat calumnias et infames injurias. Perge igitur porro quo coepiſti pede, ut fidem cum integritate conjunctam et praeſentes et poſteri laudent. Quo minus in parte ſecunda me tam officioſum quam in prima fuerim experiaris, antevertit tua diligentia, qui certam rerum noſtrarum tibi comparaſti ſcientiam. Haec tamen parvula et levicula quae in propriis noſtratium nominibus ſubrepſerunt, ſi operae pretium videbitur, emendes. Vale, vir clariſſime, et ſalve a Camdeno tuo, quem laudis tuae fautorem amiciſſimum ſemper cognoſces. Londini 22 Novemb. 1607.

Camdeni quae ſequuntur emendationes ad Tomum primum Hiſtoriarum Thuani a Patiſſonio in Folio impreſſum ſpectant.

Edit. Patiſſon.	Ed. Lond. Tom. I.	
p. 6.	p. 12.	Lege *Stephanus Bloeſenſis ex Adela ejus filia natus regnum tenuit.* Omittatur linea ſubſequenti, *ex eoque matrimonio ſuſceptus Stephanus patri in regno ſucceſſit.* Unus tantum Stephanus in Anglia regnavit, cujus ſic ſe habet genealogia :

Gulielmus Nothus, rex Angliae, dux Normanniae.

Robertus.	Guliel. Rufus rex Angliae.	Henricus I. rex Angliae.	Adela filia quarta nupſit Stephano comiti Bloeſenſi.
			Stephanus filius junior, rex Angliae.

		Godofredo Plantagenetae. *Gaufredo* vel *Gaufrido* malim. Godofredus ſive Godifredus, et Gaufridus, diſtincta ſunt nomina ; ut Geoffroy de Bretagne, Godefroy de Bouillon.
		Gloceſtria et *Lancaſtria* ſunt vera nomina, et ubique reponenda pro *Cloceſtria* et *Lanclaſtria.*
	13.	Pro *Olai Teuderi* lege *Oweni Theodori* vel *Teuderi.*
18.	30.	Lege *Eboraci archiepiſcopus et Wintoniae epiſcopus* (Wintonia non eſt archiepiſcopatus) *Wolſaeus* ubique pro *Volſaeus.*
	31.	Lege *Thoma Howardo :* hoc verum hujus familiae nomen, non *Hauartus.*
		Lege *Willielmo Warhamo* pro *Varano.*
30.	47.	Pro *a Sorello Norfolcii filio*, lege *a Surreiae comite ducis Norfolciae filio.*
		Plimmuſium emenda *Portſmouthum.*
32.	51.	*Hibernica* proculdubio non eſt linguae Teutonicae dialectus.
138.	193.	Pro *Joanne Ollifortio*, repone *Jacobo Wilfordio.*
139.	194.	Pro *Jo. Camdenus* reponendum *Guil.*
146.	206.	Pro *Treſſamo*, *Treſhamo* ; et *Devoniam* pro *Devoviam.*

Edit. Patiſſon.	Ed. Lond. Tom. I.	
147.	207.	*Warwicenſi* pro *Berwicenſi* ubique. Nullus fuit in Anglia comes titulo Berwicenſis: Berwicum eſt in collimitio Scotiae, Warwicum in meditullio Angliae.
157.	218.	*Bedfordienſis* pro *Betefordienſis.*
330.	438.	*Janam* nomina, non *Joannam*; et ſic paginis ſequentibus.
	439.	*Tho. Cranmerus*, non *Crammerus.*
331.		Pro *Maria tunc in Exeenſi provincia Eduarhenae*, 24 *a Londino*, repone *in Hertfordenſi provincia Hunſdoniae* 20 *a Londino.*
333.	440.	Pro *Norantoniae*, &c. *Northamptoniae* et *Huntingdoniae.*
	441.	Pro G. *Arondelius*, *Henricus Arondelius.*
335.	443.	Pro *Arium Gatti fratrem*, lege *Henricum.*
336.	444.	Pro *Ricomontium*, *Richmondiam*; et ſic ubique.
	445.	Licet Andreas Dudleius et Henricus Gatti frater damnati fuerint cum ceteris, tamen non ſupplicio affecti, ſed anno 1555 a carcere liberati ſuperfuerunt: Henricus quidem Gates (nam hoc verum nomen) ad annum 1580; qui, ut ex ipſo audivi, nocte poſtquam damnatus fuerit proxima incanuit. Emendandus igitur ille locus et ſubſequens, *eadem poena Gatti fratres affecti.*
337.	446.	*Salopienſi* vel *Shrewsburienſi comite*, pro *Sarisberienſi.*
		Vir primarius Dimockus pro *Demorius.* Addendum, ſi placet, *qui hereditario jure honorarius eſt regum Angliae miles et pugil.*
338.	447.	*Ex Henrici* VII *ſorore progenitus* delendum, et ſubſtituendum, *Quippe ex filia Georgii ducis Clarentiae, fratris regis Edwardi* IV, *progenitus.*
339.	449.	Pro *Petrus Carrus*, *Petrus Carewus*; et poſtea *Carewus* pro *Carrus.* *Wiatus* pro *Viatus* ubique.
	450.	LXXX *plus minus*, pro CC *amplius.*
342.	452.	*Obviam proceſſere*, (omittantur nomina quae nobis pleraque monſtroſa) *nobiliſſimi quique comites et barones, et viri primarii.*
343.	454.	*Doveram*, non *Donaveram.*
		Pro *Montis-acuti regulo*, malim *vicecomite Montis-acuti*; et ſic ubique.
		Salopienſem vel *Shrewsburienſem comitem* pro *Sarisberienſem*; quem titulum nullus in Anglia tunc temporis geſſit.
441.	577.	Pro *Frogemartus*, *Throgmortonus.* Nec Joannes Checus, nec Petrus Carew cremati fuerunt, ſed uterque cuſtodia liberatus. Checus obiit 1557: Petrus Carew 1575 in Hibernia. Deleatur igitur, *ubi itidem ſimul ad palum alligati ob religionem cremantur.* Ibidem *Watſonus*, non *Valſonus.*
495.	647.	*Teviotae Montis* emendandum *Cheviotae Montis.*
574.	752.	De illo veriſſimo reginae Elizabethae elogio, Thuano Dii bene faxint.

Quae ſequuntur Camdeni itidem emendationes ad Tomum tertium Thuani Hiſtoriarum Drouartianae editionis in 8vo. ſpectant.

Ed. Drouart. 8° Tom. III.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 452.	300.	Pro *Dormezaeus*, lege *Dormerus.*
566.	352.	Lege *Leightonus* pro *Laigtho*; et ſic ubique.
569.	353.	Pro *Pellumus*, *Pelhamus*; et ſic ubique.
571.	354.	Pro *Trocmartono*, *Throcmortono*; et ſic ubique.
667.	419.	Pro *Darlaeo Matthaeo*, &c. lege *Matthaeo Stuarto Leviniae comite et Henrico Darlaeo filio.*
672.	422.	Pro *Gilepſio*, *Gileſpico.*
841.	495.	Pro *Georgius*, *Gorgeus.*
		Pro *Cambernonus*, &c. *Champernounus*, *Butſhidus*, *Cottonus*, *Grenvillus.*
955.	551.	Pro *Dungnanonus*, *Dungannonus.*

Hae denique quae ſequuntur ejuſdem Camdeni emendationes ad Tomum quartum editionis Drouartianae in 8vo. ſpectant.

Edit. Drouart. 8° Tom. IV.		
75.	584.	Pro *Edvardo Norreio*, lege *Henrico Norriſio.*

Ed. Drouart. 8° Tom. IV.	Ed. Lond. Tom. II.	
467.	762.	Pro *Hauartus*, *Howardus*; et ſic ubique.
468.	763.	Dele *proxima cognatione cum utriſque conjunctus.*
		Pro *Norantoniae*, *Northamptoniae.*
		Pro *Sariſburienſis*, *Shrewsburienſis*; et ſic ubique.
469.	763.	Pro *Henrici Semeri*, *Edvardi Seimori*: bis.
		Pro *Nortombria* lege *Northumbria.*
471.	764.	Pro *Sariſburienſem et Huntingtoniae*, lege *Shrewsburienſem et Huntingdoniae.*
		Pro *Knavelium*, bis, lege *Knollium.*
		Pro *Norſucham*, *Nonſucham.*
472.	764.	Lege *Arundelii aedes et mox Wiltonam comitis Penbrochiae habitationem.*
		Lege item *Carolus Nevillus Weſtmorlandiae comes.*
474.	765.	Pro *Veſtumbriae*, lege *Weſtmorlandiae.*
475.		Pro *Nortuicae* lege *Norwici*; et pro *fiſci patrono*, lege *procuratore regio.*
475.	765.	Pro *Fiſerus*, *Fiſherus.*
	Ed. Lond. Tom. III.	
818.	84.	Pro *Sontamptoni*, lege *Southamptoni.*
		Pro *Coblami*, *Cobhami.*
819.	86.	Ita legendum, *Talbotus Shrewsburienſis, qui eo die Angliae ſeneſchallus judicio praeeſſet, Cantii, Worceſtriae, Suſſexiae, Huntingdoniae, Warwici, Bedfordiae, Penbrochiae, Leiceſtriae, Hertfordiae comites, Herefordiae vicecomes, maris praefectus*, &c.
820.	86.	Pro *Caudiſſaei*, *Bonneſteri*, lege *Candiſhi*, *Baniſteri.*
822.	87.	Pro *praeſes*, lege *ſeneſchallus.*
		Dele *Tiburnas furcas*, et repone *ſupplicii locum.*
823.	88.	Pro *furcas Tiburnas*, lege *collem juxta turrim.*

Quia monere et moneri verae ſunt amicitiae, lege quaeſo de additamento quod 453 pag. Tomi primi Ed. Drouart. in 8vo. [Ed. Lond. Tom. I. p. 219.] adjungi velis de lapide ex India ſtupendo, quid Fernelius Lib. II. C. 17. fere ſub finem, de abditis rerum cauſis [1] ſcripſit; ut videas quam pronus ſit lapſus ubi rei falſae gravis auctor extiterit. Ego vero aliud agens in locum incidi.

Ex Sylloge Camd. et illuſtr. Viror. Epiſt. a Thoma Smitho edit. Lond. 4to. p. 97.

Viro doctiſſimo Gul. Camdeno Jac. Aug. Thuanus S. D.

HAS per manus D. Bongarſii accipies, viri mihi amiciſſimi, cujus nec opinata ad vos profectio effecit, ut in reſpondendo ad tuas Novembri praeterito datas ſim brevior. Eae mihi ſerius redditae fuerunt, quod excuſationis loco dico, ſi citius ad te non ſcripſerim. Ago gratias pro animadverſionibus in noſtras hiſtorias ad me miſſis, quae fidem faciunt, te legendis iis tempus impendere, inter tot meliores occupationes, minime grave duxiſſe. Quod ad locum de lapide Indico attinet, amice facis, qui me de eo tam clementer admonuiſti; et in bonam partem ſemper accipiam, quicquid a te hujuſmodi proficiſcetur. Id jam ex eo ipſo Fernelii loco, quem innuis, animadverteram, ut ex editione tertia primae partis ante annum publicata tibi conſtare poterit, in qua totum hoc omiſſum eſt: poſtea reſcivi, literas, ex quibus narrationem illam deſumpſeram, a Pipino Fernelii ipſius archiatri tunc regii ſuggeſtione in caſtris ad Bononiam ſcriptas, ut Mizaldo, qui *de occultis naturae miraculis*, collecta ex fama et rumuſculis undique materia, incautius, ut ipſi videbatur, ſcripturiebat, per eas imponeret: quod tamen exitu caruit; nam Mizaldus in compluſculis ea de re tractatibus nihil tale ſcriptis mandavit. Ad *tuam Britanniam* venio, opus omni mea praedicatione majus, in quo fidem, diligentiam, judicium, et candorem ſimul licet admirari, quantum in nullo alio, qui ſimile opus aggreſſus ſit. In Hibernicis jam multum profeci, et porro me profecturum ſentio, ſi quando noviſſima noſtra edentur; quod per horum temporum, hoc eſt, hominum, qui nunc ubique rerum potiuntur, iniquitatem, vix ſpero. Utinam quae veſtra ſunt, et ad univerſam Britanniam ſpectant, pari compendio et ſimplicitate ſcripſiſſes. Sic enim factum eſſet, ut temperamentum, quod in Scoticis a me quidam fortaſſe ſunt deſideraturi, tuis veſtigiis inſiſtens, facilius ſecutus eſſem, et in veſtratium magnatum offenſionem, quam vitatam cupiebam, non incurriſſem. Sed cum neminem

[1] *p. 124. Ed. Par. apud Andr. Wechel. 1567. folio.*

nem haberem praeter Buchananum, neceſſe mihi omnino fuit ſeriem illius tragicae narrationis, per alios, eoſque religioni Proteſtantium minime addictos, antea adprobatae, petere, ceterum omni inſectatione omiſſa: quanquam valde vereor, ne vel ſola ac nuda mentione tam indignae caedis ii exacerbentur, qui adeo Buchanano infeſti ſunt. Ceterum ita ſibi potentiores perſuadere debent, ſi omnia ſibi licere putant, licere quoque omnibus de ipſorum dictis factiſque libere loqui et ſcribere. Et vere generoſe Maximilianus II imperator; cui cum literae Lazari Schuendii et Joannis Cratonis, qui in ejus comitatu in ſumma auctoritate erant, ab Auguſto Saxone ſeptemviro interceptae oſtenderentur, quibus illi mira libertate de ipſius moribus ac totius aulae Caeſareae ingenio loquebantur, penſitatis diu illis hoc unum reſpondit, *Ut vivimus, ita de nobis praeſens ac futura aetas ſentit ac loquitur.* Nimirum dura eſt provincia, quam ſibi hiſtoriam ſcripturus imponit, ſi fide incorrupta officio defungi cupit; quippe qui lege hiſtoriae obligetur, non ſolum ut nihil falſi dicat, ſed etiam ut verum audeat dicere. Verum haec miſſa facio, quae tute ſcis ipſe melius; et iterum pro miſſo ad me tam egregio munere gratias ago. Nova editio noſtrarum Hiſtoriarum ſub praelo eſt, cui XXIII libri accedent, ut omnino XXC efficiantur. Reliqui XLV, qui ſuperant, alia tempora, alios mores poſtulant. Vale, et me, quod facis, ama, et, cum otium erit, reſcribe. Lutetiae Pariſiorum Eid. April. CIƆ IƆC VIII. ſtylo novo.

Ex Sylloge Epiſtolarum Iſ. Caſauboni, &c. Roterodami 1709. *folio, p.* 608.

N. N. Iſ. Caſaubonus.

Illuſtriſſime et reverendiſſime Domine,

QUUM poſt longam expectationem veniſſet tandem Lutetiam vir nobiliſſimus et generoſiſſimus, D. Wotton, legatus ad regem Chriſtianiſſimum extra ordinem, memor promiſſionis, qua fidem meam apud tuam dignitatem obſtrinxeram, id ſtatim egi, ut in comitatum ipſius recipi et hac occaſione uti poſſem, ad nobiliſſimum hoc regnum, quod perdiu optabam, luſtrandum. Neque vero difficile mihi fuit a domino legato, quod cupiebam, impetrare; plus enim multo quam petebam ab ejus humanitate ultro mihi eſt conceſſum; adeo quidem ut praedicandis tanti viri meritis erga me nunquam ipſe mihi videar poſſe ſatisfacere. Erat in ejus comitatu dominus doctor Charier, cujus etiam toto itinere plurima in me extiterunt officia. Is, poſtquam eſt ventum Cantuariam, domino legato iter Londinum abrumpente, in ſuam me domum deduxit, et veluti injecta manu apud ſe manere tantiſper compulit, dum ipſe iter iſtuc inſtitueret. — Quum praeſertim propoſiti mei ſit ſumma, ſereniſſimum ſapientiſſimumque regem, quem tot jam annos apud me et miror et revereor, ſalutare, meumque humile obſequium ipſius majeſtati offerre; proximum votum meum eſt tuam reverentiam et ſublimem dignitatem, illuſtriſſime domine, videre poſſe, et praeſens venerari. Cantuariae, a. d. VI Kal. Nov. ſtylo veteri 1610.

Ex Sylloge Epiſtolarum Iſ. Caſauboni. Roterodami 1709, *folio, p.* 362.

Jac. Aug. Thuano Iſ. Caſaubonus.

FELICITATEM itineris mei terreſtris et periculum in mari ex uxoris meae ſermonibus puto te cognoviſſe, praeſes illuſtriſſime: fuit ſane et illa magna et hoc maximum. Per horas quatuor et viginti inter Caletum et Doveram, ſive ea Dovoernia eſt, ſumus jactati; et quamvis naufragium plane non fecimus, (Deus enim adfuit qui nos ſervavit) navem tamen ad extremum, ex parte ſaltem, fregimus. Equidem licet domi ſedens univerſa hac moleſtia poteram carere, quia tamen regis tanti conſpectu, tam diu mihi optato, aliter frui non poteram, haud muto factum; neque me conſilii poenitet. Vidi enim tandem et praeſens veneratus ſum ſereniſſimum ϗ γαληνότατον ὄντως regem illum, cujus de laudibus quicquid dixero minus erit. Eſt ita comparatum natura, ut de magnis principibus multa fingat fama, et, ſi quae illis inſunt bona, veris falſa affingens in majus extollat: ego vero Magnae Britanniae regem ut veni, ut vidi, et de rebus diverſis diſſerentem audivi, majorem fama ſua inveni, et quotidie magis magiſque invenio. Crede mihi, ampliſſime Thuane, nihil hodie ſol videt hoc principe humanius, nihil benignius, nihil literarum et omnis virtutis amantius. Adde eruditionem, quae vel in privato homine ad verae laudis adeptionem poterat ſufficere; in rege autem tanto, hiſce praeſertim temporibus, magni, ſi quid judico, inſtar miraculi queat cenſeri. Quid nunc commemorem ingens illud ſtudium veri in omni re, et amorem omnium qui eodem ſtudio ducuntur? Quae quidem res ita tibi, praeſes illuſtriſſime, principem φιλαληθέστατον conciliavit, ut nulla de re mecum ſit frequentius adhuc locutus quam de te et tuis hiſtoriis; de quibus ſi pari candore Romanenſes judicarent, nihil opus fuiſſet aureo illo carmine ad caſtigandam malorum Ariſtarchorum cenſuram. At rex te amat, te unum in eo genere ſcriptionis probat, et ſolum regnare cum paucis veterum affirmat. Quid multa? audivi non ſemel dicentem, multis ſe Thuanum anteponere Tacitis. — Londini, a. d. XV Kal. Dec. 1610.

Ex

Ex Sylloge Epiſt. Iſ. Caſauboni, Roterod. 1709. in folio, p. 363.

Iſaacus Caſaubonus Joanni Caſaubono, filio.

Ego apud regem ſum, qui me, ſi fas dicere, in deliciis habet; qui omnia prolixe pollicetur; qui primum advenienti duplum ſtipendium obtulit ejus quod habeo Lutetiae, cum certa ſpe fore, ut liberalitatem ejus ſaepe experiar: non enim leviter illi cordi ſumus. — Lond. xv Kal. Dec. 1610.

Ex Sylloge Epiſt. Iſ. Caſauboni, edit. Roterod. p. 364.

Jacobo, Magnae Britanniae regi.

Sereniſſime, potentiſſime Rex,

Accepi hodie literas e Gallia, juſſu reginae ad me ſcriptas, plane quales optabam. Fit enim mihi poteſtas tuo in regno manendi, et ſereniſſimae majeſtati tuae inſerviendi: quin hoc regina prudentiſſima voluit additum, eo me ſibi fore in poſterum acceptiorem, quo diligentius id operam dedero, ut meum humile ſervitium charo ſuo fratri (ſic enim eſt ſcriptum) gratum accidat. O ſalve igitur, mi rex, mi Moecenas, mi here! Patietur enim, ſpero, immenſa illa clementia bonitaſque tua, ut ego jam majeſtatem tuam non ut advena et peregrinus ſalutem, ſed vero ut αὐτόχθων ſubditus, et ſervus domeſticus. —— Meae nunc ſunt partes in eam curam dies noctesque incumbere, ut ejus otii, quod beneficio majeſtatis tuae me ſpero conſecuturum, eidem poſſim rationem reddere; quod praeſtare ac ne conari quidem potero, quamdiu mea carebo bibliotheca. Oro ſupplex majeſtatem tuam, ut de futuro meo ſtatu ſemel velit ſtatuere: geſtit enim mihi dudum animus, effectum jampridem opus, et longis vigiliis elaboratum, primo quidem die publicare; futurum, propitio Numine, tuae ſingularis erga me benignitatis et liberalitatis apud omnes Europae nationes, abſit verbo invidia, vocalem praeconem. —— Londini, pridie Kal. Dec. 1610.

Tuae ſereniſſimae majeſtatis, &c.

Is. Casaubonus.

Ex Sylloge Epiſt. Iſ. Caſauboni ed. Rot. p. 372.

Jac. Aug. Thuano Iſ. Caſaubonus.

Quas ad me nuper ſcripſiſti, praeſes ampliſſime, eas ego ſereniſſimo potentiſſimoque regi oſtendi, et majeſtati ipſius legendas exhibui. Cupiebam jamdudum mirifice ex ipſis literis tuis poſſe majeſtatem ipſius cognoſcere, quo tu animo erga ipſum eſſes; qua obſervantia, qua veneratione, excellentiſſimas ejus virtutes et literarum doctrinarumque omnium notitiam proſequeris ac coleres. Atque hoc ego, quia compertiſſimum exploratiſſimumque habebam, non dubitavi, poſtquam veni in hanc aulam, quoties tui acciderat mentio, clementiſſimo regi omni aſſeveratione confirmare, neminem hodie mortalium vivere, qui aut ſentiat de ipſius majeſtate magnificentius aut ejus laudes libentius uſurpet, quam ſolitus ſis ipſe facere. Itaque tua illa epiſtola, qua hoc ipſum conſtantiſſime aſſerebas, et tuis verbis ſereniſſimae regis majeſtati confirmari petebas, nihil ipſo tempore opportunius aut mihi gratius poterat contingere. Placuit regi, veritatis amantiſſimo, tuus ille, quem iis literis abunde teſtaris, ejuſdem veritatis amor. Placuit candor, quem profiteris, cum ſcribis, te ſi quid male doctus narraſti ſecius, ubi melius doctus fueris, mutare et corrigere paratum eſſe. Facis, praeſes ampliſſime, quod te dignum eſt, hoc eſt, eo viro qui profeſſionem veri, cum in cetera vita, tum in Hiſtoria ſcribenda vel maxime, rebus omnibus ſemper duxit antiquiorem. Enimvero cum ita ſis ipſe animatus, iniquiſſimo fert animo rex, alioquin aequiſſimus, te in opere contexendo a certis hominibus deceptum, et extra veri regionem longe abductum, de glorioſiſſimi nominis regina, ſemper veneranda ſibi parente, ea perſaepe in literas retuliſſe, et quidem accurata diligentia κατὰ λεπτὸν commemoraſſe, quae ſcit ejus majeſtas, et ſcit certiſſime, ſalſa eſſe, atque ab illis excogitata, quos univerſa novit Scotia perduelli animo erga τὴν μακαρίτιν fuiſſe, illi dum vixit quibus poterant cumque modis et rationibus incommodaſſe, ac tandem conſilia omnia ſua, ſtudia, induſtriam, operam ad miſerandae bonis reginae perniciem retuliſſe. Poſtea enim quam ſemel in factiones Scotia fuit diviſa, dictu incredibile eſt, et memoratu horribile, quo furore pars ſereniſſimae reginae contraria in ipſam et eos qui illi adhaerebant ſit graſſata: οὐ γὰρ μικροῖς αὐλίσκοις, ἀλλ' ὅλαις μανίαις eſt inſanitum. Quid verbis opus? Reperti ſunt in illa διχοστασίᾳ qui regii nominis

minis majeſtatem in ordinem cogere, qui dictis, ſcriptis, factis, reginae ſereniſſimae, meliori certe fortuna digniſſimae, res, famam, nomen, poſtremo vitam appetere, laedere, opprimere, pietatis officium eſſe ducerent. Solet ſereniſſimus rex, cui cognomen OPTIMI ſui mores jure vindicant, de immanitate illorum temporum et rerum omnium confuſione multa narrare et mira. Nos plura et magis mira ab integerrimis viris ſaepe audivimus, qui reformationem tum in Scotia inſtitutam cetera probantes, factioſorum ἄγη ſine horrore commemorare non queunt. Georgium Buchananum, virum inſignem literarum laude, ſed meliorem profecto poëtam quam ſubditum, factioſis conſenſiſſe, et de regina benigniſſima, hera ſua, atque ipſo regio nomine peſſime fuiſſe meritum, nemo poteſt ignorare qui ſcripta hominis non ignoret. Unicus de regno Scotiae liber habitum animi illius palam facit. Quis civis bonus, quis ſubditus fidelis, quis regii nominis amans, ſine odio et exſecratione diſſertationem illam legit? Contendunt hodie boni omnes, et vere pieque contendunt, tot in varios principes noſtra memoria admiſſorum parricidiorum auctores cenſeri debere non magis illos qui manum nefariam ſceleri nefario admovent, quam illos qui pravae doctrinae traditione animos facinoroſis addunt, et ſpecie quadam ψευδωνύμῳ juſtitiae mentes eorum confirmant. Quid igitur de Buchanano et de Scotis aliquot aliis dicemus, qui diſerte verbiſque expreſſis, (horreſco referens!) legitimos reges, quos ipſi tyrannos appellant, vel publico ſupplicio afficiendos pronunciant, vel privati cujuſvis manu eſſe occidendos? Porro huncce animi habitum ad ſcriptionem hiſtoriae ſuae Buchananum attuliſſe, et queritur rex, et ipſa res arguit. Ut mirari non debeas, majeſtatem ejus ferre non poſſe, quod in reginae matris rebus exponendis Buchananum tanto ſtudio ſis ſecutus, et malevoli hominis maledicta calamo digna cenſueris. Neque vero eſt quod exiſtimes, praeſes ampliſſime, id poſcere a te regem, ut in ſuam gratiam vel tranſverſum, quod aiunt, digitum a vero diſcedas: hoc poſcit et ſuo jure exigit ab omnibus rerum ſcriptoribus, ne falſae narrationes, a perfidis ſubditis immani auſu concinnatae, pro veris criminibus poſteritati obtrudantur. Jam ſi quid paulo liberius aut etiam licentius a principibus fuerit admiſſum, quod ſcire poſteros nihil eorum interſit, proferri id in publicum et ad memoriam poſterorum tranſmitti, nulla, opinor, hiſtoriae lex jubet. Non haec ἀλήθεια profecto eſt, ſed hominum odio flagrantium mera et certa κακοήθεια. Cujus vitii ſi quis nobile quaerat exemplum, legat quae vel Buchananus vel alii quidam male-feriati ſcriptores de eadem nobiliſſima regina ſceleſte literis mandarunt. --Cur vero in ſummorum principum rebus explicandis moderationi non ſit locus? Humanum eſt, aiunt, peccare: atqui reges et principes non ſolum homines ſunt, ſed etiam homines in terris ἀνθρωπεύοντες, cum irritamentis peccandi luctantes aſſidue; quo in certamine ſi aut propriae naturae infirmitate aut ſuorum familiarium culpa ſaepius vincantur, miſerari vicem eorum fideles ſubditos, non autem cupide calumniari, aequum, niſi fallor, eſt juſtumque. Non enim de illis principum peccatis loquor, quae publicari gloriae Dei interſit, aut conſcientiae ſcribentis. At non ea mens factioſis Scotis fuit, qui nihil cum praetermittant eorum quae ad gloriam dominae ſuae obnubilandam putant pertinere, quaecunque laude digna ab ea principe ſunt geſta improbo ſilentio oblivioni tradunt. Nam quis iſtorum felicem aliquot annorum regni adminiſtrationem, poſtquam regina e Gallia redierat, commemorat? quis eo nomine ipſam laudat? Ut igitur tot calumniis ſemel reſpondeatur, aut potius quo memoria earum ex animis hominum deleatur, viſum eſt regi piiſſimo faciendum, ut accuratam, certam, et veriſſimam hiſtoriam rerum illarum curaret componendam et ad te mittendam. Sperat enim majeſtas illius, non invitum facturum te, ut vera falſis ſecernas, certa incertis, mendaciis διελεῖν τὴν ἀλήθειαν. Sperat hoc, inquam, de te rex ſereniſſimus, atque adeo ut id facias a te contendit. Eſt in hac urbe nobilis eques, homo pereruditus rerum vetuſtarum, et omnis hiſtoriae, ſive priſcae ſive recentis, ſtudioſiſſimus; qui ex ipſis monumentis publicis et epiſtolis duarum reginarum Angliae et Scotiae veram eorum quae geſta ſunt hiſtoriam didicit; et jam regis juſſu eandem componit, digeritque in ordinem. Rex ipſe, quo nemo eſt hodie callentior iſtarum rerum, ſingula recenſet, atque ad exactiſſimam veritatis trutinam exigit, miſſurus ſtatim ad te, ut veram narrationem tuae Hiſtoriae inſeras, falſam et calumniarum plenam rejicias. Neque autem verendum tibi eſt, ne propterea levitatis ullam apud bonos ſuſpicionem incurras. Laudabunt quinimo aequi et docti judices omnes, quod, ubi veritas primum affulſit, καὶ τὰ ἴδια ἀναιρεῖν, quod philoſophus ait, non ſis cunctatus. Exiſtimat rex ſereniſſimus, e re futurum, ſi cum novam narrationem publicabis, lectorem feceris certiorem, quos olim, quos nunc, fueris ſecutus auctores. Non erit longa promiſſorum ὑπομνημάτων expectatio; neque differeris ultra paucos a Paſchali ſolemnitate dies: ſerio enim et ſedulo rex eam curat curam. Vale, praeſes illuſtriſſime, Hiſtoriae recentis pater unice. Londini, a. d. v Kal. Mart. 1611.

Ex MS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

Illustrissime vir. Deaſti me nuper, cum binas ad me dediſti conſilio prudentiſſimo: recte enim conjeciſti unas illarum regi ſereniſſimo me fore oſtenſurum. Quare peto a te ut ne graveris ſuſcipere hunc laborem, ſi quid erit quod ad me velis. Ego quae juſſu regis ſum ſcripturus, ſemper illi oſtendam. Volo enim et debeo majeſtati illius fidem meam probare. Accidit vero magno cum dolore meo, ut rex ſereniſſimus, dum tuam relegit Hiſtoriam, graviſſime commoveretur quod Buchananum eſſes per omnia ſecutus; quem virum et rex affirmat, et omnes aſſeverant Scoti qui norunt, ex leviſſima et prope providenda cauſa in ſuam heram odium ſceleſtum concepiſſe. Neque te fugit vetitam tota Scotia ejus Hiſtoriae lectionem. Indignatur igitur rex, te gravitatis tantae virum et φιλαληθεστάτου fidem Buchanani non habuiſſe ſuſpectam. Ego narravi ſaepe ejus majeſtati, quam multos omnis generis Scotos ſuper iis rebus in conſilium adhibuiſſes. Verum perfidiae omnes rex accuſat, et ſuae gentis infeſtiſſimos fuiſſe hoſtcs non dubitat.

Quis hanc optimi principis στοργὴν in miſerandam parentem non exoſculetur? Ego vix tempero a lachrimis cum venit in mentem nobiliſſimam reginam hunc exitum habuiſſe, ut ex paucorum libidine falſo ſub crimine caderet, et cervices carnifici praeberet. Nam piae memoriae regina Elizabetha factum conſtanter abominata eſt. Et tamen, quaſi parum iſta commovere benigniſſimum regem poſſent, non defuerunt qui arte eum aggrederentur. Dixerunt iniquam eſſe rem et parum ejus majeſtati honeſtam, quod Romae quaſi in honorem matris ipſius tua Hiſtoria fuiſſet cenſurae ſubjecta; hic vero in filii regno impune volitaret per omnium manus. Hoc ego accepi ex ore venerabilis epiſcopi domini Londinenſis, qui, tui cum ſit ſtudioſiſſimus, artem ſtatim ſubolfecit, et dixit mihi, *hoc ſcilicet boni viri, ſanctiſſimi illi patres, curant!* Poſtquam eas literas legeris, quas juſſu regis planeque ex ejus verbis ad te ſcripſi, facile erit tibi quid ſit opus facto ſtatuere.

De meis rebus, quas tibi, praeſes ampliſſime, gratias agam neſcio: ago certe quantas poſſum et animo concipere et verbis exprimere maximas; quanquam equidem ſic ſum a multis annis perſuaſus, nihil eſſe tantum quod mea cauſa non facile praeſtares. Quod igitur in reculas iſtic noſtras et reginae beneficia nondum ſit involatum, tibi uni et illuſtriſſimo cardinali Perronio fero acceptum. Teſtis mihi conſcientia mea apud Deum eo animo me iſthinc profectum, ut qui intra menſem alterum eſſem rediturus. Avebam enim mirifice eccleſiae hujus formam cognoſcere ἐξ αὐτοψίας, et cum doctiſſimis viris qui ſacra hic adminiſtrant conferre. Me vero nunquam poenitebit hujus conſilii. Inveni vires maximos doctrina, pietate, et amore concordiae. Cum his plurimum vivo, et piis cogitationibus animum multis nominibus languentem reficio. Hic mihi licet ſtudium priſcae veritatis profiteri: hic mihi licet eorum amentiam deteſtari, qui in cauſa religionis id ſolum probant, quod a S. Patrum inſtitutis abhorreat. Hic mihi licet eorum furorem impium abominari, qui tyrannidem in eccleſia Dei exercent diriſſimam. Iſti ſunt qui me nuper ſcriptis ſuis inſeruerunt, et ſubtili vaframento ψευδομαρτυρίας maculam nomini meo inuſſerunt. Quam ego brevi, Deo volente, ſic delebo, ut non verear tibi et bonis omnibus probatum iri libellum quem ea occaſione ſum editurus. Confido nihil in ea ſcriptione dicturum eſſe me, quod reginae animum poſſit a me abalienare. Egi cum viro prudentiſſimo et longe optimo domino de la Bauderie, ut omnibus iſthic confirmaret eſſe me et ſemper futurum in regis et reginae poteſtate: atque hoc tibi quoque, praeſes ampliſſime, cupio eſſe quam perſuaſiſſimum.

Quando tamen ita placet reginae, ut unum hic alterumve annum maneam, vehementer optarem libros hic habere meos; quo ne tempus mihi periret, quod dum libris et adverſariis meis careo prorſus pereat eſt neceſſe, juſſi Chabanaeum meum ſuper hac deliberatione tuum exquirere conſilium, atque eo uti. Erit fortaſſe conſultius uxoris reditum expectare; quae noſtra iſthic negotia de ſententia amicorum, maxime autem tua, praeſes illuſtriſſime, ſemel geſtit componere. Deus opt. max. te ſervet, et una tecum τὴν ποθεινὴν οἰκοδέσποιναν cum ſuaviſſimis pignoribus veſtris. Vale. Londini a. d. v Kalendas Martias CIↃ IↃC XI.

Tui aeternum obſervantiſſimus,

Is. Casaubonus.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

Monsieur. J'ai receu la voſtre du 24 du paſſé. Vous m'avez aiſément perſuadé de faire le contenu en icelle au contentement de S. M. car j'y eſtois fort diſpoſé. Il ne doit s'eſmouvoir ſi n'ayant autre Hiſtoire de ces triſtes & miſerables accidens, qui en perſonnes ſi illuſtres ne peuvent eſtre tenus ſecrets & cachés, que celle de celuy dont il ſe tient ſi grievement

grievement offenſé, & les autres n'en ayant parlé que confuſement, ſans expliquer les cauſes particulieres, j'ay ſuivy celuy qui les avoit plus particulariſées: en quoi s'il luy plaiſt y prendre de prés garde, il trouvera que j'ay beaucoup, & tant que j'ay pû, adoucy les choſes, & remis à la foy de celuy duquel je les empruntois, les plus grieves. Je ſuis auſſi bien aiſe que vous ſoyez ſouvenu de luy repreſenter, qu'en la grandeur terrible de ces accidens, me trouvant perplex, j'ay communiqué & pris le conſeil d'aucuns Ecoſſois anciens qui s'eſtoient trouvez en ces entrefaites, meſmement des Catholiques, eſtimant leur foy en ce ſubject moins ſuſpecte.

MONSIEUR. J'ai receu la voſtre du 9 du paſſé, par laquelle vous faites reſponſe à trois de mes precedentes. Je vous remercie de l'office que m'avez rendu envers M. Cotton. Ce que je deſire de luy, eſt qu'il luy plaiſe m'envoyer le reſte qu'il a fait de la Continuation de l'Hiſtoire de la feuë Royne Eliſabeth; car il m'en a ja envoyé juſques à l'an
Je luy demande la meſme grace pour le ſurplus: car je defere beaucoup à ce qui vient de luy, & ay deſja fait grandement mon profit, en revoyant mes Hiſtoires, de ce qu'il m'a envoyé. Je luy eſcriray à la premiere commodité; mais j'ay ſi peu de loiſir & ſi interrompu qu'à peine puis-je deſrober ce peu de temps pour vous eſcrire. Et qui pis eſt, ce ne ſont mes eſtudes qui m'occupent tant l'eſprit, mais affaires faſcheuſes & non agreables à mon âge, & mon naturel amateur du repos & de la franchiſe, que je ne trouve pas par tout où je ſuis. Cela ſoit dit en paſſant.

Pour M. Wotton, je vois bien que ce que je penſois puiſer dans la ſource de Veniſe, il le faudra attendre des Vaiſſeaux Anglois, l'eau en ſera plus meſlée & paravanture troublée. Je penſois eſtre ſecouru de cette part; mais je vois bien qu'il n'en faut rien eſperer. Cependant je penſe reconnoiſtre par la voſtre que vous commencez à connoiſtre les eſprits du lieu où vous vivez. Souvenez vous de feu [a] M. de la Scala, & de ce qu'il vous a eſcrit & reſcrit, & penſez à l'avenir.

M. le Chancelier m'a encore parlé de vous depuis peu de jours, & monſtré eſtre en la meſme volonté en laquelle je l'entretiens tant que je peus. Vous devez de voſtre part ne vous eſloigner tant par le temps de voſtre retour, qu'enfin le raviſement ſoit tardif.

Quant à celuy qui m'a voulu cy-devant par ſon imprudence, ou pluſtot malice, brouiller par delà, je ne ſçay qu'il peut avoir eſcrit de nouveau de moy; bien vous diray-je, que depuis ce temps-là je ne l'ay veu, ny ouï parler de luy, & ne ſçay s'il eſt en cette ville. Je m'enquerreray, & le feray avertir par M. l'Ambaſſadeur, de prendre garde à ce qu'il eſcrit, & ne faire rien mal à propos.

Pour voſtre œuvre, je ne doute que n'y apportiez la meſme moderation en eſcrivant, que vous faites en tout ce qui vient de vous; mais la choſe meſme offenſera, & y aura touſjours à redire au gré de ceux qui ſont prevenus à ce ſubjeƈt, ou par raiſon d'Eſtat, ou autrement. Vous devez touſjours teſmoigner que vous eſtes tout preſt pour revenir quand vous ſerez commandé de ce faire; & je donneray ordre cependant que vos eſtats & appointemens vous ſeront continuez. J'y veilleray comme je dois.

Vous aurez ſceu ce qui a eſté fait du livre de M. Maſtor, lequel a eſté bruſlé publiquement par la main du bourreau, par Arreſt du Parlement. C'eſt la reſponſe que meritoit ce livre ſcelerat, qui a enduré la peine deuë à ſon aucteur.

Le deuil que l'on a porté par delà de la mort du Prince de Galles, eſt venu juſques ici, au temps que nous deſplorions celle de M. le Comte de Soiſſons, en laquelle la France a fait une tres grande perte. Vouz avez auſſi ſceu l'heureuſe fin du bon homme M. le Fevre, duquel l'ame ſoit en benediction. Il vivoit en grande expectation de voſtre œuvre: maintenant il voit tranquillement ce que nous voulons ſembler chercher avec de ſi inutiles diſputes & ambitieuſes non moins qu'animeuſes contentions, c'eſt à dire, la verité.

Conſervez

[a] Joſ. Scaliger If. Caſaubono. —— *Audio te cujuſdam ſummatis literis pellectum cogitare de movendis caſtris. Cave faxis, et incerta certis anteponas. Praeterea eſſet tibi res cum gente quae* [illegible] *habet Gallos odiſſe. Denique in illis partibus eſt homo, doctus ille quidem, ſed omnium quos coelum tegit impudentiſſimus, et cui nemo adhuc doctus viſus eſt. Ne forte invidiam finibus paedagogici regni circumſcriptam putes: pedem poſuit illa furia etiam in mentibus eorum qui cum paedagogis collati aliquid ſapere videri poſſint. Non ſum vates: unum ſcio, nunquam te conſilii mei poeniturum; iſtius autem migrationis, ſi quidem eam ſuſcipis, poenitentiam ſeram fructum percepturum. Vale. Lugd. Bat. 13 Kal. Oct. Julianis,* 1603. Ex Sylloge Epiſt. Joſ. Scalig. Lugd. Bat. in 8vo. 1627. p. 241.

Conſervez moy tousjours en vos bonnes graces, & ſouvenance; & ſi vous voyez que l'on me veuille preſter quelques charitez par delà, veillez-y pour en deſtourner les premiers coups. Vous ne pouvez rendre ce bon office à perſonne qui merite moins d'eſtre traitté de cette façon, & qui vous honore plus que moy. En cet endroit je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner & à Madamoiſelle voſtre femme & toute voſtre famille en ſanté ſa grace.

Voſtre tres humble & tres
affectionné Serviteur
De Thou.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Paris ce 25 Janvier 1613.

Monsieur. J'ay receu la voſtre du premier de ce mois : vous ſemblez craindre ſur la fin, & vous en voulez excuſer, de m'eſcrire ſi familierement & ſi au long : je prendrois à injure ſi depuis le temps que nous avons connoiſſance l'un de l'autre, j'avois ſi peu profité en voſtre amitié de n'avoir acquis cette privauté avec vous, & vous ne la preniez avec moy. Quant à vos Lettres, les plus longues ſont tousjours les plus agréables, & vous ſupplie de ne vous ennuyer non plus de m'eſcrire à toutes occaſions, que vous voyez que je n'en perds aucune de vous reſcrire. Je louë Dieu qu'aprez les morts des Grands deça & delà avenuës depuis quelques mois, les choſes ſoient ſi paiſibles. Dieu veille pour la defenſe de ces deux Couronnes, auquel remettant ce qui regarde le bien public, je viens à ce qui touche le voſtre particulier.

[1] L'œuvre par vous encommencé croiſt, à ce que je vois, ſus l'enclume: auſſi eſt ce un ſubject divers & copieux, & plein de belles recherches. Le pluſtoſt que vous en pourrez mettre la premiere Partie dehors ſera le meilleur, tant pour retenir la mauvaiſe emulation, afin que je ne diſe pis, de [2] celuy qui vous veut prevenir, que faire preuve par cet eſſay du jugement public qui ſe pourra faire du reſte. Cela auſſi ſervira pour vous reſoudre pour voſtre retour: cependant, comme je vous ay eſcrit, nous ferons continuer vos appointemens pour cette année, ſur l'aſſeurance que je donne qu'à ces Paſques vous diſpoſerez vos affaires pour voſtre retour.

M. le Cardinal du Perron travaille fort à ſa Reſponſe: ſi elle ſort bien toſt, dont je doute fort, cela vous reculera; mais auſſi nous prendrons ſur ce ſubject occaſion d'excuſe, & ferons que le Cardinal interviendra à cette occaſion pour vous. Quant à M. Wotton, je vois bien qu'il ne faut rien eſperer de ceſte part. Je deſirerois fort avoir le reſte de M. Cotton, juſques au deceds de la ſereniſſime Royne Eliſabeth, & il m'obligera grandement s'il me l'envoye, comme il a fait le precedent juſques en l'an [3] 1562. Je vous ſupplie luy baiſer les mains de ma part, & à M. Camden. Nous attendons le S. Jean Chryſoſtome de [4] celuy qui parle ſi dignement du non jamais aſſez loué Scaliger. En ceſt endroit ma femme vous baiſe les mains, & à Madamoiſelle voſtre femme, & ſupplions tous deux noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

Voſtre bien humble & tres
affectionné Serviteur,
De Thou.

Ex Sylloge Camd. & illuſtr. viror. Epiſt. a Tho. Smitho edita, Lond. 4to. p. 139.

Jac. Aug. Thuanus V. C. Gul. Camdeno S. D.

Quod ſerius ad tuas reſpondeam, noli ſuccenſere. D. Caſaubonum, ut me apud te excuſaret, ſemel atque iterum per literas rogavi, occaſionem ſcilicet opperiens, qua tibi per otium pro literis amantiſſimis et ſtudio erga me tuo gratias agerem. Moleſtiam negotiorum ego natura mea ſemper averſatus ſum, neſcio quo fato, cum minus volebam, ab iis abreptus, quae me plerumque officii oblivisci, aut tardius ſive ſegnius in eo verſari, cogunt. Alacritatem illam priſtinam in perſequenda Hiſtoria noſtra, de qua laetari te dicis, multa, quae ab eo tempore inciderunt, valde imminuerunt; ſparſi de me a me meoque ingenio alieni apud vos rumores, et agitata ſuper ea re conſilia, quae benevolum antea optimi principis veſtri erga me animum non parum labefactarunt, tum quod ipſe extremis

[1] *contra Baronii Annales.* [2] *Richardus Montacutus epiſcopus Bathonienſis et Wellenſis.* [3] *rectius 1582.* [4] *H. Savilius, quem Caſaubonus dixit ſemper in ore habuiſſe de Scaligero,* praeceps grammaticus, ſtultus philoſophus, furioſus mathematicus, praeterea nihil.

tremis tuis addis. His acceſſit nunquam non mihi deplorandus viri ampliſſimi Georgii Carew immaturus obitus, cujus in amicitia cum magnum ornamentum et ad ea quae parabam non parvum ſubſidium, tum ad removendas calumnias ſummum mihi in aula veſtra praeſidium repoſitum putabam. A D. Wottono, exlegato apud Venetos veſtro, etiam adjumenti me aliquid habiturum ſperabam. Ante ſexennium meo hortatu R. P. Paulus Venetus diſſidii illius inter pontificem et ſereniſſimam rempublicam, cujus ipſe magna pars fuit, narrationem contexuerat ad me tranſmittendam; cujus quia exemplum D. Wottono Venetiis dederat, cauſatus itineris periculum, illud ut mihi communicaret, eum per literas rogaverat: quibus et meas junxeram, ſed irrito ſucceſſu: nam poſt longas protelationes D. Caſaubonus, qui ei literas reddiderat, nullum aliud ab ipſo reſponſum tulit, (nam illi ad me reſcribere non vacavit) quam ſe idem opus moliri. Quod ſi verum eſt, bene vortat; expectabimus id ab eo commune beneficium. Ad commentarios D. Cottoni quod attinet, ſcito duabus vicibus eos ad me juſſu ſereniſſimi regis miſſos, qui res veſtras pertexunt uſque ad annum praeteriti ſaeculi LXXXII: nam reliqua uſque ad exceſſum *μακαρίτιδος βασιλίσσης*, quorum is, qui mihi ultimam partem attulit, ſpem certam fecerat, quodque unice cupiebam, ad me miſſa non ſunt. In iis [illegible] praecipuam partem vindicare tunc neſciebam, et habeo gratias pro tam honorifica in ea re in me voluntate; quae utinam ſuum ſortita eſſet effectum, neque ex occaſione, quam ſcribis, mutaſſet. Interim iis uſus ſum, et pleraque in jam editis ex illis ſupplevi, multa correxi, et ad annos ſuos revocavi, ſicuti ex proxima editione apparebit; in iis quae ſuperſunt idem facturus, ſi a D. Cottono commendatione tua impetrare poſſum, ut eodem candore, quo ſuperiora, mecum illa communicare non gravetur. Auget deſiderium, quod nunc ſciam ea a te profecta eſſe, hoc eſt, fide certa et accurata diligentia ſcripta, ut ut male a librario deſcripta: quod te obſervaſſe dicis, et ego itidem notavi; ſed ita ut non auctori, quem tunc ignorabam, aut alium putabam, id imputandum exiſtimarem. Reliquum eſt, ut te iterum rogem, ut me excuſatum habeas, ſi tam tarde ad tuas reſcripſerim, tibique ſic perſuadeas, neminem humanitate tua illa obvia te demereri potuiſſe, qui tantae gratiae memoriam religioſius colat, et libentius, ſi facultas ſuppeteret, beneficium pari ſit beneficio repenſurus. Vale, dilectum caput, et me in opere ſuſcepto quantum potes juva. E Villabonio noſtro per ferias Paſchaleis rebus prolatis; A. C. CIↃ IↃC XIII.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Gul. Camdenus.*

COMMODUM interveni cum honoratiſſimus baro Carew literas daturus eſſet ad Sammarthanos fratres, quibuſcum frequens de re genealogica habet per literas commercium. Ille, qua eſt comitate, rogavit nunquid literarum et ego in Gallias darem: opportunitatem praeter ſpem oblatam avide arripui, ut, tumultuante licet calamo, te quam officioſiſſime ſalutarem, de poſtremis tuis literis et egregia tua erga me voluntate gratias agerem, et *παῤῥησίαν* cum *ἀληθείᾳ* tuam mediis tranquillam in undis tibi gratularer. De abalienato optimi regis animo, et conſiliis habitis, tunc primum quidem et moeſtus audivi. Scoto-Gallum tamen unumque et alterum Scotum, qui Buchanano infenſiores erant, in te etiam iniquiores perſenſi. Et nuperrime cum apud Cottonum egerim de tranſmittendis inchoatis illis ad te Annalibus, plane reſpondit hoc regi non viſum eſſe. Wottonum ea P. Pauli ad te non mittere miror. Illum idem argumentum moliri haud facile credo, qui totus aulicatur, et honoribus velificatur. Polonica et Suecica Georgii Carew te accepiſſe ſpero: ſcio illum deſcribenda ſepoſuiſſe, ut ad te mitteret. Vale, vir ampliſſime, et ſalve a Camdeno tuo, cujus in amicitia conſtantia fideſque tibi ſemper conſtabit. E regia Weſtmonaſterii 17 Julii 1613.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Paris ce 20 Avril 1613.

MONSIEUR. J'ay reçu la voſtre du 8 du paſſé. Vous n'aurez jamais faute de ſubject pour vous juſtement indigner, ſi une fois pour toutes vous ne vous reſolvez de genereuſement meſpriſer tous ces abboyeurs à la lune. Ce Candrol dernier ne vous doit pas plus eſmouvoir que ce Peaucier. Negligez-les, & vous appaiſerez leur rage. Ils ont ou penſent avoir gagné ſur vous ce qu'ils pretendent, quand ils vous ont moleſté, & que monſtrez en avoir ſentiment. Je louë voſtre deliberation de n'y faire reſponſe. Demeurez conſtant en voſtre reſolution.

Je laiſſe ce diſcours pour vous dire que M. le Chancelier me dit dernierement, que le temps que vous avez demandé eſt expiré, & qu'il eſtoit temps de penſer à voſtre retour. Je lui fis reſponſe que ce terme avoit eſté donné & prolongé juſques à Paſques dernieres; que depuis ce temps je n'avois reçu Lettres de vous, quoy que je ne faudrois à vous faire entendre ſa volonté. Vous adviſerez à m'eſcrire en ſorte que je luy puiſſe donner ſatisfaction ſur ce ſubject. Par meſme moyen vous me ferez ſçavoir, s'il vous plaiſt, en quel eſtat eſt voſtre œuvre, & en quel temps nous devons l'eſperer. Ce ſera la criſe de voſtre affaire. La Reſponſe de M. le Cardinal du Perron tire de long. *Manum de tabula.* Je ne ſçaurois que vous en mander.

J'ay reçu cy-devant une Lettre tres honneſte de M. Camden. Je vous avois prié de m'excuſer envers luy ſi je ne luy avois ſi toſt fait reſponſe; vous la trouverez dans ce paquet: je vous prie la luy bailler, & l'accompagner des meſmes excuſes, & toutes les honneſtes paroles que ſçaurez mieux que je ne le peux deſirer. Quant a M. Cotton, je vous ſupplie auſſy l'entretenir en cette meſme bonne volonté. Car pour [1] M. Wotton, je vois bien qu'il ne s'y faut plus attendre.

Je vous prie de m'eſcrire au pluſtoſt, & oublier tout ce qui vous faſche, & qu'induſtrieuſement l'on fait pour vous faſcher, ſans vous y arreſter davantage. En cet endroit je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

Voſtre tres humble & tres affectionné Serviteur, De Thou.

NOT. [1] *Comme ici & en pluſieurs Lettres precedentes le Chevalier Henry Wotton eſt mentionné, peu à ſon honneur: on luy doit la juſtice de repreſenter ce qu'on trouve dans les Lettres du Pere Paul touchant l'affaire en queſtion.*

Lettere di fra Paolo Sarpi al Sig. dell' Iſola Groſlot. Verona 1673. *in* 12° *p.* 500. Quanto [illegible] negotio di Monſieur di Thou, paſsò il ſucceſſo in queſta guiſa; Havendo il Padre conferito con il Signor Nani il ſuo penſiero inclinato à mandar le memorie ſue à Monſieur di Thou, come coſa anco di honore per la Republica, & dimandatogli conſiglio, riſpoſe; che non era coſa da conſigliare, mà da eſſequire; foſſe dato à lui, che ne haverebbe fatto l'ufficio.

Il Padre così fece; mà poi il Signor Nani, ò per dubio che li veniſſe in mente, ò perche la coſa propoſe in collegio, ſi deliberò ſoprafedere; onde quello non le portò, & il Padre reſtò legato di non poter far altra riſolutione. Ecco quello ch'è paſſato.

Al preſente deſidero, che Monſieur di Thou & il Signor de l'Iſle ſiano ſerviti. Ho penſato un temperamento, il quale, credo, ſarà facilè, & ſenza che il Padre reſti intereſſato.

Era in queſta Città con l'Ambaſciatore d'Inghilterra Wotton un [2] miniſtro, perſona ſingolare. Egli havendo letto le ſudette coſe, pregò il Padre di copia; in fine ſi contentò il Padre che le copiaſſe, non in Italiano come erano, mà in Ingleſe, & hebbe li ſuoi riſpetti, perche penſaſſe poter fare così & non altrimente.

Nell' allegata ſi ſcrive adeſſo miniſtro, che ne faccia parte di tutto à Monſieur di Thou. Sarà facile trovar in che terra egli habiti, informandoſi da Wotton. Credo, che Monſieur di Thou ſarà ſodisfatto, & il Padre ſenza pericolo; mà la ſcrittura è longa, non meno d'un quinterno de carta.

[2] *Ce miniſtre ou chapelain du Chev. Wotton étoit M.* Guil. Bedell.

Ibid. p. 578. Il far officio con quell'altro [3] Signore, che V. S. mi nomina, che al preſente è qui, non ſervirebbe, perche non fù egli che habbia queſta traduttione, mà un ſuo [4] miniſtro, che hora non è con lui, al quale ſe V. S. tien memoria, io ſcriſſi di queſto negocio, mandandogli la lettera.

[3] *le Chev. Wotton.*

[4] *M. Bedell, qui traduiſoit actuellement en Latin ces Memoires du Pere Paul, qu'il ne publia qu'en l'année* 1626, *ſous ce titre* Interdicti Veneti Hiſtoria; *& dans la Dedicace au Roy Charles* I. *il dit,* Hujus R. P. Pauli Commentarium de patriae ſuae ſub Paulo V pontifice temporibus, cum eſſem Venetiis, ab authore *utendum* accepi, ſed ea lege *ne transſcriberem*; nempe didicerat expertus, quid eſſet curiam Romanam irritare, ab ejus emiſſariis, ob defenſam Reipub. imo vero principum omnium libertatem, luce palam Venetiis confoſſus, et pugione in jugulum adacto tantum non confectus. Ita quamdiu ipſe fuit in vivis, cohibita eſt haec Hiſtoria. Poſtquam vero migravit ad coelites confidentius prodiit in lucem, anno ſuperiori non modo *vernacule*, ſed et *Gallice* edita; quin et nunc Latinis literis illuſtrata majeſtati tuae ſeſe offert.

Ex MS. *Jac. Aug Thuano.*

Illustrissime vir. Puto accepiſſe te quas nuper diſcedenti uxori tradidi; etſi nondum conſtat mihi quid ſit ipſa factum poſtquam a me diſceſſit. Ego, fine impoſito illi parti magni operis, quam ſum jam jam σὺν Θεῷ ἁγίῳ publicaturus, Oxonium, dum abeſt uxor, cogito; manſurus ibi volente Deo pluſculos dies. Scio cogitare illos titulis magnificis me ornare; ſed mihi, dum vivam, nullus unquam praeter proprium nomen titulus erit. Jam olim κέκρικα. Hoc iter editionem cogit me deferre: verum erit aliquod morae pretium ſpero. Mira enim praedicantur de bibliotheca Oxonienſi, quam homo privatus exſtruxit, qui in ipſum aedificium, aut libros, vel alia academiae ornamenta, impendit vivus centum millia librarum Gallicarum: nuper autem, rebus humanis renuncians, legavit academiae LXX millia librarum. Hujuſcemodi μεγαλοπρεπείας καὶ μεγαλοψυχίας exempla non pauca eduntur in hoc regno.

Camdenus ante paucos dies me inviſit, et tibi ſalutem nunciari verbis ſuis optavit. Cottonus, ut audio, pergit in ſuſcepta hiſtoria: ſed ego rariſſime vel illum vel ullum alium Anglum, praeter duos aut tres, video. Deus immortalis te ſervet, vir illuſtriſſime, et dominam conjugem tuam, et quicquid vobis charum. Londini pridie Nonas Maias 1613.

Tui obſervantiſſimus, Is. Casaubonus.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Villebon ce 11 Aouſt 1613.

Monsieur. Il y a long temps que je recherchois l'occaſion de vous eſcrire, & faire reſponſe à deux de vos Lettres d'Avril & May dernier; mais j'ay eſté indiſpoſé depuis,

puis, & Madamoiſelle voſtre femme, par les mains de laquelle j'avois reçu la premiere des voſtres, a eſté abſente & indiſpoſée elle meſme; qui a eſté cauſe que j'ay differé juſqu'à ce jour de vous eſcrire, auquel ayant trouvé la commodité de ceux qui vous rendront la preſente, ſans attendre que j'euſſe conferé avec Madamoiſelle voſtre femme, pour ſçavoir quelle reſponſe elle avoit eu de M. de Villeroy, je n'ay voulu faillir à mon devoir. Je crois qu'elle vous aura eſcrit les propos que nous euſmes enſemble à ſon arrivée, & que je vous repeteray encore par celle-cy, ne voyant point qu'il y ait lieu de changer le conſeil que je luy donnay lors, qui eſt en ſomme, que ſi vous eſtes en liberté, c'eſt à dire, qu'il vous ſoit libre de venir par deça, ſans obligation de publier voſtre livre tant attendu & redouté de part & d'autre, qu'en ce cas vous diſpoſiez de venir par deça au pluſtoſt, & obeïr à la volonté de S. M. qui vous doit rappeller, & ce ſans delayer davantage; ſi non, & que vous ſoyez obligé de publier voſtre livre, qu'au pluſtoſt vous le faſſiez mettre ſous la preſſe, & imprimé qu'il ſera, devant que revenir par deça l'envoyer incontinent, afin que ſelon la reception d'iceluy, vous & vos amis puiſſent faire jugement quelle reception vous pouvez eſperer en France aprez voſtre retour. Depuis luy avoir donné ce conſeil, pour le vous faire entendre, je n'ay rien veu ni appris, qui me doive faire changer d'avis.

Par voſtre ſeconde du mois de May, j'apprends que vous deviez aller à Oxford: je deſire ſçavoir quel a eſté le ſuccez de voſtre voyage, & ſi vous avez eſté contraint par honneur de mettre voſtre livre ſous la preſſe depuis voſtre retour d'Oxford. J'attends ſur cela de vos nouvelles, & quelle reſolution vous avez pris pour voſtre retour en France. Quand ſur ce vous m'aurez fait reſponſe, je m'aſſeureray de nouveau de ce que je vous ay cy-devant eſcrit de la part de M. le Chancelier.

Si M. Grotius eſt encore par delà, je vous ſupplie le ſaluer de ma part, & luy teſmoigner combien je l'eſtime, comme je dois. Vous me faites deſirer de voir ſes Commentaires; il ne peut les communiquer à perſonne qui les priſe plus que moy, qui ay eu tousjours tres cher tout ce qui vient de ſi bon lieu. Je vous ſupplie auſſi de faire office envers M. Cotton pour ſes Memoires, & le prier de m'aider de ce qui reſte juſques au temps qu'il a continué.

Vous faites bien de ne vous offenſer davantage du Candrol. Telles gens mal meus & pouſſez non d'eſprit de charité, mais de rancune & de vangeance, ne ſont dignes de voſtre ire. Ils feront fort trompez de leur eſperance, ſi vous monſtrez les negliger. Je ne vous eſcris ſur ce point ſans cauſe.

Tenez moy tousjours en voſtre bonne ſouvenance, & vous ſervez de moy comme de celuy qui vous eſt aſſeurement acquis. En cet endroit je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

Voſtre bien humble & tres affectionné Serviteur, De Thou.

P. S. Je ne vous eſcris rien de voſtre Lettre à M. le Cardinal du Perron; *vicit ſpem et expectationem*: il eſt aprez à y reſpondre. Il eſt bon qu'elle ne ſoit encore veuë, car tous n'en feroient egalement leur profit. Je vous en diray davantage à la premiere commodité. J'ay reçu les dix années ſuivantes & juſques en 1582 de la Vie de la Royne Eliſabeth; j'attends le reſte. Sur cela auſſi je vous eſcriray plus amplement.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Paris ce 10 Decembre 1613.

Monsieur. Je reſponds à trois des voſtres par celle-cy; la premiere du 15 d'Octobre, la ſeconde du 25 du meſme mois, & la derniere du 10 du mois paſſé. Par la premiere vous me donniez eſperance que nous pourrions voir les premieres pieces de voſtre œuvre devant que le tout fut achevé: mais vous m'oſtez cette eſperance par la ſeconde, & vous remettez à quand tout l'œuvre ſera imprimé, qui me fait deſirer infiniment que cela ſoit au pluſtoſt. Le ſujeſt eſt tel qu'il ſera difficile que vous puiſſiez plaire à tous les lecteurs, les eſprits eſtant aujourd'huy comme tous prevenus & preoccupez d'autres opinions que n'eſtoient nos Peres. C'eſt le ſiecle.

Je ſuis en peine pour l'indiſpoſition de Madamoiſelle voſtre femme, & autres faſcheries domeſtiques dont m'eſcrivez. Dieu qui regarde tousjours les ſiens, vous donnera en cela ce qui vous eſt neceſſaire. Je ſuis bien aiſe qu'ayez veu R. Sculterus: s'il eſt encore par delà, je vous ſupplie le faire ſouvenir de ce qu'il m'a promis & à vous. Cela me ſervira pour en revoyant mon Hiſtoire, y corriger & augmenter les choſes de ces pays loingtains, eſquelles je ne peux que bien ſouvent faillir, & qui m'eſt pardonnable.

M. Camden a pris la peine de corriger, voire juſques à l'orthographe, tout ce qui touche la Grande Bretagne, & les choſes de l'Irlande; & ce avec une grande humanité, dont je luy ay une grande obligation. *Non ſic* Meurſius duquel vous m'avez envoyé la Lettre avec voſtre derniere du paſſé: car à chaque ligne il m'accuſe d'ignorance, d'ineptie, d'*ἀπειροκαλία*, & telles ſemblables paroles. Il en pouvoit uſer de plus douces, & meſmement eſcrivant à vous, qu'il ſçait m'eſtre intime amy. Dieu veuille que je n'aye fait en tout mon œuvre de plus

plus grandes fautes que celles qu'il a remarqué, qui ſont la pluſpart de l'eſcriture & de l'impreſſion és noms propres, eſquels il eſt facile de faillir. Je ne laiſſeray de faire mon profit de ſes reprehenſions ; & ſi luy eſcrivez, je ſeray bien aiſe que l'invitiez à examiner le reſte, ſans faire ſemblant que j'aye trouvé un peu trop aſpres ſes corrections.

Ma femme vous baiſe les mains & à Madamoiſelle voſtre femme, & en cet endroit je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner à tous deux & à toute voſtre famille en ſanté ſa grace.

Voſtre bien humble & tres affectionné Serviteur, De Thou.

P S. Si vous voyez par occaſion M. Cotton, je vous prie lui baiſer les mains de ma part, & le faire ſouvenir de la promeſſe qu'il vous a faite pour le reſte des Memoires juſques au deceds de la Royne Eliſabeth, & dont M. l'Ambaſſadeur qui eſt icy m'a donné eſperance.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Paris ce penultieme de Janvier 1614.

Monsieur. J'ay reçu deux des voſtres, & toutes deux du mois paſſé. Je reſpondray à la derniere, qui eſt de la fin dudit mois. Celles que je vous avois eſcrit devant la reception d'icelle, & que je crois que vous avez cependant receuës, vous doivent avoir mis hors de la peine en laquelle vous eſtiez pour ce que m'aviez envoyé. Le tout m'a eſté fidellement rendu, comme je vous ay eſcrit : nous attendons le reſte avec extreſme deſir, ce que nous avons veu nous en a augmenté l'envie. Les deux chefs obmis en la derniere Exercitation de la Tranſubſtantiation & Sacrifice, attendront leur temps & lieu, & paſſera plus doucement cette premiere Edition ſans la diſſertation d'iceux.

J'envoye à M. Camden par cette voye, qui eſt de M. l'Ambaſſadeur qui s'en va par delà pour un bon effet, ce qui s'eſt imprimé de nouveau de noſtre Hiſtoire, plein de fautes, dont il me deſplaiſt, & dont je vous prie faire les excuſes. J'y ay inſeré ce que j'ay appris depuis la premiere Edition, touchant les affaires d'Angleterre & d'Irlande, ſuivant les Memoires que m'a envoyé M. Cotton, auquel je baiſe les mains tres humblement, & ſouhaite pleine & entiere gueriſon. M. Camden prendra la peine, s'il luy plaiſt, de paſſer la veuë deſſus, & m'advertir avec ſon humanité & diligence accouſtumée des fautes y ſurvenuës. Je m'eſtonne de l'imperfection que m'eſcrivez. Drouart a grand tort, à qui je m'en eſtois confié. Vous n'oublierez les Memoires de M. Cotton juſques au deceds de la Royne Eliſabeth. M. Camden en eſt, comme j'entends, le principal auteur. Si cela eſt, nous les pourrions avoir par luy-meſme. La voye de M. l'Ambaſſadeur, qui doit revenir, j'entens M. Edmond, ſera fort à propos. Il m'a promis d'en avoir ſoin.

Je vous ay fait entendre ce que l'on deſire de vous par deça, j'attends ſur ce voſtre reſponſe, & telle que je la puiſſe monſtrer à M. le Chancelier. Cependant je feray ce que je pourray pour vous faire continuer ſur l'eſtat, & ne doute point que ſi vous reſolvez de venir icy à ces Paſques, que vous n'y ſoyez continué avec effet. Conſervez moy tousjours en voſtre amitié qui m'eſt tres chere. En cet endroit je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

Voſtre bien humble & tres affectionné Serviteur, De Thou.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Iſ. Caſaubonus.*

Illustrissime vir. Accepi ante paucos dies quas ad me dederas pridie Kal. Februarias. Ego pridie faſciculum literarum ad te mittendum D. Legato dederam : ac quoniam fuiſſe illum tibi redditum confido, non tenebo te pluribus. Scripſi tibi nuper, intellexiſſe me a D. Cottono ipſum monitum eſſe a rege aliquid ipſius majeſtatem deſiderare in tua noviſſima Hiſtoria, de quo mecum eſſet acturus. Ego illum aliquoties vidi ſuperioribus diebus, et multos cum ipſo habui ſermones ; nihil tamen ea de re ab ejus majeſtate mihi dictum. Agam cum eodem Cottono et Camdeno ut tu voti fias compos quamprimum.

Abſolutum eſſe opus meum nuper ſignificavi : ſed propter varias curas ad ſcribenda prolegomena animum applicare nondum potui. Editum opus ſtatim ad te mittam, ut per te, niſi grave eſt, ſciam quid mihi ſit opus factum.

Vidi his diebus Coiſetelli vaſtum opus : laudo diligentiam, fidem deſidero. Eo videlicet totum opus ſpectat, ut jugum R. P. imponatur regibus. Tuetur facta paparum tam mala quam bona. Rapinas illorum, quae omnem fidem, omnia exempla ſuperant, aut diſſimulat aut excuſat. In vero Gregorio IX quam multa pervertit ! Matthaeum Pariſienſem accuſat, &c. Sed quod ait ab haereticis qui ediderunt[1], mihi conſtat ipſum et ante ipſum Baronium et Bellarminum impudentiſſime mentitos eſſe. Habeo enim in muſaeo meo ipſum exemplar quod ille monachus ſuae abbatiae dederat, quodque nunc ſervatur in regis bibliotheca. Legi etiam in bibliotheca Cottoniana ejuſdem libros de Vita abbatum Sancti Albani. Ibi quoque eaedem querelae de fraudibus, ſceleribus, et rapinis explicabilibus paparum. Idem Cottonus habet brevem hiſtoriam ejuſdem abbatiae, ubi acrius invehitur in Romanam tyrannidem quam in editis. Atque haec omnia in membranis ſcripta ejus aetatis qua ipſe vixit,

NOT. [1] *forſan ſupplendum corruptum.*

vixit, aut circiter. Quae igitur impudentia eſt, aut flagitia paparum excuſare, aut Proteſtantes falſi accuſare? Haec reiterabuntur in Prolegomenis. Si veritas odium paritura eſt, agnoſco fatum illius. Sed moror te.

Vale, vir illuſtriſſime, et vive felix cum Dom. conjuge tua et pignoribus veſtris. Uxor vota ſua meis adjungit, et obſequia ſua vobis defert. Jam mihi animus totus eſt in Galliis propter conceptam ſpem de profectione ad vos brevi inſtituenda. Ita velint, ita faxint ſuperi. Vale iterum.

Ex MS. *Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon.*

De Paris ce 24 Febvrier 1614.

Monsieur. J'ay fait reſponſe à la voſtre du 26 du paſſé, que j'ay receuë avec le feuillet dernier de voſtre œuvre. Nous attendrons les Prefaces, qui en retardent la publication, avec impatience, afin que par le jugement & reception que l'on en fera, nous puiſſions voir plus clair en la reſolution de vos affaires. Ce que je vous ay eſcrit pour voſtre acheminement par deça, je l'ay fait par commandement de M. le Chancelier, qui teſmoigne vous vouloir du bien, & affectionner ce qui vous touche. Voſtre longue abſence donne ſujet de parler à aucuns; je vous laiſſe à penſer de quel eſprit ils ſont pouſſez, & oſtent la liberté aux autres qui vous favoriſent. L'on tenoit que voſtre œuvre ſeroit du tout achevé pour tout ce mois: c'eſt pourquoy l'on vous avoit prefini le terme mentionné en la mienne, eſtimant que deſja voſtre œuvre ayant eſté veu de pluſieurs, comme il ſera & de ceux qui y veulent apprendre & de ceux qui y veulent reprendre, le jugement en ſeroit deſja fait & donné quand vous viendriez par deça. S'il ne peut ſi toſt, l'on pourra differer juſques à quelques mois.

Pour M. Cotton, j'ay prié M. l'Ambaſſadeur, qui eſt maintenant par delà, d'impetrer du Roy de la Grande Bretagne qu'il m'envoye le ſurplus de ſes Memoires; dequoy je vous ſupplie le vouloir ſolliciter, & en parler avec M. l'Ambaſſadeur; j'entends M. Edmond. Ce mal aviſé, que vous ſçavez, qui eſcrit ſi imprudemment par delà, eſt cauſe de ce malentendu. Je penſois que ce que je vous avois eſcrit depuis, & que M. de Bouillon en avoit dit au Roy, euſt effacé ces mauvaiſes impreſſions: mais à ce que je vois, cela dure encore, & vous ſupplie partant de prendre occaſion d'en reparler à S. M. Je vous peux aſſurer que j'ay fait fort mon profit de ce qui m'a eſté ja envoyé, & j'ay inſeré chacune piece en ſon lieu, comme il ſe verra par la premiere Edition, laquelle ſi elle a eſté retardée juſques icy, le retardement venant de la pareſſe & avarice des Libraires, ne me doit attirer l'indignation d'un ſi grand Prince, que j'honore, & à la gloire duquel & grandeur je favoriſe de tout mon cœur. Faites donc, s'il eſt poſſible, que le reſte me ſoit envoyé, & vous ſervez de M. Camden en cette pourſuitte, auquel je baiſe les mains, n'ayant receu la Lettre qu'il m'a eſcrite de Juillet dernier, que depuis trois ou quatre jours. Je baiſe auſſi les mains à M. Cotton, & le ſupplie m'obliger de cette grace. J'ay envoyé à M. Camden le x Tome de nos Hiſtoires *forma* 12°. J'attends de luy ſa diligence accouſtumée *in Britannicis:* vous l'en ferez ſouvenir.

Ayant eſcrit cette Lettre juſques en cet endroit, j'ay veu M. le Chancelier, & luy ay monſtré le dernier feuillet de voſtre œuvre. Il deſire que vous y ayez gardé telle moderation, qu'il puiſſe eſtre leu de tous. Il m'a donné aſſeurance de la continuation de voſtre penſion; mais il vous ſomme de voſtre promeſſe pour voſtre retour, dont il ſemble que me donniez eſperance plus certaine par voſtre derniere ſans datte, qui me fut hier au ſoir renduë, aprez avoir eſcrit ce que deſſus. Je crois qu'elle eſt du 17 du preſent; car celle de M. de Biſpeaus, que j'ay receu par la meſme voye, eſt de cette datte. Par icelle vous offenſez & juſtement de ce que l'on dit que le Matthæus Paris a eſté corrompu. Il ſeroit à deſirer que la petite Hiſtoire, & celle des Abbés de S. Albans fuſt imprimée, & le devez dire au Roy. Mais ce que vous adjouſtez, que vous traitterez de cela en vos Prolegomenes, je ne ſçay ſi c'eſt le lieu, & deſirerois que cet œuvre tant deſiré d'un chaſcun peuſt ſortir tout entier, ſans par occaſion y rien meſler de ce qui regarde les temps ſubſequens, & puiſſe donner priſe à ceux qui la cherchent. C'eſt ce que deſire Monſieur le Chancelier, & que je remets à voſtre prudence.

J'ay fait la preſente à deux fois. Conſervez moy en voſtre bonne ſouvenance. Je ſupplie tres humblement noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace.

Voſtre bien humble & tres
affectionné Serviteur
De Thou.

Nullae inter Thuanum et Caſaubonum epiſtolae, ex hoc tempore uſque ad Caſauboni mortem, quae in Kalendas Julias anni 1614 incidit, reperiuntur. Heic autem ſubjungimus animadverſiones quaſdam in Thuani rerum Scoticarum anni 1564 narrationem, ex Append. ad Syll. Epiſt. Camdeni, p. 356 et ſeq. depromptas; quae, ipſius Caſauboni manu exaratae, adhuc in bibliotheca Cottoniana conſervantur; et quas D. Thomas Smithus in vita Rob. Cottoni equitis, p. 17, regem Jacobum Caſaubono dictaſſe affirmat.

Notae ad narrationem rerum geſtarum 1564. exemplaris Germanici, pag. 726, [Offenbacenſis ſcilicet in folio.] Editionis Londinenſis Tom. II. p. 419. et ſeq.

C*UM Henricus ex Anglia Eliſabethae permiſſu in Scotiam veniſſet.*] Sereniſſimam Eliſabetham his nuptiis conſenſiſſe non ſemel in hac narratione legitur, id vero longe falſiſſimum eſt. Nam rei veritas ſic habet: Conſilio et prudentia aviae regis Jacobi, hoc negotium clam regina Eliſabetha et inchoatum et promotum eſt, ac tandem ad exitum perductum. Erat tunc temporis is ſtatus rerum in Anglia, is animorum habitus, ut et regina et regni proceres rebus Angliae putarent iri conſultum, ſi regina Scotiae ſine prole diem obiret; ad hunc igitur ſcopum omnia ſua conſilia referebant. Quod autem Eliſabetha non probante hoc matrimonium junctum fuerit, multa ſunt certiſſima argumenta; nam et regis aviam ad primum nuncium in arcem Londinenſem conjecit, et nullum non poſtea lapidem movit, quo eas nuptias impediret. Falſa igitur omnia ſunt, quae de ejus conſenſu toties hic dicuntur.

Sed praecipitem reginae voluntatem.] Neſcit R. S. cur hic reginae voluntas praeceps appelletur: nam ſi quid feſtinatum in illis nuptiis, juſtiſſima id de cauſâ factum; metus nempe erat ne Angla impediret. Totam autem illam narrationem de citharoedo citharoedi filio, adeo praeſertim accurate deſcriptam, nulla cogente neceſſitate hic eſſe poſitam R. M. putat, cui conſtat liquido et certe, pleraque falſa et mera mendacia eſſe, quae de hoc Italo narrantur. Falſum eſt, quod de ejus potentia dicitur; falſum, quod de ejus calumniis in bonos ſtructis. At *laboravit publico odio.* Sane, ſed illorum, qui infeſti erant reginae, et dicta factaque illius omnia in occaſionem calumniae rapiebant.

Perſuaſeratque credulo adoleſcenti.] Hoc qui ſtare poteſt? Venerat nobiliſſimus princeps certo propoſito perficiendi quod et peractum eſt. Regina, ſimul illum vidit, amore ejus exarſit; neque ita [multo] poſt negotium eſt conſummatum.

Moravius ab omni aſſentatione] Affirmat S. regis majeſtas, in magno errore verſari eos, qui hunc virum tot tantiſque laudibus efferunt: ſibi ad unguem vero rerum geſtarum veritatem eſſe notam, cui non aliter poſſit conſuli, quam ſi plane contraria omnia de Moravio ſcribantur, atque hactenus ſunt ſcripta. Scio et probe memini, praeſes ampliſſime, dixiſſe te mihi ſaepius, cum in familiari colloquio ſermo de hoc Moravio incidiſſet, omnia te expertum, ut harum rerum veritatem ſedula inquiſitione invenires; neque aliud comperiſſe multis interrogatis quam quod ſcripſiſti. Tu vero ignoſce mihi, ſi unius regis, quem novi certo καὶ φιλαληθέστατον ὄντα καὶ εὐσεβέστατον, pluris apud me ſit auctoritas, quam plurium privatorum, ac praeſertim factioſorum zelotarum, et odio partium quidvis etiam in reges audentium.

Deſtinatis ad id Henrico et Rizio.] Totam hiſtoriam falſam eſſe affirmat rex ſereniſſimus; at Buchananus ut rem veram narrat. Num dubitas, utri potius credamus?

Venit ab Angla legatus.] Duae hic legationes ex Anglia commemorantur, quarum priorem eſſe commentitiam regis majeſtas affirmat.

Moravius quamvis nuptias non improbaret.] Ille vero etiam acerrime improbavit, et nullum non movit lapidem, quo illae ne fierent.

Tum agitata illa horridae libertatis plena quaeſtio.] Fortaſſe ita eſt; et reperti ſunt inter perfidos ſubditos, qui hanc quaeſtionem agitarent: at inter proceres regni et legitime convocatos ordines nihil tale diſceptatum.

His acceſſit ad rem accelerandam potentiſſimum telum ſuperſtitio.]

Mox, *ut praedictionibus fidem datam appareret.*] Hic vero ſereniſſimus rex de iis graviſſime queritur, qui hanc anilem fabulam in literas primi retulerunt. Eſt autem, opinor, Buchananus, ille atrox hoſtis reginae; qui hoc videtur molitus, ut ad contrahendum matrimonium, ex quo natus ipſe eſt, malis artibus ejus parentes videantur eſſe pellecti. Scilicet egregium aliquid ex illo conjugio poterat exſpectari, quod tam malis avibus eſſet contractum. Sed vitio ingenii Buchananus utitur. Nos ita potius dicimus: quando ex illa conjunctione tantus princeps tantae probitatis et pietatis eſt editus, omnino fatendum eſſe, arcana quadam providentia Dei (ſine qua nihil alti mens inchoat feliciter) illas nuptias auſpicatiſſime conveniſſe.

Praeterea rumores de Eliſabethae morte ſparſi.] Nil tale referunt qui praeſentes fuerunt, et negotium ex parte geſſerunt.

Sed

Sed foeminam per ſe praecipitem poſtremo impulit Rizius.] Ecce iterum *praeceps foemina*, iterum *Rizius*, de quo ante dictum.

Nam Hamiltonii nullam pacis firmam rationem eſſe contendebant, niſi regibus ſublatis.] Tam barbarae ſententiae auctorem unquam fuiſſe quenquam e gente Hamiltonia, periti rerum conſtantiſſime negant.

Nuptiae celebratae abſentibus nobilitatis fere principibus.] Hic valde pervertitur hiſtoria: Nam qui dicuntur fuiſſe abſentes, illi vero perduelles erant, et arma jam ſumpſerant ad impediendum illud matrimonium: ſed non auſi fortunam belli experiri contra regium exercitum, in Angliam ſe non ſine turpi fuga ſubduxerant.

Inde cum ab arce infeſtarentur, nec amici e longinquis regionibus]

Heic Maxvallius homo impiger.]

Deinde, *re diligentius apud ſe perpenſa.*] Negatur, aut tanta unquam Rizium fuiſſe gratia apud reginam, ut hoc poſſet, aut ullum unquam praeſidium Italorum a regina in Scotiam fuiſſe accitum. Falſum etiam eſſe conſtantiſſime affirmatur, quod paulo poſt ſubjicitur, de ſubſecuta ſtatim poſt nuptias reginae poenitentia. Eſt in ore omnium, qui illis temporibus vixerunt, regem et reginam poſt nuptias peractas aliquandiu conjunctiſſimos vixiſſe in ſumma concordia.

Nam cum in nuptialibus acclamationibus] Rei veritas ita habet: principio conjugii hoc indulſit marito regina, ut in ſubſcriptionibus nomen ipſius ſuo praeponeretur: duravitque is mos, ex mera reginae, cujus erat regnum, indulgentia, diutius: tandem, orta contentione, regina quod dederat repetiit, et ex eo tempore commune jus eſt ſervatum. Cur hoc factioſi calumniati ſunt? Nonne [1] Maria Angliae regina regis mariti nomini ſuum ſemper praepoſuit? Habet rex ſereniſſimus literas ab illuſtriſſimis archiducibus non alio ordine ſubſcriptas. Quod dicitur de ſubſcriptione unius pro ambobus, commentitium eſt: illud vero quod de ferreo typo ſubjicitur, etſi cum moribus regni Scotiae convenit, non convenit tamen cum legibus; per quas morem hunc non licet uſurpare abſque decreto parlamenti: quale decretum fuiſſe editum ſcimus, quando divina providentia ſereniſſimum regem e Scotia in Angliam traduxit.

Ita regem omni dignitate ſpoliatum.] Negatur a peritis illorum temporum iſtud factum eſſe unquam.

Edit. Lond. Tom. II. p. 534. et 535. *Menſae convictorem quotidianum adhibuit.*] Si hoc verum eſſet, poterat videri nobiliſſima regina hanc facilitatem e Gallicis moribus in Scotiam invexiſſe. Nam etiam reges maximi, cum decedere de faſtigio majeſtatis ſuae juvat, amicos honore menſae ſuae dignantur. At negant illorum temporum Scoti, qui hodieque vivunt, hoc factum eſſe unquam a regina. Occaſionem vero calumniae datam hoc pacto. Mos eſt regum Angliae et Scotiae, quoties cibum in privatis cubiculis ſumunt, ſelectos ex interioris admiſſionis miniſtris jubere ſibi miniſtrare: hi interdum de ſublatis e regia menſa cibis, et in repoſitorio ſive altera ejuſdem coenaculi menſa collocatis, ſtantes aliquid delibant, et brevi cibo pro tempore ſe reficiunt. Hoc aliquando factitaſſe dicitur Rizius, et communi more uſus: hinc illae lachrimae. Cetera vera non ſunt, neque item illud quod de *regina ad illum itante* ſequitur.

Etiam ei jus ſuffragii in concilio attribuere.] Negatur vel in mentem veniſſe hoc reginae. Jam illud, *cum nec precibus, multo minus minis adhibitis, ab antiquis poſſeſſoribus*, non ſolum falſo ſed etiam inconſulto dictum a Buchanano contendunt, qui rerum ſunt periti. Neque enim moris eſſe regibus, quoties aliquem miniſtrum ſuum beare opibus voluerint, precibus cum ſubditis ſuis agere, ut bonis ſuis illi cedant. Nam et iniqua ſit poſtulatio, et habent reges alias rationes bene de hominibus merendi.

Cujus clavem penes ſe ſemper habebat.] Non eſt mos regum: non fuit mos hujus regis.

Et pulſanti nemo reſponderet.] Narrant longe aliter, qui ex veritate narrant.

Igitur re cum Matthaeo parente Leviniae.] Conſtat hunc toto illo tempore ab aula abfuiſſe ad x aut xv lapidem: conſtat etiam regem nulla conſilia cum eo communicaſſe.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Gul. Camdenus.*

Quem miſiſti librum, vir ampliſſime, accepi; et, niſi me fallo, non quem deſtinaſti: accepi enim partem quartam Tomi IX, te autem partis quartae Tom. X hoc anno impreſſum deſtinaſſe credo; ſed hoc tantillum abeat, quod ejus errore accidit qui librum in faſciculum conjecit. Tibi de benigna tua humanitate gratias ex animo ago et habeo. Ego, qui omnia quae a te veniunt avide arripio, exemplar jam antea mihi comparaveram. Percurri quae ex inchoatis Angliae Annalibus intexuiſti. Video diligentiam, judicium, fidem; laudo: labores illos non totos periiſſe gaudeo. An in prioribus hujus minoris editionis idem praeſtiteris, neſcio. Plura velim, ſed vereor ne in publica peccem tantum virum publicis

[1] *Nunquam ſuum mariti nomini praepoſuit.* Caſley.

licis negotiis diſtentum interpellando, nunc cum fama ſit Martem apud vos arma concutere. Deus opt. max. pacem optimam rerum vobis reſtituat, nobis conſervet, et te quam diutiſſime ſoſpitet. Londini raptim, 22 April. 1614.

Ex MS. *Jano Grutero Gul. Camdenus.*

Etsi jam aetas et valetudo inclinant, oculique fugiunt, non poſſum non ſuaviſſimi mei Gruteri meminiſſe, et his nundinis per Billium ſalutare, (ſi expectato citius iter non maturaverit) ne in extremo amicitiae actu defeciſſe videar. Ut vales igitur mi Grutere? ut oneri quod ſubiiſti par pergis? velim ut ante omnia valetudinem cures hoc anno literatae hominum nationi admodum funeſto. Audivi enim apud vos Marquardum Freherum et M. Welſerum magna Germaniae et literariae reipublicae lumina extincta eſſe. Apud nos certe magnus Caſaubonus, tui, quod teſtari poſſum, amantiſſimus, coeleſtem animam coelo menſe [1] Junio reddidit, Weſtmonaſterii humeris doctorum theologiae elatus, et quinque epiſcopis funus proſequentibus. Et paulo ante Henricus Howardus comes Northamptoniae, nobilium longe doctiſſimus, hinc emigravit. IBIMUS OMNES. Quis ille ſit qui calamum tam virulentum in clariſſimum Thuanum nuper in Germania ſtrinxit, aveo ſcire, anne Gretzerus vel alius quiſpiam? certe ex Jeſuitica cohorte eſſe videatur. Quid expectandum (jam) Hiſtoricis noſtri aevi in hoc partium ſtudio videre licet, nimirum quod Apollinaris olim praemonuit, Hiſtoricae ſcriptionis continuationem eſſe laborem, finem vero odium. Nihilominus ego Spartam quam nactus ſum ornabo, μακαρίτιδι noſtrae Eliſabethae non decero; ſed de impreſſione in Germania, et quo in loco, opus erit mihi tuo judicio. Interim vale, mi optime Grutere, et a Camdeno tuo plurimum ſalveto. 10 Auguſti 1614.

An totam ſimul edam, vel per partes?

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Gul. Camdenus.*

Quas ad me dediſti literas, vir ampliſſime, nuperrime accepi, et poſtridie per nobilem juvenem Lindelſhemium Ylactim et Scorpium tuis muſis et Apolline dignos: de quibus ut gratias debeo maximas, ita, ut reponam, habe a me Annales rerum noſtrarum regnante Eliſabetha, ad annum 1589, jam a praelo recentes, quos rex noſter ſereniſſimus praeter expectationem non ita pridem juſſit excudi, ſpemque fecit quod ceteri ſequentur. Cujus conſilio hoc factum, niſi fortean tuo, vel a te, ne ariolari quidem poſſum. Hoc praevideo eoſdem tribulos et infelix lolium, quae in te veritatis ſtudio tantopere adlaborantem luxuriarunt, in me etiam ſuccreſcere, et ex earundem quidem veſparum fimo. Sed feramus, eſt enim hujus ſaeculi labes veritati et modeſtiae invidere. Bona conſcientia ſemper tuta, ſemper ſecura. Huic potius quam famae attendamus, nec dubito quin cum primum impetum effuderint, aculei vel decident vel torpebunt. Quicquid ſit, recta nave nunc curſum teneamus, et contumeliarum tela patientiae clypeo excipiamus. Nihil praeter Deum timeamus, qui te et tuos quam diutiſſime ſoſpitet. Vale, vir ampliſſime, et a me plurimum ſalve, qui jam video quod me tibi temperat aſtrum; qui enim tibi, mihi quoque affulſit Scorpius, ut tuos verſus ſic mihi uſurpem:

Hic mihi natalis, quartaque per aethera parte
Surgebat, vitae cum primas hauſimus auras.

Uno tamen et altero anno antecedo. Sed quo feror? loquaci ſenectuti quaeſo ignoſce. Londini XI Junii 1615.

Ex Sylloge Camd. & illuſtr. viror. Epiſt. a Tho. Smitho edita, Lond. 4to. p. 153.

Jac. Aug. Thuanus V. Cl. Gul. Camdeno S. D.

Literae tuae XI menſis proxime praecedentis datae, quas loquaces dicis, perbreves mihi viſae ſunt; adeo elegantes et candoris ac vere generoſi ſpiritus plenae me legendo inexplebili gaudio perfuderunt, atque inſuper conſolatione, ſed non ea, qua fruuntur illi, qui eminus in alto mari jactatas naveis ipſi in tuto collocati conſpicantur, qui non tam laetantur labore aliorum, quam ſe extra periculum poſitos eſſe magna cum voluptate ſentiunt. Nam nos in eodem luctamur Aegaeo; eadem nos maligna aſtra aſpiciunt; iidem aeſtus, eaedem procellae ſuſque deque in ſcopulos et brevia impellunt. Quid igitur me ſolatur? quod videlicet de miſeris dici ſolet, iis pro ſolatio eſſe in calamitatibus ſocios et pares habere: quanquam quo minus te meve miſerum exiſtimem, prohibent gravia, et ad externas injurias propulſandas ſeu ferendas ex veris ſapientiae praeceptis petita praeſidia, quibus animum

[1] *Inſcriptio monumenti ſepulchralis Iſ. Caſauboni habet* Kal. Jul. 1614.

inum ad conſtantiam obfirmas. Quam eandem conſtantiam olim in Jobo expreſſi, et mihi jam tum, quae ab ingrati et infeſti ſaeculi malignitate impenderent, animo providens, adverſus importunos e fimetis quae dicis ſcaturientium veſparum aculeos ſepoſui, ut ejus beneficio aliquando uti poſſem. Nunc tempus venit, ut uterque noſtrum ea ſtrenue utamur, et contemptu contumelias illatas ulciſcamur, ad poſteritatem ultro provocantes, ad quam potius quam ad praeſens ſaeculum ſemper reſpexerunt, quicunque gnaviter et cum publica utilitate in ſcribenda hiſtoria laborarunt. Perge ergo et communis aſtri ſalutarem aſpectum pro ſolatio mecum accipe, quum ita Deo placuit, ut eadem coeli facies utriuſque natalem quamvis diverſis annis temperaverit. Quae ſequuntur ad Eliſabethae *μακαρίτιδος* obitum, ut reliqua, quae ad me miſiſti, fac brevi a te habeamus, et, ſi fieri poteſt, etiam ſereniſſimi et optimi veſtri principis initia uſque ad annum hujus ſaeculi x, quo nobis ereptus Henricus Magnus: nam ad eum uſque annum decrevi, ſi Deus vitam et otium dederit, Annales noſtros, quos intermiſeram, ſuperſtite illo minime ultra perrecturus, continuata narratione perſequi, ut cui vivo tantum Chriſtianus orbis debuit, etiam mortuo juſta perſolvantur. Ad quae non parum veſtra me juvabunt, quod et cum rebus noſtris conjuncta et ad univerſae hiſtoriae ornamentum ea ſummopere pertineant. Scio te minime ab his ceſſare, et diligentia tua effici, ne rerum apud vos geſtarum memoria intercidat; quae ſi lucem publicam aſpicere nondum ſinet is qui jubere poteſt, at potes ea cum amicis communicare, ad gloriam ipſius eadem fide univerſo operi inſerenda; quod ut facere velis, enixe te rogo. Vale et viriliter age, ac me ama. Lutetiae Pariſiorum Nonis Quintilibus CIƆ IƆ CXV.

Ex MS. *Jano Grutero Gul. Camdenus.*

QUOD ſuperioribus nundinis vernalibus ad te, mi optime Grutere, non ſcripſerim, mihi certe et tacito cogitationis convitio indignanter ſuccenſui; ſed in cauſa fuit praecipitata editio partis Annalium meorum, rege jubente. Hoc enim praeter expectationem ille imperavit, cui parendum, cum ſola obſequii gloria ſubditis ſit relicta: etſi ex veritatis ſtudio infelix odii lolium mihi, ut aliis id genus ſcriptoribus, in hoc religionis et animorum diſcidio ſuccreſcere proſpicio. Sed haec miſſa faciam, qui bonae conſcientiae plus quam famae attendo. Exemplar ex inerudito praelo mea manu caſtigatum ad te deſtinavi: ſed ecce nova indignandi cauſa. Billii famulus, per quem tranſmittere ſperavi, deferre, neſcio qua ſpecioſa excuſatione, omnino recuſavit. Quo igitur me vertam plane neſcio. Ad eum tamen ſcripſi, (nam urbe longius abſum) ut ex ſuis exemplaribus (nonnulla enim in rem ſuam Francofurtum miſiſſe facile credo) exemplar tradat; quod ſpero faciat, et fidelius quam paginam tuae Ciceronianae editionis quam ſuperiori anno miſiſti, nondum enim vidi. Cum quod deſtinavi mittere non licuit, viſum eſt haec errata, quae in omnibus exemplaribus non habentur, hiſce includere. Vale, vir optime, et a Camdeno tuo plurimum ſalve. 6 Auguſti 1615.

Ex MS. *Jano Grutero Gul. Camdenus.*

QUAS per clariſſimum virum D. Doctorem Chapmanum dediſti literas accepi laetiſſimus, amorem enim veterem totae fragranter redolent, et vere ſunt Gruterianae. Billium et famulos, qui ſuis ſordibus intercludere conati, cogitationis convitio ſubinde verbero: non facile credas quam dedignentur mihi gratificari, ex quo Annales meos [1] ejus praelo non ſubjecerim; quos tamen ad te perlatos nuperrime innuit: ut video nobis fucum fecit et faciet, niſi dum, ut inquit ille, facula lucrifica allucet. Annales iſtos apud Rullandios Francofurti impreſſos eſſe ex catalogo nundinarum intelligo, et *Britanniam* etiam; utinam juxta poſtremam editionem 1607, nam illam ex Wecheli typographeio 1590 ſequutos audio et demiror; certe ad quaeſtum hac in re non calluerunt. Te tuos in Cicerone labores exantlaſſe gaudeo, et humeros Atlantaeo iſti oneri non ſuccubuiſſe gratulor. Feriandum jam tandem et otium tibi amplexandum, cui otium nunquam fuit otioſum; nec futurum credo, ſi Diſſertationes politicas et Suſpicionum libros emendare et augere etiamnum cogites. A Cottono noſtro ſalutare non poſſum; ille enim, dum ſe potentibus applicuit, implicuit in hoc Somerſeti comitis negotio: ſed, ut ſperamus, propediem expediet; imo, ut audio, dum haec ſcribo, ſe expedivit; ut jam libero et ſuis penatibus reſtituto gratuler. Hoc epiſtolium abrumpo, et te plurimum ſalvere jubeo. Junii 4, 1616.

[1] *Guil. Stansby illos excudit.*

VI.

Illuſtrium quorundam et doctiſſimorum virorum de prioribus Historiarum Thuani lxxx libris, Lutetiae diverſis annis et formis ab ipſo auctore editis, judicia.

Ex MS. *FRIDERICUS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, ſacri Romani Imperii Archidapifer et Elector, dux Bavariae, &c.*

Jacobo Augusto Thuano, *regis Chriſtianiſſimi conſiliario, et praeſidi, S.*

QUOD iterum operis tui hiſtorici munere me proſequi, et bibliothecam meam tam inſigni ornamento condecorare voluiſti, duplex quoque gratia a me tibi debetur. Hoc utiliſſimo autem et aeternitati conſecrato opere et nos omnemque poſteritatem tibi devinxiſti, qui veritatem rerum geſtarum, ſtudiis et factionibus adverſis hominum laceratam et oppreſſam, laudabili labore, ſumma induſtria vindicare, ac poſteris tradere, tam feliciter potuiſti. Sed integrum hoc nobis beneficium debes. Neque ullo reſpectu te avocari aut abſterreri patieris, quo minus reliqua quoque pertexas, et in aeternitatis ſacrario, tanquam donarium quoddam, ſuſpendas. Ego certe et meo et publico nomine gratias tibi maximas habeo; ſtudium et amorem meum in te, quum primum occaſio dabitur, reipſa demonſtraturus. Vale, vir ampliſſime.

Datae Heidelbergae 10 Decembris anno 1606. Fridericus Elector Palatinus, &c.

Haec epiſtola Electoris ſigillo obſignatur, et hanc inſcriptionem habet, *Ampliſſimo viro Jacobo Thuano regis Chriſtianiſſimi conſiliario, et praeſidi, dilecto noſtro.*

Elector hic Fridericus IV, natus anno 1574, mortuus anno 1610, uxorem duxit Aloiſiam Gulielmi I Arauſionis principis filiam, ex qua ſuſcepit Fridericum V, cui, ex matrimonio cum Eliſabetha Jacobi I magnae Britanniae regis filia, nata eſt Sophia princeps, Georgii II, qui nunc feliciter Britannis imperat, avia.

Ex MS. *A Monſieur de Thou Conſeiller du Roy en ſon Conſeil d'Eſtat & Preſident en ſa Cour de Parlement à Paris.*

Monsieur. Vous m'honorez & obligez trop de m'avoir voulu faire part de voſtre excellente & immortelle Hiſtoire, laquelle je receus Vendredi par le Sieur Chancelier Duodo, & auſſi-toſt envoyay au R. Fra Paolo celle que luy donnés. Mais j'entens que le Sr Vincent Gradenigo eſt mort à Conſtantinople il y a quelques années; & ſi vous trouvez bon que ce ſoit la Bibliotheque de cette Seigneurie, j'eſtime, Monſieur, que ce lieu ſeroit convenable au preſent, & qu'il y ſeroit honorablement receu. J'en attendray vôtre ordonnance. Je loue Dieu de tout mon cœur qu'en un ſiecle ſi corrompu de paſſions & adulations la verité ait trouvé une bouche exempte de cette contagion. Le commun des advocaceaux ignorans penſent d'avoir bien plaidé quand ils ont bien criaillé & vomi force injures contre leur partie; le juriſconſulte propoſe le fait au vray en bons termes clairement. Je n'entreprendray point de dire mon advis d'une ſi haulte entrepriſe, mais ſi ſuis-je aſſeuré que ceux qui aiment la verité, la pureté de la diction, la grace d'un ſtyle vrayement Romain, vous mettront en la claſſe des plus rares Hiſtoriens. Ceux au contraire qui ſont nourris en la captivité, ou accouſtumés de n'ouïr que ce qui leur plaiſt, vous noteront, comme tous bon auteurs, de leurs pedanteſque cenſure. Ainſi ſuis-je aſſeuré que l'avez preveu, eſtant impoſſible de ſatisfaire à une conſcience candide comme la voſtre, ſans deſplaire à quelqu'un. Mais la verité appuyée de voſtre integrité hors de tout reproche, & de l'abry d'un bon Roy, eſt en bon garant. Et peut-eſtre que ce reſpect les ſera taire, ſi ce n'eſt que ceux d'entr'eux qui auront tant ſoit peu de nez reconnoiſtront que vous renverſés pour

jamais les machines qu'ils addreſſoyent pour conſtraindre S. M. à recevoir ce dont il s'eſt touſjours exempté. C'eſt à mon advis ce qui leur cuira le plus. Il y aura auſſi des particuliers, & des plus grands, à qui voſtre rigide verité deſplaira. Mais il n'eſtoit pas raiſonnable de preferer leur faveur d'un jour, à la grace que vous acquerrez envers tout le genre humain & tous les ſiecles à venir. Or ayant eu cette generoſité de ne rien eſpouſer que le vray, il me ſemble, Monſieur, que rien ne vous obligeoit en parlant des François d'uſer quelquefois de ces mots, *noſtri*, *[illegible]*, &c. leſquels peuvent donner quelque ſoupçon qu'un autheur veuille favoriſer à ceux du nombre deſquels il ſe met. Car encore qu'il ne ſoit raiſonnable de celer ſa patrie, ſi n'eſt il pas auſſi beſoin de l'inculquer par tout. Excuſez, Monſieur, ma liberté, & reconnoiſſés à cet eſchantillon que ſi j'euſſe pû apercevoir quelque autre choſe, je ne le vous euſſe pas celé. Je n'en ay pû encores courir que les ſept premiers livres. Je croi que Dieu a choiſi voſtre main pour manier les chancreux ulceres de nos diviſions, tant en l'Egliſe qu'en l'Eſtat, aigries par les dernieres guerres, quoi qu'il demange encore bien fort ; pourveu que Dieu continue la ſanté une vingtaine d'années à S. M. comme il nous en donne eſperance. Quant aux autres, je croy que toute bonne ame confeſſera qu'ils requerroyent d'autres cures que celles qui y ont eſté appliquées juſques icy ; mais quelle eſperance que le monde en ſoit capable? Et faut il faire difficulté de ſe ſauver dans l'arche, parce qu'il y a tant de beſtes immondes? Les plaintes dont ſont juſtes les gemiſſements, le deſir de reformation au chef principalement, & à proportion aux membres, ne ſe peut arracher d'un cœur vrayement touché de pieté. Mais les autheurs du ſchiſme ſont inexcuſables ; & ceux qui y croupiſſent ne peuvent avoir nulle certitude en leur conſcience, que celle meſme dont ſe vantent le plus ceux qu'ils reconnoiſſent pour les plus abominables heretiques. La miſſion du fils de Dieu eſt la choſe la plus viſible, & la plus perdurable qui ſoit au monde. Tout ce qui ſe baſtit hors de là, ſont groteſques. Voila, Monſieur, le ſondement de ma reſolution, & la baſe du repos que Dieu m'a donné ; lequel j'entreprens tant plus volontiers de vous deſcouvrir, qu'il me ſemble que vous ayiés vrayement Dieu devant les yeux, & non les hommes. Si je me ſuis trompé, uſés particulierement envers vôtre ſerviteur de la liberté dont vous uſés envers tout le genre humain. A vous approuver ce que j'ay faict, pour Dieu, Monſieur, gagnés M^r Caſaubon, qui vous eſt tant redevable, & qui a tant de preuves de voſtre amitié. Ce n'eſt point tant la pitié que j'ay de ſa famille, qu'il vous laiſſera dans peu de temps ſur les bras, qui me meut, que la compaſſion que j'ay de l'avoir reconnu en ce point principal auſſi mal fondé qu'homme avec qui j'aye jamais ouï parler de religion ; & de voir qu'à faute de vouloir confeſſer une verité irreprochable, il refuſe de ſe mettre à ſon aiſe & tous les ſiens, & rendre ſon nom autant illuſtre comme ſon erudition. Or la verité irreprochable & à laquelle il ne peut contredire valablement, c'eſt que l'Egliſe Romaine, toute corrompue, toute cadavre qu'elle eſt, c'eſt l'Egliſe Catholique ; & l'Egliſe Huguenotte, toute jeune, toute reformée qu'elle eſt, ne peut eſtre l'Egliſe, & n'en a non plus de marques que celles des Ariens & Anabaptiſtes. Je croy, Monſieur, que ſi vous prenez le peine de le mettre ſur la ſellette entre vous & luy, & le faire reſpondre categoriquement ſur ce point, vous aurez compaſſion de le voir emporté par la force d'une mauvaiſe nourriture, ſans raiſon quelconque digne de luy. La charité dont je l'embraſſe fait que je ne me puis retenir de vous reſupplier, Monſieur, au nom de noſtre Seigneur Jeſus Chriſt de vouloir entreprendre ce bon œuvre, impoſſible à tout autre main qu'à la voſtre. Le bon perſonnage s'imagine que Catholique & Papiſte ſoit tout un ; s'il eſtoit du Pregade de Veniſe il perdroit bientoſt cette opinion. Il ne ſçait que c'eſt de la liberté, du repos, de l'aſſeurance dont jouït le vray Catholique, lequel voit les abus auſſi bien à moins que le Schiſmatique ; mais il connoiſt auſſi la verité, qui eſt la colonne de ceſt eternel edifice, & reſpecte la charité, laquelle le Schiſmatique a perdue cuidant avoir trouvé la verité ; dont neantmoins il eſt tellement convaincu, qu'il faut eſtre plus qu'aveugle qui veut plus ſouſtenir cette pretendue Reformation. Je prie Dieu, Monſieur, qui void & ſçait de quel eſprit je ſuis pouſſé à vous tant ennuyer de ce propos, de vous donner le moyen d'achever voſtre heroïque labeur, & le voir univerſellement receu comme il merite, & vous donner en ſanté, Monſieur, trés heureuſe & longue vie.

De Veniſe ce 10 Mars, 1604. Excuſez
la haſte, s'il vous plaiſt.

Voſtre tres humble & tres affectionné ſerviteur,

DE FRESNES CANAYE.

Fra Paolo remet à vous eſcrire par le prochain, n'y ayant commodité preſentement.

Ex MS. *A. Monſieur de Thou Conſeiller du Roy en ſon Conſeil d'Eſtat, & Preſident en ſa Cour de Parlement à Paris.*

MONSIEUR. Monſieur le Febvre m'a envoyé le premier tome de voſtre Hiſtoire, comme en ayant charge de vous. Je tiens ſi chere l'amitié dont il vous a pleu de tout temps m'honorer, que je ne puis que je n'eſtime outre toute meſure les rares fruićts de voſtre excellent eſprit. Je n'ay pû encore ſi non jetter l'œil deſſus, & comme en paſſant, où j'ay neantmoins recogneu ceſte vraye & vigoureuſe vertu, qui vous a animé tout voſtre age aux belles & genereuſes actions, quaſi par deſſus ce que l'on croioit poſſible en un ſiecle ſi corrompu. Je me reſerve d'en faire une eſtude aſſidue tout cet eſté, affin qu'ayant penſé juſques au fonds, j'aye encore, & plus d'occaſion de vous remercier du contentement que j'en recevray, & plus de jugement à recognoiſtre ce qui y eſt de plus louable. Nos affaires ſont icy touſjours de meſme façon, ſans qu'il y ait rien d'aſſez ſignalé pour entretenir nos amis. Les choſes, graces à Dieu, y ſont fort eſloignées des bruits que j'ay ſceu qu'on a fait courir par delà depuis quelques jours: l'Eſpagne ſe prepare en apparence pour l'entrepriſe d'Alger. Je vous ſupplie me conſerver touſjours l'honneur de vos bonnes graces, & me croire à jamais, MONSIEUR,

d'Aix ce 11 Mars, 1604. Voſtre tres humble & obeiſſant ſerviteur,
G. DU VAIR.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, de Paris 4 Janvier 1604. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala *imprimées à Harderwyck* 1624 *in* 8°. *pag.* 331.

MONSIEUR. La derniere que j'ay reçeu de vous eſt du XXIX de Septembre dernier; & ay attendu juſques icy à vous eſcrire, eſperant de jour à aultre que nos imprimeurs uſeroient de plus grande diligence, & qu'en vous eſcrivant je vous envoyerois la premiere partie de mon Hiſtoire: cela m'a faict differer juſques à huy. Vous recevrez donc avec celle-cy trois exemplaires d'icelle, pour diſpoſer d'iceux à voſtre volonté. Si voſtre loiſir vous permet de jetter les yeux deſſus, je vous ſupplie me mander voſtre advis, & m'admoneſter librement, comme vous avez touſjours faict, de mes fautes, leſquelles je mettray peine de corriger en la premiere edition. Je crains que le nombre en ſoit ſi grand qu'il vous eſtonne & deſtourne de ce bon office; mais je ſçay auſſi que vous m'aimez, & ſur cette confiance je ne crains point de vous en ſupplier. Je croy que maintenant vos imprimeurs auront commencé à travailler à voſtre Euſebe, leur diligence n'acconſuivra jamais le deſir que nous avons de le voir, pour le grand fruict que chaſcun en eſpere, & l'honneur que j'en attends, que j'eſtime plus que tous les honneurs que je peus penſer avoir merité de mes ſervices. Dieu vous conſerve voſtre ſanté pour pouvoir achever non ſeulement ceſt œuvre, mais auſſi autres qui ſerviront de rempart contre la barbarie preſente & à venir.

Ex MS. *A Monſieur de Thou Conſeiller du Roy en ſon Conſeil privé, Preſident en la Court de Parlement à Paris.*

MONSIEUR. Je vous remercie trés humblement des trois exemplaires de voſtre Hiſtoire qu'il vous a pleu m'envoyer. J'ay en premier lieu attentivement leu voſtre Preface, laquelle m'a ravi, tant par ſon pur langage, que par l'honneſte hardieſſe dont elle uſe. C'eſt un diſcours digne d'un Senateur, d'un amateur de verité, & d'un genereux Hiſtorien. Je ne laiſſeray jamais ceſt œuvre que je ne le liſe totalement. J'y ay veû l'honorable teſmoignage, qu'il vous a pleu faire de mon bon pere, qui, eſtant digne de louange, ne pouvoit eſtre mieux loué que de vous. De moy, duquel vous auſſi donnez un teſmoignage tel que ſçauroit deſirer un plus habile que moy, je ne diray aultre choſe, ſi non que le lecteur dira que le merite du pere, & l'amitié de l'hiſtorien envers le fils, a eſmeu l'hiſtorien à louer & le pere & le fils. Je vous remercie trés humblement, Monſieur, & au nom de mon pere & au mien. Voſtre ſtile eſt bon Latin, net, & comme une naïve beaulté ſans fard. L'argument eſt gentil, comprenant tout ce qui s'eſt faict en tous les endroicts de noſtre cognoiſſance, tant de ce qui concerne les armes, que ce qui touche les Lettres; comme a faict Diodorus Siculus, la perte des livres duquel eſt une perte de toute l'antiquité. Ce que j'ay peu lire de voſtre œuvre en ſi peu de temps me faict deſirer la ſuite, juſques en ces dernieres années. Il nous le fault donques donner. Nos Flamens ne tarderont gueres à traduire en leur langue ce que vous aurez donné, & d'autant plus deſireront le reſte, lequel il fauldra donner s'il vous plaiſt. Noſtre Euſebe
eſt

eſt ſur la preſſe. On y beſogne aſſez diligemment ſelon la portée des ouvriers de ce pays, mais l'œuvre eſt longue. Elle vous eſt deuë, & vous ſera gardée. Vous m'excuſerez, ſi je vous importune de faire tenir à Aix en Provence, la lettre cy-encloſe. Car je ne trouve aulcun moyen de la faire tenir, ſi ce n'eſt par le graveur Bagauris, qui m'envoya les empreintes des Medailles. Je ſays l'importun, je vous en demande pardon. Je prierai Dieu, Monſieur, vous maintenir en ſa garde.

De Leyden en Hollande ce XIII Mars, 1604.

Voſtre tres humble & tres obeiſſant ſerviteur,
Joseph della Scala.

A Monſieur de Thou Conſeiller du Roy en ſon Conſeil d'Eſtat, & Preſident en la Cour de Parlement à Paris.

Monsieur. Le jugement que j'ay faict de voſtre Hiſtoire, ne procede pas ſeulement de ceſte bonne volonté & affection que je ſuis tenu vous porter, ains d'un advis duquel ſi j'eſtois deſtitué je ſerois un homme hebeté & peu pratic en telles choſes, dont j'ay quelque uſage par la grace de Dieu. Tous les bons entendemens en font meſme rapport que moy. J'ay ſi bien affriandé quelques doctes de ce pays de la lecture de ce livre, qu'il a fallu que je l'aye preſté non ſeulement à eux, ains à d'aultres, à qui ils ont faict feſte de voſtre labeur. Car en ceſte ville du commencement il n'y avoit que mon exemplaire. Entre aultres le bon homme Monſieur Cluſius l'a tout leu, & y a remarqué quelque choſe comme moy auſſi, qu'il fauldra changer en ceſte edition ſeconde qui eſt maintenant ſur la preſſe. Encores que ce ſoit peu de choſe, neantmoins il ne fault rien meſpriſer, quand ce ne ſeroit que pour le regard des calomniateurs. Oultre ce qu'en l'Hiſtoire la moindre varieté eſt reputée à erreur. Je vous remercie tres humblement de la faveur qu'il vous a pleu preſter à Monſieur l'Abbé, qui eſt un jeune homme qui vous peut ſervir à vos eſtudes. Car il tranſcrit fort diligemment & fidellement, ſoit Grec, ſoit Latin: pour ſes mœurs auſſi il eſt digne d'eſtre aimé.* Il fault que voſtre ſecond Tome d'Hiſtoire accompagne le premier. Laiſſez parler les ignorans & les malins, ils ne ſçavent que japper, & non pas mordre. Vous avez obligé à vous la poſterité d'un ſi bel œuvre, & ſi grand entre tant d'occupations. Certes ce labeur eſt digne d'un tel Senateur que vous, ſi bien qualifié & d'integrité de vie & de doctrine. On ne vous peuſt oſter cela. J'ay à la fin impetré que mon Euſebe ſeroit pourſuivi à deux preſſes; & ceſte ſepmaine on procedera à la ſeconde, s'il plaiſt à Dieu, lequel je prieray vous maintenir en ſa garde, Monsieur,

De Leyden en Hollande, ce XX Juin 1604.

Voſtre tres humble & tres obeiſſant ſerviteur,
Joseph della Scala.

Ex Epiſtolis praetermiſſis J. Lipſii, Offenbaci excuſis in 8vo. 1610, pag. 239.

J. Lipſius Iſ. Caſaubono. S. D. Lutetiam.

Thuanum praeſidem audio hiſtoriam dediſſe, ſed adhuc audio; et videre cupio, et amici illius ſcripta (digna auguror) laudare. Lovanii pridie Id. Febr. 1604.

Non obliti ſumus, nos ſequens ex epiſtola ad Lipſium exſcriptum ſupra inſeruiſſe, ſub capite De Thuani hiſtoriae in aula Gallica exceptione; viſum eſt autem illud hoc loco iterare, rerum ſerie poſtulante.

Ex Petri Burmanni Sylloge epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum. Leidae 1727, 4to. Tom. I. pag. 379.

Iſ. Caſaubonus J. Lipſio.

Thuani τῦ πάνυ hiſtoria pauciſſimis exemplis edita fuit, non tam ut publicaretur quam ut regi offerretur, voluntate illius caſura aut ſtatura. Neque enim ambitione impulſus vir ſummus ad eam ſcriptionem acceſſit. Itaque, velut periculi faciendi cauſa, edi ſuis ſumptibus pauca exemplaria curavit. Nunc, cum rex magnus patrocinium ſuum illi prolixe detulit, praelo iterum ſubjecta eſt a typographis: quae editio, ubi fuerit abſoluta

ſoluta, ſtatim ad te mittetur: quod ut tibi ſignificarem egit mecum Thuanus. Puto inaudiviſſe te aliquid de ſermonibus multorum ad primum libri illius conſpectum. Et dubitamus adhuc μισαληθείᾳ laborare hoc ſaeculum, ſi unquam ullum aliud? Atqui illorum querelae potiſſimum ſunt auditae, qui in religionis negotio idem cum ipſo ſentiunt. Indignum ſit relatu quo proceſſerit quorundam furor; quanquam nemo ita fuit impudens, qui palam γρύζειν auderet.

Lut. Pariſ. XII Kal. Apr. 1604.

Ex MS. *et ex epiſtolis praetermiſſis J. Lipſii Offenbaci excuſis*, 8°. 1610. *pag.* 135.

J. Lipſius Jac. Auguſto Thuano S. D. *Luteciam.*

VIR ampliſſime, literas tuas veteres heri ſub veſperam denique accepi; at hiſtoriam tuam nondum, quam tamen Antwerpiae et in vado jam audio eſſe. Judicium de ea quaeris. Ego jam ante legi fateor, neque enim deſiderium ferebam: Et nihil novi poſſum, niſi quod tuus animus tibi dicit. Opus a labore, induſtria, ſtylo laudabile eſt, et vel invidiam ab his habet; utinam non haberet ab iis quae majori quadam libertate, quam aevum hoc ferat, a te ſcripta. Emendare potes, et ſuadeo, ſi amici tamen conſilium admittis. Diſtinctius ſcribere non poſſum, et ſcio te ſcire quae offendant. Si coram adfuiſſem, ante editionem [1] haec audiſſes, neque nunc etiam ſerum eſt. Corrige [2] haec, et placiturum opus. De Douzae noſtri fato credo te audiſſe. Amiſi unum e vetuſtiſſimis amicis, et ego in languoribus aſſiduis animam tamen etiam traho. Vale, vir ampliſſime, et me ſerio tuum ama.

Lovanii VII Idus Novembr. 1604.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, de Paris 20 *Janvier* 1605. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala *imprimées à Harderwyck* 1624 *in* 8°. *pag.* 501.

NOUS attendons tousjours icy voſtre grand œuvre, lequel, comme j'entens, s'avance fort; ce ne ſera jamais ſi toſt qu'il eſt deſiré. Celuy de Bazas eſt ja achevé, mais on le retient tant que l'on peut, & ne ſçay pourquoy, car ceux qui ſçavent juger de telles choſes, ſçavent auſſi combien peu il vous peut deſervir. Si toſt que l'on en pourra recouvrer l'on vous en donnera la veue. Quant à moy, entre l'envie, la haine des grands, les obtrectations, & ce qui me divertit davantage, les continuelles occupations fort alienes des livres, je pourſuis tousjours l'œuvre encommencé, & l'ay deſja conduict jusques en l'an MDXCVI, deliberé de le pourſuivre juſques à la fin du ſiecle, & à la paix de Savoye, qui me ſemble eſtre une Epoque remarquable. Preſſé de l'inſtance que m'avoit faict Mr. de Caſaubon, qui en avoit eſté requis par Lettres, j'avois eſcrit à Mr. Lipſius, & envoyé un exemplaire, & ſembloit qu'il en fuſt fort deſireux, comme de choſe non veue. Il m'a eſcrit depuis peu de jours, & me faict cognoiſtre qu'il l'avoit ja leue, & qu'elle luy deſplait fort, & que la liberté de laquelle j'ay eſcrit ne convient à ce ſiecle. Je ne ſçay ſi je luy dois faire reſponſe: il a fort changé depuis qu'il a changé Leyden à Louvain. Je ſuis le meſme que j'eſtois, & ſeray, s'il plait à Dieu, tousjours preſt de corriger ce que j'ay mal eſcrit. Il m'exhorte fort à ceſte correction, mais il ne dict pas en quoy; tellement que je ne ſuis pas pour recevoir ce conſeil, lequel il dict me donner comme amy; adjouſtant qu'il eſt fort marry, que devant l'edition il ne m'en a pû advertir. Je croy qu'il me renvoye à l'Inquiſition, à laquelle il eſt difficile que la liberté Françoiſe ſe puiſſe aſſubjecter. Il meriteroit une plus verte reſponſe que je ne luy peux faire. Aymez moy tousjours, & je meſpriſeray aiſément telles cenſures.

Ex P. Burmanni Sylloge epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum 4°. *Leidae* 1727 Vol. I. pag. 383.

Iſ. Caſaubonus J. Lipſio S. D.

Lutetiae Pariſ. pridie Kal. Maias, 1605.

P. S. — Salutat te peramanter et officioſe magnus Thuanus, cujus hiſtoriae ne aliquod praejudicium faciat publicatio epiſtolae quam ad ipſum ſcripſiſti, ut communis amborum cultor, te velim rogatum.

NOT. [1] Sic in MS. In ed. Offenb. *hanc.* ; [2] Sic in MS. In edit. Offenb. *Corrige victurum et placiturum opus.*

Ex MS. *A Monſieur de Thou Conſeiller d'Eſtat, & Preſident en la Cour de Parlement à Paris.*

MONSIEUR. Je viens de recevoir la voſtre du xx Janvier paſſé: il n'y a pas long temps que je vous ay eſcrit, & ne doubte nullement que vous n'ayez maintenant ma Lettre. Je m'eſtime tres heureux de l'honneur qu'il vous plaiſt me faire, que de prendre la peine de m'eſcrire en vos grandes occupations. J'ay reçeu enſemble avec la voſtre le *Chronicon* de feu Monſieur de Bazas, où ledit Sieur a employé une merveilleuſe diligence, & peuſt-eſtre quelquefois trop grande, à cauſe qu'il s'amuſe par trop à repreſenter la varieté des manuſcripts là où il n'eſt poinct de beſoing. Toutesfois je defere beaucoup à ſon edition, en laquelle il s'eſt porté fort rudement, & ce que je loue le plus, fort modeſtement, ſans ſe laiſſer eſchapper aulcun mot qui puiſſe offenſer perſonne: ce qui eſt fort rare en ce ſiecle, & meſmement és hommes Eccleſiaſtiques, és eſcrits deſquels *hypotheſis eſt πάρεργον, maledicentia ἔργον.* Mais les editions de nos Euſebes ſont bien differentes l'une de l'aultre, & ce en beaucoup de manieres. On pourſuit tousjours la noſtre un peu plus diligemment qu'auparavant. Mais ce n'eſt pas pour en voir ſi toſt la fin. Nous employons tout ce que nous pouvons pour embellir ceſt œuvre, & avoir ceſt honneur, que de luy donner la lumiere [a] ſoubs voſtre Nom. J'adjouſte à mes Notes *Canones Iſagogicos*, qui ſeront l'ame de ceſte edition, & dont j'eſpere que les gens de bien en recevront du fruict, & du contentement. Je remonſtre bien à Clavius ſon ignorance, ſa ſtupidité & orgueil, qui a gaſté l'année Gregorienne, & laiſſé ſi pleine de reſveries & follies que je m'eſtonne que tant d'yeux ne s'en adviſent. Tant eſt grande la brutalité de ceux qui ſe vantent de ſavoir quelque choſe! Pour le moins ils devoient adviſer de l'abſurdité qu'on commet ceſte année 1605 en la celebration de la Paſque, qui devoit tomber au jour qu'ils ont celebré Paſques fleuries. Il eſt incroyable la grande ignorance & barbarie de ceux qui ont ceſte affaire en maniement, qu'ils s'en ſoyent acquités ſi pauvrement, avec une telle marque d'ignorance, que tout le monde en ſera eſtonné, quand on le lira en nos demonſtrations. Pourquoy vous vous pouvez aſſeurer, que noſtre Euſebe, mais pluſtoſt voſtre, ſera un treſor des merveilles de la Doctrine chronologique; laquelle j'ay affranchi de la tyrannie des preſomptifs, de la profanation des ignorans, & de la ſycophantie des meſdiſans. Nous ne faiſons poinct de ſcrupule de dire que toute ceſte matiere eſt noſtre, en laquelle nul n'y a encores rien veu; non que j'aye plus d'entendement qu'un

[a] *Scaliger in Euſebii ſui ad Thuanum dedicatione, poſt ampla prolegomena ad operis argumentum et rationem ſpectantia, in ejus laude hiſce ſequentibus verbis finem facit.*

CUI juſtius hoc opus dicare potui quam tibi, cujus ſi dotes animi, vitae integritas, mores leniſſimi, ſingularis moderatio, mihi ex aliquo uſu, qui inter nos olim interceſſit, nota non eſſent, tamen cogerer ſcire quod publica fama ignorari non ſinit? Eo enim loco poſitus es, ubi illae praeſtantiſſimae dotes latere in tenebris atque abditae eſſe non poſſunt. Nam de eruditione tua neminem latere poteſt, niſi qui literas neſcit; et qui eas neſcit, tamen ab iis qui ſciunt id intelligere potuit. Quum autem multae cauſae ſint quae homines lucubrationes ſuas ad inſignes viros mittere inducunt, et nullae earum non aliquo probo argumento nitantur, nullum tamen juſtius eſſe judico, quam quo aliquis perſuadetur id dicare, quem intelligentem ſciat eſſe eum cui dicatur. Qui enim librum accipit quem non intelligit, animo offerentis, non libro, obligatur. Doctus vero, et peritus earum rerum quae offeruntur, non minus dono quam donantis animo capitur. Et quidem plerumque accidere poteſt, ut cujus ſtatim obliviſceretur, ejus meminiſſe cogatur, quum ejus librum legerit; aut impenſius amare quem antea diligebat. Eo juſtius propoſitum noſtrum eſt; quod ſcilicet non ſolum quam amico, ſed etiam quam erudito viro, hoc opus mitto: Non utique quod ex ejus lectione ad amorem noſtri plus accedere poſſe ſperem, aut optem; ſed quia, quemadmodum homines judicio deligere, ita libros legere ſoles, ſpes eſt hunc librum commendationem apud eruditos meriturum, magnam quidem quod nomine tuo divulgatus ſit, majorem vero quod dignum eum cenſueris quem legeres. Lecturum autem ex eo ſpero, quod hiſtoria ejus praecipuum argumentum eſt, cujus te tam peritum eſſe, ut ejus pater merito dici poſſis, nemo eſt qui negare poſſit, qui quidem illud tuum hiſtoriarum luculentiſſimum volumen legerit; cujus ſcripti tanta eſt apud bonos gratia, tanta apud eruditos commendatio, ut, quia duas res, hodiernis hiſtoriarum conditoribus raras, nitorem ſermonis cum veritate conjunxiſti, quarum alterutra ſatis per ſe potens eſt ut amatores habere poſſit, vix eſt ut ulla ſcriptio in eo genere plures lectores nacta ſit, praeſertim quum τηλαυγὲς πρόσωπον κρηπῖδα poſueris, divinum dico illud prooemium, tanquam veſtibulum aeterni ſacrarii, quod qui legerit, facere non poterit quin ad totum opus contento ſpiritu ſeſe conferat; in quo lector neque in ſenatore dignitatem, neque in hiſtorico fidem, neque in ſcriptore elegantiam deſideret. Et quia ſtatum eſt illud, orationem qualis ſumus indicio eſſe, quod tamen in Salluſtio falſum deprehenditur, quem vixiſſe aliter ac ſcripſiſſe veteres perhibent, non minor laus tuo operi a fide et integritate tua, quam tibi ab ejus nitore et elegantia, contigit. Tanta vero eſt lectorum aviditas, ut libros, quos jam emiſiſti, non juſtum opus, ſed aliorum vades et ſponſores eſſe exiſtiment. Itaque non jam lectores habes, ſed flagitatores, qui a te ſperare audeant quod jure exigere poſſe arbitrantur. Quia non is ego ſum qui illorum fervori frigidam ſuffundere velim, ut qui non minore deſiderio quam illi caleam, mitto tibi hunc librum, tanquam metatorem tuorum; in quo non ſolam hiſtoriam, cujus et amantiſſimus et peritiſſimus es, ſed animam hiſtoriae damus: Ita enim chronologiam appellare ſoleo, ſine qua hiſtoria non ſpirat; quae quanto multis ſcriptis, tanto chronologia illi praeſtat ut corpori anima. Quod ſi aliquid ponderis tum vetuſtas rerum, tum auctoris meritum commendationi addere poteſt, praeſtantiorem Euſebio in hoc genere dare, digniorem vero ad quem illum mitterem, quam te, eligere non potui. Vale, Lugduni Batavorum Kal. Junii, 1606.

Digitized by Google

qu'un aultre, mais d'aultant que j'ay pris ceſte matiere à cœur : ce que je n'ay pû perſuader aux aultres d'en faire autant. Mais il fault eſtre fourni d'aultres moyens, que ne ſont ceux que ce monſtre d'ignorance Clavius y a apporté, lequel ſi on oſte hors de ſon Euclide, il n'y a enfant ſi nouveau qu'il ſe trouvera. Certes je puis dire qu'on verra en noſtre edition ce qu'on n'a encores veu. Je ne le dis qu'à vous, Monſieur, qui me cognoiſſez. Car quant aux autres, j'ayme mieux qu'ils le cognoiſſent par l'œuvre, que par aſſeurance que j'en puiſſe faire de bouche. Vous faites bien de pourſuivre voſtre Hiſtoire, qui eſt ſi bien venue, ſi cherie, & louée des doctes & gens de bien ; ſur tout le proëme qui eſt l'eloge de vous meſmes, le teſmoignage de voſtre probité, le monument de voſtre ſçavoir, & de la practique que vous vous eſtes acquis és affaires du monde, pour les publier en ce beau Theatre du monde qui eſt voſtre Hiſtoire. Celui qui vous a repris ſur la liberté du dit proëme parle en eſclave des Loyolites, tel qu'il eſt : qui eſt devenu ſi idiot que la pluſpart de ceux qui l'eſlevoient juſques au ciel, ſe mocquent de luy & commencent à dire *δὶς παῖδες οἱ γέροντες*. Il ne s'eſt pas contenté de s'eſtre eſchaffaudé de ce ridicule [1] eſcrit des miracles, qu'il en a eſcrit un [2] aultre ſur meſme ſujet. Il n'y a difference que du lieu & des miracles. Je ne ne doubte nullement qu'à Rome il n'y ait des renards qui ſe mocquent de l'imbecillité de ceſt eſprit, de s'eſtre tant abaiſſé que d'eſcrire ce que les plus bigots de qualité n'oſeroient avoir eſcrit. Vous ne devez, ſauf voſtre meilleur advis, luy faire reſponſe, car il ne le merite poinct. Je ne reſte de luy eſcrire nonobſtant ſon idioterie, d'autant que je ſuis conſtant en amitié. Mais j'abuſe de voſtre patience, ſans avoir eſgard à vos occupations. Je prieray doncques Dieu, Monſieur, vous maintenir en ſa garde.

De Leyden le 8 Avril, qui devoit eſtre Vendredi devant Quaſimodo 1605.

Voſtre tres humble &
tres obeïſſant ſerviteur,
JOSEPH DELLA SCALA.

Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, tirée des Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala *imprimées à Harderwyck, 1624 in 8°. pag. 332.*

MONSIEUR. Nous attendons icy bien toſt voſtre Euſebe, ſuivant l'eſperance que vous nous en avez donné, & à moy en particulier, qui recevray l'honneur qu'il vous plait me faire, comme le plus grand que j'aye jamais receu, & que je puiſſe recevoir en toute ma vie. Vous ne vous devez beaucoup ſoucier de ce qu'en diront & eſcriront les ignorans & envieux, & crois qu'il n'y a meilleur moyen de ſe venger de leurs meſdiſances qu'en les meſpriſant. Ceſſerez vous aprés ce grand œuvre ? ja Dieu ne plaiſe, que ce grand & capable eſprit qu'il luy a pleu mettre en vous, ſoit oiſif d'ores en avant, & ne continue à travailler pour le public. Pourſuivez donc & employez le cours honorable de voſtre vie à bien meriter, ſi non de ceſt ingrat ſiecle, au moins de la poſterité, qui vous rendra ce que les vivants vous denient. Le Joſephe a beſoing de voſtre induſtrie. Si vous vouliez recueillir les obſervations que vous avez, tant ſur le Vieil que Nouveau Teſtament, ſans vous aſtreindre à continues Annotations, vous obligeriez beaucoup le public. Quoy que vous faſſiez ſera bien receu d'un chaſcun : ne vous arreſtés à ces gueſpes importunes qui ne ſont que bruit & picquer exterieurement. Donnez cela à vous meſmes, c'eſt à dire à vos amis, & à la poſterité. Prenez en bonne part, s'il vous plait, ceſte obſecration publique ; & me conſervez touſjours en vos bonnes graces. En ceſt endroict je ſupplie noſtre Seigneur, Monſieur, vous donner en parfaite ſanté ſa grace.

De Paris ce 1 May, 1605.

Voſtre bien humble & tres
affectionné ſerviteur.
J. A. DE THOU.

Ex

NOT. [1] De Diva Virgine Hallenſi. [2] De Diva Virgine Sichemenſi.

Lipſe aprés avoir fait un volume entier des Miracles de Noſtre-Dame de Hall, luy dédia ſa plume. Surquoy Scaliger fit ces vers :

Poſt opus explicitum quod tot miracula narrat,
Pennam Lipſiades hanc tibi, Virgo, dicat.
Nil potuit levius pennâ tibi, Virgo, dicare,
Ni forte eſt levius quod tibi ſcripſit opus.

Menagiana, Tom, II. p. 382. Amſt. 1713. in 12°.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, de Paris 6 *Nov.* 1606. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck* 1624 *in* 8vo. *pag.* 507.

MONSIEUR. J'ay receu à mon retour de Perigort voſtre Lettre du XXIII Septembre ; enſemble les exemplaires de voſtre Euſebe, qui ont eſté diſtribuez ſuivant voſtre memoire à ceux à qui vous les aviez deſtinez. Je crois qu'ils vous en remercieront par leurs Lettres. Pour moy, je n'ay point de paroles dignes pour exprimer l'honneur que je recognois avoir receu de vous, ayant voulu que mon nom parut au front d'un tel œuvre, lequel, d'obſcur que j'eſtois me rendra illuſtre à la poſterité, & de mortel me ſera immortel. Il n'y a graces ny faveurs en ce monde de qui j'euſſe pû eſperer ce bien, qui eſt tel que je n'ay rien que je puiſſe vous donner ou oppoſer en contr'eſchange, ſinon une ingenue confeſſion du bien meſme, avec une obligation perpetuelle dont je ne me pourray jamais acquitter envers vous. Vous aurez maintenant receu les exemplaires de la ſeconde partie de noſtre Hiſtoire. Si elle vous faict perdre quelques heures, vous me ferez ſçavoir à voſtre loiſir voſtre prudent advis. Je deſire eſtre adverti des defauts qui y ſeront remarquez, pour les corriger à la prochaine edition.

Ex MS. *Ampliſſimo et illuſtri viro Jac. Aug. Thuano, ſacri Conſiſtorii conſiliario et ſenatus Pariſienſis praeſidi digniſſimo, S. P. Lutetiam.*

VIR ampliſſime. Haud etiam diſplicuiſſe tibi Inſcriptionum noſtrarum farragines, valde laetum fuit. Arbitror enim univerſo me orbi placuiſſe, cum tibi placeo, cujus omnia orbi toti perplacent. Nam quod ſubindices eſſe quoſdam apud vos et in Italia qui operi illi hiſtorico inſigant genuinum, quid mirum? Iidem illi ſunt, qui nihil probant niſi quod ipſi faciunt, toti lividi, toti ſanguinantes, hoc eſt, quibus ſub ſpecie humana animus ſerpentis aut lupi ; adeo quidem, ut ſi iis omnibus qui vel minimum quid ab ipſis ſentiunt unam optare poſſent cervicem, univerſis jam et ſingulis ſuum periiſſet caput. Apud nos ſane (quos jam ante plures menſes tanto bono beavit Dominus Bongarſius) ita paſſim laudaris et aeſtimaris, ut nemo ſit ingenii judiciique ſelectioris, quin Thuanum in ore, in oculis, in animis geſtitet aſſiduo. Exoſculantur imprimis praeter ſummum candorem, praeter incredibilem moderationem, notam illam rarae comitatis, quod non deſpexeris ſcilicet ingenia hujus ſaeculi, ſed ut vivorum aliquot ſic defunctorum pluribus monumentis ſuam ſibi laudem liberali praeconio conſecraveris memoriae aeternae. Narro tibi, mi Domine, hactenus Europa te indigebat, qui viam nobis et faceres ſimul et munires ad liberam veritatem, ad candidam modeſtiam : Quae Deae hactenus ita in neſcio qua avia defoſſae fuerant ſolitudine, ut nemo hactenus ad eas iter affectare auſus, ſtellas ſecutus duces, ut ſit in itinere Syrtico ; vix vero unus atque alter eiſdem adſpirarit voto aperto. At tibi nunc gratia uni ; per quem ſemita nobis ſtrata, exornataque inſuper columnis, quaſi mille. Pro libri ejus munere plurimum te, mi Domine, amo, exemplar alterum curaturus prima opportunitate mittendum Domino Velſero, quem non dubito quin te dudum aeſtimet ac colat ex vero ; id eſt, ut virtus tua, ut doctrina incomparabilis merentur. Patri Schotto perſcripſi quae volebas circa Gomecium Covarruviam, Blancam, Loiolam, Mendozam : Quamprimum reſcripſerit, faciam certiorem. In natalibus emortualibuſque priorum nihil hactenus expedii, niſi aliquid quod heic vides. Goltzius certo Brugis obiit : perquiſivi patrueles, imo et filium ejus, de anno et die ; adhuc tacent : Iterato nuper compellavi, et expecto reſponſum. Liberaliſſimam tuam oblationem ſerio amplector, eique animo tuo jam inde ampliter obligor, magis adhuc obligandus, ſi viſum fuerit tuo Bongarſio petere meo nomine unum alterum MS. bibliothecae regiae, ad editionem Tacticorum Mechanicorumque Graecorum. Aberrationes in rebus Germanicis, ſi quae vel fidiculis erui poterunt ab veris Germanis earum ſtudioſe curioſis, ſubmittentur eidem Bongarſio : At ut veſtri ſecuri ſint a librariis hujus coeli, nihil praeſtabit, niſi unum privilegium imperatoris noſtri, paſſim dari ſolitum ; ut ſcies ex rerum iſtarum callentiſſimo Domino Bongarſio. Vale et ſalve, vir illuſtris, a me,

JANO GRUTERO
gloriae tuae ſolide devoto, qui haec
praecipitabam die 14 Aprilis, 1604.

Ex

Ex MS. *Viro ampliſſimo Jac. Aug. Thuano curiae Pariſienſis praeſidi.*

Salve, vir ampliſſime. Janus Gruterus, communis, opinor, amicus, cum hiſtoriae a te ſcriptae exemplum, tuo juſſu mihi tranſmittendum, apud ſe eſſe dudum ſignificaſſet, quam expectationem meam incitaverit noli quaerere. Sed idem me incredibili deſiderio, per tres quatuor ſolidos menſes, propemodum confecit: Callipidi enim neſcio cui Lentulo commiſſo libro, me ejus vix nunc demum compotem fecit. Legere adhuc unam integram aliquam pagellam non licuit. Interim gratias quam poſſum maximas habeo agoque, nudas cetera, quod ipſum Gratiarum eſt, niſi affectus iſte in te meus, quem nobiliſſimo Vicquio tui amantiſſimo coram teſtatus ſum, decorem afflet. Certe, ſi quid ſit quod ego tibi gratificari hic unquam poſſim, res dicat quanto ego operam meam quam verba tui ſimilibus probare malim. Vale, Auguſtae Vind. xix Kal. Sept. anno 1604.

Dignitatis tuae ſtudioſiſſimus
Marcus Velserus

Clariſſimo Caſaubono ſalutem aſcribo, et de Pompilii Amaſaei in Polybium lucubrationibus quid fieri velit expecto.

Ex MS. *Anonymi cujuſdam.*

Quid Velſerus ad Gruterum de Thuano ſcribat, habes in charta adjuncta: Non tenebunt illum magnum virum iniqua judicia eorum qui unice oppreſſam cupiunt veritatem et libertatem: Praeviderat haud dubie iſta omnia.

" Thuano neſcio quam cenſuram parari muſſant ad ipſum privatim mittendam, " nec publicae adhuc luci committendam; quod in eam partem interpretor, quo poe" nitentiae honeſtior ſit locus, ſicubi viſum fuerit mutare ſententiam. Quicunque ejus rei " auctor, ſi judicium potius quam immoderatos affectus ſequi amat, amici ſine dubio of" ficio fungitur, et inſolitum Thuano officium praeſtat. Qui enim lucubrationes tuas " publice mordeant, et, ſiquid impegeris, tanquam praeconio divulgent, multos hodie " reperias; perpaucos qui intra velum erroris admoneant. Auguſtae Vindelicorum viii " Id. Septembris 1604.

Ex MS. *Viro ampliſſimo Jacobo Auguſto Thuano curiae Pariſienſis praeſidi.*

Salve, vir ampliſſime. Munus tu facilius iteras, quam ego gratiarum actionem. Fatendum enim, verba me deſtituunt, quod ea inanitatis et nuditatis ſuae adverſus repetitae humanitatis liberalitatem ſuppudeat. Una excuſatio, Gratias ab omni antiquitate nudas eſſe, ne nunc quidem morem migrare. De cenſura quod petis: Magna eſt futura ſcriptionis ad omnem poſteritatem ſine controverſia commendatio: De rebus, Palaemon ego non ſedeo, nimis quam difficile homini nato affectus exuere, et ſemper recta ad veritatis ſcopum collineare. Caroli et Franciſci, exempli cauſa, hiſtoriam, qui non aliter Gallus, aliter Germanus narret! nec unquam alter alteri, quod veriſſimum eſſe ipſe credat et quovis pignore contendat, tamen perſuadeat. Jam in ceteris eadem eſt ratio; ubi praeſertim ad conſilia, ad jura provinciarum, ad bellorum cauſas, ad privatam principum vitam, et multo maxime ad cauſam religionis ventum. Veritas fere imo puteo latet, nos ſummam ſaepe pro ea aquam libamus, aliena praeſertim fide tanquam hauſtris uſi. Hoeſchelius officioſam ſalutem remittit: Quam ego Cl. Caſaubono dictam volo. Ad Titium de Polybianis Amaſaei lectionibus ſcripſi. Tu me, vir praeſtantiſſime, conſtanter ama. Vale. Auguſtae Vind. x Kal. Novembris, an. 1604.

Dignitatis tuae ſtudioſiſſimus,
M. Velserus.

Inter manuſcripta noſtra hoc ſequens, epiſtolae ſpeciem prae ſe ferens, quamvis nulli inſcriptum nec ab ullo ſubſcriptum, invenimus. Jo. Hen. Boeclerus tamen, qui (Com. in Tac. Argentorati 1664, 8°. pag. 650.) illud in vulgus edidit, a Scipione Gentili ad Bongarſium ſcriptum fuiſſe dicit.

Augustae nuper et Monaci fui. Cum multa alia me in iis urbibus delectaverunt, tum in primis Marci Velſeri ſingularis erga me humanitas, doctiſſimique ſermones. Illud diſplicebat tamen vel maxime, quod iniquior mihi viſus et paene ſubacerbus in hiſtoriam Thuani veſtri, vel potius noſtri: Neque tamen ſatis dicere poterat, quid ab

illo peccatum. Duntaxat dicebat nimis eum ſuis Gallis contra Germanos favere, et Caroli quinti ſingillatim res et virtutes preſſiſſe: in quo ego exclamavi; nihil enim unquam ab ullo hiſtorico in ullius hominis aut imperatoris laudem tam magnifice et tanto ſtudio ſcriptum memini legiſſe, quam a Thuano de Carolo Caeſare omnibus paene lineis hiſtoriae ſuae, ubi res illas attingit: legi enim ſaepiſſime. Tum ad religionem converſus, plus Thuani hiſtoriam Catholicae religioni nocere dicebat, quam Sleidani, quod huic minus creditur ob ejus in Catholicam religionem odium: Thuanum vero, illo loco, illa dignitate, illa profeſſione, ita paſſim et tanto affectu Proteſtantes laudare, defendere, ac prope in ipſo judicio cauſam eorum ſuſcipere! Ad quae cum reſpondiſſem quae videbantur de officio hiſtorici, et Thuani fide ac libertate; tum ille: In ſupplicio, inquit, Annae Burgae quam ſeſe prodit! ut non abſtinuerit a tragicis fere exclamationibus et lamentis! Ejuſdem generis multa alia et de ipſo et de Scaligero afferebat, quae nihil neceſſe commemorare, ac ne libet quidem; audivi enim perinvitus. [1] Sed de Thuano tamen neſcio quid atrocis mandati a duce Bavariae aliquando miſſum ad Octavianum Fuggerum, ut id Mareſchallo Boiſdelphinio legato regio Auguſtae inſinuaret, ob carmina neſcio quae in ducem Bavariae acerbiſſima a Thuano ſcripta; quae negabam vidiſſe me. Cetera vir eſt optimus et humaniſſimus, et cui vix parem in illis literis quas tractat in Germania noverim. De me, et de illis qui Romae animam, vitam et exiſtimationem meam, me inſcio, prope addixerant, audies plura a Lingelſhemio noſtro, ſi res tanti tibi videatur, quae tamen me varie perturbatum habuit ob rumores et querelas.

Ex epiſtolis G. M. Lingelſhemii ad Jacobum Bongarſium, Argentorati 1660, in 12°. p. 205. Ep. 61.

QUID, quaeſo, illud eſt, quod Velſerus de [2] carmine Thuani, quo offenſus Bavarus? Heidelb. 18 Sept. 1605.

Ex epiſtolis Marci Velſeri ad Joſephum Scaligerum, inter alia ipſius opera Norimbergae editis, 1682, in folio, p. 805.

M. Velſerus ad Joſephum Scaligerum.

SED in Euſebio, vis me ſerio impudentem eſſe? Poſtquam lentitudinem typographi et operis molem incuſas, ſuſpicor finem autumnales nundinas ſpectare: Itaque audebo petere, ut his vernalibus folia, quotquot abſoluta erunt, non gravate communices. Dicat aliquis, mi Scaliger, te hoc cum humanitati tuae, tum amori meo, debere; ſed tamen negare, per me quidem, liberrimum eſt: Recte enim vos Galli, quantum memini, vernaculo proverbio, Audaci flagitatori audacem negatorem opponitis. Auguſtae Vind. XII Kal. Febr. An. 1604.

Ex epiſtolis Joſ. Scaligeri, Lugduni Batavorum editis, 8vo. 1627, p. 401.

Joſ. Scaliger ad M. Velſerum.

DE foliis quae jam excuſa ſunt ad te mittendis nondum mihi non ſine cauſa perſuaderi paſſus ſum. Nolo enim, ſi quid bene feci, te imperfecta voluptate frui; ſin autem male, bis me traduci: Satis enim fuerit aut te ſolido gaudio affici, aut me ſemel male poſiti ſtudii poenas luere. Omnia enim ita inter ſe cohaerent, ut ſequentia ſine antecedentibus intelligi non poſſint. Non morabor deſiderium tuum; primus omnium ex fornace calentem accipies. Lugd. Bat. V Kal. Sept. 1605.

Ex epiſtolis M. Velſeri ad Joſ. Scaligerum, pag. 809.

M. Velſerus ad Joſephum Scaligerum.

MIRUM quam nos deſiderium Euſebii tui exerceat; eo quidem acrius, quo longiorem ſpem poſtremis literis feciſti. Meminiſſe enim potes, te ſcripſiſſe, fruſtra tam cito expectari; nondum ad dimidium perventum eſſe, operas quaeſtus ſui cauſa plerumque alia interjicere. Prope erat, ut ad petitionem ſemel negatam redirem; ſi nundinis toto opere excludereris, ſaltem ne partem in guſtum invideres. Sed vicit pudor; et, ſi verum dicendum eſt, hoc potentior modeſtiae magiſter, iteratae repulſae metus. Itaque, quando

NOT. [1] Addit. ex MS. [2] Si Thuanus unquam tale carmen ſcripſerit, (quod quidem nobis minime conſtat) nos fugit.

do in hanc partem te obfirmaſti, et coronis omnino expectanda eſt, quod proxime conſequitur impetrari patieris; ut, extra etiam nundinas, librum a praelo adhuc calentem et madentem Amſtelrodamenſi via ſtatim ad me mittas. Aug. Vind. prid. Non. Jul. an. 1605.

Ex epiſtolis Joſ. Scaligeri, in 8vo. pag. 486.

Joſ. Scaliger ad Marquardum Freherum.

DE Euſebii paginis ad N. mittendis, non fuiſſet opus gratiam tuam interponere, quae plurimi apud me eſt, ſi jamdudum hoc illi indulſiſſem: Jam enim illi negavi. Nam cui bono ἀπεσπασμάτια et mei operis lacinias ad illum mittam, ad quem res non pertinet, priuſquam ille accipiet cui dedicare deſtinavi? Tam ineptum, me facere hoc, quam incivile eſt illum hoc a me poſtulare. Egone ut illi mea mittam, quae ille amicis ſuis et deliciis, hoſtibus meis, Loiolae mancipiis, communicet? Si non eo conſilio id a me petit, ergo eſt ambitio, ante tempus partem operis inſpicere malle, quam cum otio totum opus legere ac perlegere. Non potui ſatis mirari conſilium hominis adeo prudentis, et, quod caput eſt, optime de me meriti, addo et chariſſimi, et de quo, ſi omnia magna praedicavero, minus quam pro merito illius dixero. Lugd. Bat. III Eid. Martii Juliani, 1606.

Ex Peireſkii vita per Petrum Gaſſendum, 4to. Pariſ. 1641, pag. 82. ſub anno 1605.

PRIMUS quem geſtiit Peireſkius ſalutare, Auguſtus ille Thuanus fuit, tum ut ob ſummam humanitatem ageret coram gratias; tum ut ab illo acciperet, ſi a Scaligero quid haberet. Quanta vero laetitia exceptus ab eo fuerit, exprimi non poſſe ipſemet narravit. Aperta nimirum ſtatim bibliotheca tum privata, tum regia; apertum quicquid monumentorum ad contexendum hiſtoriam aſſervabat in ſcriniis; apertum cor et viſcera ſinceritatis mirae proſuſa. Ipſe tum plura edocuit, quae ille de viris in Italia eruditis expetiit; tum, quia nonnihil deſiderabatur ad conſcribendum eorum elogia, recepit ſe per literas ex amicis conſequuturum. Cum iterato illum inviſit, accerſitus illico fuit Iſaacus Caſaubonus, cui ſub Thuano commiſſa erat bibliothecae regiae cuſtodia. Is a primo ſtatim congreſſu, neſcias an magis ſuſpexerit, an amaverit illum magis. Nimirum tam multa accepit edoctuſque ab eo fuit, ut nec publice, nec privatim per familiareis literas tacere id potuerit.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Scipio Gentilis.*

AMPLISSIME et illuſtriſſime vir. Accepi his diebus Heidelberga literas a conſiliario principis Lingelſhemio, quarum in extremo ſic erat, *Thuanus pollicetur ad proximum mercatum Francoſurtenſem* XX *praeterea hiſtoriarum libros.* O virum immortalitate dignum! Hoc nuncio vehementer exhilaratus fui, ut qui deſiderium reliqui operis paene impatienter feram, et ne qua res te ab incepto retardaret metuebam, in tanta judiciorum iniquitate et temporum. Periculoſae plenum opus aleae, ſed te egregie munitum adverſus invidiam et calumniam cum ex cetera tua vita intelleximus, tum ex his quos edidiſti libris plane perſpeximus. Nunc eſt quod te rogem: Superiore anno cum cognitum eſſet Lucam Oſiandrum, theologum in his locis non obſcurum et Joh. Sturmii inimicitiis olim nobilitatum, multa foede graviſſimeque in ſuis annalibus eccleſiaſticis, vel (ut ego appello) Voluſianis, ſcripſiſſe contra academiam hanc noſtram, valde animi omnium commoti fuerunt, meque Norimbergam miſerunt ſciſcitatum aliquid conſilii ab ampliſſimis Dominis noſtris civitatis principibus, quo hominis barbari et ſpurci et ſcriptis ſuis digni inſolentia retundi poſſet. Reſponſum tuli, ut quieſceremus, ſilentioque refelleremus deliri et virulenti ſenis amentiam, qua non ſolum in hanc academiam atque alias, ſed etiam in ipſum ſenatum eſſet Norimbergenſem petulantiſſime debacchatus: ita ſe a patribus accepiſſe, atque ita ipſos ſervare, ut ſcriptiones polemicas iſtas et contentiones nolint in republica ſua pati, praeſertim in negotio religionis. Tacuimus igitur. Sed hoc ſilentium noſtrum atque adeo veſani hominis injuria, ut in bonum et gloriam nobis convertat, in tua, clariſſime Thuane, poteſtate et aequitate poſitum eſt; unum tuum verbum cum laude hujus academiae conjunctum pluris a nobis et poſteritate omni fiet, quam omnium non modo Oſiandrorum obtrectationes et maledicta, ſed mehercle bonorum et eruditorum commendationes atque encomia: teque, ut facias, majorem in modum nec mea ſolum, ſed omnium, etiam mortuorum, cauſa et nomine rogo. Nam et mortuos hyaena iſta laceravit, nominatimque Donellum noſtrum, qui fuit lumen hujus academiae nec Galliae veſtrae poenitendus. Pluribus ne te rogem facit cum inſtituti tui ratio, qui privatos etiam ſaepe homines, quos aliqua literarum vel ingenii fama commendavit, ornare in hoc tuo praeclariſſimo opere ſoles, tum juſta

ratio petitionis meae, tum denique ſingularis humanitas tua, qua me olim Lutetiae complexus es, quamque ego et oratione publica quam de itinere illo meo frequentiſſimo auditorio habui, et privatim ſermonibus praedicavi; nec, quotieſcunque ſe occaſio tulerit, praedicare deſinam; ne quid hic de virtute et ceteris tuis laudibus ampliſſimis dicam. Bene vale, vir nobiliſſime, et ſcriptioni huic meae a pietate, ut vides, profectae ignoſce. Altorphio xx April. 1605.

Ex Marq. Gudii et doct. virorum ad eum epiſt. curante P. Burmanno, Ultraj. in 4°. 1697. p. 162.

Jac. Aug. Thuanus Scipioni Gentili S. D. *Altorfium.*

SERIUS ad tuas Altorphio xx Aprilis anno ſuperiore datas reſpondenti nolim ſuccenſeas, mi Scipio. Ecce nunc, qui moram excuſet, ſecundum hiſtoriarum noſtrarum tomum ad te mitto. Nam nolui te immuneratum poſt tantam temporis intercapedinem adloqui. Quod a me petebas libentiſſime feciſſem, et nunc faciam, ſi occaſionem faciendi in manus dederis; non quod [1] tanti faciam teſtimonium noſtrum, ut academiae veſtrae, et fama et tot doctiſſimorum profeſſorum doctrina celeberrimae, [2] exactiſſimarum diſciplina et optimis legibus fundatae, [3] quidquam ornamenti ex eo poſſit accedere; ſed [4] amici precibus quidquam tale denegare non ſolum inhumanum, ſed etiam iniquum eſſe exiſtimavi. Igitur de [5] initiis veſtrae academiae, qui praecipue in ea ex quo coepit profeſſores excelluerint, et ſi quae alia ad ejus commendationem ſingularia habes, [6] ante omnia edoceri cupio. Tum ſcire velim, quo ſpiritu [7] veſano incitatus Lucas Oſiander, quibus verbis eam laceſſiverit. Hugo Donellus noſtras minime tacebitur, [8] cujus jam honorificam mentionem alibi fecimus, nimirum cum de tumultu Lugdunenſi in Batavis loqueremur: Verum annales ſcribenti ex annorum ſingulorum ratione occaſio capienda eſt, ut de iis rebus, quae quaſi extra hiſtoriae corpus poſitae longius a [9] publica negotiorum tractatione abſunt, ſermo ſuo loco injiciatur. His de rebus ſi diligenter ad me perſcripſeris, efficiam ut tu collegaeque tui intelligant maximum pondus in tuis ad me literis fuiſſe. Siquid aliud tua cauſa poſſum, me ad omne [10] obſequium ſemper paratiſſimum experieris. Conrado Riterſhuſio plurimam a me ſalutem, cui et exemplar his adjunctum tradi curabis. Vale, vir doctiſſime, et me ama.

Ex Villaboniano noſtro xv Kal.
VIIbr. CIↃ.IↃC.VI.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Scipio Gentilis.*

NUNQUAM exiſtimaviſſem, vir ampliſſime, mihi verba defutura, quibus tibi gratias agerem vel gaudium meum exprimerem, quod ex literis tuis, ſingulari humanitate ſcriptis, cum tranſmiſſo una munere hiſtoriae tuae cepi; ſed et gratias eo majores tibi actas putabis, quod is, qui debet, ſe agere non poſſe fatetur; et gaudium meum quantum fuerit, ex eo optime intelliges, ſi tu modo cogitabis a quo illud profectum eſt: Quanquam non hoc primum tempore liberalitas erga me tua beneficiaque lucere coeperunt: Jam ante complures annos, cum vix tibi notus eſſem, commendatione Jac. Bongarſii, tu pro me egiſti quae optare a tali viro ſuperbum foret, nedum ſperare: Quorum omnium beneficiorum ita memoriam apud animum meum ſervo, ut tamen promam ea ſaepe ad alios, etiam ambitioſius, dum ex benevolentia erga me tua nonnihil ſtudeo velificari honori meo. Illud tibi velim certo perſuadeas me unum omnium tibi addictiſſimum eſſe: Simplicius dicere quicquam non potui, nec verius. De negotio illo academiae noſtrae non minores, quam pro meipſo, gratias debere ſentio. Quae infelix homo infeliciſſimis ſuis annalibus illevit, infra ſubſcripſi; indignus tamen is, cujus nomine hiſtoria tua deformetur, multo magis quem laudet. Alterum exemplar hiſtoriae tuae, ut juſſiſti, Ritterſhuſio noſtro: Iſque dixit ſe tibi ſcripturum. Ego non minori aviditate et celeritate perlegi, quam priores libros, imo ſane majori, quod ad nova et maximorum caſuum atque admirabilium facinorum plena feſtinaret animus, quae te pari libertate expoſiturum non dubito. Nec profecto quicquam in hiſtoria omni tua vel gratius eſt vel admirabilius quam libertas iſta et φιλαλήθεια. At patres illi fibulati et eorum diſcipuli carpunt: Quidni? Ita me Deus amet ut periiſſet omne pretium hiſtoriae tuae ſi illis placeret; nolo enim dicere, ſi placere ſtuduiſſes. Te magno et erecto animo adverſus gratiam et molem vel ſuſceptae invidiae vel imminentis eſſe certo ſcio, tibique et reipublicae plurimum ob eam rem gratulor. Vale, vir nobiliſſime.
Norimbergae III Decemb. 1606.

Lucas

NOT. [1] MS. noſter habet *tanti putem nomen aut elogium noſtrum* [2] MS. *exactiſſima* [3] MS. *quicquid ex eo* [4] MS. *amicis* [5] MS. *illis* [6] MS. *a te* [7] MS. *conjuge* [8] MS. *et ejus honorificam mentionem opportune faciam, nimirum cum de tumultu Lugdunenſi in Batavis loquemur:* [9] MS. *publicarum* [10] MS. *officium*

Lucas Oſiander D. in epitome hiſtoriae eccleſiaſticae cent. XVI. *libro* III. *cap.* LXXIV. *fol.* 852.

" ANNO 1575. Schola Altorfiana a ſenatu Norimbergenſi aperta eſt XXIX Junii, " primo ejuſdem rectore Valentino Erythraeo, qui paulo poſt obiit. Habet autem " haec ſchola plerumque et pleroſque profeſſores et auditores Calviniſtas, praeter unum " profeſſorem, theologum ſincerum, Doct. Jac. Schopperum, cui ipſius collegae in mini-" ſterio et ſchola et ſtudioſi, omnes fere Calviniſtae, plurimum ſunt moleſti: Neque id " ſenatus Norimbergenſis ignorat.

Item lib. IV. *cap.* XVII. *fol.* 941.

" ANNO 1581. Norimbergenſes ab Imperatore gymnaſii Altorfienſis privilegia aca-" demiae impetrarunt, eamque in die Petri et Pauli ſolemni pompa introduxe-" runt. Haec ſchola bona quidem intentione a ſenatu Norimbergico aperta, ſed in per-" niciem eccleſiae Chriſti nata videtur; multo enim plures Calviniſtas quam ſincerae " theologiae ſtudioſos producit.

Ex MS. *Nobiliſſimo et ampliſſimo viro Jacobo Auguſto Thuano, praeſidi, &c. Lutetiam.*

AMPLISSIME Domine. Janus Gruterus tuam et epiſtolam impertiit et ſimul hiſtoriam. Et epiſtola quidem renovavit memoriam priſtinae conſuetudinis noſtrae, quo nomine mihi gratiſſima fuit: Hiſtoria vero mira voluptate, ne dicam admiratione, animum meum affecit. Dico voluptate, propter ſtyli elegantiam et gravitatem: Admiratione autem, propter eam qua uſus es libertatem. Nihil autem ita me delectavit ac veritas quae ubique elucet, quam hiſtoriae animam non male dixeris. Judicent ibi aliter propter ſtudium partium: Qui his in locis degunt viri docti omnes, quotquot legerunt, magnifice praedicant operam tuam, praeclareque de ea ſentiunt. Inter quos nomen quoque meum profiteor, tibi tuaeque laudi ſemper addictum, devotum. Nobiliſſime et ampliſſime Domine, omnis opera et obſequium meum parata ſunt. Utere, ſum enim et ero tuus, quamdiu ſpiritus hos reget artus. Franekerae Friſonum xv Februar. An. Chriſti 1605.

JOSEPHUS Scaliger hic ſub praelo habet elenchum Triquerſii Nicolai Le Rary Jeſuitae, quem editum videbis, ſi commoditas mittendi erit, inter primos.

Tuae dignitatis ſtudioſiſſimus,
JOH. DRUSIUS.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala, de Paris 16 *Aouſt* 1606; *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, pag. 506.

MONSIEUR. Attendant que nous ayons l'heur de voir voſtre Euſebe tant deſiré, je vous envoye la ſuitte de noſtre Hiſtoire, juſques à la journée infauſte. Vous recevrez avec celle-cy VIII exemplaires, deſquels vous ferez tenir, s'il vous plaiſt, deux en Friſe, à Meſſieurs Druſius & Ubbo Emmius; les aultres cinq vous les diſtribuerez, s'il vous plaiſt, au bon homme Cluſius, Meſſieurs Vulcanius, Heinſius, Baudius, & Grotius, auſquels je baiſe les mains.

Ex epiſtola Danielis Heinſii, ad calcem orationum et diſſertationum ejus, Ed. Elz. Lug. Bat. 12mo. 1642.

Nobiliſſimo et ampliſſimo viro Jacobo Auguſto Thuano, &c. Daniel Heinſius.

ACCEPI munus quod ad me miſiſti, vir ampliſſime; hiſtoriam dico tuam, in qua reliqua omnia qui abunde laudaverit, multo tamen plura de invicta illa tua libertate animi dicenda relinquet. Quae tanti apud me eſt, ut de ceteris parcius loqui ſoleam; ne aliquid in tam perfecto opere pluris feciſſe videar quam quod in eo eſt praecipuum.

Ex MS. *A Monſieur le Preſident de Thou.*

MONSIEUR. Je ne vous ſçaurois aſſez remercier du beau preſent qu'il vous a pleu me faire du ſecond tome de voſtre *Hiſtoria noſtri temporis*, laquelle j'ay legerement parcouruë, n'ayant eu la patience d'attendre qu'elle fuſt reliée. Depuis je l'ay baillée au relieur, afin de la pouvoir lire plus à loyſir & à mon ayſe. Je ne ſçay en quelle façon

je pourray recognoiſtre le plaiſir que m'avez faiɛt, n'ayant rien pour vous envoyer en recompenſe : toutesfois je regarderay ſi avec le temps je vous pourray gratifier en quelque choſe. En liſant legerement ce qui s'eſt paſſé l'an 1564, j'ay obſervé que vous avez eſté mal informé de la façon de la mort de Weſalius ; lequel partit d'Eſpagne pour faire ſon voyage de Jeruſalem, quaſi en meſme temps comme j'y entray. Il en ſortit par Perpignan, & j'y entray par Guipuſcoa & Vittoria. Je vous advertiray avec plus de loiſir comme ſon dit voyage s'eſt paſſé, l'ayant entendu partie en Madrit à la cour du Roy d'Eſpagne, partie l'année enſuivante à Bruxelles à mon retour d'Eſpagne. Je vous advertiray pareillement de la diligence de G. Rondelet, comme celuy qui l'ay cogneu fort familierement, ayant demeuré deux ans entiers en ſa maiſon avec le D. Laurent Joubert à Montpellier. Mais pour le preſent je n'ay loiſir de vous eſcrire plus particulierement, à cauſe que M. de la Scale m'a faiɛt advertir par ſon ſerviteur, que ſi je voulois vous eſcrire, il falloit que luy envoyaſſe ma lettre encore à ce ſoir. Parquoy remettant le tout juſques à une autre fois, je prieray Dieu qu'il vous donne, Monſieur, longue & heureuſe vie, afin que puiſſiez achever voſtre Hiſtoire à la gloire de ſon nom & profit public ; & demeureray tousjours

Leiden ce XXVIII Janvier 1607.

Voſtre tres affectionné ſerviteur,
C. DE L'ECLUSE.

Ex MS. *Notae Karoli Cluſii.*

Ed. Drouart. in 8vo. tom. I. *p.* 285. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 143. *Contra Daniae regem Caeſaris ſororium*] Daniae regem, qui tunc rerum potiebatur, nulla affinitate Caeſari conjunctum fuiſſe puto : Sed ejus anteceſſorem Chriſtiernum Karoli ducis Lotharingiae avum maternum. Nam is Karoli Caeſaris ſororem habuerat uxorem.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. I. *p.* 355. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 174. *Veritate Sleidanus addubitat*] Nec immerito, nam anno 1548, veris initio Marpurgum in Heſſia profectus, ubi Johannem Oldendorpium tit. *de petit. hered.* interpretantem audivi, in eccleſiaſticis ritibus nihil immutatum obſervabam ab Auguſtana confeſſione receptis, niſi quod miniſtri concionem ad populum habituri, aut ſacram ſynaxim celebraturi, propter promulgatum *Interim* lineam interulam veſtibus ſuperinduxerunt, plebe tamen prius monita, ne oſtenderetur quod ea ceremonia nunc uterentur. Inſequenti anno Witebergam profectus Philippi Melancthonis audiendi gratia, ſub anni 1550 initium redii Marpurgum, atque per quindecim dies iſthic ſubſtiti apud Andream Hyperium Belgam : Nihil tamen in religionis negotio immutatum reperi.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. I. *p.* 657. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 309. *Eraſtum*] Imo *Eraſſum* dicendum ; nam ejus nomen *Franciſco de Eraſſo.* Supremus regis Philippi ſecretarius is fuit ; et in magna apud eum gratia etiam quum in Hiſpania viverem : Atque nonnulli mihi ſignificabant adeo gratioſum apud regem eſſe, quod valde formoſam uxorem haberet.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. I. *p.* 867. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 400.] Ubi agit de Munſteri obitu, qui acciderit Heydelbergae, *Baſileae* reponendum puto, nam ibi commorabatur. Eum ſane anno 1550, dum Francofurto Mompelium proficiſcerer, iſthic ſalutavi, comite Petro Lotichio II, viro mihi amiciſſimo, ſummoque Germaniae poeta.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. I. *p.* 1002. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 459. *Quem ille ex Gul. Peliſſerii*] Nihil minus. Nam de Rondeletii accurata in piſcium hiſtoria deſcribenda diligentia teſtari poſſum, qui totum biennium et amplius apud eum vixi, et plurimorum piſcium curioſam ſectionem facientem, ut interiores partes obſervaret, conſpexi, quo illorum hiſtoriam commodius et perfectius deſcribere poſſet. Sed egomet ſubinde ad mare excurrere ſolitus, praeſertim poſtquam tempeſtas aliqua mare turbaverat, ut, ſi inter rejectamenta nonnulla reperirem quae ad ejus inſtitutum inſervirent, veluti conchas, holothuria, urticas, hippocampos, lepores marinos, et ejuſmodi quiſquilias, ad eum omnia referrem : Verum quidem eſt quatuor libros priores, in quibus nullae piſcium figurae, jam affectos habuiſſe, quum ad ipſum veni : Nec inficias eo ſummam illi amicitiam cum Gulielmo Peliſſerio, qui ei compater : Sed is paulo poſt quam Mompelium veniſſem, in carcerem fuerat conjectus in comitiis in illa urbe habitis, *aux grands jours tenus à Montpelier, & mené priſonnier à Beaucaire, où il eſtoit encores detenu quand je partis du dit Montpelier.* Verum quidem eſt Peliſſerium Rondeletii conatus multum juvare potuiſſe ; quia ſi exoticum aliquem et non vulgarem piſcem ſuis retibus piſcatores involvebant, eum ad epiſcopum deferre tenebantur. Ille porro quum adhuc erat liber, ad Rondeletium mittebat, pro ea quae inter eos intercedebat arcta amicitia : Sed quod Rondeletius ſuam piſcium hiſtoriam ex Peliſſerii obſervationibus concinnaverit, hoc ego conſtanter pernego.

Ed.

Ed. Drouart. in 8ᵛᵒ. tom. III. *p.* 886. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 478.] Parum honorifica Rondeletii mentio, alicujus haud dubie Rondeletianae gloriae aemuli perſuaſione; an Honorati Caſtellani, quem ſcio, dum in academia Mompeliana profiteretur, cum Rondeletio non leves inimicitias exercuiſſe? Valebat ille quidem extemporanea dicendi facultate; ſed in rerum cognitione Rondeletio longe inferior: Cujus ingenii dexteritatem ego et alii mecum ſatis mirari nequibamus; quippe quem viderim eodem momento duobus diverſis morbis et diſſimilem curam requirentibus remedia praeſcripſiſſe extempore, Laurentio Jouberto et me ejus praeſcripta excipientibus. Inſignem praeterea ejus memoriam ſatis praedicare nequeo.

Ed. Drouart. in 8ᵛᵒ. tom. II. *p.* 13. *Ed. Lond. tom.* I. *p.* 464.] *Balnea* cur appellarit urbem, ſive arcem Mariae Hungariae reginae, vulgo *Bins* ſive *Binz* dictam, quum nullae ibi, quod ſciam, ſint thermae? Fortaſſe illi vulgaris appellatio impoſuerit, et *Bains* dicendum exiſtimavit.

Ed. Drouart. in 8ᵛᵒ. tom. III. *p.* 127. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 135. *Jacobus Deſpota Sami*] De eo viro multa habeo quae dicam; nam illum Mompelii novi. Nomen Jacobus de Marchetis; tale certe dediſſe dum ſtudioſorum matriculae inſcriberetur intelligebam. Sed quum Siculum ſe nunc diceret, modo Deſpotam Sami ſeſe appellaret, a pleriſque nobilis ſcorti Cortegianae di Meſſina in Sicilia filius eſt creditus. Bene habito et robuſto erat corpore, Graecamque linguam vulgarem, Italicam, Latinam, Gallicam, callebat. Familiaritas ei interceſſit cum quodam Patricio Mompelienſi, qui formoſam habebat uxorem, Gilletam de Andrea nuncupatam: Ad quam interdum clam noctu accedere ſolitus eſſet. Id quum reſciviſſent nonnulli patricii illius conſanguinei, ab ea redeuntem obſervantes vulnerarunt. Ille de vi ſibi facta apud ſenatum conqueſtus, ut pecuniae ſumma mulctentur, obtinet. Eo anno quo in eam urbem veni, accidit ut Patricius ille Gilletae maritus, cum Barone quodam equite Melitenſi rixaretur, a quo confoſſus eſt, et ex eo vulnere paucos poſt dies interiit, relicto ex uxore filiolo biennium aut triennium nato. Elapſis vero paucis ab illius Patricii obitu ſeptimanis, Jacobus ille (quem Mompelienſes vulgo *le Grec* appellabant) in aedes viduae commigravit, et familiariter cum ea verſabatur. Is porro quum in morbum incidiſſet, atque illa metueret ſe, ſi moreretur, male audituram ob nimiam illam familiaritatem, eum de conjugio, ut culpam tegat, urget, ſacrificulumque accerſi jubet qui eos copulet. Ubi convaluit, animadvertens puerum illum triennem in conclavi ludentem, et ſubinde ad magnum gravemque abacum, quo veſtes aſſervabantur, ſeſe appendentem, abacum a poſtica parte paululum ſublevat, ut puer more ſolito ſeſe appendere volens abacum ad ſe attraheret, et ejus ruina elideretur, ut etiam contigit: Illi autem morte pueri ſeſe valde afflictos eſſe egregie ſimularunt. Occupata urbe Metenſi ab Henrico II Galliarum rege, quum Franciſcus dux Guiſius illam tuendam ſuſcepiſſet adverſus Karolum V Caeſarem, plerique e Septimania nobiles viri eo ſe contulerunt, atque inter eos Mompelienſis quidam, cujus agnomen ſi bene memini, *Saint Hilari*. Huic comitem ſe adjunxit Jacobus ille, qui Deſpotam Sami ſe dicebat, relicta apud Rondeletium uxore, in cujus aedes circiter bimeſtre ante commigraverat, occupatis duobus cubiculis. Sed illo profecto, ipſa vix ultra tres ſeptimanas apud Rondeletium haeſit, quia nimis frequentes ad eam ventitabant viri, et aedes conduxit in platea quadam paullulum a turba ſemotas, quo liberius qui vellent eam adire poſſent. Soluta Metenſi obſidione, Jacobus Mompelium non rediit, ſed regis aulam ſectatus eſt: Contigit vero, ut, dum rex ad Germanifanum haereret, Sanravius ſenator *aux Generaux de Montpelier*, et alter ex Givaudan, publicorum negotiorum cauſa in aulam ablegantur, iique diverſorium ſibi deligunt in inferiore pago ad Sequanam ſito, e quo ad arcem quotidie aſcendebant. Rumor autem pervenerat ad Jacobum, uxorem per ipſius abſentiam nimis familiariter cum pleriſque verſari; et quum Sanravium ex eorum numero eſſe ſuſpicaretur, ejus vitae inſidiabatur. Dum ipſi per clivum deſcendunt ſermones inter ſe conferentes, Sanravium inceſſit voluntas urinam excernendi. Itaque ad clivi latus ſe applicat, ut meieret, progrediente interim pedetentim ejus comite. Deſpota, qui pone ſequebatur, captata occaſione tam commoda latum gladium, quo accinctus erat, ſtringens, Sanravium geminato ictu in capite ferit et proturbat. Illum exclamantem alter ſenator ejus comes audiens adeo fuit territus, ut currere non deſierit, donec in diverſorium perveniret anhelus. Deſpota vero ad arcem illico regreſſus, inter Ringravii domeſticos latuit. Sanravius in diverſorium relatus, brevi ex iis vulneribus interiit. Rumore hujus facinoris in aulam perlato, rex homicidam perquiri jubet, et grave edictum promulgat, ne quis eum apud ſe celet. Itaque Ringravius regis indignationem veritus clam ab ſe dimittit. Et ille quidem in Belgium profugit. In Karoli V Caeſaris certe caſtris fuiſſe ad Rentiacum, ejus obſidionis hiſtoria ab eo deſcripta teſtatur, a quo deinde comitis Palatini titulo inſignitus, quo facultas illi conceſſa magiſtros et doctores creandi, ejuſque rei diploma a

Caeſare

Caeſare impetravit: Quod poſtea apud Plantinum reliquiſſe audio in pignus mutuo ſumptae ab eo pecuniae: An autem poſtea redemerit ignoro; ſed per Germaniae academias vagatus, ubi aliquot doctores, pretio accepto, creavit, Witebergae tandem cum Hungaris et Polonis familiaritate contracta, multa de rebus Wallachiorum intellexit, quibus inſtructus ſe ex Waivodarum Wallachiae proſapia eſſe mentitus eſt; et ſumpto Caeſarianorum militum, qui in Hungaria praeſidia habebant, auxilio, in Wallachiam profectus eſt, ubi a nobilitate in Waivodam admiſſus, et certe imperium retinuiſſet (ut mihi poſtea Viennae in Caeſaris Maximiliani aula viventi affirmavit Petrus Rouſſellus Burgundus Tockaii praefectus) niſi auxiliares illos milites dimiſiſſet. Sed Wallachi nobiles fraudem odorati blandiri ipſi coeperunt, et perſuádere, jam rebus pacatis, poſſe illum tranquille vivere, nec opus eſſe externo aliquo praeſidio, quo provincia gravaretur. Itaque ille ſermonibus eorum acquieſcens, auxiliares copias dimittit, fruſtra monente Petro Rouſſello, qui eas retinendas cenſebat, nec Wallachorum blandis ſermonibus fidem adhibendam, quos admodum mobili ingenio praeditos noverat. Id ille poſtea ſuo magno malo, ſed nimis ſera poenitentia verum eſſe didicit. Ceterum poſtquam ſibi pereundum eſſe vidit, nihil exterritus cum majeſtate quadam mori voluit. Eam ob cauſam pretioſiſſima veſte ſumpta, diademate capiti impoſito, manuque ſceptrum tenens, ad eos qui ejus vitae inſidiabantur, proficiſcebatur et caeſus eſt. Talem eum finem habuiſſe referebat Rouſſellus.

Ed. Drouart. in 8vo. *tom.* III. *p.* 621. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 398. *de Weſalio*] Is regem Philippum e Belgio excedentem eſt ſequutus cum uxore, nam regius medicus erat. In Hiſpania haerens coepit taedio affici, ad Hiſpanorum ingenium et mores ſeſe accommodare nequiens: Et libenter quidem in patriam rediiſſet, ſi rex illum dimittere voluiſſet. Itaque quum praeter voluntatem illhic haereret, in morbum incidit, quo cum difficultate curatus apud regem denuo inſtitit ut abitum illi concederet; nam in morbo votum feciſſe de adeundis Hieroſolymis, ſi ſanitati reſtitueretur: Itaque ſe votum exolvere valde cupere, ſi per regis voluntatem liceat. Licentiam non modo obtinet, ſed etiam regium diploma impetrat, quo illi libere regno excedere permittitur, et, ne qui telonia occupant in egreſſu ullam illi moleſtiam faceſſant, prohibetur: Expreſſa etiam in diplomate pecuniae ſumma, quae ad ejus et uxoris viaticum neceſſaria eſſet. Curru autem Belgico ipſi cum ſupellectile vehebantur. Quum Perpinianum perveniſſent, ipſe enim Venetias tendere cupiebat, ut inde Hieroſolyma proficiſceretur, uxorem a Septimania dimittere volebat, ut curru per Galliam recta in Belgium rediret. Id accidit anno 1564, novo vere. Ego illo ipſo tempore Aprili Bruxellis diſcedens per equos celeres in Hiſpaniam profectus ſum, facto itinere per Galliam et Cantabros, Madritii haerens, a Carolo Tiſenaeo concilii Belgici iſthic praeſide intelligebam iſta de Weſalio; eumque antequam Madritio diſcederet, mutuas pecunias nobilibus quibuſdam juvenibus Belgis, qui tunc in aula verſabantur, dediſſe, in Belgio cum magno foenore reſtituendas, ubi Hieroſolymis ſalvus rediiſſet, e quorum numero Dominus de Selle Norkermii frater germanus (qui poſtea Tiſenaei filiam in uxorem duxit) bis mille aureos acceperit. Ceterum Weſalio Hiſpaniae limites egredienti fuit negotium Perpiniani cum eorum qui vectigalia redemerunt famulis. In ſingularum enim Hiſpaniae provinciarum regio titulo praeditarum limitibus publicani ſuos famulos habent, qui moleſti eſſe ſolent omnibus praetereuntibus exteris, niſi honorarium aliquod percipiant. Weſalius ſuo diplomati fidens nihil dare voluit. Illi, ut homini aegre facerent, volumus ergo, inquiunt, tuas ſarcinas evolvere et videre an nihil aliud contineant praeter ea quae in tuo diplomate expreſſa. Weſalius injuriam ſibi fieri queſtus illos in jus vocat. Lis in dies quindecim extenſa, quae Weſalio conſtitiſſe creditur paene quinquaginta aureis, qui ſi liberaliter unum aureum, aut ad ſummum binos, Harpyiis illis obtuliſſet, et hac moleſtia liberatus fuiſſet et nullam temporis jacturam feciſſet. Sed illum intelligo impenſe avarum fuiſſe, atque adeo hanc avaritiam mortis cauſam illi attuliſſe, ut mihi Madritii ſignificatum eſt ex Luſitania, Baetico, Granatenſi et Valentino regnis reduci, Aprili videlicet menſe, anno 1565. Nam quum Hieroſolymis rediret, parce admodum ſumpto commeatu, quod brevem et proſperam ſibi navigationem polliceretur, eaque ejus opinione diuturnior eſſet, defecit annona, quod prae verecundia diſſimulare volebat: Sed nobilis quidam Germanus qui eadem navi vehebatur, animadvertiſſe, et jam quodammodo ex inedia deficienti liberaliter de penu adminiſtraſſe dicitur. Verum adeo attenuatae erant ejus vires, ut quum in Zacynthum inſulam navis appelleret, brevi iſthic interierit; ibidem ab his, qui eadem navi vecti, ſepulturae traditus: Illud idem Maio ſequente ex Hiſpania reduci mihi Bruxellis relatum. Ejus vidua cuidam nobili juveni Vandemoot paulo poſt nupſit.

HUIC Cluſii notae Puteanus in codice Lloydiano alteram e Melch. Adamo excerptam ſubjicit, viz. "Ceterum itineris hujus Palaeſtini aliam cauſam aperuit Hubertus Lan-

" guetus, vir elogio graviſſimo a Thuano ornatus in lib. LXXIV." Nam epiſtola ad G. Peucerum ſic ait: " Fama eſt Veſalium eſſe mortuum: Audiviſti eum proculdubio " profectum eſſe Hieroſolymam. Cauſa iſtius peregrinationis eſt mirabilis, et ad nos " ex Hiſpania perſcripta. Commiſſus fuit curae ejus quidam vir nobilis in Hiſpania, " quem cum obiiſſe exiſtimaret, nec ſatis percepiſſe cauſam morbi ſibi videretur, petiit " a propinquis defuncti, ut ſibi liceret cadaver diſſecare. Conceſſum eſt ei quod pete- " bat; cumque pectus aperuiſſet, reperit cor adhuc palpitans. Cognati mortui non " contenti eum accuſare factae caedis, accuſant etiam impietatis apud Inquiſitionem, ex- " iſtimantes ſe ibi ſeveriorem ultionem conſecuturos. Cum conſultaret de caede, nec fa- " cile excuſaretur error tam periti medici, voluit omnino Inquiſitio de illo ſumere ſup- " plicium, vixque potuit rex ſua auctoritate, vel potius ſuis precibus, eum periculo " tanto eripere. Tandem conceſſus eſt regi et toti aulae pro eo deprecanti, ea condi- " tione ut ad expiandum ſcelus proficiſceretur Hieroſolymam et ad montem Sinai." Haec habet Melchior Adamus in vitis medicorum Germanorum.

Ed. Drouart. in 8°. tom. III. *p.* 772. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 462. *Lamorallo Egmondano*] Minime gentium, nam antequam Elizabetha ſeſe ad iter Baionenſe compararet, ille ex Hiſpania exceſſerat, et paucis ſeptimanis meum abitum praeceſſerat. Ego quidem in Medina del Campo, deinde in Pincia, ſive Valle Oleti, aliquot dies haeſi; ut qua pompa in iis urbibus regina exciperetur, conſpicerem. Quum vero diutius Pinciae haereret, longioris morae pertaeſus, Burgos profectus ejus urbis apparatum etiam vidi. Sed non expectato reginae adventu, inde per celeres equos in patriam reverſus ſum. Mihi tamen Baiona digreſſo per regis Karoli aulam tranſeundum fuit, quae tunc erat in Monte-marſano; quia ut omnes celeres equi ad aulam deflecterent imperatum.

Ibid. Sub aeſtatis finem anni 1565 demum Petrus Erneſtus comes Mansfeldenſis cum uxore, quae Philippi Momerantii ſoror, mari profectus Ulyſſiponam, ut Mariam regis Emanuelis neptem Alexandri Farneſii ſponſam in Belgium adduceret, miſſus a Margareta Auſtriaca duce Parmenſi Belgii gubernatrice. Ille autem anno ſequente rediit cum ſponſa et ejus domeſticis: Inter quos etiam epiſcopus quidam adeo ineptus, ut quum nobilis vir Joannes ab Hallewin Sweveghen toparcha et gubernatricis aulicus domeſticus, Latinis verbis eum ſalutaret, nam eruditus erat, et de felici adventu gratularetur, Hiſpanico ſermone percontatus ſit, *ſois Clerigo*, eſne ſacerdos? quia videbat longam veſtem atri coloris geſtantem, ejus enim uxor paucas ante ſeptimanas e vivis exceſſerat. Adeo inſolens illi epiſcopo videbatur, quempiam Latino ſermone uti qui non eſſet eccleſiaſtici ordinis.

Ed. Drouart. in 8°. tom. IV. *pag.* 178, *et* 180. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 634, *et ſeq.*] Multa de principe Karolo, in regis Philippi parentis ipſius gratiam, parum ſincera fide hujus hiſtoriae auctori relata fuiſſe arbitror a Gallo illo architecto. Non negaverim tamen praeclaram illam indolem quae in ipſius pueritia elucebat valde vitiatam fuiſſe, ab infortunio quod illi Compluti operam ſtudiis navanti contigit in palatio olim ab archiepiſcopo Toletano Ximenio ejus academiae inſtauratore extructo; cujus ſuperiorem partem cum domeſticis ſuis occupabat; comes vero quaedam vidua duntaxat inferiorem; (pone quod viridarium erat, in quo myrtum Boeticam latifoliam primum obſervabam, cujus frutices in quincuncem diſpoſiti integram aream quadrangulam occupabant:) Habebat illa in gynaeceo elegantis formae puellam virginem, quam Karolus ambire coepit. Quum autem omnem occaſionem quaereret, qua ipſam clam adire poſſet, in ſui cubiculi, cujus parietes aulaeis tecti, angulo cochleam anguſtam forte obſervat, per quam in inferiorem palatii partem deſcendere licebat. Ea ad ſuum inſtitutum valde commoda viſa. Itaque uno duntaxat ex nobilibus pueris, qui ipſi inſerviebant, conſcio, quadam nocte ſine lucerna per eam ſcalam deſcendere voluit: Sed in primo gradu celeritans ex alto praeceps ruit, et juxta cochleae inferiorem januam ad parietem capite illiſo, pro mortuo ſublatus. Certe longo tempore decubuiſſe intelligebam, non ſine vitae diſcrimine. In Hiſpanica mea peregrinatione, ineunte Septembri, Complutum veniebam anno 1564, ubi palatium illud ingreſſo paries hujus cochleae inferiori januae contiguus ſanguine adhuc conſperſus mihi demonſtrabatur. Ex eo caſu principem valde debilem eſſe redditum nemo dubitabit. Certe quum in aula eſſem, ipſum adhuc pallidum et quodammodo exangui facie praeditum poſt tot annos obſervabam: Sic etiam ut quidam aſſererent medicos dubitare an ſatis validus foret ad virginem corrumpendam; eamque adeo ob cauſam apud pontificem Romanum actum fuiſſe, ut ejus permiſſu Joannam ſuam amitam, principis Luſitaniae viduam, ipſi ducere liceret; nec illa quidem ab illo matrimonio abhorrere videbatur. Sed ille ad Elizabetham Henrici II regis Galliae filiam animum applicuerat, quam tamen pater illi eripuit, pace cum Henrico facta anno 1559. Non deſiiſſe tamen illi bene velle certum eſt; atque ut matrem reverenter colere, dum in Hiſpania eram, obſervare potui. Illo ipſo tempore ſpes ei facta de Anna Maximiliani II Caeſaris filia ducenda, cujus effigies eti-

am ipſi miſſa, quam tamen pater conſpicatus, puellae amore incenſus eſt. Ceterum Madritii familiaritatem contrahebam cum Mediolanenſi quodam juvene, in ſua arte valde inſigni et principi Karolo admodum caro. Is mihi plumbeum typum donabat Karoli principis faciem referentem, quem penes me adhuc habeo, ex archetypo expreſſam, quem ille in adamante gemma ſculpſerat. Eam gemmam auro incluſam principem Annae dono mittere decreviſſe affirmabat, tanquam pignus ſui erga ipſam amoris. Sculpſerat idem juvenis, in alio adamante paris fere magnitudinis, principis Karoli inſignia continens ſigillum ad epiſtolas obſignandum. Belgicorum porro motuum initio, quum Philippus rex ducem Albanum in Belgium mittere decreviſſet, Karolus illum praevertere cupiens, clam patre, comite duce Infantaſgo, per celeres equos in Belgium venire ſtatuerat. Sed Joannes Auſtriacus ejus conſilii etiam conſcius rem omnem Philippo indicavit; dux Infantaſgus in carcerem conjectus, nec niſi poſt principis mortem, ut mihi ſignificatum eſt, liberatus. Karolo cuſtodes adhibiti, qui illum diligenter obſervarent; quod aegerrime tulit, et forſitan in quoſdam ſermones prorupit animi aegritudinem teſtantes, e quibus occaſio ſumpta ipſum e medio tollendi; accedente inſuper patris in Annam amore, quam vivo filio uxorem ducere poſſe indecorum videbatur, et viva Elizabetha impium. Cujus vitae ut inſidiaretur, haec forſitan non minima cauſa fuit. Deinde Anna mortua, quaſi non ſatis fuiſſet ſemel inceſto connubio ſeſe polluiſſe, Elizabetham Annae ſororem et Karoli IX Galliarum regis viduam de conjugio ſolicitare eum non puduit, imperatrice matre et Jeſuitis ipſam ut adſentiretur exhortantibus; et a pontifice Romano licentiam facile obtineri poſſe dictitantibus. Sed illa prudentior, et a tali negotio abhorrens, prorſus refragata eſt. Haecque adeo cauſa fuit, cur matrem, Praga relicta, in Hiſpaniam profecturam, Viennam uſque duntaxat comitari voluerit, tametſi illam itineris comitem libenter habuiſſet; atque Viennae aedibus comparatis, iſthic haeſit donec moreretur. Certe de principis morte, illo ipſo anno quo ſublatus eſt, cum Juliano Romero, cum quo mihi familiaritas, et aliquot ejus tribunis (nam dimidiam legionem Mechliniae ubi vivebam, antequam ad Caeſarem Maximilianum II evocarer, tum habebat, reliqua quinque vexilla Bruxellis apud Albanum erant) ſermonem conferens nihil tale intelligere potui, quale Gallus ille architectus in medium adfert. Sed ſolummodo dicebant, principem et reginam febre periiſſe, ut Philippi tyrannidem aliquo praetextu velarent: Sic etiam de marchione Bergenſi et Momorentio Montignio dicere ſoliti, *Murio de una calentura*, ego vero addebam, *de Eſpaña.* Praeſes tamen Viglius, ab iis qui in aula regis verſati erant perſuaſus, Ovidianum illud carmen e Metamorphoſi ſumptum ad principis fatum accommodare voluit,

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Quia literae numerales ejus carminis annum deſignant, quo Karolus princeps extinctus.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. IV. *p.* 556. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 812.] Quum Granatae eſſem, moriſci iſthic viventes ſua lingua vernacula ſuiſque ritibus adhuc utebantur: Cujus rei gratia tributum regi pendebant. Eorum parochus Hiſpanus, cum quo familiaritatem contrahebam, ut per eum aditum habere poſſem ad illorum ritus obſervandos, me ad bina loca ducebat, in quibus nuptiae celebrabantur. Viri ſeorſim triclinium occupabant, ubi ſua lingua pſallebant, atque citharas et teſtudines pulſabant. Mulieres vero in alio laxiore erant cubiculo atque inter eas ſponſa, quo viris accedere non licebat, inter ſe varios ſermones conferentes. In illud a parocho, cui ſoli aditus patet, ſum introductus, praefato tamen vulgari earum ſermone, ne offenderentur quod virum in earum conclave induxiſſet, ſed peregrinum, qui Hiſpaniam animi gratia luſtraret, ſingularum ejus regni provinciarum ritus cognoſcendi cupidus. Haec a meridie acta. Ante meridiem vero videram ritus in matrimonio contrahendo obſervatos. Granata diſcedenti deflectendum mihi fuit a recto itinere, propter moriſcos quoſdam praedones vicinos montes occupantes et illac iter facientibus inſidiantes, atque per Afnolloz, Guadix, Baça, Loream, quae veteribus Eliocrota, et Murciam, veteribus Murgim dictam, perveni.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. IV. *p.* 561. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 814.] Gentilium Hiſpani *Xinil* appellant, veteribus *Singlis* dictus is fluvius.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. IV. *p.* 576. *Ed. Lond. tom.* II. *p.* 820.] *Faſſardum* dicendum, non *Fajardum*, et ſic deinceps. Nam *Faſſardo* cognomen eſt familiae de Velez.

Ed. Drouart. in 8vo. tom. IV. *p.* 816. *Ed. Lond. tom.* III. *p.* 83.] Anno 1571, in Anglia peregrinabar, quum dux Norfolcius comprehenſus et in turrem Londinenſem conjectus. Ex Kingſton, Anglico duntaxat milliari ab Hampton Court arce regia diſtante, Nonſuchium profectus, ut eam arcem quam celebrari audiebam, viderem; a rege quidem Henrico VIII extructam, ſed poſt Edwardi regis mortem a regina Maria ejus ſorore comiti Arundelio venditam, qui illam valde exornaſſe dicitur. Eam

tamen

tamen ingredi non licuit, negantibus comitis domeſticis; ipſum domi eſſe, propterea in arcem minime admitti poſſe. Nihilominus ab iiſdem humaniter exceptus ſum, et per viridarium deductus. Illa ipſa die in Kingſton regreſſus ſum, et iſthic pernoctavi. Deinde Richemundium aliam regiam arcem profectus, ubi demum de Norfolcii ducis captivitate intellexi, et comiti Arundelio ducis ſocero a regina injunctum, ut in ſua arce ſe contineret, nec quoquam progrederetur, quia Norfolcianae factionis conſcius exiſtimabatur; eamque ob cauſam me non admiſſum eſſe in arcem Nonſuchium veriſimile eſt.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala de Paris x *Avril* 1607, *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *imprimées à Harderwyck* 1624 *in* 8°. *pag.* 509.

MONSIEUR. J'ay receu deux lettres de vous, l'une du IV Febvrier, l'autre du XXII du preſent, avec les Memoires de Monſieur de l'Eſcluſe, dont je vous remercie treſhumblement & de toute affection, & d'aultant plus qu'il vous a pleu prendre la peine de les eſcrire de voſtre main, en quoy je recognoy non ſeulement l'elegance de voſtre eſcriture, mais auſſi voſtre ſtyle, dont je me ſerviray à propos, en la premiere edition de noſtre Hiſtoire, laquelle ſe commencera incontinent aprés ceſte feſte, in 12°, afin qu'on ne la contrefaſſe en Allemagne où ils brouillent tout.

Ex MS. *A Monſieur de Thou Conſeiller du Roy & Preſident.*

MONSIEUR. Je vous envoye une lettre de M. de l'Eſcluſe. Je lis tousjours dans voſtre Hiſtoire, non ſeulement pour l'amour de vous, mais auſſi pour le plaiſir que j'y prends, tant à cauſe de la varieté des choſes y contenues, que de la beauté du ſtyle. Il y a quelque choſe qu'il me ſemble devoir eſtre corrigé, comme l'année de la mort de David Rizzi en Ecoſſe, & la naiſſance de Jacques à preſent regnant, qui fuſt l'an 1566, comme je puis teſmoigner, qui en ladite année eſtois en Ecoſſe avec les Meſſieurs de Rochepozay, & vis tout l'appareil de la tragedie. Et en voſtre livre cela eſt rapporté à l'année precedente 1565. Le pauvre Miniſtre Tachard, natif de Montauban, fuſt pendu non à Ramies, mais à Toulouſe, la veille de la Magdeleine, pour avoir preſché en ville non contenue au nombre de celles eſquelles il eſtoit permis de preſcher par l'Edit du Roy. Son innocence & integrité de vie eſtoit ſi bien connuë, que tout Miniſtre qu'il eſtoit, il fut regretté meſme des plus ſeditieux de Toulouſe. Viret eſtoit d'Orbe, & non de Lauſanne. Le Preſidial de Carcaſſone dés l'an 1571 juſques à preſent, eſt en la ville haulte, & non en la baſſe; & penſe qu'il y a tousjours eſté. Pour le moins audit an 1571 je ſuis teſmoin qu'il y eſtoit; & les conſeillers qui demeuroient en la baſſe ville, alloient à cheval ou ſur mulets à la haulte. Peut-eſtre que pour quelque incident vous l'aurez veu en ladite baſſe ville.

J'AIMEROIS mieux dire *Bleſis*, comme les annales de plus que DCC ans, que *Blæſis*, qui eſt corrompu de l'ancien nom.

ALBIAE *Cadurcorum.* Faut changer *Divonae Cadurcorum.* Le bon pater *Octavio Pantagatho* que j'ay connu l'appelloit ainſi, comme les autres Moines, non pour ſpeciale conſideration. Je l'ay connu & viſité. *Trimethus* non eſt *Nicoſia.* Nam *Trimethi* appellatio adhuc manet. Declinandum Τριμιθοῦς, Τριμιθοῦντος. Ces petites choſes ne valent pas le parler, n'eſtoit la jalouſie, ou pluſtoſt meſchanceté de ceux qui ſe meſlent des Lettres en ce maudit ſiecle, qui feroient bien un gros livre de ce que deſſus, comme font les Θρασυκάρδιοι Loiolitae. Je prieray Dieu, Monſieur, vous maintenir en ſa ſainte garde.

De Leyden 21 Avril. 1607. JOS. DELESCALE.

Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Joſ. de la Scala de Paris XX *May*, 1607. *tiré des* Epiſtres Françoiſes à M. de la Scala, *pag.* 510.

MONSIEUR. J'ay receu la voſtre du XXI du paſſé, par laquelle je cognoy qu'il vous plaiſt perdre quelques heures en la lecture de nos Hiſtoires, dont je vous ſuis extremement obligé, aprés infinies autres obligations que je vous ay, & deſquelles je n'eſpere jamais me pouvoir acquitter. Ce que vous & Monſieur de l'Eſcluſe m'eſcrivez de l'année de la mort du Roy Henry d'Eſcoſſe, me met en peine, d'autant plus que deſlors que j'eſcrivis ce qui en eſt imprimé, ce ſcrupule me vint en l'eſprit, que l'année n'eſtoit celle que j'ay miſe, & que j'ay neantmoins trouvé telle en Buchanan. J'en ay conteſté fort avec des Eſcoſſois qui eſtoyent lors au pays, leſquels toutesfois m'ont confirmé que la mort advint en l'année 1567, au mois de Febvrier, que l'on compte encores en Angleterre -66; car, comme vous ſçavez, l'année à eux (je ne ſçay ſi auſſi en Eſcoſſe) commence au jour de l'Annonciation ſeulement, & lors meſmes nous ne comptions l'année qu'aprés Paſques, & encores que l'ordonnance de Monſieur de l'Hoſpital fuſt dés l'an 1564, & publiée deſlors en la Chambre des

Comptes,

Comptes, ſi eſt ce que n'ayant eſté publiée és Parlements qu'aprés l'aſſemblée de Moulins en l'an 1566, auſſi elle n'euſt lieu qu'en ceſte année : cela peut avoir donné lieu à ce qui eſt de la mort de David Rizzi, que j'ay mis auſſi ſelon Buchanan. Du ſurplus de vos bons advertiſſements je ſeray fort bien mon profit, comme de *Divona Cadurcorum*.

Ex MS. *Nobiliſſimo ampliſſimoque viro, doctrina, virtute, dignitate clariſſimo, Domino Jacobo Auguſto Thuano, Domino de Emmery, ſupremae curiae regiae apud Pariſios praeſidi digniſſimo, Domino ſuo plurimum colendo.*

Mirari te ſat ſcio, nobiliſſime, ampliſſime, clariſſimeque vir, aut forſan indignari etiam, quod, cum toties hoc proximo triennio tam benevole a te verbis et factis provocatus ſim (nam et humaniſſime amiciſſimeque ſcriptam epiſtolam, indicem ſummae ac vero ὑπερβαλλούσης in me benevolentiae tuae, et editae a te doctiſſimae atque elegantiſſimae hiſtoriae exemplaria ternis jam vicibus dono mihi miſſa ab amplitudine tua accepi) nullae interea, praeterquam unas perbreves et perfunctorie exaratas, quas Novembri menſe, anno 1604, ſi recte memini, dedi, ad te literae a me redierint. Nec excuſare libet, quod omni culpa vacuum non eſſe, cum ipſummet me examino, intelligere facile poſſum. Quid reliquum igitur mihi, niſi ut, quod hac epiſtola facio, ingenue agnoſcam culpam, et veniam ejus rogem, confugiamque ad eandem ſaepe jam perſpectam mihi ſingularem atque admirabilem humanitatem et aequitatem tuam? Unum tantummodo hoc levandae culpae audeo in medium adferre, quod pudor ac verecundia praecipuum, imo unicum et ſolum mihi obſtaculum fuerint, quo minus id fecerim, quod facere debui. Vere enim dicere mihi licet, clariſſimi nominis tui ſplendore ſenſiſſe me aliquoties perſtringi ac hebetari animum meum de ſcribendis ad te literis ſerio cogitantem, coactumque me ſumptum jam calamum chartamque rurſum abjicere. Eſt nimirum hoc inſitum naturae meae, ut qui invidiam, odia, obtrectationes, offenſas, fortunam denique adverſam ferre non incommode poſſum, pericula quoque non valde exhorreſcam, pudore verecundo, plus quam par ſit et quam expedierit, ſaepe rebus meis debiliter. Cui vitio meo, et quae inde extitit, claudicationi in faciendo officio, ſi vice hac pro bonitate ac facilitate tua ignoveris, dabo operam ſedulo, ut compreſſo pudore vitioſo, animoque excitato, non committam ſimile aliquid in poſterum. Quod ut facias etiam atque etiam amplitudinem tuam oro atque obteſtor.

Ad judicium tuum de laboribus meis quod in literis expoſuiſti, idem etiam nunc reſpondeo, quod dudum ex narratione Antonii Thyſii ante ſeptennium reſpondi ; ſtatuoque ex abundante illa copia benevolentiae tuae erga me ſtudiaque mea id proficiſci ; et curto pede meo memet metior. Satis mihi fuerit, ſi vel umbram ejus quod tu mihi tribuis aſſequar.

Pro exemplaribus ad me miſſis, velut honore maximo ab amplitudine tua mihi delato, gratiam habeo ſummam et habebo perpetuam. Eruntque ea mihi monumenta benevolentiae in me tuae gratiſſima, et κειμήλια quaedam quovis pretio pretioſiora et chariora : Quae quoties aut prehendo, quod facio ſaepe, aut in bibliotheca mea aſpicio, cum verecundia, voluptate, gaudioque perfundor. Lectione afficior mirifice ; omnia egregia, res illuſtres, oratio gravis juxta et elegans, et ſponte ſua ſuaviter fluens, perſpicua, rebuſque ſemper accommodata, ordo optimus, judicium ſummum, candor, veritatiſque ſtudium conſtans et incorruptum, denique nihil non dignum nomine tuo maximo! Aequaſſe mihi videris laudem illam ſummam, quam in poeſi dudum inter omnes noſtri et proximi ſaeculi poetas, qui huic ſe ſtudio ſoli totos dedere in eoque vires ſuas exercuêre, carminis elegantia et gravitate aſſecutus es, hac nova laude hiſtorica, aut ſuperaſſe etiam. Sed inter omnes eximias virtutes quas dixi, effulget candor ille, amorque perpetuus veritatis, ſine quo reliqua, quae commendare hiſtoricum poſſe videntur, nauci ſunt. Veritas enim anima hiſtoriae eſt, qua dempta, etiam ornatiſſimum ſcriptoris opus quidlibet potius quam hiſtoria dici meretur, ſimile ſtatuae pulcherrimae ad effigiem hominis elaboratae, ſed vita carentis. Quam virtutem cum tu ante alias commendatam tibi habeas, id quod omni ex parte ſcriptorum tuorum elucet, quid mirum ſi contra te odia quoque hominum malorum exardeſcant? Fieri id aliter non poteſt ; praeſertim cum in excelſo te poſitum, quod per ſe invidiae obnoxium eſt, ii quos veritas offendit videant, nec ignorent eundem te virum optimum et prudentia rerumque cognitione praeſtantiſſimum, nec gratiae nec odio in ſcribendo indulgentem haberi ab omnibus, eaſque ob cauſas gravius auctoritate tua quam aliorum, qui idem interdum dicunt, configi ſe arbitrantur. Sed temnenda haec odia ſunt hanc viam ingreſſo, magnoque animo progrediendum. Odiorum incommoda ex fructu alio laboris ſtudiique optimi penſanda, favore et benevolentia bonorum ac utilitate publica. Optime quippe hoc modo de genere hominum, imprimiſque de tota natione eruditorum mereris, et cum ſumma gratia gloriam tibi paras et amplam et immortalem. Avide legunt lucubrationes has tuas homines literati horum locorum, ac merito in magno pretio habent : Avidius etiam ſecuturas expectant, ſummoque deſiderio a te flagitant, ut quam maturrime eas quoque in lucem prodire ſinas.

Exiit

Exiit nuper ex officina typographica decas mea quinta, multis caſibus tardata diu; ſed exiit mendoſior, typographi hominis juvenis et amoribus impliciti culpa, quam ulla priorum: Saepius ut eam ob cauſam optarim, operam hanc totam eſſe infectam. Ejus exemplar cum his literis ad amplitudinem tuam mitto, χάλκεα ſcilicet permutans χρυσείων. Oro ut accipere a me, et animum meum, non rem intueri velis. Si vacabit legere, videbis eoſdem fluctus in parvo ſtagno aut in ſimpulo potius, ut loquitur M. Cicero, a minorum gentium diis excitatos, ut prioribus in partibus, ſic in hac quoque deſcribi a me, quos in Aegeo mari, aut vaſto oceano, ſed mole majore, ab aliis deſcriptos maximi reges et principes commoverunt. Vale, et vive diu feliciſſime, maximum Galliae et elegantium literarum decus, ac ſilentium nimia loquacitate tandem rumpenti ignoſce. Raptim pridie natalis Domini, anno 1607.

Illuſtris amplitudinis tuae
obſervantiſſimus, eidemque deditiſſimus,
Ubbo Emmius.

Menda multa ſuſtuli in hoc exemplari quod mitto; omnia non potui.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Ubbo Emmius S. P.*

Nobilissime, ampliſſime, clariſſime Domine. Octimeſtre jam paene effluxit, ex quo amplitudini tuae literas IV Kal. Quintil. Fonte Blaudi ſcriptas accepi, infelices quidem itinere lentiore, felices tamen quod tandem ſine vitio alio ad metam pervenerint. Eae me pariter et gaudio non mediocri et triſtitia non minore, imo etiam majore, perfuderunt. Gaviſus enim ſum vehementer cum manum tuam vidi, et ex ea intellexi ad me, quem hominem! reſpicere denuo dignatam eſſe amplitudinem tuam, meque literis rurſum inviſere: Nam hoc certe in felicitate aliqua mea pono, alioqui ſatis infelix. Sed cum reſignatas literas legere coepiſſem, repente ſane laetitia ea in triſtitiam et dolorem eſt verſa. Statim enim velut in primo literarum limine cognovi non unas meas ad te ante datas intercidiſſe: Sic enim verba tua habebant; " Ultimas tuas perbreves accepi Eid. " Junii, cum nullas a te longo tempore accepiſſem. Iis aliarum fuſius ſcriptarum men- " tionem facis", &c. Ego vero, nobiliſſime et ampliſſime vir, non unas, ut jam dixi, ſed ternas, ſi memini recte, certe binas proximis illis temporibus ad te dederam, et tales quidem, ut in eorum, quorum non debebant, manus incidentes, mihi periculo eſſe poſſent, maxime primas. Nam in iis de rebus patriae meae, in qua fortunas omnes meas et totam cognationem habeo, ſcripſeram quaedam liberius, velut praeparatoria ad inſtruendam hac in parte hiſtoriam tuam, promiſeramque ſubmiſſurum me integram, ſed ſuccinctam, accommodatam inſtituto tuo, expoſitionem actorum, ſi quamprimum poſſem fieri certior non ingratum tibi id eſſe futurum, et rem adhuc eſſe integram, hoc eſt, ultra terminum eum temporis, quo res in patria mea mutatae fuerunt, nondum procurriſſe tibi aut editionem aut ſcriptionem hiſtoriae. Id vero conſilium ceperam, tum ut ſtudium meum aliqua in re tuis ſtudiis apta tibi declararem, tum ut veritati narrationum in rebus patriis, quantum in me eſſet, conſulerem, et id qualiſcunque operae patriae praeſtarem. Accedebat, quod etiam atque etiam cuperem aliquando eadem a nobis narrata de rebus iiſdem, quanquam non eodem ſcripta modo, poſſe legi, conſenſumque illum noſtrum ad poſteritatem pervenire; judicaremque grave fore mihi editis a te, cogente veritate, contradicere. Audieram quippe, circiter ea tempora, alia omnia iis de rebus, et vero prorſus contraria, iſtic apud vos ſpargi, adeoque διήγημα manuſcriptum regio ſenatui eſſe obtruſum, vivente adhuc maximo rege veſtro Henrico IV, cujus exemplar caſu quodam ex Hollandia ad me pervenit, atque ita facile abripi te poſſe contra veritatem verebar. Has vero literas, quae generalia etiam quaedam notata a me in illuſtri hiſtoria tua habebant, tam diligenter curaveram, quo certo et ſine diſcrimine ad amplitudinem tuam pervenirent; ut diligentius et majore cum cura non poſſem. Nam per virum nobiliſſimum, qui nomine civitatis hujus in collegio ordinum generalium Hagae agit, quo utor amiciſſimo effectum dederam, ut faſciculo literarum, qui hinc mittebatur ad ordinum noſtrorum in aula veſtra legatum perpetuum Dom. Aerſſenium, includerentur, perferrenturque ſine periculo Lutetiam, denique legato commendarentur, ne illic aberrarent a ſcopo. Quae cum nihilominus nobis perierint, ſpes prope omnis curandi quicquam recte mihi concidit. De literis ceteris, quas poſt eas miſi, per quem miſerim certe dicere non poſſum, quanquam non ſine cura eas quoque homini, quem rebar diligentem et fidum, me commendaſſe nullus dubitem: Soleo enim non temere in re iſta agere, aut literas dare. Notarum mearum et obſervationum exemplar nullum retinui: Nec enim iſtum caſum metui. Verum ab acceptis his literis tuis, denuo me ei rei coepi dare: Nec enim

quicquam optatius mihi, quam amplitudini tuae officii aliquid grati praeſtare. Sed vide fatum huic rei adverſum. Statim ab initio iſta mihi inciderunt tempora, quae uſque huc non ab eo ſolum coepto, ſed etiam ab omni ſtudio privato me coegerunt abſtinere. Nam et invaletudinarius factus ſum, et ob graviſſimum et diuturnum morbum ſecutamque mortem collegae mei, duplicatae mihi curae ac labores in publica functione fuere; atque ita viribus exhauſtus paene concidi: acceſſeruntque neſcio quae tempeſtates aliae in re privata. Nunc vero otii inopinati majoris ſpes mihi facta eſt a noſtris, per quod hiſtoriam et alia quae in manibus fuere, poſſim pertexere atque abſolvere, vita comite et valetudine. Interea jam nunc reſpirans nonnihil, aggredior rurſum ad coeptum illud intermiſſum, atque ordine edita a te recenſeo. Oro vero te, nobiliſſime et ampliſſime Domine, ut quouſque jam in ſcribenda hiſtoria progreſſus ſis ſignificare, cum primum erit opportunum, non dedigneris, et ſimul me in eorum numero, quos in tuis, tui illuſtris nominis ſtudioſis, habes, eſſe patiaris. Eo nihil mihi poterit accidere gratius. Haec quin currente penna celeriter ad amplitudinem tuam perſcriberem, cum juvenis hic probe mihi notus, fidus et bonus, et bonis apud nos natus, artificio auri faber, ad vos iter haberet, operamque ſuam diligentem mihi offerret, ſedem apud vos aliquandiu poſiturus, facere non potui. Ignoſce, ſi peccavi. Groningae v Kal. Quintil. 1613.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Ubbo Emmius S. P.*

NOBILISSIME, ampliſſime, conſultiſſime vir, Domine mihi plurimum colende. Heri cum cognoſcerem internuncium hinc hodie cum prima luce iter ingreſſurum, raptim et tumultuaria feſtinatione, negotiis et hominibus ſaepius me in ſcribendo interpellantibus, literas ad amplitudinem tuam exaravi, quae huic epiſtolio ſunt adjunctae. Hodie vero cum cognoſcerem, ob cauſam inopinato obvenientem, in diem craſtinum iter ab eodem differri, quanquam eſſem occupatiſſimus, tamen facere non potui quin breve hoc epiſtolium prioribus literis adderem, et de curis meis proximis amplitudinem tuam certiorem redderem. Ceperam nuper, ante difficilia illa tempora mea quorum in prolixioribus mentionem feci, conſilium, petentibus viris eruditis compluribus et poſcentibus typographis, hiſtoriam Friſicam una decade auctam, et ad initia motuum Belgicorum deductam, denuo edendi atque uno volumine comprehendendi. Ea occaſione, ut fructuoſior nova editio eſſet, inſtitueram atque occeperam recenſere diligentius partes omnes prius excuſas, in quibus etiam praeter ea quae commiſſa a typographis erant, et plurima et valde enormia, ipſe non pauca deſiderabam. Et jam magnos in eo inſtituto feceram progreſſus, multis hic illic additis, mutatis, tranſpoſitis, emendatis, accuratius et melius expoſitis, paene jam ut ad finem feſtinarem, cum ea mihi incommoda et impedimenta inciderunt, quae me ab omni privato ſtudio manum retrahere coegerunt. Erat vero conſilium hiſtoriae adjungere deſcriptionem Friſiae totius pleniorem, qualem prius ſolius agri et oppidi Groningani edidi, additis etiam chorographicis tabulis et oppidorum iconibus. Nunc expectatione otii majoris totum illud differo, aut ſaltem in hyemem proximam, quae mihi ſtudiis opportunior, rejicio. Sed id in manu Dei. Verum etiam atque etiam oro et obſecro, nobiliſſime et ampliſſime Domine, ut, ſi pecco haec ſcribens, veniam peccati mihi tribuas. Vale. Raptim Groningae 28 Junii 1613.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Ubbo Emmius S. P.*

NOBILISSIME, ampliſſime, clariſſime Domine. Ante ſeptimanas complures per hominem notum et fidum Lutetiam euntem ad amplitudinem tuam literas dedi. Eas ſpero non aberraſſe a ſcopo, aut aliquid paſſas eſſe in itinere, modo ipſi internuncio nihil humanitus in itinere acciderit. Sum in iis conqueſtus de priorum caſu, et meo ob caſum illum dolore ac juſta ſolicitudine; ſimulque ad literas tuas IV Kal. Quintil. anno ſuperiore 1612 datas, ſed oppido tarde huc perlatas, reſpondi, expoſuique mentem et voluntatem meam. Nunc cum juvenis hic, meus quondam diſcipulus, a magiſtratu noſtro ad Dominum Molinaeum mittatur, in mandatiſque habeat ut quamprimum ad nos redeat, facere non poſſum, quin hujus opera per has literas animi mei nuncias officii cauſa reverenter amplitudinem tuam ſalutem, et non ſolum vivere adhuc me, ſed pro aetatis modo mediocri quoque nunc valetudine eſſe, edoceam. Accedit et aliud huc me inclinans, nimirum ut eidem amplitudini tuae indicium faciam, ſi quid ea ad me literarum dare aut mihi ſignificare cupiat, hac eam commodiſſima occaſione et ratione tutiſſima uti poſſe. Sum etiam nunc frequens in lectione illuſtris hiſtoriae tuae, quoties mihi a negotiis ceteris aliquid otii conceditur; et quo ſum frequentior, eo magis creſcit in me admiratio cum ſumma delectatione conjuncta. Admiror vero cum alias virtutes magno hiſtoriarum ſcriptore dignas, tum maxime candorem ſingularem, amoremque veritatis, qui virtutum

illarum chorum merito ducit; quo dempto ceterae omnes decus ſuum et laudem perdunt. Utinam autem et ea quae adhuc reſtant ad haec uſque tempora, illo ſtylo tuo expoſita, brevi videre et legere nobis liceat. Hoc votum et meum eſt, et multorum his in locis virorum eruditorum et bonorum, qui ſingulari voluptate perfundi ſe, dum ea quae edita jam ſunt, praeſertim veſtratia, legunt, teſtantur. Me aliquandiu ab hiſtoriae ſcriptione, quod ante quoque ſignificaſſe me exiſtimo, praeter cauſas alias non paucas, etiam opera quaedam, quam in chronologicis poſui et ad editionem paravi, abripuit, ac poſt eam obſervatio phaenomenon novorum, in coelo circa ſolem apparentium, diligentior. Publica noſtra, praeter ſpem inimicorum, per Dei gratiam in dies magis ac magis concordia coaleſcunt ac roborantur, iiſque qui male nobis volunt cordolium conciliant, amicis vero ſincerum gaudium afferunt. Sed cur exorbito? receptui cano, ne morer tua tempora atque in publica commoda peccem. Ignoſce ſi deliqui, et importunus fui; ac feliciter cum omnibus qui chari tibi ſunt, vale, ac denique me commendatum amplitudini tuae habe. Groningae raptim ipſis Kal. Septemb. anno aerae Chriſtianae 1613.

Qui has adfert literas, ei Ludovico Henrici nomen eſt, ex noſtra civitate oriundus, nuper ex Gallia, quo ſtudiorum cauſa miſſus fuerat, domum reverſus. Quicquid ei committetur, tuto committetur.

Ex Hugonis Grotii epiſtolis, Amſtelodami 1687, in folio. Ep. I. p. 1.

Illuſtriſſimo Domino D. Jacobo Auguſto Thuano, praeſidi curiae Pariſ. digniſſimo, Hugo de Groot.

NOBILISSIME Domine. Anno fui in Gallia; vidi regnum optimum, regem optimum, proceres optimos, quod gaudeo; non et te, quod doleo. Non potui praeſens me tuae familiaritati inſinuare: Nihil reſtabat niſi occaſionem praeſenti denegatam literis compenſare.

Delphis Batavorum, Kal. April. anni 1599.

D. Jac. Aug. Thuano H. Grotius. Ib. Ep. III. *p.* 1.

TOTUS ſum in colligendis iis quae tibi in annalibus Gallicis uſui eſſe poſſint: Plurimum patriae intereſſe ratus, ſi ejus geſta vicinarum rerum occaſione tam inſigni ſcripto prodantur. Dabitur etiam opera ut quod petiiſti intelligas, quae nempe hora, quis locus noſtratibus viris eruditis fuerit fatalis. Felicem te qui per otium, cujus parvam tibi eſſe copiam facile perſuadeor, ea praeſtes, quibus alii, quorum ea praecipue cura eſt, longe ſint impares. Felicem Galliam, quae eorum regitur conſilio qui parum temporis, quod ex publicis curis reſiduum comparcitur, liberaliter rei impendant litterariae! Atque utinam ego olim tam felix, ut in ea virorum illuſtrium amicitia praeſens fruar; quod brevi futurum non deſpero, tuam mihi ſperans gratiam non defuturam. 3 Non. Mart. anni 1601.

Eidem. Ib. Ep. IV. *p.* 1.

DE virorum doctrina illuſtrium qui apud nos fuere, morte, ejuſque tempore, quaeſivi diligenter, ſed parum adhuc inveni. Nam plerique hic a litteris tam ſunt alieni, ut ſi quem in cognatione eruditum habuerint, tantundem de eo poſſint referre, ac ſi nunquam fuiſſet: Gulielmum certe Canterum natum anno quadrageſimo ſecundo, menſe Julio, die XXVIII. denatum anno LXXV. Menſe Maio, die XXVIII, cum aetatis annum trigeſimum tertium nondum expleſſet, ex fratre Theodoro intellexi. De Falkenburgio etiam, Nannio et Giſelino ſpero me brevi reſciturum. Sunt hic ſculptores qui ſe omnium quae noſtro bello geſta ſunt ὑποτυπώσεις propediem aiunt edere coacervatas. Is liber ſi prodierit, a me mittetur, ut non tibi modo, quod omnino debeo, ſed et patriae meae hac re gratificer, cujus intereſt tantum habere rerum ſuarum ſcriptorem. Nunc ad vos fertur Mauritii Naſſovii genealogia, cui adjunctae ſunt omnium victoriarum delineationes; ſed pleraeque ultima annalium tuorum tempora ſequuta ſunt. Bredana tamen ad tuum opus pertinet, in qua ſatis accurate laboratum. Videbis mea carmina tabulae inſerta. Qui eam edidere regi offerent, cui gratam fore confidunt ſi tibi non diſplicebit. Sed commendet ſeſe quicquid eſt, non ego. Hoc ſcio, anxie omnia ad hiſtoriae trutinam examinata, quo ad urbium, locorum et caſtrorum ſitus; et ea quae ad expeditiones, obſidia, proelia, pertinent. Pridie Kal. Aug. 1601. Hagae Comitatenſi.

Eidem

Eidem. Ib. Ep. V. *p.* 1.

NANNIUM mortuum intelligo biennio ante foedus inter Hiſpaniae regem et Galliae ictum, quod incidiſſe puto in annum CIƆIƆLIX. Menſis fatalis viro eruditiſſimo fuit Februarius. Vixerat annos ſexaginta et duos. Aliorum lethales horas etiamnum indago. De Cantero jam ſcripſi. III Non. Sept. anno 1601. Hagae.

Eidem. Ib. Ep. VI. *p.* 2.

NE vero officio erga te et Belgicam noſtram deeſſem, quae de Gerardo Falkenburgio comperi, ad te tranſcripſi. Noviomagum ſcripta produnt. Annum agebat quadrageſimum cum Steenvordiae in aula comitis Benthemii obiit, ibidem ſepultus. Fatalis annus fuit milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus octavus. Dies illi ultima quae ſexta menſis Septembris. Idibus Nov. anni 1601.

Eidem. Ib. Ep. XIII. *p.* 4.

SIC forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni,

ut ego nunc tibi, virorum illuſtriſſime, libellum hunc mitto de republica noſtra; tibi, qui non Gallica tantum, ſed orbis totius hiſtoriam ita complexus es, ut talem nemo vel ab otioſiſſimo homine unquam expectaverit: Tanta rerum copia, tantus verborum nitor. Ego vero quid mitto? Opuſculum tenue, ſi materiam ſpectas, non res totius generis humani, ac ne magni quidem regni alicujus, ſed unius gentis anguſtis incluſae finibus: Quid, quod nec hujus res omnes, ſed breve compendium earum duntaxat quae ad ſummam reipublicae adminiſtrationem pertinent? Plane nihil quod ames, nihil quod laudes, praeter animum tui ſimilem, hoc eſt, amantem patriae ſuae, et minime νεωτερίζοντα. Exoſculor illud Thucydidis ὅπερ ἐδέξατό τις σχῆμα τῆς πολιτείας, τοῦτο δίκαιον ξυνδιασώζειν. Hoc tu in magno illo Aegeo praeſtas: Nos conamur in Simpuvio noſtro. Tuum illud, virorum maxime, opus immortale, quanquam et ſermonis elegantiam ab ipſa antiquitate reduxit, et rerum varietate placere nemini non poteſt, nulla tamen in parte melius meretur de legentibus quam quod eos et viros bonos et cives bonos facit. Nos quoque inter hujus ſectae diſcipulos erimus, et dabimus operam ut in rebus omnibus exemplo tuo praeſtemus fidem et libertatem. IX April, CIƆIƆCX.

Eidem. Ib. Ep. XXIV. *p.* 7.

JAMDUDUM, vir ſumme, gratulari me tibi oportuit quod exemptus fori moleſtiis inter duas res maximas te diviſeris, commune factus Galliae et poſteritatis bonum; hujus, dum acta ſcribis, illius, dum agis ipſe ſcribenda, nobiliſſimus hiſtoricorum, nullis tacendus hiſtoriis. Sed neque auſus ſum hactenus curas tuas graviſſimas interpellare: Neque nunc viſus ſum mihi ſine flagitio patriae noſtrae legatum, virum et mihi amiciſſimum, et reverentiſſimum tui, ſine literis ad te poſſe dimittere. Quaerant alii in omni antiquitate quem maxime mirentur; ego reperio neminem cui ſuper generis fortunaeque ſplendorem ea cuncta adfuerint quae nos rectius ſuſpicimus, omne doctrinae genus cum vera ſapientia conjunctum; cujus denique virtutibus tantum teſtimonium praebuerint, juſtitiae forum, ſanctitati aerarium, libertati hiſtoria. Quanquam ſi mei voti res ſit, ultimum ego hoc officium eo pluris faciam, quo plures juvat: Atque adeo optem ut regni quoque curis paulatim te exſolvas, utque extrema pars aetatis tuae foras promineat et ſcriptioni vacet. Ita ſperemus poſt illa funeſta tempora, quorum ad memoriam animus horreſcit, aliquando te venturum ad laetos fauſtoſque Henrici magni annos, ne regum maximus ſcribatur niſi ab hiſtoricorum maximo. Ego quoque impar ſane oneri, ſed magno patriae amore accenſus, ſimile opus molior, tanto autem minus tuo, quanto minor eſt Batavia, non dicam Gallia veſtra, ſed toto orbe. Sed nec adhuc Vario videor neque dicere Cinna digna. Prematur itaque immaturus labor, donec aetas cum judicio tempus quoque emendandi dederit, aut potius exurgat alius qui res ſcitu per ſe non indignas dictione commendet, ut eo libentius diſcant poſteri quid Batavi fecerint. Nonis Febr. 1614, Roterodami.

Eidem. Ib. Ep. LVIII. *p.* 19.

HISTORIAM belli noſtri ad finem, hoc eſt, ad inducias uſque pertexui. Supereſt nunc recognoſcendi et corrigendi labor, ipſa prope ſcriptione moleſtior. Video me tum quum vacavit paulo attentius ſcribere, non ſatis ſolida rerum cognitione fuiſſe inſtructum. Nunc cum res ipſas diſcendi paulo melior eſt copia, occupationes multae magis quam magnae non ſatis permittunt reſpondentia hiſtoriae verba ſeligere. Multumque vereor ne hiet opus, diverſique temporis ſcriptio non ſatis unius auctoris ſpiritum praeſerat. Inter multa quae in te admiratura eſt poſteritas, ego illud unice obſtupeſco, unde tibi, modo in fori arce, modo in ſumma republica verſanti, otium; unde vis indefeſſa animi, ut res tot ac tantas aut ſcribendas cognoſceres aut cognitas ſcriberes. Ceterum cum hoc tam diligenter agat tua epiſtola, ut me ad hiſtoriam ſcribendam excitet, inveni tamen in ea aliquid quod me ab eo labore vehementer abſterret. Nam ſi tu in tam excelſo faſtigio collocatus, tot undique ſeptus praeſidiis, XLVI libros humano generi utiliſſimos pateris inutiles jacere, iniquitatem ſaeculi veritus, quid me facere aequum eſt tanto ad omnes fortunae ictus apertiorem? niſi forte exiſtimas ingratos, invidos, calumniatores veſtri eſſe coeli homines, neque apud nos provenire hujuſmodi meſſem. Sed minime ita ſe res habet, Thuane ampliſſime, iidem fluctus in ſimpuvio noſtro ſe movent qui in veſtro mari Aegaeo. Dabo tamen operam, te tanto auctore, ut quae ſcripſi hactenus, ea quam fieri poteſt emendatiſſima apud me extent, extra hujus aetatis commercium, cum qua contrahere periculoſum eſt. Poſteritati rectius creditur, non quod illa futura ſit melior, ſed quod aequior defunctis, quippe alios habitura quos exerceat. Nonis Junii anni 1615. Roterodami.

Hug. Grotius Benjam. Auberio Maurerio S. Ib. Ep. LXIII. *p.* 28.

VIR illuſtris. Literas, viri dubium majoris an melioris, Auguſti Thuani, auro contra caras, tuo beneficio accepi. Sunt plane ita ſcriptae, ut hominem cordatum abſterrere poſſint ab uſu Latini ſermonis. Quare me quidem magno beneficio affecturus eſt, ſi Gallice potius ſcribat, ne, talibus literis ad imitandi deſperationem adductus, omnem conatum Latinae ſcriptionis abjiciam. Nunc certe reſpondere nondum audeo: Ita mihi verborum ipſius majeſtas ambit, atque occupat animum. 25 Aug. 1615.

Ex MS. *Jacobo Auguſto Thuano viro ampliſſimo Joannes Meurſius S. D.*

JAM aliquoties ad te ſcripſi, vir ampliſſime, et ante biennium exercitationes criticas inſcripſi, miſique, quas tamen utrum acceperis vehementer dubito, cum nihil omnino receperim; quod non immerito ſcrupulum mihi injicere exiſtimo. Nam humanitas tua non patitur ut me indignum tibi reſponſo videri credam. Certe in gentem veſtram hoc non cadit, neque in mentes tuas, id eſt, auguſtas: quippe comitate iis et humanitate nihil potius. Expedias me, quaeſo, iſto metu. Mitto nunc De Gloria quod edidi: Exiguum iſtud quidem, ſed amplum tamen teſtimonium nondum me quicquam de obſervantia tibi debita remiſiſſe. Vale, vir ampliſſime, et me ama. Hagae Comitis XIII Kal. Sept. 1601. Dominus Canterus ſalutem tibi officioſam adſcribere juſſit. Hiſtoriam tuam expectamus nos Belgae. Iterum vale.

Ex Faſciculo ſeptimo actorum literariorum Burc. Gotth. Struvii, in 8vo. Jenae 1710. *pag.* 82.

Epiſtola [*J. A. Thuani*] *ad Jo. Meurſium.*

ACCEPI tuas Lugduni Batav. datas XIII Kal. Septemb. cum libro tuo De Gloria, quem jam mihi proximis his nundinis paraveram, et avide perlegeram. Ut omnia tua, ſic hic novus foetus maxime ad meum guſtum, qui non ſolum te in dies in literis magis ac magis proficere, ſed etiam in moribus ac eorum diſciplina magnos progreſſus feciſſe, fidem apud me plenam facit. Macte iſta virtute, juvenis doctiſſime, et ad res magnas capeſſendas nate, quas verae gloriae auſpiciis ſuſcipi et ad proſperum finem perduci verum eſt. Criticas exercitationes mihi inſcriptas et a te miſſas ante biennium acceperam, et exemplaribus inter eos, quibus deſtinabantur, diſtributis pro munere et honore mihi a te delato gratias per literas egeram; verum eae, ut diu poſtea reſcivi, neſcio quo caſu perierunt. Hanc longioris ſilentii excuſationem, ut in bonam partem accipias rogo; tibique ſic perſuadeas, nihil a te proficiſci poſſe, praeſertim tam honorifice mihi delatum, quod non viciſſim, ut debeo, perhonorifice accipiam; tibique eo nomine nunc denuo

gratias ago, referrem etiam, ſi poſſim, ſed nec ingenii mei tenuitas neque graviſſimae juxta ac moleſtiſſimae occupationes id patiuntur. Ac vereor ſane, ne id in opere noſtro hiſtorico nimis manifeſtum fiat, quod ante octennium in caſtris inter tubas ad privatum ſolatium inchoatum, poſtea inter curas, negotiorum aeſtus, publicas et privatas calamitates ab anno praeteriti ſaeculi XLV, h. e. a belli Germanici primis initiis ad annum uſque LXXXVI, proſecutus ſum, ad exceſſum uſque Henrici III illud pertexturus divina favente clementia: Nam ultra progredi neque animus neque otium eſt, et multae alioquin juſtiſſimae rationes dehortantur. In eo res externas, ac praecipue veſtras, ut Gallicis maxime conjunctas, admiſcui, digeſtas ex variis ſcriptoribus ac commentariis, ut paſſim toto opere, nunquam editis, adhibito judicio et peculiari rerum notitia, quae peregrinationibus et legationibus, inſuper virorum fide dignorum, qui graviſſima negotia tractaverunt, familiaritate, mihi comparavi: praecipuum in eo veritatis ſtudium fuit; eloquentiam ac cetera ornamenta ſi quis deſiderabit, hoc etiam ſciat in publico moerore haec a me conſcripta, et rem laetam eſſe eloquentiam, ſicuti quidam veterum dixit, et homini inter occupationes et negotia educato, plus temporis in rebus cognoſcendis inſumptum, quam otii ad literas perdiſcendas, quae ad ornamenta haec requiruntur, neceſſarium fuiſſe. Quod ad editionem attinet, quam a vobis Belgis exſpectari dicis, non habeo quod reſpondeam. Scis illud quod molimur eſſe periculoſae plenum opus aleae, et eum, qui hiſtoriam hoc tempore ſcribat, incedere per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Curavi certe, ut procul ab obtrectatione et gratia vera et certo comperta ubique proderem, neque veritati per me flagitioſo ſilentio praejudicaretur. Nam hiſtorici eſt, non ſolum vera dicere, ſed vera audere dicere, quod et ſedulo feci, de poſteritate ſcilicet potius quam de praeſenti ſaeculo cogitans; cujus invidiam, ſi dum in vivis aut ſaltem in publico munere ero, devitarim, non ſolum mihi privatim citra reipublicae detrimentum, ſed etiam ipſi reipublicae, cujus, quamdiu ei inſerviam, me in invidiam non adduci intereſt, eadem opera, ut puto, conſulerim. Interim ſi quid habes, praecipue de veſtris rebus, quo juvare nos poſſis, communicare nobiſcum ne graveris: Sic uterque ſeremus arbores, quae alteri ſaeculo proſint. Vale, et me ama. Lutet. Pariſ. VII Eid. Decembr. CIↃIↃCI.

Ex MS. *Joannes Meurſius Jacobo Thuano viro ampliſſimo S. D.*

ET vehementer gaviſus ſui, vir ampliſſime, conſpectis tuis literis, et dolui iterum cum periiſſe ex iis alias intellexi. O perfidiam tabellariorum! Atqui ego imprudens negotiorum potius multitudine oppreſſo vix tempus aliquod ſcriptioni ſupereſſe et exiſtimabam et interpretabar. Grata tamen vel in ſummo ſilentio tuo mea tibi fuiſſe non dubitabam, ita humanitatem tuam inſignem mihi alii praedicarant. Atque hoc quidem re ipſa nunc expertus ſum. Quid acceptius mihi eſſe poſſit tam prompta illa in me benevolentia, tam honorifico de libellis meis judicio? Certe tibi tuique ſimilibus, id eſt, viris laudatiſſimis, laude dignum videri, hoc vere eſt laude dignum eſſe. Quaeſo te, perge vel excitandis ſtudiis noſtris talis in me eſſe. Ego debita erga te obſervantia cultuque, audacter dicam, cedam nemini. Poemata mea nunc edo; quae mittere geſtiebam, ſed qui has tibi ferret, negabat quoque illa ferre commode poſſe. Interim vel animum pro munere accipies. Vale, vir ampliſſime, et me, quod facis, amare perge. Hagae Comitis, Non. Sextil. 1602.

Ex MS. *Iſaaco Caſaubono viro clariſſimo Joannes Meurſius S. P. D.*

QUI has ad te defert, vir clariſſime, is eſt Chriſtianus Ameſorgus, Chriſtophori juriſconſulti electoralis Saxoniae filius, adoleſcens, qui ſe egregia morum virtute ſatis tibi probabit. Is cum hinc a nobis ad te iret, rogavit me ut literas comiter darem, quod negare ei nullo modo potui; tum quod hoc officium mereretur ipſe, tum quod ego animo libentiſſimo, uti volo quam maxime, ita quamcunque ad te ſcribendi occaſionem arripio. Hic pridem apud nos diem obiit Dominicus Baudius noſter, cum paulo ante in *μανίαν* incidiſſet. In Germania quoque viam eandem, vocante Deo, ingreſſi prius Fridericus Taubmannus Witebergae, inde Altorpii Conradus Ritterhuſius. Ita funeſtus hic annus trigae praeſtantium ingeniorum. Nos hic Scipionem Gentilem expectamus, quem ad profeſſionem hac in noſtra academia exercendam curatores advocarunt, et venturus quoque putatur, niſi quid Ritterhuſii mors impediat. Ego nunc in *Palladii hiſtoria Lauſiaca* accuranda ſum totus, et abſolvi rerum Belgicarum libros IV, in quibus Ferdinandi Albani ſexennium. Illud opus dum contexo obiter, Thuani hiſtoriam, qua de rebus noſtris agit, comparavi; ſed profecto quoties vir magnus, praeterquam quod ignorat plurima, hallucinatur, maxime in nominibus propriis locorum ac virorum? Ecce tibi aliquot exempla:

Vilchnus

Ed. Drouart. Tom. V. 8vo.	Edit Lond. Tom. III.	
p. 153.	p. 178.	*Vilelmus Bloſius Trelonius Swetenii regulus.* Unum facit, qui duo ſunt; nam Swetenii regulus alius erat. Mox *Ladiſlaum Brederodium* vocat, quem *Lancelotum* dicere debebat. Petro Pacioto occiſo, caput conto praefixum, et pro moenibus ſtatutum narrat, cum omnibus hic apud nos conſtet, in patibulo ſuſpenſum fuiſſe, non capite truncatum.
154.	178.	*Balchemius inſularum praefectus* appellatur, qui *Wackemius* erat.
		Exiguum eſt quod *Mildeburgum* pro *Middelburgum* dixit.
159.	180.	*Goda* eſt pro *Gouda*; et *Nedervomiteri Regulus* pro *Nederwormteri.*
160.	181.	*Goerinum* pro *Coevardiam.* *Ramboldus Roſa* pro *Rambollius*; nam *Roſa* illud plane ineptum eſt.
162.	182.	*Tergoam* pro *Goeſam* aut *Tergoeſam.*
165.	183.	*Evone Petro Voriſto* pro *Theobaldo Petro Worſtio.*
171.	185.	*Juliani fanum* pro *Biſelini fanum*; idque
174.	186.	*Gulielmi fanum* vocatur.
178.	188.	*Vertium* pro *Weertum* exiguum eſt. *Tilemone* pro *Tilmontio.*
179.	188.	*Nivigella* pro *Nivilla.*
192.	193.	*Perſonus* pro *Peterſonus.*
193.	193.	*Elbericum* pro *Elburgum*: Alumam, quam intelligat divinare nequeo.
195.	194.	*Nardumum* pro *Nardenum.*
197.	195.	*Amſterfortii* pro *Amersfortii*, ut paulo ante *Amſterfortenſes* pro *Amersfortenſes.* *Chriſtoph. Seaceus* pro *Ch. Scagius.* *Ladiſlaus* pro *Lancelotus.* *Stenerus* pro *Stuverius.*
202. 243.	197. 214. }	*Bartholomaeus Campius*, qui alibi *B. Campocaſſius.*
243.	215.	Multipliciter labitur. *Antonius Pinterus*, qui *Antonium pictorem* dici debebat. Intelligit enim Antonium Olivarium, fecialem et pictorem, de quo ipſe *p.* 158. (Ed. Lond. 180.) et hic hiſtoriae ſuae oblitus eſt. Invenit ſcilicet in eo auctore quem deſcribebat *Antoine le peintre*, idque cognomen ratus vertit *Antonius Pinterus.* Praeterea confundit hiſtoriam hujus Antonii: Caput projectum fuit, hoc modo, menſe demum Maii, v Eid. at quod hic commemorat, quodque menſe Januario accidit, caput erat Philippi regis.
247.	216.	*Guda* pro *Gouda.*
250.	217.	*Roſcotus* pro *Raneſcotus.*
252.	218.	*Fumentanam portam*, quam *Scalconicanam* nos appellamus; *Derdindeus* pro *Derdonius.*
253.	219.	*Scagerus* pro *Scagenus.*
255.	219.	*Harlemuriam* pro *lacum Harlemenſem.*
258.	220.	*Decurionem* quem nos *Conſulem.* et,
261. 192.	221. 193. }	——— pro *praetore* ponit.
259.	221.	*Tomos* vocat ſpeculum in faucibus lacus Harlemenſis poſitum nautis ad dirigendas certius naves; quam nos *Tonne* dicimus a forma.
259.	221.	*Menepatum*, *Mannepad* noſtra lingua ſonat *viam a viris dictam.*
260.	221.	*Res tranſacta eſt a Chriſtophoro et Vadero*: Videtur duos facere, perperam, nam ex IV Ordinum Germanicorum ductoribus, unus hic erat Chriſtophorus Vaderus.
265.	222.	In *Valacreuſi inſula*, rectius *Valacria.* *Ramula* pro *Rammeka* aut *Rammekeno*; rectius alibi *Rammekenſem arcem* dicit, aut *Ramekenſe caſtrum.*
266.	223.	*Godofridus Amerledus* pro *G. a Merle* vel *G. Merleus.*
267.	224.	Quae *caſa rubra* dicitur, noſtra hiſtoria non agnoſcit; ſed ejus loco domos duco in quibus res coriaria parabatur.
268.	224.	*Joannis Simenrolii* pro *Joan. Simonis Rollii.*
269.	224.	*Gul. Marcianum Lumaeum* navali proelio cum Boſſuvio decertaſſe; qui tamen dignitate omni exutus, provincia decedere, ante aliquot menſes, ab Auriaco et Ordinibus coactus erat, et qui partes illas ge-

Google

Ed. Dronart. Tom. V. 8vo. — Ed. Lond. Tom. III.

rebat erat *Theodorus Sonoius*. Hoc excuſari non poteſt.

269. 225. *Horubim*, *Hormum* alibi, *Hornam* rectius.

271. 225. *Portam piſcatoriam* pro *portam Friſicam*.

272. 225. *Aquenſem regionem* pro *Waterlandiam*. Hoc modo *cavam regionem* uſurpare debet pro *Holland*, *maritimam regionem* pro *Zeland*.

273. 226. *Mabartemum*, puto *Harlemium* voluiſſe: *Seterboam* pro *Soeterwoudam*; *Cerſaum* pro *Halſerſwoudam*; Sotermeram *inſulam*, quam *pagum* eſſe ſcimus: *Orcadum munitionem* divinare non poſſum, credo *Nordam* deſignare voluiſſe. *Blaſvicam* pro *Bleiſvicam*; *Derrigmum* pro *Weteringam*; *Caſvico* pro *Catvico*; *Masſendusae* pro *Maſſlantſluſae*; *Bernonis* et *Coſſonis arces* nemo noſtrum unquam interpretabitur, quippe quae nuſquam in illo tractu apud nos extant.

Lugd. Bat. III Id. Sept. 1613.

Ex Syll. Epiſt. Iſ. Caſauboni, edit. Roterod. folio, p. 548.

Joanni Meurſio Iſ. Caſaubonus.

TUAM de ampliſſimo Thuano epiſtolam, vir clariſſime, recte accepi. Feciſti rem et utilem ipſi, et ſine dubio gratam. Saepe ille mihi narravit, quantis ſibi laboribus conſtarent ea quae ſcripſit; neque tamen dubitare ſe, quin res peregrinas exponens ſaepe offendiſſet. Ac ſum ipſe conſcius animi candidi, quo ſemper excepti ſunt ab illo, qui certiora ipſum vellent docere. Itaque nullus dubito, tuas ejuſmodi animadverſiones fore ipſi longe gratiſſimas. Sed hiſtoriam tuam quando videbimus? Ego ingenti flagro cupiditate ea legendi, quae ais ſcripſiſſe de Albano duce. Utinam quos non puduit tam tetra et horrenda ſcelera admittere, pudeat ſaltem in tuis ſcriptis recognoſcere!

Londini, pridie Eid. Novemb. 1613.

Ex MS. *Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. Caſaubon, de Paris* 10 *Dec.* 1613. *laquelle Lettre entiere eſt inſerée cy-deſſus dans la ſection* V. De Thuani hiſtoriae ſucceſſu apud Jacobum I Magnae Britanniae regem.

NON *ſic Meurſius*, duquel vous m'avez envoyé la Lettre avec voſtre derniere du paſſé. Car à chaque ligne il m'accuſe d'ignorance, d'ineptie, d'ἀνιστορησία, & telles ſemblables paroles. Il en pouvoit uſer de plus douces, & meſmement eſcrivant à vous, qu'il ſçait m'eſtre intime amy. Dieu veuille que je n'aye fait en tout mon œuvre de plus grandes fautes que celles qu'il a remarqué, qui ſont la pluſpart de l'eſcriture & de l'impreſſion és noms propres, eſquels il eſt facile de faillir. Je ne laiſſeray de faire mon profit de ſes reprehenſions; & ſi luy eſcrivez, je ſeray bien aiſe que l'invitiez à examiner le reſte, ſans faire ſemblant que j'aye trouvé un peu trop aſpres ſes corrections.

Ex Syll. Epiſt. Iſ. Caſauboni Edit. Roterod. p. 553.

Joanni Meurſio Iſ. Caſaubonus.

QUAS miſiſti ad me notas in hiſtoriam τῶ πάνυ Thuani, vir clariſſime, cum ipſo ſtatim communicavi, te, uti ſpero, non nolente. Reſpondit vir optimus et ampliſſimus, magnas ſe tibi habere et agere gratias, petereque a te, ut quod inceperas perficeres, niſi grave eſſet: quod ego etiam ſummis precibus a te contendo.

Londini, propridie Kalend. Februar. 1614.

Ex MS. *Johannes Meurſius viro clariſſimo et praeſtantiſſimo Iſaaco Caſaubono, Londinum.*

VIR maxime. Libens vidi literas tuas, et gratum quoque intelligere acceptas τῶ πάνυ Thuano meas in hiſtoriam ipſius notas, et hoc ipſum de inſigni ejus humanitate pariter atque candore mihi promiſeram. Sed miror nullum me ab ipſo reſponſum accipere,

accipere, et tamen id fieri mea intereſt. Rogabam enim iis ipſis literis defectum aliquem unius partium paginae, quem in Palladii Lauſiaca deprehendo, per amanuenſem ſarcire vellet: Nam edere conantem hoc remorari. Vides quam valde mea referat literas meas non contemni. Quaeſo te reſponſum pro me ut impetres cura, et ſtudia mea tibi devincies. Vale, vir praeſtantiſſime noſtri aevi.

Lugd. Bat. poſtrid. Non. Mart. 1614.

Ex Syll. epiſt. Iſ. Caſauboni, edit. Roterod. p. 559.

Joanni Meurſio Iſ. Caſaubonus.

RESPONSUM ad noviſſimas tuarum, vir clariſſime, citius accepiſſes ſi per valetudinem meam licuiſſet mihi literis ſcribendis dare operam. Miror queri te, quod nullas ab ampliſſimo Thuano acceperis; videris enim exiſtimare, te, quando tuas eruditiſſimas notas miſiſti, aliquam ad Thuanum epiſtolam adjeciſſe, cui ipſe non reſponderit. Tu vero, vir eximie, ſi ita perſuades tibi, in errore verſaris. Nam ego tunc temporis unas duntaxat literas accepi; illas nimirum ipſas quae tuas obſervationes continebant, quaſque ego ad Thuanum miſi. Si alias ipſe ſcripſeras, ſcito eas mihi non fuiſſe redditas; ac propterea Thuano de illis nihil unquam fuiſſe compertum. An poſtulata illa tua, quorum in poſtrema epiſtola meminiſti, continerentur ea quam ad Thuanum ipſe miſi, pro certo non poſſum affirmare: Puto tamen nihil eorum in illis literis tuis me legiſſe. Egit vero mecum ipſe magno ſtudio, ut tibi gratias agerem; et, quam gratum hoc tuum inſigne officium ſibi fuerit, prolixe exponerem.

Londini a. d. IX Kalend. Maii, 1614.

Dom. Profeſſor Grammius, bibliothecae regiae Hauniae praepoſitus, quanquam epiſtolam ſuperiorem Jo. Meurſii, dat. III Id. Sept. 1613. ex MS. deſcriptam videre illi non contigit, ſagacitate tamen ſua inſita proſpiciens aliquid de hac re in noſtra editione inſertum fore, perhumaniter quae ſequuntur nobis ultro per literas communicavit.

" IN eorum numero, qui, poſtquam hiſtoria Thuani in lucem edi coepiſſet, animad-
" verſiones in loca ejus, quae indigere illis viderentur, invitati ab auctore ſubmi-
" ſerunt, fuiſſe etiam Joan. Meurſium docent nos epiſtolae ad eum Caſauboni, ternae
" omnino, quarum prima legitur in editione epiſtolar. Caſaub. ultima (Roterod. 1709 in
" fol.) p. 548. ſecunda p. 553. tertia p. 559. annis 1613 et 1614 Londini ſcriptae. Et
" ex duabus poſterioribus apparet, Meurſium, cum ad annotationes ſuas nihil reſponſi ac-
" ciperet, ſuſpicionem ex taciturnitate illa concepiſſe, de offenſo libertate ſua cenſendi caſti-
" gandique Thuani animo. Aucta magis ſuſpicio, cum ſequentibus etiam annis Thuanus
" non tantum in ſilentio perſeveraret erga Meurſium, ſed et neſcio quid literarum daret ad
" Ubbonem Emmium, quibus de Meurſio ejuſque annotatis mentionem videtur feciſſe, at-
" que ita ut parum noſter acquieſceret; cui placando et amoliendae omni ſuſpicioni cum
" idem Emmius, tum et nomine Thuani ipſius Rigaltius operam deinceps impenderunt.
" Thuani illas ad Ubbonem Emmium nuſquam vidi: Sed quae memorati negotii mentio-
" nem habent, epiſtolae Emmii, Rigaltii, et Eizonis Tjerdae, habentur penes me in Syl-
" loge MS. epiſtolarum eruditorum virorum ad Jo. Meurſium, unde ſeqq. excerpo.

Ex epiſtola Ubb. Emmii ad Meurſ. Groningae d. IV Eid. Sept. 1615.

" EX animo doleo, errorem illum inter te et maximum virum Thuanum incidiſſe:
" Quo enim alio nomine ad ipſum appellem? Quod ſi Dominus Caſaubonus vi-
" veret, ſine dubio is optime et commodiſſime errorem poſſet explicare et tollere. In
" me quantum erit, libens id faciam quod petis. Debeo autem hoc benevolentiae erga
" me tuae, et multo majora debeo. ——— De Domino Thuano non dubito, quae ipſius
" eſt humanitas et facilitas ſingularis ac rara in tali fortuna, quin is, de te atque animo
" tuo melius edoctus, offenſionem aut ſiniſtram ſuſpicionem, ſi quam forte concepit, ſta-
" tim ſit abjecturus: ἀεὶ γὰρ ... Et ſane poſcit hoc ipſa aequitas, ut
" quod inter bonos bono ſtudio fit, id bene ab eo, cujus ſtudio fit, etiam accipiatur.

Ex epiſtola N. Rigaltii ad Meurſ. Lutetiae Pariſ. prid. Non. Jul. 1616.

" LITERAS abs te nudius quartus accepit illuſtriſſimus Thuanus, a. d. 4 Junii datas, " una cum Syntagmate de populis Atticae, item Palladio et Manaſſe: Ac tum " forte aderam legenti; verum tanta animi perturbatione conſternato prae moerore, quem " ex acerbo dilectiſſimae conjugis obitu paucis ante diebus elatae concepit, ut me ſuam " vicem officio reſcribendi fungi voluerit: Quod igitur accepi, id exſequor. Ac pri-" mum ejus nomine gratias tibi pro munere habeo maximas: Eſt enim eximium et " praeclarum. Atque, ut porro de re literaria publica bene mereri pergas, ſcito max-" imum virum omnia illa, quae tu nobis aut ingenio perficis aut elaboras induſtria, " quanto poteſt laudum favore proſequi. Tantum abeſt ut de illius erga te animo ali-" eni aliquid ſuſpicari debeas. Neque ipſe meminit ullas ſe ad Ubbonem Emmium de-" diſſe, quae te in eam opinionem adducere debuerint. Imo ſi quid aliud in opere illo " hiſtorico abs te animadverſum erit, id ut ad ſe mittas, etiam atque etiam rogat.

Ex epiſt. Eizonis Tiardae ad Meurſ. Groningae 7 *Nov.* 1616.

" LITERAS Rigaltii, Thuani nomine ſcriptas, cum admiratione legi: Sed quid mag-" nus ille vir ad Ubbonem noſtrum ſcripſerit, data occaſione mittam; et quod " Ubbo te eo nomine in literis ad Thuanum excuſarit, vel ex hac incluſa ſchedula vi-" dere potes.

Ex epiſtolis Jacobi Bongarſii et Georgii Michaelis Lingelſhemii Argentorati 1660. *in* 12°.

Ex epiſt. Lingelſhemii ad Bongarſium. Ep. XLVIII. *p.* 180.

HERI mihi redditae tuae 9 Febr. datae una cum regali plane munere, hiſtoria Thuani tam diu deſiderata. In eo vero triumpho, quod praeſtantiſſimum librum unus ego et ſolus habeo, incomparabilis amici beneficio ac liberalitate. Totus ſui in illo, et oculis meis bellum indixi, adeo de manibus deponere non poſſum ſcriptorem plane ad genium meum.

Heidelbergae, 14 Febr. 1604.

Ex MS. *Illuſtri et ampliſſimo viro Domino Jacobo Auguſto Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario, et praeſidi ſenatus Pariſienſis, et Domino ſuo ſumme colendo.*

ACCEPI munus tuum, illuſtris et ampliſſime Domine, procurante ampliſſimo Domino Bongarſio: Munus ipſum per ſe gratum et optabile, tum vero propter dantem ipſum; merito enim facio maximi ab eo viro, quem ob virtutem doctrinamque, quamvis ignotus, colui ſemper; tum vero, perlecta hiſtoria ejus, in admirationem raptus ſui, in tantum amari, ut etiam dignus munere viſus fuerim. Obſtrictum igitur hoc inſigni munere ita tibi me reddidiſti, ut nihil tam grave mihi imponi poſſit quod non libens in tuae ſpem gratiae ſubiturus ſim. Certe jam diu eſt quod nihil majore cum aviditate legi, perfuſus ſimul gaudio, ob cognitionem rerum pulcherrimarum, aptiſſime veriſſimeque, adde et liberrime (rarum hoc aevo) explicatarum, et attonito propior admiratus, nihil ne in antiquitate quidem reperiri quod ita numeris omnibus abſolutum ſit. Elogia autem illa clarorum virorum, tanquam inſigniores ſtellae in illo coelo ſparſae, quam me affecerunt, ingenue data merentibus, remoto omni factionum ſtudio! O te virum, iſto aevo majorem! Sed nec alius hoc auſus fuiſſet, niſi quem majorum ſuaque virtus et dignitas ſupra invidiam quodammodo collocaſſet. Sane dum veritatem omnibus aliis conſiderationibus ante habes, neceſſe eſt omnes improbos, qui latebras ſcelerum ſuorum quaerunt, graviter irritaveris, praecipue vero illos qui unice id agunt, ut homines in ignorantia et foeda ſervitute contineant, merito hoſtes generis humani judicandos. Quorum tamen iniqua judicia, ut te a ſcribendo abſterrere non potuerunt, ita confido fore, ut remoras injicere non poſſint, quin feliciſſime coeptum opus pertexas, quod nos veritatis amantes ſummo cum deſiderio expectamus, atque etiam a te flagitamus. Unde omnem poſteritatem tibi inſigniter devincies, meritamque et aeternam gloriam feres; quis enim non accendatur ad laudem lecta hiſtoria tua, deteſteturque malas artes ac ſcelera? Pluribus verbis gratias non ago, ſed unum hoc voveo, ut grato aliquo officio demonſtrare poſſim, non indignum me

me repertum tanti viri favore. Deum comprecor, ut te reipublicae ac litteris quam diutiſſime incolumem conſervet.

Heidelberga III Non. Octobr. 1604.

Illuſtris amplitudinis tuae obſervantiſſimus,
GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuanus G. M. Lingelſhemio Heidelbergae.*

MUNUS noſtrum (vir doctiſſime) tibi gratum fuiſſe, cum per literas tuas a Domino Bongarſio mihi redditas cognovi, quantopere laetatus ſim, vix explicare poſſum. Nam aequiſſimi et limatiſſimi judicii viro noſtra probari, quae a malevolis ubique carpuntur, praecipui ſolatii loco fuit. Etſi enim mihi conſcius eſſem, nihil gratiae aut odio datum, tamen me male habebat, quod ab aulicis noſtris, prudentibus ſcilicet rerum aeſtimatoribus, aliiſque ejuſdem farinae hominibus, imprudentiae inſimulabar; qui in ea qualicunque fortuna collocatus magnates noſtros libertate nimia atque adeo intempeſtiva exacerbaſſem; quos, ſi non amicos, at placatos habere, non ſolum mea privatim, ſed muneris, quo fungor, ratione reipublicae intererat. Quibus uno verbo reſponſum volo, me non tantum iis qui nunc ſunt, ſed poſteritati praecipue ſcripſiſſe; cui potius placere, quam vitiis hujus ſaeculi turpiter ancillari malim. Nec vero me adeo peccaſſe ſentio, niſi quod in magiſtratu hiſtoriam horum temporum ſcribere aggreſſus ſum. Sed nulla lege interdictum legi aut fando accepi, ne quis publicam perſonam ſuſtinens hiſtoriam ſcriberet. Fortaſſe qui plus vafrae prudentiae, quae nunc in principum aulis et negotiis publicis tractandis obtinet, quam bonae conſcientiae, qua ſola beati ſumus, tribuunt, me parum caute egiſſe arguent, eaque re in odium multorum incurriſſe, paucorumque gratiam meruiſſe dicent; adeo rari ſunt hodie, qui non ad horridum veritatis nomen trepident, non veracis amici candorem exhorreſcant: Sed Deum innocentiae meae teſtem appello, eoque vindice et accedente amicorum teſtimonio me tacitum conſolor. Tuis certe hortatibus me non mediocriter confirmatum ſenſi, tam obvia humanitate ad amicitiam mihi expetibilem invitatus. Nullum quippe jucundiorem vitae fructum eſſe, nullum majus, dum inter homines verſamur, oblectamentum capi poſſe arbitror, quam in colenda mutuis officiis amicitia. Ejus tecum ex honeſta cauſa contractae beneficio, quando ita jubes, uti decrevi; eaque propter rogo te et obteſtor, ut quicquid in noſtris animadverſione dignum cenſebis (erunt autem quam plurima) pro candore tuo me libere moneas; nam in Germanicis veſtris, Hungaricis, et remotioribus ad ſeptentrionem provinciis, non dubito quin multa ignoranti exciderint, quae caſtigatione indigeant: Utinamque totum opus, antequam lucem videat, ad vos mittere poſſim; ſed ſpiſſae molis illud eſt, unicumque tantum exemplum penes me habeo, quod viarum periculo committere minus tutum exiſtimo. Proximis nundinis, ſi per operarum ſegnitiem licebit, habebis libros XX ſequentes, quibus hiſtoria ad annum LXXII ineuntem pertexitur. Ulterius ne progrediar improbitas plurium et ſaeculi ingratitudo prohibet. Jam ad annum XCVI perveni, ad annum uſque DCII opus perducturus. Verum haec omnia latent, latebuntque, et poſt mortem meam, niſi Deus alia tempora, aliam mentem mihi fecerit, tantum legentur. Sed diutius te moror. Marquardo Frehero, quem familiariter notum amo coloque, et ad quem hiſtoriarum noſtrarum exemplar mittendum curavi, plurimam ſalutem dico. Vale, et me porro amare perge.

Lutetiae Pariſ. III Eid. Mart. 1605.

Ex MS. *Illuſtri et ampliſſimo viro Jac. Aug. Thuano, &c.*

ILLUSTRIS et ampliſſime Domine, S. Pudet me profecto quod ad literas tuas, quibus ad amicitiam tuam fores mihi pandis tam benigne, reſpondere et pro immortali illo beneficio gratias agere diſtuli. Cauſa unica hujus morae eſt, quod reverentia nominis tui et conſideratione admirabilium virtutum tuarum eo adducebar, ut nihil reperirem quo ſatis animum iſtum ob hanc tuam in me benignitatem tibi devotum et obnoxium teſtarer atque exprimerem. Et ſane adhuc verecundor verba tantum reponere, qui ſperabam hactenus fore ut nanciſci poſſem ex iſtis partibus ſcriptionis aliquid novae quae te oblectare poſſit. Sed in eo fruſtra laboravi. Jam adactus ad hanc compellationem ſum, metu illo juſtiſſimo, ne ſcilicet diuturnius ſilentium ingrati mei animi erga incredibilem tuam benevolentiam argumentum eſſet. Reliquae aeterni operis tui boni omnes mecum avidiſſime deſiderant, neque patieris tu ut paucorum improborum maligna judicia plus valeant quam bonorum vota et ſaeculi hujus omniſque poſteritatis commoda. Certe non fallor ego, hanc ipſam invidiam, has carpſiunculas ac querelas de libertate, et potentium offenſione

non

non vitata, ad gloriam tuam facere. Et quid verearis tu, integritate tua et innocentia tutus, ſub rege iſto quem tu meritis laudibus tam praeclare proſequeris? Neque placabis invidiam ſilentio: Et opprobrium foret aevi noſtri, ſi virtus ita oppreſſa jaceret ſub improbitate, et tot labores ac curae pro veritate indaganda et in lucem proferenda ſuſceptae ſupprimerentur; praeſertim hoc ſaeculo, quo propter factiones et improba ſtudia id omni conatu agatur ut ne emergere aut illucere veritas poſſit; ad quam vindicandam magno animo et magno apparatu eſt opus, quae fruſtra alibi quam in te ſperemus. Debes hoc aetati noſtrae, ut eam vindices ab infamia illa quaſi doctrina et virtus exularent. Sed ego ineptus qui hortator accedam, cum ſatis ſit ſi rectiſſimo et exactiſſimo tuo judicio utaris, quod ſecutus nunquam erraveris aut facti te poenitere poſſit. Quod etiam cenſuram noſtram expetis nimium mihi tribuis. Ego ad lectionem tuorum ſcriptorum nihil affero quam ſtudium diſcendi, in quo mihi abunde ſatis ſit cum ſumma admiratione. Et quis tam improbus aut ineptus, qui ſibi ſumere judicium audeat in haec tanto ſtudio et diligentia elaborata? Tamen quidquid de rebus noſtris et ſeptentrionalibus nanciſci potero faciam ut habeas. Si quid etiam excogitare potero quo de te bene mereri liceat, nulli operae aut labori parcam. Deumque O. M. precor, ut te patriae et poſteritati neceſſarium virum tueatur ac ſalvum incolumemque conſervet. Vale, illuſtriſſime Domine,

Heidelberga XVI Kal. Sept. 1605.

Tui nominis admirator et devotus,
GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS.

Ex epiſtolis G. M. Lingelſhemii ad Jacobum Bongarſium, Argentorati 1660, in 12mo. Ep. LXIII. *p.* 208.

THUANUM ſummum virum reſtitutum reipublicae gratulor; quod etiam noſtri memoriam colit, in eo magis magiſque nos ſibi devincit; certe vota ardenter pro ipſo ad Deum fundimus. Atque ecce redduntur jam tuae XII Jan. ſcriptae a Caſtilionaeo, cum Excerptis ex epiſtola Thuani. Vide quae improbitas iſtorum hominum, qui per calumnias praeſtantibus viris metum injicere tentant. Spero ego haec talia magis alienatura animum incomparabilis iſtius viri a factioſis iſtis hominibus; et cenſuram Romanam ferat ille cui conſtat veritas rerum, quid aliud inde concludat, quam quod noſtri dicunt, ſedem eſſe mendacii et abominationis? Certe porro locus ipſi non permittitur dubitandi, quando in hiſtoria ſua nil niſi veritatem nimis nudam arguunt.

Heidelb. V Jan. 1606

Ex MS. *Viro ampliſſimo Mich. Lingelſhemio, conſiliario Pal. Jac. Aug. Thuanus S. D.*

HABES tandem, vir ampliſſime, noſtrarum hiſtoriarum ſecundam partem, cujus tantam expectationem in Germania excitatam ſcribis: Sed valde vereor ne expectationi minime res ipſa reſpondeat, et ardens adeo deſiderium veſtrum accendat potius quam expleat. Totum opus [1] 120 libris diſtinctum, tandem, poſt duodecimum annum et ſex menſeis a quo ſcribere occepi, ad umbilicum proximo Aprili adduxi: Nunc anxio ſcriptionis toties per negotia interciſae et abruptae labore ſolutus, ad illud denuo recenſendum, quod hucuſque non licuit, quicquid publico temporis ſuffurari potero, id totum conferre ſtatui; et amicas omnium philologorum opes imploro, ut me in labore pro republica ſuſcepto monitis, conſiliis, et induſtria ſua adjuvent: Te imprimis, vir ampliſſime et ſupra quam de te merui amiciſſime, rogo obteſtorque, ut libere quid ſentias cum amico eloquaris; nam alteram editionem meditamur ceteris caſtigatiorem et elaboratiorem. De reliquo opere non habeo quod ſtatuam; nam ſi reipublicae profuturum judicas, perire illud dolendum eſt, et tamen certum eſt, ut ſunt tempora, id integrum ſine auctoris periculo et ſumma invidia, cui ſuſtinendae adverſus aulicos pares non ſumus, edi non poſſe; mutilatum autem edi, quam omnino premi, magis probroſum duco. Mihi in aliqua dignitate conſtituto multarum rerum multis reddenda ratio eſt, quos privatus poſſem contemnere; itaque ferre amici aequo animo debent, ſi deſiderio eorum hac in parte protinus non ſatisfacio. Nam violentiores ſunt hodie magnatum aures, quam ut iis verum loquendo placere poſſim; et tamen non ad gratiam, cui nunquam ſervivi, ſed ad muneris neceſſitatem pertinet, ut eos potius placatos quam iratos habeam. Si quem puerum ex Germania veſtra, nam heic apud nos non ſunt, nanciſci poſſem, qui idoneam ſermonis Latini notitiam haberet et literas ſcite formare poſſet, huic LXX circiter libros qui ſuperſunt libentiſſime deſcribendos darem, et exemplum ad Dominum Bongarſium tranſmitterem:

NOT. [1] Legendum 126.

mitterem: Uti illius legendi amicis, ac tibi imprimis, copiam faceret; judiciumque veſtrum ac ſententiam exquireret; ſed legem additam vellem, ne deſcriberetur aut injuſſu meo excuderetur. Sed vix haec tanti eſſe puto ut te longiore ac futili epiſtola morari debeam. Si quid certi pleneque comperti de ſeptentrionalibus veſtris rebus, necnon de Pannonicis habes, nam heic tantum ſingulis nundinis Mercurium de his loquentem audivimus, id ut mecum communices pro jure amicitiae valde te rogo. Vale, vir ampliſſime, et me amare perge.

Ex Villaboniano noſtro xv Kal. viibr. 1606.

Illuſtri et ampliſſimo viro Domino Jac. Auguſto Thuano S. conſiſtorii conſiliario, et praeſidi ſenatus Pariſienſis, et Domino ſuo ſumme colendo.

Illustris et ampliſſime Domine. Munus plane regium tuum recte accepi, cui tu literas quoque addere dignatus, bone Deus, quam benevolentiae et humanitatis plenas! Exſultabam viſa altera parte operis, quo nihil perfectius et reipublicae utilius hoc ſaeculo prodiit; et jam mente praecipiebam gaudia, quae ex deliciis iſtis capturus eſſem, ſitimque meam moderaturus, quum literae tuae, tam benigne et amanter ſcriptae, gaudium meum congeminarunt; praeſertim quum cognoſcerem univerſum jam opus ad umbilicum perductum eſſe. Ceterum cur reliqua adhuc premenda exiſtimes, rationes tuae mihi plene ſatisfaciunt: et ſufficit ut ſaltem poſteritas frui poſſit theſauro iſto. Sed quas grates tibi agam dignas, qui me, etiam ante editionem, participem tanti boni facere polliceris! Profecto mancupio me tuum feciſti, ut nihil tam grave unquam mihi impoſiturus ſis, quod in tuam gratiam non lubentiſſime ſim ſubiturus.

Atque ut tanto citius divino illo munere, cujus ſpem facis, frui poſſimus, in noſtra ſtudioſa juventute Cyriacum Herdeſſianum, illius clari juriſconſulti Norimbergenſis agnatum reperi, et literis et moribus politioribus adoleſcentem, qui operam ſuam in deſcribendis LXX illis libris reliquis offert, et maximo deſiderio munus illud expetit: ejus manum his adjunxi, ut videas literas legibiles ipſum formare. Eſt autem adoleſcens iſte, ea probitate, diligentia, et modeſtia praeditus, ut ob bonarum praeterea artium ſtudia, quibus graviter incumbit, dignus ſit bonorum favore, et quem in familiam tuam ad hoc opus perficiendum recipias. Quod ſi manus ipſius tibi probabitur, ac tempus quando ipſum ad te mitti velis deſignaveris, faxo ſtatim ut deſiderio tuo ſatisfiat. De rebus ſeptentrionalibus ac Pannonicis operam diligentem dabo, ut quicquid memorandum nanciſci potero tibi quoque communicetur. Jam rurſus nunciant pacem cum Hungaris ratam, et ſpem quoque eſſe ut cum Turca tranſigatur; quum certi quid habuero, faciam te quoque certiorem. Tu me, vir maxime, in clientibus et nominis tui cultoribus porro quoque habe; ego omni ſtudio enitar, ut non plane indignus tanti viri benevolentia reperiar. Servet te Dominus ornamentum ſaeculi noſtri.

Heidelbergae poſtridie Kal. Novemb. 1606.

Illuſtris amplitudinis tuae obſervantiſſimus,
Georgius Michael Lingelshemius.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. D^no. J. A. Thuano G. M. Lingelſhemius.*

Illustrissime Domine, S. Cum his diebus obtinuiſſem a venerando ſene et mathematico celeberrimo Johanne Praetorio, profeſſore Altorphiano, epiſtolas aliquot admirandi viri Andreae Dudithii, putavi non ingratum fore, ſi ultimam ejus epiſtolam exſcriptam tibi mitterem; non propter argumentum ipſum, quod continet ζητήματα quaedam, ſed propter clauſulam illam quam ſua manu epiſtolae adſcripſit, praeſertim cum ſummus ille vir vanitatem praedictionum aſtrologicarum varie arguere fuerit ſolitus; cujus rei ſpecimen habeo epiſtolam ad Taddaeum Haggeſium medicum Caeſareum, praeter alia multa. Et tamen quod ſibi imminere ex aſtrologiae praeceptis animadverterat, exitus comprobavit: Nam biduo poſtquam literas illas exaraſſet, fato abreptus eſt, uti ex epiſtola Thomae Savillii, quam etiam adſcripſi, videre eſt. Fuit Savillius iſte illius celebris Henrici Savillii frater, xv annis minor, ſed iiſdem artibus excultus, in quibus qui ſupereſt ad invidiam excellit: Sed paulo poſt idem ille quoque in florenti aetate, quum vix domum rediiſſet, ex humanis exemptus eſt. Ceterum gratias etiam tibi dicere viſum eſt, ob ſalutem tam benigne et dictam per optimum virorum Bongarſium, et ſcriptam in literis ad Gruterum meum. Certe nuncius ille nos ſummo gaudio perfudit, quod in edendo aeterno tuo opere hiſtorico pergis: Qua in re bonos omnes et veritatis amantes plurimum tibi magis magiſque obſtringis, atque ad cumulum reliquarum tuarum laudum hanc etiam magnanimitatis tibi vindicas, quod odia potentium te ab inſtituto laudatiſſimo et

aeternum praedicando deterrere non poſſunt: Obganniant pauci qui ſe mancipio obligarunt alterius cupiditati, florebit vigebitque veritas et Deo grata et bonis omnibus. Vive, valeque, vir illuſtriſſime et omni invidia major.

Heidelberga IV Kal. Maias, 1607.

Ex MS. *Ampliſſimo Georg. Mich. Lingelſhemio Jac. Aug. Thuanus S. D.*

HIS nundinis reliqua Caroli IX proxima editione omiſſa habebis: Sic enim totum opus diſtinxi, ut ſingulas partes ſinguli reges noſtri faciant. Itaque cum jam edita recudentur a XXIII libro, ubi Franciſci II regnum incipit, pars ſecunda quoque incipiet, quae quia IV tantum libris abſolvitur, fuit enim brevis aevi princeps ille, idcirco cum prima ab initio confuſa connumerabatur. Tum ſequetur tertia pars XXXI libris comprehenſa, quae Carolo rege res geſtas narrat. Dabimus et XXIII libros ſequenteis qui ad quartam partem pertinent, et res Henrico III rege geſtas, ad annum LXXXIV comprehendunt. Huc ubi venerimus, ſi per invidiam ac ſaeculi perverſitatem licebit, ſi denique proceres noſtros placatiores experiar, dabo operam in iis quae ſuperant edenda, ſi tanti ſunt ut ea publicari publicae utilitatis interſit, ne, quam in ſcribendo fidem ac diligentiam adhibui, eandem in edendo aequi bonique omnes ſint a me deſideraturi. Quod eo ad te ſcribo, vir ampliſſime, ut te de conſilii ac inſtituti noſtri ratione certiorem faciam; quod pro jure tam propenſae in me voluntatis facere debere videor; et ſimul deſcribendi laborem, de quo ultimis ad te meis mentionem injeceram, ſuperfluum eſſe oſtendam.

CUM vero tuis poſtridie Kal. Novembris ad me datis ſignificaveris Cyriacum Herdeſſianum, juvenem eruditione et moribus lectiſſimis, ſponte ad id operam ſuam detuliſſe, eſt quod ei ante omnia gratias agam; graturerque mutatione prioris conſilii effectum eſſe, ut moleſtia deſcribendi illa, ad quam ſe ultro obtulerat, citra laboris taedium ſit defunctus. Nam bonas ejus horas melius impendi poſſe minime dubito; et iniquiſſimum ducerem in alieno opere fatigari eum, qui propria induſtria in publicum poteſt prodeſſe.

AD alteras tuas venio IV Kal. Maias Heidelberga ſcriptas, gaudeoque cura tua et ſtudio occaſionem mihi oblatam viri ſupra omnem laudem poſiti in opere noſtro commemorandi. Nihil enim lubentius facio, quo ingenio natus ſum, quam ut quos commendatione publica dignos exiſtimo, eorum memoriam, quantum in me eſt, ad poſteros cum aliquo praeſentis aevi grato teſtimonio tranſmittam. Quam ob rem tamen maxima longe invidia me onerari ſcio, praeſertim Romae, et apud novitios cenſores, qui hodie omnium rerum arbitrium ad ſe trahunt. Vidiſti, puto, [1] literas cujuſdam ea de re in me ſcriptas, quibus quam inique ille de me et candore noſtro exiſtimet, candidiores illo judicabunt, et poſteritas, domita tandem invidia, decernet. Sed neque ille neque illius ſimiles livore ſuo ſive affectata contra literarum ſtudioſos obtrectatione efficient, ut inſitae naturae aut moderationis me meae unquam poeniteat; Deumque inter me et illos olim diſceptatorem adpellaſſe contentus, de cetero convitia ac contumelias eorum ſilentio tranſigam. Haec tecum, vir amiciſſime, neque enim ad alios emanare velim, ne materiam quietis meae ſolicitandae hominibus occaſionem ubique captantibus praebeant.

QUOD de Dudithio monuiſti, ex literis ab optimo et doctiſſimo ſene Jo. Praetorio acceptis, elogio jam ante ex fama et literis Thomae Savillii, quas a D. Bongarſio habueram, concinnato adjeci. Id quia ad annum LXXXIX pertinet, ad quem uſque an editionem perſecuturus ſim adhuc haereo, ea propter exemplum tibi illius mitto; adjuncto Franciſci Salinae Hiſpani: Ex quo intelliges tu, intelligent et boni omnes, quam honorifice de Iberis, contra quam illi blaterant, et ſenſerim et ubique ſim locutus. In Dudithii elogio quaedam deſiderari animadvertes, in quibus mihi a te ſubveniri peto. Nomen γαμετῆς, familiam patris illius ac nomen, liberorum nomina et indolem, et quae alia ad conjugium ejus remque domeſticam et ſtudia pertinent, amplius ex te ſcire aveo. Quod tute fortaſſe ſcis, aut ex aliis atque ipſo Praetorio imprimis diſces, id ne me celes te enixe rogo. Non ita longe ab Vratiſlavia abes, quin, ſi praeſentiora ad id ſubſidia deſint, rem ex ipſa defuncti vidua, ſi adhuc in vivis eſt, liberiſque, per amicos indagare poſſis. Illius literas pleraſque de rebus graviſſimis in Germania ſparſim extare audio, quas colligi, nec diutius premi, non ſolum ad tanti viri gloriam, ſed ad publicam rei literariae utilitatem meo judicio cum primis pertinet. Interim ſi quas hujuſmodi reliquias habes, gratum feceris, ſi eas mecum benigne communicare non gravaberis; ſicuti et quae de ſeptentrionalibus ac Vandalicis et Hungaricis rebus per otium reperire poteris. Nam ſi per occupationes licebit, quanquam in anno CIↃIↃCI mihi conſiſtendum propoſuiſſem, ulterius uſque ad hunc annum, quo veluti pax tota Europa ſancita eſt, hiſtoriam perſequi ſtatui. Quam ob rem cum externa mihi undique conquirere opus ſit, id niſi per amicos haud facile

NOT. [1] Ex Thuani verbis veroſimile videtur has literas typis fuiſſe vulgatas: Eas tamen nobis aſpicere non contigit.

facile conſequi poſſum. Id ut per te ac per amicos cures valde te rogo. Vale, vir ampliſſime, et me, quod facis, porro amare perge.

Viro ampliſſimo Domino a Collibus plurimum ſalvere jubeo.

Lutetiae Pariſ. Eidib. Quintilib. cIↄIↄcvII.

Ad finem Lib. xcvI, poſt Jac. Zabarellae elogium.

MAJORE praeconio dicendus Andreas Dudithius ab Horehovizza, aliquando etiam Sbardellatus cognominatus; vir natalium claritate, ingenio, omni ſcientiarum genere exculto, judicio, rara Latine ſcribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis prudentia ac ſolertia praeſtans; ad haec totius corporis forma, geſtu, et oris renidenti gravitate conſpicuus; comitate, vitae innocentia, omnium, qui eum unquam viderunt, gratiam promeritus. Primum literarum tirocinium Lutetiae Pariſiorum fecit, ſub optimo doctore Angelo Caninio Anglurenſi, non ſolum linguae Graecae et Hebraicae, ſed etiam orientalium peritiſſimo: Deinde in Italiam profectus Paulum Manutium, M. Ant. Muretum, Carolum Sigonium, Onufrium Panvinium, Petrum Victorium, partim audivit, partim amicos et familiareis habuit. In Pannoniam ſuam reverſus atque in aulam Caeſaream, quanquam admodum juvenis, ob admirabilem eruditionem et morum ſuavitatem Tininienſi epiſcopatu donatus fuit, magnaſque legationes ſub Ferdinando jam tum, et poſtea ſub Maximiliano, ſumma felicitatis et prudentiae laude obiit. Inter haec concilio Tridentino interfuit, et Hungariae ſacri ordinis nomine orationem ad patres habuit. Poſtea, Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege mortuo, in electione novi regis ſedulam operam Maximiliano Caeſari navavit; nullumque in ea petitione acriorem adverſarium Jo. Monlucius, Valentiae epiſcopus, ut ex ipſo ſaepius audivi, quam Dudithium expertus eſt. Tantas tamque laudabileis animi dotes in religione levitas nonnihil obſcuravit: Nam, ſacris majorum relictis, Proteſtantium doctrinam amplexus eſt; atque ut illi inter ſe per Germaniam, ac praecipue per Sarmatiam, ſtudiis et opinionibus diviſi erant, ita nunc ad has, nunc ad illas parteis propendens diu fluctuavit, neutris propterea acceptus; cum et a Catholicis, quod primam fidem irritam feciſſet, ubique exagitaretur, et inter Proteſtanteis quaſi emanſor haberetur. In eo autem fluctuationis ſalo haerens hoc temperamentum ſervabat, ut nemini, qui viam veritatis ac ſalutis pectore non ficto neque ambitioſe quaereret, gravius ſuccenſendum putaret; neque eos, qui in religionis quaeſtionibus hodie tantopere exagitatis erroneam opinionem tuerentur, modo turbulenta abeſſet pertinacia, poenis atrocioribus dignos cenſeret. Qua de re contrariae extant luculentae Theodori Bezae et ipſius epiſtolae. Ejerata epiſcopa in uxorem *Palatini filiam duxit, de qua res non indigna relatu memoratur. Cum adhuc epiſcopus eſſet Dudithius, in Poloniam a Maximiliano legatus, et ad Infantem pontificio ornatu in gynaeceum, in quo pleraeque nobiles virgines erant, admiſſus, uni ex illis non prius ſibi viſae ruborem expreſſit, tanta circumſtantium admiratione, ut, digreſſo legato, Infans ſtatim ab ea quaeſierit quid cauſae eſſet, cur in legati occurſu tam manifeſtum commoti animi ſignum dediſſet; illa vero, cum initio alia atque alia cauſata ſe excuſaſſet, ad extremum inſtante Infante reſpondit, Heſterna nocte in ſomnis viſum hominem a patre matreque virum ſibi deſtinatum, tota corporis et oris ſpecie, excepto ſacerdotali amictu, tam legato ſimilem, ut memor ſomnii ita manifeſte erubuerit. Quod pro tempore ab Infante et ipſa virgine neglectum, vanitatem ſomniorum ridentibus, eoque magis quod inter dignitate pontificia virum et virginem illam nuptias coire poſſe tunc veriſimile non fiebat. Nihilominus biennio poſt exitum habuit, cum Palatinus pater in Caeſaris aulam Poloniae regis juſſu profectus cum Dudithio rei ignaro, qui tunc ejerata epiſcopa de nuptiis cogitabat, de filia ei in matrimonium danda convenit. Inde, alieniore ab ipſo Caeſaris animo, cum uxore ac familia ad privatam vitam ac literarium otium redactus, Vratiſlaviae in Quadis contracto domicilio, quod reliquum vitae fuit fere exegit, mathematicarum ſcientiarum praecipue ſtudiis animum oblectans, ob idque arctiſſimam cum Joanne Praetorio Joachimico, inſigni harum artium in Altorfiana Norinbergenſis reipublicae academia profeſſore, amicitiam coluit. Placida, ac qualem praedixerat ſaepe et ſibi optarat, morte obiit* vIII *Kal. Mart. amicis liberiſque circumſtantibus, cum non totis duabus horis decubuiſſet, medicis, ut fit, de morbi genere diſſidentibus, cum alii pulmonis abſceſſum, alii apoplexiam eſſe differerent; integroſque animi ſenſus ad extremum vitae ſpiritum retinuit, Deum ſalutis noſtrae propitiatorem perpetuo invocans. Biduo ante, quod multis admiratione dignum videbitur, ad Praetorium, quem compatrem familiari compellatione nominabat, literas dederat; quarum in ima clauſula, poſt pleraſque non vulgareis de rebus mathematicis quaeſtiones, quas ei ſolvendas proponebat, propria manu haec verba adſcripſerat:* Eclipſis ☽ xv hujus menſis in ♒ incidit, qui meus horoſcopus eſt: Si vera eſt aſtrologia, mortem mihi affert, aut graviſſimum aliquem morbum: Tu quid cenſes? *In omen et proximae mortis acceptum, quod pridie quam moreretur, cum nondum fatali morbo correptus eſſet, de uſtero quodam, quem ſaepe ſublevare ſolitus erat, quaerendo famulis mandaverat; nam reperiendi cum illi hominem non repertum reſpondiſſent, Cras, inquit, mihi ſublevare eum fortaſſe non erit integrum. Vixit annos* LVI, *menſes* VII. cIↄIↄxIc.

SEQUITUR

Ad finem Lib. xcix. poſt elogium N. Friſchlini.

SEQUITUR Franciſcus Salinas, Joannis, qui quaeſtorium munus ſub Carolo V exercuit, filius, Burgis natus, qui vix decennis oculorum uſum amiſit; nihilominus indole ad literas nata fretus, dum orbitatis ſolatium quaerit, tantum valuit, ut non ſolum utriuſque linguae exactam cognitionem ſit adeptus, ſed etiam in mathematicis artibus maxime excelluerit, ac praeſertim in muſica; de qua eruditiſſimos libros reliquit, qui tanti a peritis harum rerum fiunt, ut aliunde potius quam ab hominis caeci induſtria profecti credantur. Inter haec et poeticam excoluit, et ex Martiale Hiſpano ipſe Hiſpanus quaedam feliciſſime lingua vernacula tranſtulit. In Pauli IV et Ferdinandi Toletani Albae ducis gratia floruit; a quo, dum regni Neapolitani ſummam praefecturam teneret, opimo S. Pancratii coenobio donatus eſt: Joannis praeterea Alvari Toletani, Gaſparis Quiro ... Roderici Caſtrenſis, nec non Antonii Perrenoti Granvellani cardinalium familiaris fuit, et arctiſſimam longe cum Ludovico Legionenſi Auguſtiniano eremita, divinorum librorum in academia Salmanticenſi interprete, cujus elegantiſſima in Canticum Canticorum extat explanatio, ob ſtudiorum et voluntatum conſenſionem, coluit amicitiam; ubi et muſicae profeſſor eximius conſenuit ad annum LXXVII, quo in vivis eſſe deſiit.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. Dno. J. A. Thuano.*

ILLUSTRISSIME Domine. Quod ad literas, Idibus Sextilibus ſuperiore anno datas, tanto intervallo reſpondeo, cauſa eſt, quod non auſus ſum, ad ea, quae optatiſſima cognitu mihi fuerunt, inanes reponere, ſed ut ad ea quae de Dudithio, laudatae memoriae, quaerebas, plane tibi ſatisfacerem, et de ſeptentrionalibus aliquid ſubminiſtrarem. Ac de Dudithio putavi recte me facturum, ſi optimi ſenis Johannis Praetorii epiſtolam, ea de re ſcriptam, ad te mitterem; quo elogium, quo ſummi illius viri memoriam aeternitati conſecratam vis, omnibus numeris abſolutum praeſtares. De rebus vero ſeptentrionalibus hactenus fruſtra expectavi; amicos quos paucos in illis partibus habeo eo nomine compellavi: ubi primum quid nactus fuero, faciam quam celerrime ad te deferatur. Ceterum non reperio quomodo gratias dignas agere poſſim de tanta tua in me benevolentia, qui tot muneribus me cumulare non ceſſes, et divinorum operum tuorum inter primos me participem facere perſeveres; nihil autem mihi optabilius fuit, quam et totam ſeriem diſtributionemque aeterni operis cognoſcere et te in laudabili iſto inſtituto perſeverare, quidquid pro hujus aevi pravo more importunorum cenſorum minus aequa judicia experiaris. Sed eſt quod te viciſſim ſoletur, quod boni omnes in univerſum fauſtis acclamationibus, merita tua in rempublicam et poſteritatem proſequuntur; et gaudent te in tanta dignitate veritati teſtimonium praeſtare adverſus tot ſcriptores, qui in eam opprimendam conjuraſſe videntur. Tu vero perge jam major invidia. Quin et his diebus me rurſus beaſti gratiſſimo munere [a] Crambes, quam abs te mihi donatam optimus Bongarſius noſter miſit. O te virum! cujus remiſſiones et ludi etiam poſteritati admirationi futurae ſint. Me certe iſta benevolentia ita tibi devinctum reddidiſti, ut in votis vix aliud habeam quam quomodo obſequiis gratis dignum me tanti viri favore reddere poſſim. Vale, illuſtriſſime Domine.

Heidelberga XIII Feb. 1608. G. M. LINGELSHEMIUS.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. Dno. J. A. Thuano.*

ILLUSTRISSIME Domine, S. Libellus iſte hiſce diebus apud nos publicatus eſt; ejus lectionem putavi tibi non ingratam fore, eo quod τεχνολογίαν continet hominum exitioſorum, de quorum artibus moneri eos qui rebus praeſunt, publice intereſſe videtur. Res noſtrae ad turbas magnas ſpectare videntur, Caeſare ad magnas anguſtias redacto. Nam frater ejus archidux cum exercitu Pragae appropinquavit; adeo ut cum Caeſar effugium tentare vellet, obſepta jam omnia repererit. Matthias a Saxone et Brandeburgico per legatos rogatus ut arma deponeret, quippe non poſſe aliter conveniri, negavit ſe id poſſe facere, niſi idonee cautum ſibi ſuiſque ſit de ratis habendis quae Preſburgi acta, et ſecurus eſſe poſſit adverſus vindictam fratris cujus ille cupidiſſimus. Hungari Beljocoſum illum caedibus et ſaevitia in Tranſilvanos nobilem interceptum ſtrangularunt. Moravia tota ad Matthiam conceſſit, et Bohemia quoque paene tota, paucis exceptis: Adeo omnium ſenſus eſt Caeſarem per malos conſultores prave rem geſſiſſe. Expoſcit Matthias ad ſupplicium quoſdam et in iis Hanniwaldum et Barvicium. Haec res aliaeque machinationes ſuſpenſos tenet nos in Imperio. Comitia Ratiſbonenſia deceſſu evangelicorum ſoluta, nulla re peracta. Paulo poſt Ferdinandus archidux, qui Caeſaris vices geſſerat, nuncio de obitu matris ſuae accepto, quoque celeriter relicta illic potiore familia abiit. Haec ſu-

NOT. [a] Poematis ſcil. a Thuano ſcripti ſub hoc titulo.

bito de rebus noſtris allinere libuit; te, vir ſumme, obteſtans, ut hanc meam audaciam, qua ſoles, benignitate interpreteris, et me porro habeas dignitati tuae addictiſſimum.

Heidelberga 16 Maii, 1608. G. M. Lingelshemius.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. D^no. J. A. Thuano.*

Vir illuſtriſſime. Nefas duxi, Carolum Paulum conſiliarium, ab electore principe meo ad regem miſſum, ſine meis dimittere, ut ſaltem officia mea deferrem, quamvis quod ſcriberem memorandi non eſſet. Nam quae hactenus in Bohemia acciderunt, ea certiſſimis ad vos nunciis deferri non dubito. Certe ſubita illa fuit rerum converſio; et Caeſar, redactus ad indignas conditiones, ceſſit fratri Hungariam, Auſtriam, Moraviam, pleno jure. Matthias tamen viciſſim renunciavit ſucceſſioni omni reliquarum provinciarum. Atque ita belli metus illis in partibus abiit. Sed haec fratrum contentio improborum hominum conatus turbandi in Imperio fregit, aut ſaltem retardavit: Quae mala Deus benigne avertat. Bongarſius, vir nônquam ſine laude dicendus, his diebus nos beavit ſua conſuetudine. Multus nobis de te, vir ſumme, ſermo fuit, et vota nuncupata. Sed quod unum volebam hac ſcriptione, teſtatam ad omne obſequium voluntatem, imo cupiditatem meam; itaque finio, Deum veneratus ut te reipublicae ſalvum incolumemque conſervet. Vale, illuſtriſſime Domine.

Heidelberga 4 Jul. 1608. G. M. Lingelshemius.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. D^no. J. A. Thuano.*

Illustrissime Domine. Diu eſt quod occaſionem quaero tui adeundi, ut pro ingentibus tuis beneficiis gratias verbis ſaltem agere poſſim, quando factis non datur: Nam ſupra innumera tua beneficia, et jam nuper exactiſſimi operis tui ultimam editionem liberaliter in me contuliſti, quam ego inter libros meos ἀνάθημα quoddam et ſacrarium habeo; et praeterea acceſſionis etiam maximam partem nondum publicatam per Bongarſium ſummum meum habere me voluiſti, ut me inter primos beares. Quid, quod et luſuum et remiſſionis ingenii tui participem me feciſti, et aeternitate digna poemata mihi quoque donaſti, atque adeo non dedignatus addere de deliciis noſtrae gentis, quod in Crambe priore praeteritum querebar? Jam occaſionem hanc arripui, qua ab Electore meo ſereniſſimo ad vos mittitur Hippolitus a Collibus conſiliarius et praeſes apud nos, vir dignus notitia tua, et tuarum virtutum admirator. Noris hominem, in arctiſſimam familiaritatem admiſeris: Nec plura de eo dico. Vidi et percurri notas inſulſi hominis, ne gravius de eo qui mihi familiariter alioqui notus, in tuum divinum opus. Indignatus ſum me ne unicum quidem reperiſſe quod operae pretium videretur: Sed vide ingenia hominum: Eſt alius quidam apud nos qui inter doctos haberi vellet: Is jactavit maximam partem obſervationum illarum pudendarum a ſe profectas: Ita aemulatio et querelae inter eos ortae. Quis credat ita deſtitui homines judicio, ut gloriolam captent, unde infamia et dedecus apud bonos expectanda? Sed opus tuum florebit vigebitque, et agnoſcet grata poſteritas merita tua, neque hae muſcae obvolitantes ſolem obſcurabunt. De mea erga te obſervantia cupio tibi conſtare, et perſuaſum tibi eſſe ſummo me ardore ferri ad gratum tibi animum meum demonſtrandum. Vale, decus ſaeculi noſtri.

Heidelberga XXVI Aug. 1609. G. M. Lingelshemius.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. D^no. J. A. Thuano.*

Illustrissime Domine, S. Credidi haud ingratam tibi fore lectionem Dudithianorum iſtorum quae apud nos typis excuſa, quum ex elogio tanti viri, cujus me tam benigne participem eſſe voluiſti, cognoverim plurimi te eum virum feciſſe; quod et pluribus in locis hiſtoriae tuae per occaſionem teſtatus es; atque adeo ex deſcriptione vitae ipſius a domeſtico quondam ejus concinnatae, gemina cognoſces iis quae a Johanne Praetorio, mathematico eximio et ſene graviſſimo, aliquando ad te miſi. Nihil mihi tam in votis eſt, quam ut gratum meum animum pro immenſis tuis in me beneficiis facto declarare poſſim: Non enim tu deſinis in me benignus eſſe, atque adeo ultimam editionem liberaliter in me contuliſti: Quare ſi quid poſſum pro te tuiſque, impera libere: Nullum laborem tam alacriter ſubibo, quam in quo tibi gratificari potero. Romani jam aperte ſe hoſtes veritatis profeſſi ſunt, quum opus tuum aeternitati conſecratum premere conantur; in quo nihil niſi apertam nudamque veritatem ferre non poſſunt. Te Deus aeternus, veritas ipſa,

ipſa, tuebitur adverſus malignos omnes; et vires ac otium dabit reliqua perficiendi bono publico. Id toto pectore voveo, et me tibi addictiſſimum profiteor. Vale, illuſtriſſime Domine.

Heidelb. XIV Feb. 1610. G. M. LINGELSHEMIUS.

Ex epiſtolis G. M. Lingelſhemii ad Jac. Bongarſium, Argentorati 1660, *in* 12mo. *Ep.* CVI. *p.* 273.

MAGNO Thuano plurimum debeo, qui mei memor ſit, et tam liberaliter ſua largiatur; gratias maximas habeo. Ejus Ἀλήθεια divinum opus, o auream ejus carminis clauſulam! Heidelberga, XVI April. 1610.

ex Ep. CVIII. *p.* 276.

THUANUM admirari ſatis nequeo, quomodo tot negotiis ſufficere poſſit; cum literis meis avocare a ſeriis ſuis non audeo, gratias acturus pro conſtanti ſua in nos beneficentia: Tu nos ipſi excuſa, et officia noſtra ſponde. — Thuani ultimam partem perlegi maxima cum voluptate et fructu; eadem jam fabula agitur, et metuo parem exitum. Sed quae ſpes eſt de ceteris? Statne ipſi ſententia reliqua premere? Quin pergat, quum improbos ita infeſtos jam habeat, ut accedere ad odium vix quidquam poſſit. Heidelberga, 7 Maii 1610.

ex Ep. CXXX. *p.* 309.

PROFECTO tecum ſentio, aſtute removeri Thuanum a melioribus curis, dum ei demandata cura rei nummariae: *Spero fore, ut ſe inde extricet brevi.* Heidelb. XVII Apr. 1611.

Ex MS. *Jac. Auguſt. Thuanus Jano Grutero V. C. Sal. D.*

GRATISSIMAE mihi fuerunt, mi Grutere, literae tuae, quas nudius tertius accepi, fidemque fecerunt, me qui te, ut debeo, non amo vulgariter, viciſſim a te redamari, cum me in locum *μακαρίτου* Bongarſii ſubſtituis. At qualis viri! Cui certe Francia noſtra, ſeu mores ſeu raram eruditionem ſpectes, paucos olim ſuperiores, hodie parem vix habet quempiam; tantum abeſt ut me dignum exiſtimem, qui cum eo conferri poſſim. Dabo tamen operam ut potius ingenium et induſtriam, quam animum et diligentiam porro in me deſideres. De privilegio quod petis, curabo. Sed quod extremis tuis addis, valde me commovit, et ut in publico moerore non levi me affecit laetitia, cum audio Ciceronem olim a Jano Gulielmio amico meo ſingulari, et quicum arcta ante XXVIII annos mihi Lutetiae neceſſitudo interceſſit, ſumma cura ac ſtudio recognitum, in manus tuas deventurum, aut, quod voveo, jam perveniſſe. Memini, cum ille lucubrationes ſuas mecum communicaret, et nondum ſibi plene in philoſophicis ſatisfactum diceret, Henricum Stephanum, qui tunc in urbe erat, aliquoties interveniſſe, et cum ſummopere a Gulielmio contenderet, ut editionem ab ipſo adornatam ſibi committeret, cum ſe excuſaret Gulielmius, Stephanum ei alterius editionis a ſe inchoatae ſpecimen exhibuiſſe, in qua pleni margines annotationum, ut hodie fere fit, erant: Gulielmium vero, qui adhuc haerebat, in arcano mihi dixiſſe, ante omnia velle ſe, ut qui opus, in quo tantopere deſudaverat, edendum ſuſciperet, puros margines, ſicuti in Rob. et Car. Stephanorum editionibus nunquam ſatis laudatis factum erat, relinqueret, neque de ſuo quicquam in iis admiſceret; ſi quid haberet, id ad calcem ſeorſim rejiceretur. Cum igitur ex ſpecimine jam exhibito H. Stephanum neutrum facturum appareret, non videre ſe cur tantae opus exſpectationis, quod digna Cicerone et pari cum ſuperioribus illis editionibus forma et elegantia in publicum prodire cupiebat, ei committeret: Itaque re infecta Stephanum a ſe dimiſiſſe, et ſtatim Avaricum Biturigum conceſſiſſe, ubi vix poſt ſalutatum magnum Cujacium pauculos commoratus dies in febrem violentam incidit, quae finem ejus vitae et laboribus impoſuit. Qui cum eo erant Germani Ciceronem fidei ſuae commiſſum in patriam ſecum aſportarunt, et ſpem de tanto opere conceptam tam diu fruſtrati ſunt. Quod eo tibi commemorandum duxi, ut te de Gulielmii voluntate et conſilio certiorem facerem; et interim admonerem, ſi rem ipſius manibus, imo toti reipublicae literariae gratam cupis facere, ut avaros librarios, qui lucro potius quam honeſtati publicae ſtudent, caveas; neque patiaris puriſſimum ſcriptorem, a puriſſimo juvene tanta cura expolitum, ab impuris hujuſmodi hominibus miſere contaminari ac velut in ſordes

2 conjici.

conjici. Habes Heidelbergae Voegelinum, cujus ſi diligentiae res committatur, ſpes eſt ut publico omnium deſiderio pleniſſime ſatisfaciat. Sed, heus tu, mi Grutere, ridebis fortaſſe monitorem intempeſtivum, qui antequam certo ſciat an rem penes te habeas aut ſperes te habiturum, ejus utendae leges tibi praeſcribat; fac id ut per te quam primum ſciam. Diploma primo quoque tempore accipies, eoque opera Ciceronis a Jano Gulielmio digeſta, ſuppleta, emendata continebuntur. Haec cum raptim poſt acceptas ſtatim tuas ſcripſiſſem, literae meae inter chartaceam ſupellectilem, quae nimium quam malim, per negotia, indies excreſcit, deerrarunt: Itaque cum otium non eſſet reſcribere, et metuerem ne diuturniore mora deſiderium tuum remorarer, et mihi neglecti officii crimen conſciſcerem, diploma obſignandum curavi, et D. Gottofredo ut ad te ſedulo mitteretur tradidi, quod puto te jam accepiſſe. Has autem ante diploma datum et obſignatum ſcriptas, et diu poſt repertas ad te nunc mitto, ut curae mihi rem a te commendatam fuiſſe intelligeres, ſimulque te orarem, ut de tuae Ciceronianae editionis ratione ac conſilio ad me quam primum diligenter perſcribas. V V. ampliſſ. D. Lingelſhemio et D. Frehero plurimam a me ſalutem. Vale, mi Grutere, et diligenter ad me ſcribe. Lutet. Pariſ. v Eid. Jan. ut hic tempora numerantur. A. S. CIƆIƆCXIII.

Ex epiſtolis virorum Cll. et Doctorum ad Melchiorem Goldaſtum, Francofurti et Spirae 1688. *in* 4°, *pag*. 32.

De Occamo recudendo Thuani mandata.

QUEMADMODUM cardinalis Bellarminus in ſuis libris Controverſiarum plus operae atque olei inſumpſit in conſtituenda Romani pontificis auctoritate, quam in ulla alia controverſia; ſimiliter omnes pii et boni viri, qui hodierna diſſidia religionis ſedata cupiunt, in hoc praecipue ſtudium debent incumbere, ut relictis extremitatibus vitioſis juſta et legitima poteſtas primatus ſanctae ſedis apoſtolicae populo Chriſtiano innoteſcat. Porro ex omnibus auctoribus, qui de poteſtate papae ſcripſerunt, nullus extat, ex quo plura et ſalubriora documenta hauriri queant ad legitimam poteſtatem Romani pontificis cognoſcendam et regendam, quam ex Magiſtro Gulielmo Occam: Itaque videndum eſt, ut ejus opera diligenter, fideliter, et accurate edantur, provideaturque, ut ſi haec nova editio, quam nunc meditamur, emendatiſſima eſſe non poſſit, ſaltem ſequens proxime futura emendatior ſit aliis: quod ut fiat haec requiruntur.

PRIMO, ne typographi nimis feſtinent, aut ſumptibus parcant, ut ſaepe fit in Germania; nam venditio eorundem operum abunde ſarciet et reparabit ſumptus factos a typographis, pluris igitur vaeneant et bene accurateque edantur illa opera.

SECUNDO, ut operae, ſive compoſitores formarum, quoad fieri poterit, habeant cognitionem linguae Latinae, ut poſſint occurrere multis defectibus antiquae editionis, et diphthongos, virgulas, atque alia ejuſmodi neceſſaria apponere: Nam in veteri editione ubique duo puncta appinguntur loco virgularum; hoc autem emendari non poteſt, niſi a peritis compoſitoribus, qui diligenter monendi erunt iſtius erroris aut defectus. Similiter iidem compoſitores erunt informandi de abbreviationibus: eaque de cauſa illis dabitur alphabetum abbreviationum, quod infra deſcribetur.

TERTIO, habendus erit diligentiſſimus et peritiſſimus corrector formarum, cui etiam dandus erit praelector, qui poſſit accurate legere veterem editionem et abbreviationes literarum Gothicarum; hoc autem facile conſequetur idem praelector, ubi ſemel atque iterum praedictum alphabetum perlegerit.

QUARTO, quoniam, ipſo Badio Aſcenſio teſte, qui olim opera Occami primus evulgavit, opera haec mendoſiſſima ſunt propter delectum et penuriam variorum exemplarium: Videndum eſt ne haec nova editio, quae paratur, fiat in charta bibula, aut in columnis, ſed paginis atque lineis integris, quo poſthac mendae atque errores facilius corrigi poſſint, et tertia editio emendatiſſima fiat: Quandoquidem boni viri amantes publicae utilitatis pollicentur ſe, ſtatim atque haec editio nova facta fuerit, daturos operam, ut mendae corrigantur, quo tandem libri Occami tertia editione emendatiſſimi prodeant in vulgus et cum majore utilitate legantur ab omnibus.

QUINTO, ea omnia, quae expreſſa ſunt in margine veteris editionis, prorſus omittenda ſunt, cum nullius ſint momenti vel ponderis.

SEXTO, videndum eſt, ut, juxta regulam apoſtoli, omnia fiant in aedificationem. Itaque cavendum erit, ne nomen urbis, typographi, vel alicujus alterius auctoris huic novae editioni adſcribatur, quod aliquam ſuſpicionem mali creare poſſit: Hoc enim multo plus noceret, quam prodeſſet, et ſtatim vulgaretur, Haereticos in odium religionis Catholicae

libros

by Google

libros Occami evulgaſſe: ſicque fructus qui inde ſperatur periret, quoniam multi Catholici libros velut haereticos reſpuerent.

Septimo, Hic generalis titulus erit praeponendus toti operi: *Opera Magiſtri Gulielmi Occam Franciſcani de eccleſiaſtica et politica poteſtate: qui floruit circa annum* MCCCXX. qui quidem titulus decurret per omnes libros. At in principio cujuſque libri, titulus antiquae editioni praefixus, erit retinendus hoc ordine et modo.

1. Magistri Gulielmi Occam Franciſcani de poteſtate ſummi pontificis, octo quaeſtionum deciſiones.
2. Dialogi Magiſtri Gulielmi Occam Franciſcani Doctoris famoſiſſimi de eccleſiaſtica et politica poteſtate.
3. Compendium errorum Johannis XXII.
4. Summa ſive epitoma CXXIV. capitulorum operis nonaginta dierum Magiſtri Gulielmi Occam contra errores Johannis XXII.
5. Richardi archiepiſcopi Armachani defenſio curatorum contra privilegiatos, et viciſſim defenſio privilegiatorum contra Armachanum per Magiſtrum Rogerium Chomnoe.

Francisci D. Pici Mirandulani apologia pro Hieronymo Savanarola Dominicano.

Jac. Augustus Thuanus.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. Dn. J. A. Thuano.*

Illustrissime et ampliſſime Domine. Scripſit ad me Theodorus Gothofredus cupere te ſcire quid factum ſit de Ochami operibus quae Bongarſio μακαρίτῃ commiſeras in Germania recudenda certis legibus quas praeſcripſeras. Ea res curae fuit viro optimo et bono literarum nato; ſed cum reperiri non poſſet typographus qui eas leges acciperet, tandem placuit Bongarſio, ut opus illud committeretur[a] Goldaſto, qui συλλογὴν ediderat ſimilium ſcriptorum. Is in ſe recepit editionem, pollicitus, quantum fieri poteſt, operam dare ut ad praeſcriptam [illegible] tuam liber ederetur. Eum jam rurſus monui tuo nomine ne a legibus illis recederet; imprimiſque caveret ne quid in titulo libri, praefatione, aut notis quidquam proferret, quod a lectione deterrere poſſet ſectatores eccleſiae Romanae: Et quanquam is quodammodo bellum indixit illis hominibus, tamen auctoritate tua permotum meliorem futurum ne quid tale committat ſpero. Etiam Gruterus noſter tuam epiſtolam mihi oſtendit, qua accurate ipſum hortaris ad editionem Ciceronis a Jano Gulielmio adornati, imprimiſque ut caveat ne pravo more vulgi margines compleantur notis, ſed ne puriſſimus auctor, a manibus puriſſimi juvenis tractatus, illis foedaretur. Is ſane pollicitus eſt id exacte obſervare: Sed evenit ut is qui negotium illud cum Grutero ſuſceperat, ſubito fato opprimeretur et populari lue abriperetur. Itaque ſolicitus eſt valde ut totum negotium rurſus retardetur aut penitus intercidat. Sed nihil intentatum relinquemus, quo utiliſſimum opus publico quam primum dari poſſit. Tibi gratias debent omnes bonarum literarum ſtudioſi, quos tu mole negotiorum regni graviſſimorum oppreſſus, tamen deſiderium commodandi publice rem literariam non deponis, et ſubinde nobis praebes quae publice juvent. Sed quae, quaeſo, ſpes ſupereſt ut aeternum opus tuum hiſtoricum abſolutum prodeat? Ne obſecro patere intercidere tot laboribus tanto ſtudio et felicitate concinnatum opus, aeternam tibi apud omnem poſteritatem gloriam conciliaturum, quodque omnes viri boni et veritatis amantes omnibus votis expetunt. Magno illo animo quo ſuſcepiſti et omnibus numeris abſolviſti opus, etiam ſperne quicquid malevolentia et obtrectatio improborum contra machinari poterit; ita ſervet te incolumem et florentem Deus O. M. Vale, ampliſſime Domine. Heidelbergae XXIII Mart. 1613.

Dum aliae occaſiones mittendarum literarum deficiunt, per filium meum has mittere volui.

[a] De *Ockami* ſcriptis a *Goldaſto* publicatis, res ita ſe habet; prout a Dom. Profeſſore Grammio accepimus.

Monarchia S. Romani Imperii, ſive tractatus de juriſdictione imperiali ſeu regia, et pontificia ſeu ſacerdotali, deque poteſtate imperatoris ac papae, cum diſtinctione utriuſque regiminis politici et eccleſiaſtici: ex ſingulari mandato aut permiſſu imperatorum Romanorum et Graecorum, nec non regum Germaniae, Galliae, Italiae, Hungariae, Angliae, Bohemiae, &c. a Catholicis doctoribus conſcripti atque editi, et nunc iterum ex tenebris protracti, recenſiti, ac oppoſiti tractatibus eorum, qui [illegible] in ſpiritualibus et temporalibus aut adulatorie aut imperite [illegible]; ſtudio et [illegible] Goldaſti Haiminsfeldii. Hanoviae 1612, in folio. Hoc titulo inſignitur vaſtum opus, in tria diviſum volumina, in quorum *primo*, poſt varia Abogardi, Hincmari, Eutropii, Petri Caſſiodori equitis Angli, quinto loco ſiſtitur, *M. Guilhelmi Ockami monachi Franciſcani et profeſſoris Pariſienſis diſputatio ſuper poteſtate praelatis eccleſiae atque principibus terrarum commiſſa, A. D.* 1305, et ſeptimo, *M. Guilhelmi Ockami tractatus de juriſdictione imperatoris in cauſis matrimonialibus*, A. D. 1342. In *Tomo Secundo*, qui Francofurti an. 1614 impreſſus, decimum ſextum locum occupat, *Guilhelmi Ockami Franciſcani doctoris famoſiſſimi octo quaeſtionum deciſiones ſuper poteſtate ſummi pontificis.* Decimum ſeptimum, *Ejuſdem dialogus de poteſtate imperiali et papali.* Decimum octavum, *Ejuſdem compendium errorum Johannis Papae XXII de* [illegible] *rerum eccleſiaſticarum.* Vigeſimum, *Guilhelmi Ockami opus nonaginta dierum de* [illegible] *eccleſiaſticarum.*

volui. Is Aurelianum abit, ut linguae veſtrae cognitionem ſibi paret, et bonis literis ac juri vacet: Si conſpectus tuus ipſi continget, felicitati imputabit, cujus ſcripta cum ſumma admiratione legit. Sed nolo omnino moleſtiae tibi ſit. Vale iterum XXIX Mart.

G. M. LINGELSHEMIUS

Ex MS. *Jac. Aug. Thuanus viro ampliſſimo Georgio Michaeli Lingelſhemio S. D.*

FILIUS tuus dilectiſſimus, et quem libentiſſime complexus ſum, mihi tuas reddidit, ex quibus intellexi, quid de Okamo a felice Bongarſio ad vos miſſo actum ſit: Is cujus curae ea editio commiſſa eſt, vereor ut aliis curis diſtrictus hanc curam, ut par eſt, curae non habeat: Rogo te, ampliſſime Lingelſhemi, et omni affectu obteſtor, moneas illum ut quod facit, citius faciat, et leges a te me rogante praefixas ſervet; non enim aliter hoc ſaeculo utile opus prodeſſe poterit, et apud eos valere in quorum gratiam editur. Nam quaeſtiones ſuper ea re ortae et nimis inter nos hodie frequentes, aut proximae antiquitatis auctoritate ſolventur, aut diſſidium hoc ulciſcendis peccatis noſtris natum Deus perannare patietur. Sed meliora; et qui pacis auctor et hortator eſt, nos ulterius procul a concordiae et tranquillitatis portu in hoc pernicioſo contentionum ſalo jactari pro clementia ſua non ſinat.

DE Cicerone Guillielmiano nunc deſpero, poſtquam ex Grutero intellexi exemplar, quod circumfertur, longe aliud eſſe ab eo, quod mihi ab auctore paucos ante menſes quam a nobis abiret, oſtenſum eſt. Nam vereor, ne qui illud venditant, Guilielmii nomen mentiantur, aut archetypo maligne ſuppreſſo exemplaria pravo more ex eo deſcripta et interpolata pro veris exhibeant. Memini cum Guilielmius ſuum mihi oſtenderet, ſaepius dixiſſe, in Orationibus plus IↃC clauſulas ex MS. a ſe ſuppletas. Quod eo tibi ſcribo, ut cum Grutero videas, an aliquid tale ab eo, quod vobis traditum eſt, ſperari poſſit.

IN noſtro opere, quod jam ante ſeptennium ad annum CIↃIↃCI pertexuimus, ne ulterius pergam, et ingrati ſaeculi iniquitas et negotiorum moleſtia in cauſa eſt, quae totum otium, quod melius his ſtudiis impendebatur, atque adeo totas horas ſuffuratur. Si Deus tamen vitam dederit, decrevi ad annum uſque CIↃIↃCXII id perſequi, quem mihi limitem multis de cauſis praefixi, nec facile ſum tranſgreſſurus. In elogiis undiquaque colligendis interea laboro. De Joanne Lango nondum quicquam certi accepi, niſi quod Sileſius fuit; ſed incerto manet, quo anno obierit, ex quo mentionem ejus et ſimilium faciendi ſoleo capere occaſionem; neque aliam fere habeo, cum plerique eorum, qui rem tantopere literariam induſtria ſua juverunt, nullam alioqui partem in hiſtoria faciant. Qui indice Bucolceriano decepti, obitum Langi in annum CIↃIↃXLVIII conjiciunt, ii non vident id Lango, cujus emortualem diem quaerimus, convenire non poſſe, qui adhuc in vivis erat, cum Nicephori hiſtoria eccleſiaſtica ab Oporino edita eſt, hoc eſt, anno CIↃIↃLII. Itaque amplius de eo quaerendum: Quod ut per te et per amicos facias, enixe te rogo. Nam aegre facio, ut hominum bene de publico meritorum memoriam oblivioſo ſilentio ſepeliri ſinam. Scire aveo, et quis, et cujas, et quando deceſſerit Arnoldus Arlenius Peraxylus is, qui Didaco Hurtado Mendozae Caroli V, et poſtea Philippi apud Venetos oratori operam navabat, quando Flavius Joſephus primum Graece editus eſt, et cui H. Stephanus Maximi Tyrii ſermones a ſe Graece itidem editos nuncupavit; nam et ille meruit ne indictus praetereatur.

IDEM et de Henrico Agyleo J. C. qui Photii Nomocanonem apud vos publicavit. Qui poſtremo decennio vixerunt, in eundem numerum veniunt. In iis P. Denaiſii et Hippolyti a Collibus elogia diligenter conſcripta ut colligas, et ad me, ſicuti de A. Dudithio feciſti, mittenda cures velim. Tu viciſſim ſiquid tua cauſa poſſum et imprimis dilectiſſimi filii tui, qui nulla mora heic facta, ſtatim Aurelianum profectus eſt, utere me tam familiariter quam humanitas tua de me meruit. Vale, vir ampliſſime, et me amare perge, et cum vacabit, reſcribe.

E Villabonio noſtro IV Kal. Maias CIↃIↃCXIII.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. Dno. J. A. Thuano.*

ILLUSTRISSIME et ampliſſime Domine, S. Nimis diu diſtuli ſcribere, ſed ſi ſcires quot negotiis obrutus fuerim, quam diu domi abfuerim, quam deinde moleſto et diuturno morbo oppreſſus jacuerim, facile pro tua inſigni humanitate veniam dares. Gruterus in Cicerone pergit, ſed Guilielmiana ſpei conceptae non reſpondent, pro

genuinis[a] tamen habet quae nactus eſt; tua monita ſancte ſervabit. De quibus interrogaſti, qui in literis aliquid praeſtiterunt, adhuc quaero; tantum cognovi duos Jo. Langos fuiſſe, et polliciti ſunt amici, per literas certi quid exploratum dare: nec dum licuit colligere quae de ſummis meis intimiſque injunxiſti, adeo diſtrahor moleſtiſſimis curis: neque dum licuit Bongarſii, ſummi et viri et amici, bibliothecam inſpicere, nedum ut catalogus fieri potuerit: Faxo habeas manuſcriptorum; nam intra menſem ſpero Argentoratum proficiſci, ubi libri a Graviſeto, cui ii legati, aſſervantur. De benevolentia filio meo Friderico exhibita gratias habeo maximas, et porro ut inter clientes tuos habeas vehementer rogo; caute autem monui ipſum ne tibi importunus ſit dum illic moratur. Ceterum gratulor tibi toto pectore gloriam illam reſtitutae aut ſervatae pacis in florentiſſimo regno, tuae enim praecipue induſtriae et integritati eam deberi judicant noſtri; quumque tu adhibitus es tantae moli, omnes boni bene ſperare coeperunt. Jam graviſſimo labore feliciter exantlato, ſpes eſt perrecturum te in aeterno opere tuo, nec paſſurum ut tot labores, tot vigiliae poſteritati eripiantur. Brevis ſum, fractus adhuc, necdum reſtituta valetudine. Deus te incolumem ſervet patriae virum plane neceſſarium. Vale, ingens decus ſaeculi.

Heidel. xxv Maii 1614. G. M. Lingelshemius.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuanus viro ampliſſimo G. Michaeli Lingelſhemio S. D.*

Tuas accepi Heidelberga ante menſem datas, quas egregiae indolis adoleſcens filius tuus mihi reddidit. D. O. M. gratias immortaleis ago pro reſtituta tibi valetudine, quem et ſupplex veneror, ut tibi in plures et longaevos annos vitam proroget. Gratiſſimum fuit, quod ſcribis, Gruterum in Cicerone pergere; quem ſpero daturum operam, te praeſertim monitore, ne quid tanto auctore indignum in ea editione admittatur. De Joanne Lango illo, qui Juſtinum Martyrem et Nicephorum Calliſti latinitate donavit, de Arnoldo item Arlenio Peraxylo, qui ex bibliotheca illuſtris viri Didaci Hurtadi Mendozae nobis Joſephum integrum Graece primus dedit, qui et quales fuerint, et quo aetatis anno ac ſaeculi ac loco vivere deſierint, ſcire admodum cupio; et ſiquid per amicos indagare potes, id ut diligenter cures, valde te rogo. Nam digni ſunt profecto, qui inter alios, quorum memoriae, quantum in me fuit, conſului, honorifice in annalibus noſtris nominentur.

De catalogo librorum MSS. μακαρίτου Bongarſii, cujus ſpem facis, me beaveris. Ad praeſtantis indolis adoleſcentem Fridericum tuum redeo, quem cave putes mihi aſſiduitate ſua importunum unquam eſſe poſſe; eſt enim ea modeſtia, ut ejus conſuetudine ſummopere capiar, ea doctrina ut nunquam ejus faſtidium ſubire poſſit. Itaque eum amice monui, ut, contra quam jubes, me aſſidue inviſat, utaturque me tam familiariter, quam haec ad te ſcribo.

Quod ad res noſtras attinet, eas Dei benignitate in tuto eſſe certo ſcio, niſi novis factionibus turbent (nam veteres compoſitae ſunt) quod vix puto hoc rerum ſtatu et convocatis univerſi regni Ordinibus, quorum auctoritatem et judicium factioſi maxime verentur. Mors Marquardi Freheri, de qua ante triduum allatum eſt, claudet epiſtolam. Is alieno tempore nobis ereptus, cum rari admodum in hoc barbariae gurgite digni appareat, qui incorruptam antiquitatis dignitatem ſtudio ſuo et fideli obſervatione tueantur. Multa praeſtitit et majora ab eo indies expectabantur. Eo mors tanti viri acerbior eſt cenſenda, quod in ejus ope maturum auxilium paratum haberent intermorientes bonae literae. Deo aliter viſum, cujus voluntati obniti non ſolum temerarii, ſed etiam impii ſimus, ſi velimus. Quo praeivit ordine, cum Deus volet, ſequemur, et mature ſemper, modo quoque eo moriamur, qui nos ad vitam vocat. Sed nolo te in hac pia comploratione diutius morari: Haec raptim ad aulam proficiſcens, quae relicta urbe Germani-fanum conceſſit. Vale, mi Lingelſhemi, et me ama.

Lutetiae Pariſior. iv Kal. Quintil. A. C. cIↃIↃCXIII.

Ex

[a] *Ex epiſtola Jani Gruteri ad Gul. Camdenum, dat.* xxiv *Jul.* 1613. *in Syll. Ep. Camd.* 4to. *p.* 140.

Recepi in me editionem Ciceronis Guilielmiani: Quid de eo ſperare debeat reſpublica literaria, colligatis licet ex Thuani hiſtoria fine anni 1585. Haud tamen incidit meas in manus liber ille, quem ipſe praeparaſſe videbatur ad praelum; ſed is in quo enotavit variantes variarum bibliothecarum lectiones: Adeo ut ipſius ingenio judicioque uti frui nequeam, ſed ſolummodo labore.

In alia etiam ad Camdenum epiſtola dat. xx *Sept.* 1613, *Syll. ejuſd. p.* 141, *ſic ſcribit.* Non incidi quidem in opus illud adornatum editioni, quod vidit praeſes ille, ſed in id, ad cujus margines extant variantes omnes MSS. lectiones, ex quibus editionem illam concinnarat.

Ex MS. *Ill. et ampliſſ. Dno. J. A. Thuano.*

Illustrissime et ampliſſime Domine, S. Gueritinius noſter monuerat me expetere te Homerum Geo. Fabricii nitidioris formae; itaque prima mea cura fuit ut tuo deſiderio ſatisfacerem. Sed praeter ſpem meam accidit ut typographus non haberet niſi vulgari charta expreſſum, neque ille, quamvis omnes ſuos forulos excuſſerit, tamen nitidius iſto quod mitto reperire potuit; neque in ceteris bibliopoliis quidquam fuit opis, quamvis omnia excuterem: Pudet itaque me quod in re tam tenui inanis fuit omnis mea cura; ſi quem tamen poſthac nanciſci potero, ſaxo habeas quam primum. Gruterus noſter in Cicerone graviter pergit, et quamvis Guilielmianum exemplar ſpei non reſpondet, ille tamen et alios manuſcriptos praeſtantes confert et multa praeclara reperit: Utinam ei typographus obtingat qui elegantiam et curam praeſtet quam politiſſimus ſcriptor flagitat. Mitto ſimul oratiunculam quae Electori noſtro recitata cum applauſu omnium; neſcio an lectio eam vim habitura ſit, quae pronunciatio hominis diſertiſſimi. Quae mihi exploranda de quibuſdam de literis bene meritis mandaras, nec dum obtinui, et literas expecto ab iis quorum hic opem imploravi. Te Deus ſervet reipublicae incolumem. Vale, ſumme virorum.

Heidelberga XXIII Novemb. 1614. G. M. Lingelshemius.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Fridericus Lindenbrogius.*

Salve, vir ampliſſime. Nihil hercle vero honeſtius mihi aut laudabilius eſſe poteſt, quam talibus me viris approbare, ob quorum amicitiam non tantum laetari, ſed et de qua gloriari queam. Etiam olim crebrioribus ad te literis inviſiſſem, niſi probe mihi percognitum eſſet, quae te negotiorum moles quotidie obruat. Cum autem te videam currenti calcar addere, et ſtudia haec noſtra inter publica quoque bona cenſere, equidem perlubenter fores tuas deinceps frequentius pulſabo. Codicem legum Germanicarum, cui ultima manus tandem impoſita eſt, jam te vidiſſe autumo. Etiam exemplar ſelegeram, quod ad te mitterem, ſed onerare ſe iſto faſce vector detrectabat. Itaque in proximas nundinas autumnales id adſervare coactus fui; tum autem ut ad te perferatur, operam ſedulam dabo. Scire aveo quid viri docti de hoc meo labore ſentiant, imprimis autem quid tu, cujus judicium merito apud me magnum. De Cicerone ſpes bona affulſit, modo vitam Deus viro doctiſſimo Jano Grutero concedat; qui nunc, ut audio, diu noctuque in illo recenſendo totus. Editio autem hic Hamburgi procurabitur, ut Frobenius noſter ait. Quod ſi fiet, tum id agam monitis tuis ut pareatur, atque ad illorum praeſcriptum omnia inſtituantur. Editur hic quoque Graece et Latine Procli commentarius de theologia Platonica, et item alii nonnulli libri, quos ex ipſorum oblatione magis quam ex hiſce literis ſcies. Sequentur mox poſt geographi veteres Latini, ut ex titulo, quem ad te mitto, animadvertes. In quaeſtione ſaltem nunc mihi eſt Solinus cum Camertis integro commentario: Ego enim in priora ſex, ſeptem, ſolummodo capita annotationes ejus vidi. Sunt qui in totum Solinum eum ſcripſiſſe dicunt. Quaeſo, ſi exemplum ejus penes te, me participem tuum facere ne graveris. Sed et aliud eſt, quod valde a te fieri deſidero, nempe ut privilegium a regia majeſtate meo nomine impetres, ne quis intra certum tempus, puta decennium, opus hoc geographicum me invito recudere audeat. Obſecro te operam hanc mihi amicabilem des, et redhoſtimenti ergo exemplar melioris chartae continuo a me recipies. Id certo tibi perſuadere potes. Privilegium citius, ut puto, impetrabis, ſi libri titulum concilio exhibere grave non putabis. Impetratum autem Dominis Puteanis ſi tradideris, ii recte ad me proximis nundinis curabunt. Hiſtoria tua avide hic a multis legitur; magnaque cum expectatione reliquorum annorum res geſtas ſcire expetunt, et mirantur quid cauſae ſit, cur tam diu eorum editio differatur. Tempora enim triſtiora jam explicata putant, et ſine periculo nunc omni eſſe veritatem abſolute porro narrare. Vale, vir ampliſſime, et, ſi merui, me amare perge. Hamburgi VIII. Kal. April 1614. Specimen novae editionis Cenſorini et Procli ad Puteanos miſi: Proximis nundinis integra exemplaria ad te quoque mittam. Vale.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Frid. Lindenbrogius.*

Salve, vir nobiliſſime ampliſſimeque. Quod inter publicas eaſque graviſſimas occupationes tantum tibi temporis ſubtrahendum putes, ut ad amicorum literas reſpondeas, ex eo quanti voluptatem earum aeſtimes, agnoſco. Quo magis mihi cura erit jucundiſſimo tuo deſiderio ſatisfacere, et quam creberrime tecum de rebus noſtris loqui. Quanquam quid de illis inpraeſentiarum dicam, non multum ſuppetit. Procul a libris abſumus, et quam

quam cito ad illos denuo acceſſus incertum; adeo lubrico in loco negotium hoc, cujus cauſa ad Magnae Britanniae regem jam ſecunda vice ab ampliſſimo ſenatu Hamburgenſi miſſus fui. Speramus tamen fore, ut intra tertium quartumve menſem fundatiore ſede conſtituatur. Interim quae ad geographorum Latinorum editionem facere poſſunt, expediuntur. Characteres habemus non inelegantes, chartam ſic ſatis bonam, et praeter vulgarem illam alia mundior praeſtinabitur in uſum hominum elegantiorum, velut etiam in Procli editione factum, cujus theologica omnino nunc abſoluta credo. Perpauca enim folia reliqua porro erant cum Hamburgo diſcederem, atque ex eo tempore menſis nunc agitur quartus. Codex legum Germanicarum jam diu integer prodiit: In quo quod expectationi virorum doctiſſimorum ſatisfeci laetor. At vero in Cenſorino fratris mei quae deſiderabantur folia, vernalibus nundinis ad Puteanum miſi. In Solino tuum aliorumque exactiſſimum judicium ſequar. In Antonini Itinerario, quamvis poſt Simlerum laudabilem noviſſime operam praeſtiterit Surita, non tamen dubito quin porro juvare nos poſſit codex MS. bibliothecae regiae, quem olim Iſaacus Caſaubonus beatae memoriae mihi oſtendit, ſi variae lectiones ad me mitterentur. Quod etiam de auctoribus dictum velim, qui de Coloniis ſcripſerunt; nam et illi reliquis geographis, ſuaſu Fran. Pithoei noſtri, adjicientur. Tu autem, vir ampliſſime, tam in conferendo Antonino, quam in tranſmittendis variis lectionibus, facilem ſeſe ut Puteanus praebeat, in facili impetrabis: Tum quoque regis privilegium temporius ad me ut perferatur, minime, ut confido, inſuper habebis; ſpem enim ejus certiſſimam typographo meo feci. Tullianum opus jam ſub praelo eſſe puto: praelegi vero typographo literarum tuarum partem, atque ad illarum monitum omnia inſtituerentur rogavi. Sane et Ciceronis et lectoris cauſa vellem operis interdum adeſſe mihi liceret: Novi enim quam ſit genus hoc hominum ad vitia proclive, niſi maturius corrigatur. Sed hoc leve eſt quod cupio, majus autem quod a te fieri opto, nempe ut bonorum omnium voto aſſiduo fatigatus, quos reſtare ſcribis XLVI hiſtoriae tuae libros, invidia ringente, orbi legendos primo quoque tempore exhibere ſuſtineres. Vale, vir ampliſſime, et me amare perge.

Datum Londini prid. Id. Novembris 1615.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuanus viro ampliſſimo G. M. Lingelſhemio S. D.*

VIDI heic tuum Lingelſhemium et vere tuum, cum in Britanniam poſt longam per Galliam noſtram peregrinationem navigaret, et aegre a me dimiſi. Doleo quod non pluribus officiis meam ſumme propenſam erga te et illum voluntatem teſtari potuerim. Sed modeſtia ejus et occupationes meae in cauſa fuerunt, quamdiu heic fuit, ut minus frequenter alteri alterius conſpectu et alloquio frui licuerit. Quotiens licuit, id mihi longe fuit gratiſſimum, et cauſa tua, et quod eximia ejus indoles a primo ipſius aſpectu me ceperit, ut magna quaeque de illo minime omnium aſſentator tibi polliceri audeam; neque ſpem fallet, modo pergat, ut occepit. Pro [1] Horatio Fabritiano gratias ago. Gruterus in ſuo Cicerone graviter, ut mihi ſcribit, laborat. Archetypum Guilielmianum, quod vidi, doleo a malevolis premi: Nam memini adoleſcentem illum, longiore vita dignum, cum mihi exemplar ſuum oſtenderet, religioſe affirmaſſe, in ſolis ſe orationibus plus quam ſexcentas clauſulas ex MSS. expleviſſe. Quod in eo, quod nactus eſt Gruterus, deerit, diligentia ſua Palatinorum librorum ope ſupplebit. Oratio, quam ad me miſiſti, vel tacita lectione ſumme placuit, ut minus mirer, ſi tanto applauſu, cum recitaretur, ſit excepta. De elogiis et commentariis rerum ſeptentrionalium quae nanciſci poteris, ut ad me cures, valde te rogo; et viciſſim, prout tibi jus eſt, mea opera utaris, quam ad omnia ſemper paratiſſimam reperies. Vale, vir ampliſſime, et me ama, et per otium ſcribe. Jano Grutero et D. Godofredo plurimam a me ſalutem. Vale iterum.

Lutetiae Pariſiorum XV Kal. Sextil. CIϽIϽCXV.

Ex MS. *G. M. Lingelſhemius Pet. Puteano S. P.*

VIR clariſſime. Binas abs te accepi XXVIII Oct. et XXVIII Nov. datas, plenas amoris: magno mihi ſolatio alloquium tuum in graviſſimo meo luctu, ob filium chariſſimum ereptum in flore aetatis. Acquieſcendum eſt voluntati Patris coeleſtis, quum certo ſciam, quaecunque immittit ſuis, ipſorum bono fieri. Manet mihi tamen deſiderium aeternum filii ad pietatem et virtutem facti. Amicos meos et coram et per literas ſollicitavi, ut juvent in ſatis faciendo deſiderio magni Thuani, bono reipublicae et literarum-nati. Petri Denaiſii aſſeſſoris Spirenſis elogium mitto, conſcriptum ab Hippolyto a Col-

libus

NOT. [1] *Nonne legendum* Homero? *Vide Lingelſhemii epiſt. praecedentem.*

libus in recenti luctu, atque ea occaſione etiam ejuſdem Hippolyti elogium, quod ipſi dedit μακαρείτης Bongarſius. Gregorii Berſmani vitam habetis in volumine Melchioris Adami, virorum in Germania per literas clarorum ſuperioris ſaeculi, quod non dubito ad vos delatum. Si nondum habetis, mittam monitus. Si quid de ceteris obtinuero, mittam quoque. Habes hic quoque conventionem, Haganoae factam inter cardinalem Lotharingiae et marchionem Jo. Georgium Brandeburgicum ſuper epiſcopatu Argentoratenſi. Nomina delegatorum nondum obtinere potui, actis illius temporis neſcio ubi latentibus in ἀρχείῳ noſtro. Scio nomine Electoris tractationi interfuiſſe Hippolytum a Collibus praeſidem, nomine Wirtembergici ducis Baronem Merſburgium et Benjaminum Buwinkuſium. Adhuc laboro in indagandis ceteris et inquirendis actis illis. De Orderico Vitali ſcripſi ad Graviſſetum, cujus filio optimus Bongarſius legavit bibliothecam ſuam. Sed is bibliothecae tanquam theſauro ſerpens draco incubat, neque quenquam admittit, adeo metuit ne quid decedat; quum tamen voluntas defuncti fuerit ut in bonum publicum cedat collectus ille theſaurus. Mutationes illae apud vos multa mala ſecum trahent, et peſſimum augurium veſtrae rei, quod ſummus vir Vaerius de dignitate dejectus, cujus ego literarum monumenta maximi facio, et cum admiratione legi. Deus robur addat viris magnis et bonis, qui ſuperſunt, ut labantibus rebus ſuppetias ferant. Et noſtrae res in ancipiti; dum factioſi homines quietem turbare conantur, et, ſub ſpecie propagandae religionis, pernicioſa conſilia ad opprimendam libertatem moliuntur, et Hiſpanum in obtinenda monarchia juvant.

Hispanus Britanniae regi per oratorem ſuum indicavit, niſi ante exitum Februarii Santenſi conventioni ſatisfaciant Ordines, relictis quae in Juliacenſi ditione tenent, uti et ipſe paratum ſe dicit ad decedendum, poſthac ſe aures non amplius praebiturum, et quae occupavit, ſuo jure ſe retenturum. Hac tranſiit ante duos menſes archiepiſcopus Spalatenſis, qui cauſas diſceſſus ſui ex Italia explicavit publico ſcripto, quod hic typis mandandum curavit. Ejus exemplar hic habes et alterum pro magno Thuano, cui obſequia mea ſubjectiſſime defero. Trajicere in Britanniam ex Hollandia conſtituit, ut ibi abſolvat opus, cujus delineationem exhibet. Deum precor, ut te patriamque ſervet incolumem. Vale, amicorum praeſtantiſſime.

Heidelberga XVII Dec. 1616.

Omni obſequio,
G. M. Lingelshemius.

Ex Epiſtola J. Gruteri ad G. Camdenum, dat. XXVI Sept. 1616. in Syll. ep. Camd. 4°. pag. 170.

Lingelshemius ille meus tuuſque ſepultus eſt Heidelbergae, ante dies octo vix redux ex peregrinatione Italica, quo conceſſerat cum legato veſtri regis D. Wottono. O ſpes mortalium falſas! jam nuptias ei circumſpiciebat pater, et ego ei forte meam adplicaſſem. Verum aliter placuit patri coeleſti, per quem tranſlatus eſt ad meliora; noſque relicti in luctu. Erat ſane adoleſcens ſupra aetatem doctus, ſupra ſaeculum modeſtus. Itaque plurimum periit Palatinatui, cui paucae ſunt ejus commatis gemmae.

Cum Lingelſhemius, Thuano id enixe petente, operam ſuam dederit, quamvis fruſtra, ne hiſtoriae ejus in Germania cum notis margini appoſitis excuderentur, ob cauſam quam in prima ad D. Meadum epiſtola recte divinatam exiſtimamus; heic, quaecunque ad eam rem ſpectant, ſubjicienda duximus.

Hiſtoriarum Thuani LVII *priores libri, qui Lutetiae apud Drouart in folio et octavo prodierunt, recuſi fuerunt in Germania, Francofurti, in folio, titulo annum non praeferente, (uti etiam Offenbachi in folio, anno* 1609*) cum notis marginalibus. Unde occaſione ſumpta, editioni Drouartianae in* 12°. *anno* 1609 *praelo commiſſae admonitio haec fuit praefixa.*

Non difficile fuit Romanis ſcriptoribus, ſtabilito firmatoque imperio, res orbe toto geſtas poſteris explorata fide tradere; nam et orbis ipſe totus erat Romanus, et imperium urbe, communi generis humani patria, velut uno ſpiritu continebatur. Ita nihil illi tam diſſitum aut remotum ſcribendo pertingebant, quod domeſticum et familiare non eſſet: Adeoque victoriarum, et, ſi forte, cladium hiſtorias quaſi accepti depenſique tabulas conficiebant. At eodem jam orbe in tot particulas minuto, imperio in tot regna et principatus dejuncto, qui geſta cunctorum comprehendere narrando ſuſcepit, quamvis in conſilia rerumque cauſas judicio penetraverit, in ipſis tamen conſiliis ac variis rerum eventuumque figuris genium cujuſque nationis ac gentis obvium habet, cui rite factum an ſecus fuerit, vernaculi quidem intelligunt et ſentiunt: Alii non magis quam nos illam a Pol-

ſione notatam in Livio Patavinitatem. Quocirca hujuſce operis auctorem non tantum orbis univerſi memorias cura paene ſupra modum anxia ſolicitare oportuit; verum etiam populorum externarumque gentium aures et judicia conſulere, ac ſciſcitari, num, diſcurrente multiplicis hiſtoriae filo, quaedam exotica peregrino ſchemate obvoluta gravibus officiis occupatum ac ſaepenumero aliud agere coactum fefelliſſent: Quae tamen, antequam opus ſuum poſteritati ſanciendum permitteret, ſagaciſſime requiri ſuoque ordine digeri operae pretium fore judicaret. Itaque, quod olim eximium pingendi artificem factitaſſe narrant, unam et alteram editionem propoſuit, velut in pergula, tranſeuntibus, auſcultaturus ſi quae forte retractanda vel acrius pervidenda notarentur: Quippe hiſtoria, ſicut pictura, bono quidem in lumine collocanda eſt, ſed tanto probanda, quanto ad propoſitum exemplar, id eſt, veritatem, accedit; ut illud uſurpari liquido poſſit, ὅτι τοῦτο ἐκεῖνο. Igitur infrunitas eorum voculas, qui rigidum hiſtorici tenorem ab inanibus aretalogi fabulis differre noluerunt aut neſciverant, vir intaminati candoris et incorruptae fidei pro nihilo duxit. Quae vero ſapienter ab viris in exiſtimando prudentibus, quales ipſe etiam atque etiam rogat ut in publica ſcriptione caſtiganda vel locupletanda operam navare porro nec ambitioſe pergant, animadverſa ſunt, ſedulo collegit; iiſque, ut ita dicam, ἀργυραμοιβικῶς probatis ac penſitatis, tertiam concinnavit editionem locis aliquot inculcatam atque refectam: Quam adeo ceteris poſthac uſpiam cudendis pro archetypo eſſe velit et vero jubeat; praeſertim quum a prioribus nihil variet, niſi qua locupletior auctiorque, aut qua etiam fortaſſe accuratior atque limatior. Nec enim eſt quod te conturbet, ſi librorum aliquot initia ſecus ac primo fuerint concepta reperias. Quidni ſuper re ſua uti quiſque ſtatuerit, ita jus ſit? Quanquam et haec mutatio ratione conſilioque non careat; nimirum ut eſſet opere in magno ubi ſubſiſtere ſaepius et reſpirare poſſes; tum ut ſeſe lubentius ſupervacuis officiis abſtinerent, qui jam corporis hujuſce hiſtorici compagem apte decenterque cohaerentem capitum aut ſummarum commatis ſive paragraphis divellere fruſtillatimque concerpere meditabantur. Quin et politicas, ſi placet, ad paginarum marginem notas parturiebant. Fidem heic tuam, quiſquis es, lector, appello; apage Abderitica deliramenta; ſtet ſuus operi nitor, ſuae hiſtoriae ſimplicitas, integra tibi quidquid volueris obſervandi ſentiendique libertas. In ſumma, haec editio cum aliis, quae auctoris injuſſu in vulgus unquam ibunt, comparata, ſit cotis inſtar Heracliae; protinus dicat, ſi ſubaerati quid ſubſit, ſi quid lacunae. Verum ne propterea tamen in numerorum etiam notis aliqua te religione attineri putes, ſcito eas neque heic neque in autographo quidem utique ſemper certas praeſtari, quum in leviſſima exerratione graviſſimum ſaepe ſit momentum. Sane tutius feciſſet qui numeros ipſos integris vocabulis explicaſſet: per apices enim et compendia properantem et oculis et memoria labi proclive fuit.

Neque heic res ſtetit: Sed etiam initio tertii tomi editionis Drouartianae in folio, et noni tomi editionis Drouartianae in 12mo, anno 1609 excuſarum, haec quae ſequuntur apponere viſum eſt.

QUOD harumce hiſtoriarum ſcriptor in operis limine nuper edici voluit, non placere ſibi miſeram ardelionum, qui in alienis ſcriptis ingenioſi videri cupiunt, ambitionem, idipſum heic etiam iterandum venit, ob inofficioſiſſimam male feriati cujuſdam typographi ſedulitatem, qui ſuperioribus nundinis editos Francofurti ad Moenum praecedentes libros minime ad poſtremam Pariſienſem editionem, quod ſaltem debuit, expreſſos notis conſperſit ineptis et frivolis; ſane hominem ut ab incepto deſiſteret, viri probi et graves in Germania paſſim hortati fuerant, quibus ille, ſi pudori, ſi otio conſuluiſſet, parere neceſſe habebat. Sed is fuit vervecei capitis ſtupor, ut prudentiſſimis monitis pervicaciter obſurduerit. Itaque, quando facta infecta fieri nequeunt, ſatis vindicata videbitur injuria, ſi nugatoris illius marrucinitas quaſi Marſyae cutis ad ludibrium propoſita ceteros hujuſmodi nebulones abſterreat et diſpellat. Lutetiae Pariſior. prid. Eid. Sextil. 1609.

Anno 1610 reliqui hiſtoriarum libri, ad octogeſimum uſque incluſive, ad editionem Drouartianam recuſi fuerunt Francofurti in folio, cum hoc typographi nomine reſponſo.

QUOD auctor hujus operis olim edictum et nuper iteratum voluit, non probare ſe nempe meam in recudendis ipſius libris, adjiciendiſque notis marginalibus, ſedulitatem: Id in frontiſpicio hujus tomi modeſtiori reſponſione, hoc eſt, Germanica, diluendum fuit. Nam nec ego ulla ambitione ductus Thuani hiſtorias e typis Pariſienſibus tranſcripſi, ſed communis utilitatis promovendae ſtudio ſumptus illos feci. Nec notae marginales quicquam inferunt, quo vel mens auctoris vim patiatur, vel ſcriptionis genus deformetur. De quo ad virorum doctorum totius Germaniae judicia confidenter provoco: Utpote quibus exemplum Francofurtenſe magis arridere vel inde conſtat, quod hoc illo

vendibilius et in officina mea crebrius expetitur. Tantum abeſt ut viri probi et graves in Germania paſſim ab incepto me dehortati ſint. Quin potius manifeſtum ut ſit, Thuano viro eximio et praeſtantiſſimo unius typographi Pariſienſis (quem mea haec editio male habuit) virulentis ſuggeſtionibus obreptum eſſe. Eum itaque rogatum velim maximopere, ne dum ipſius hiſtoriam viri docti in Germania (quorum teſtimonia ſatis magno numero, nullo etiam diſſuadente vel dehortante, penes me ſunt) ex officina mea impreſſoria flagitarunt indeſinenter, quorum votis ego tandem reſpondi, ob id innocenti mihi, et plane nil ſequius cogitanti, ſuccenſeat. Typographus vero tantae impatientiae inſtigator brevibus admonitus ſit, ne, quod ipſe et ſuae gentis alii innumeri in recudendis noſtris libris jure (ut dixerunt) ſuo dudum factitarunt, id in me tantopere reprehendat: adeoque clarorum virorum indignationem et bilem concitare porro deſiſtat; alioquin juſtiſſima talionis lege, virgulam cenſoriam acriorem et ſeveriorem a Germanis certo certius experturus. Francofurti ad Moenum, Kal. Martiis A. N. C. 1610.

Ill. profeſſoris Grammii benevolo animo debemus Excerpta ſequentia ex Cll. et Doctorum virorum ad Melchiorem Goldaſtum epiſtolis, ex Bibliotheca Henrici Guntheri Thulemarii J. C. editis Francofurti et Spirae 1688 *in* 4°. *quibus, utpote lucem in ea re de qua heic agitur praebentibus, una cum ipſo libro Haunia huc tranſmiſſo, nos donavit.*

Ep. CCXXVI. *pag.* 273.

Goldaſtus, Francofurti degens, Heidelbergam ad M. Freberum ſcripſerat, ſciſcitatum num concedi facultas poſſet Thuani hiſtoriam edendi in ditione Palatinatus: Reſpondet Freberus d. XIV *Oct.* 1608. *his verbis.*

" In conſilio lecta eſt a cancellario, abſente Lingelſhemio, tua epiſtola. De Thuani-
" cis quod quaeris, ita habe; ut excudendi ea in Palatinatu ubivis locorum facultas patet,
" ita nomen Manhemii ſimulato commodare principi diſplicet. Sed quid de loco refert?
" Ipſum opus quemvis locum nobilitare poterit.

Ep. CCXXXIV. *pag.* 283.

Quirinus Reuterus D. et profeſſor Theol. Heidelbergenſis ad Goldaſtum, d. XXV *Novemb.* 1608. *haec ſcribit.*

" Petiit Kopſius a me quoque notas ad Thuanum. Eas mitto. Tu cenſor et arbiter
" eſto, et ut ille gratus ſit, efficito. Sequentes obſervationes in Tomum II mittam
" proxime, ſi velitis.

Ep. CCXXXVI. *pag.* 284. *et ſeq.*

Johannes Beckſtadius, ut petitioni Goldaſti morem gerat, Heidelberga mittit d. XXV *Novemb.* 1608. *pauculas animadverſiones, queis in Germaniae praeſertim rebus commiſſos quoſdam a Thuano errores hiſtoricos nec non chronologicos notavit, ſcil.*

" Quae in Thuani lectione curſoria deprehendi, jam recenſebo.
" Tom. I. pag. 9. in meo exemplari Pariſ. in 8vo. edito ſic legitur: *Hiſpanorum no-*
" *men antea obſcurum et vicinis paene nationibus incognitum fuit, &c.* At vero praeter Var-
" ronem meminere Hiſpanorum, Jul. Caeſar, Plinius, et multi alii.
" Anno 1565. Thuanus ſcribit Joh. Mattheſium Rochlicenſem compleviſſe annos
" 51. Buchholzerus vero diligentiſſimus hiſtoriarum ſeptentrionalium explorator expreſſè
" nominat annos 61.
" Anno Chriſti 1566. Pro *Dominico* Spangenbergio ſubſtituendum eſt tritum et uſi-
" tatum nomen *Cyriaci*, quo in ſacro baptiſmo fuit indigitatus, quo etiam in ſuis ſcriptis
" ſemper eſt uſus; licet Dominici nomen re ipſa idem ſonet quod Κυριακοῦ.
" Anno Chriſti 1567. de Gothano bello: Semper lege pro *Mulperga*, *Mylberga.*
" Item de Frid. Palat. VIIro. eodem anno: Pro *Sulegrio* ſemper reperi *Zulegero.*
" Quae de fictitia vel ſubornata Eliſabetha regina Angl. ſcribuntur a Thuano, omni-
" bus ſanis fabula.
" Item Melchior Zobel epiſc. Wirzburgicus occiſus eſt anno 1558, XVII Kal. Maii,
" nequaquam Idib. April. Hic bidui differentia.
" Et Grumbachius captus eſt, non octavo anno poſt, ſed nono. Hic anni unius diffe-
" rentia.

" Qui

" Qui Gothani negotii gnari ſunt, teſtantur, ob nullam aliam cauſam ſtrepentem
" tympanorum ſonitum in Grumbachii diſſertatione eſſe adhibitum, quam ut Grumba-
" chii apologia (dicebat enim Grumbachius, Quicquid feci contra Wirzburgicos, feci ſci-
" ente et meas partes juvante, imo militem ſuppeditante Auguſto VIIro. Sax. qui nunc
" in gratiam pontificiorum ad ſuas res ampliandas, me perſequitur) a circumſtantibus
" nequaquam exaudiri poſſit.

" Anno 1569. Vict. Strigelius, nequaquam interfuit colloquio Altemburgico. Jam
" pridem abierat Heidelbergam.

" Ibidem errat Thuanus, cum Paulum Eberum Cittaviae natum dicit. Eſt enim na-
" tus Kitzingae.

" Anno 1571. De colloqu. Francothalenſi. Petrus quidem Dathenius fuit theologus
" et concionator aulicus. Wolfg. vero Zulegerus, fuit non theologus, ſed politicus.
" Qua in re Thuanus ſibi ipſi (ut teſtatur hiſtoria anni 1567.) eſt contrarius.

" Ibidem, Michael Neander, vir libris editis ſat quidem clarus, terram vero Palati-
" nam nunquam ingreſſus notariis annumeratur. Subſtituendus itaque verus Neander,
" non ille Michael, ſed Martinus, qui etiamnum Heidelbergae vivit, qui oeconomi
" officio in aedib. Sapientiae perfungitur, et, praeterquam quod Notarii titulo donatus
" eſt, dulciſſima et exquiſitiſſima fercula Quirino Reutero parare didicit.

" Anno 1573. Pro *Daniele Brendelo Henbergo*, lege *Daniele Brendelio ab Homberg*.
" Vide Serarii Chron. Mog. pag. 914.

" Ibidem, pro *Vahicum*, lege *Facham*.

" Ibidem, pro *Viſurgi*, lege *Vierra*.

" Licet enim Vierra ſuo loco miſceatur Viſurgi, tamen Facha oppidum ſatis no-
" tum, quod unius diei itinere a Fuldae coenobio diſtat, imo Fuldenſi ditioni paret (ad-
" do aliud, in quo oppido, me αὐτόπτης, Henr. III per dies aliquot ſubſtitit) &c. X milli-
" aribus Germanicis a Viſurgi diſtat.

" Interim non nego, eſſe quoddam oppidum prope Viſurgim ſitum, quod Vahica
" appellatur: Id vero Henr. III ſuis oculis nunquam potuit intueri. Imo tum temporis
" nemo ex miniſtris ipſius eo pervenit

Ep. CCXXXVIII. *pag.* 288.

Idem Joh. Bockſtadius ad properandam editionem Goldaſtum hortatur, XIV *Kal. Decembr.* 1608, *haec ſubjiciens.*

" Ego ut meam quoque ſymbolam conferam, avide exopto. Cupio, ut praeter Ste-
" nium hiſtoriarum profeſſorem, alii mihi noti, Thuaneae hiſtoriae lectores, mihi ſuas
" animadverſiones communicare ne dedignentur. Verum — hactenus nihil obtineo. Dabo
" tamen operam, ut ſaltem meas pauculas obſervationes, de quibus D. Quirinus, cum
" quo contuli, me monuit, intra octiduum habeas. Optant plurimi, ut ea, quae in
" prima editione, juxta veritatis tenorem poſita, in ſecunda editione propter illuſtres
" perſonas omiſſa ſunt, reſtituantur.

Ep. CCXXXIX. *pag.* 289.

G. M. Lingelſhemius Kal. Dec. 1608. *talem Heidelberga ad Goldaſtum ſcripſit epiſtolam.*

" Abſente me, literas ad me dediſti, ad quas reſpondere diſtuli, donec certi quid re-
" ſpondere poſſem. Memini Thuanum vehementer amicos ſuos in his partibus obteſta-
" tum eſſe, ne hiſtoria ſua ſe inſcio ederetur, ejus animi ipſum adhuc eſſe jam cognovi.
" At ego nefas eſſe duco, invito et vivo auctore, ſua tractari. Praeterea conſtat nobis,
" ſub praelo eſſe editionem novam, longe caſtigatiorem, atque etiam auctiorem aliquot
" libris. Notavi ego, quae in ſequentibus editionibus omiſit, quae multa non ſunt, et
" judicio ſublata: Alicubi narrationes integras reliquit, atrocitate tantum verborum ſub-
" lata. Breviter, ego longe praeferendas poſteriores editiones priori cenſeo; potius o-
" miſſa excerpi poſſent, et pagellis ſingularibus excudi, exemplo ejus quod in Guicciar-
" dino factum. Itaque quaeſo te, ut editionem differendam ſaltem cures. Typographi
" ipſi damnum incurrere poſſent, ſi innoteſceret auctius opus cum librorum aliquot ac-
" ceſſione ſub praelo eſſe. Praeterea Thuanus in poſtrema editione diſtributionem operis
" quoque mutavit, et in libros plures ſecuit, quam in prima factum. Sed multa prae-
" clara et memoranda acceſſerunt, quae notavi ego. Saltem exſpectetur editio illa quae
" jam ſub praelo. Debetur iſte honor viro ſummae dignitatis, et optime de republica
" et literis merito, &c.

Ep.

Ep. CCXLI. *pag.* 291.

Lingelſhemius haec porro ad Goldaſtum Heidelb. IX *Decembr.* 1608.

" Acerbum mihi fuit cognoſcere, rem non integram eſſe amplius, de iterata editione
" Thuanici operis. Offendetur vir ille ſummus graviter, qui per amicos, omnes bonos
" ab ea injuria, quae ipſi et typographo fieret, abſterrere ſtuduit. Sane typographus ve-
" ſter periclitatur, quum conſtet recudi totum opus, paſſim auctum, cum acceſſione etiam
" aliquot librorum. Id quum notum fiet, haud facile quis ſumptus in imperfecto opere
" facere volet. Illud autem, pace tua dictum ſit, mirifice diſplicet, quod notas marginales
" in Germanicis addis. Tibi tu haec fieri velles? Scito difficile munus eſſe cenſurae, in
" ſummis illis viris. Quid ſi cenſori non ſatis cognita res ipſa? Quid ſi ſuos auctores ſe-
" cutus? Quin lectori judicium permittitur. Vidi cenſuram copioſam hujus operis. Sed
" reperi inania pleraque, et maximam partem ex imperitia rerum et linguae Latinae
" profluxiſſe. Abſtine, quaeſo, ab invidioſo hoc coepto, et aliter perge prodeſſe publice.
" Quin mone typographum ut interquieſcat, et editionem iſtam ultimam exſpectet, ne
" ſe alioſque in damnum praecipitet. Vehementer me haec res afficit, et mali exempli
" videtur vivi auctoris ſcripta, quae adhuc tractat ipſe, attingere. Memini Brederodi-
" um olim ſuaſiſſe repetitionem editionis cum notis marginalibus, a quibus vehementer
" abhorret Thuanus, Lipſium reprehendens, qui margines omnes impleverit; quod recto
" judicio Pichena in Tacito rejecit. Iterum te rogo, ut operam des, quo totum illud
" ſaltem intermittatur, donec ultima editio prodierit, &c.

Ep. CCXLV. *pag.* 295.

*D. Quirinus Reuter (is praecipuum Goldaſto ac ejus hoſpiti Petro Kopfio bibliopolae Franc*o*furtenſi, in editione Germanica, adjutorem ſe praebuit, et quae illis deerant ſubminiſtravit) Heidelberga d.* XIII *Jan.* 1709. *haec ſcribit.*

" Thuani hiſtoriam iſthic edi, non neſcio quoſdam eſſe qui carpant. Sed tu contra
" audentior ito, et telam coeptam pertexito. Bene mereberis de Germania, laudemque a
" piis reportabis. Galli et Itali fruantur Pariſina editione, quam auctor variat ex ſupe-
" riorum voluntate. Puto te vidiſſe [1] libellum, qui continet ea Thuani, quae regis juſſu
" fuerunt expuncta: In quibus de Medicei cujuſdam fratris et filii parricidio; deque Pii
" IV papae fraudibus, &c. Haec abs te ſuo loco reſtitui; quae falſo narrata ſunt, no-
" tis quibuſdam ex aliorum hiſtoriis verioribus, lectori ſubjici eſt operae pretium. Niſi
" mole laborum officii premerer, conatus tuos adjuvarem. Quae nuper miſi, fateor eſſe
" tenuia et γραφικά. Sed et hiſtorica plurima corrigi poſſent, &c.

Ep. CCXLVIII. *pag.* 297. *Idem, Heidelb.* III *Febr.* 1609.

" De libello ſingulari Thuani miratus ſum, quod ſcribis te non vidiſſe. Communica-
" vit eum, ſed ſub fide ſilentii, quam etiam praeſtiti, ad lectionem amicus et fautor qui-
" dam tuus, idemque meus, a quo ſi poſſim extorquere, bona venia ejus tibi ſuggeram;
" In hoc plus non licet polliceri; ſed in ceteris omnia mea officia tibi ſpondeo, &c.

Ep. CCLII. *pag.* 300. *Idem, d.* XXIV *Febr. eod. an.*

" Cum D. Lingelſhemio dudum nil locutus ſum; improbavit quidem notas abs te
" Thuano attexi: Sed dubitandum an ſerio, (nec enim deerant, qui dici ſolum in ſpe-
" ciem ſuſpicabantur.) Tuam vero diligentiam hactenus laudavit. Sed de his alias, &c.

Ep. CCLXXX. *pag.* 335. *Idem, d.* XIV *Julii, eod. an.*

" Inprimis addidiſſem lubens παραλειπόμενα quaedam Thuani, non exſtantia in editio-
" nibus vulgatis, ſeorſim autem clam Lutetiae impreſſa: Sed conatum meum inhibuit
" D. Lingelſhemius, qui ſine ſcitu Thuani ea publicari cenſet inofficioſum et iniquum.
" ——— Lutetiae editur continuatio Thuani. Noſter D. Lingelſhemius habet ex-
" emplaris bonam partem, quam ego jam ipſius conceſſu perlegi, deductam ad annum
" Chr. MDLXXXII. quae pars ſi veniat ad mercatum proximum, Petrus Kopf eam quoque
" imprimat oportet. Optarim eum citius adipiſci poſſe, et publicare; quia nova de-
" lectant

NOT. [1] De hoc libello vide Epiſt. tertiam ad D. Meadam.

" lectant. Sed et hoc Pariſienſe exemplar magni erit pretii, nec noſtri ſimilibus admo-
" dum emibile, quia nummus noſter alium poſtulat uſum, &c.

Ep. CCLXXXVI. *pag.* 342. *Idem, d.* XVIII. *Auguſti ejuſd. an.*

" Petitioni veſtrae ſatisfacio quoad licet. Exemplar a Thuano per legatum D. Bongarſium D. Lingelſhemio miſſum, caret titulo; qui nondum impreſſus fuit, ſicut neque totum opus: Quod conſtat duernionibus: Primum igitur mitto deſcriptum, plane ad ipſum αὐτόγραφον, nempe primas tres paginas. Impreſſum exemplar lubens ad vos curaſſem; ſed obſtitere hae difficultates: Una, quod nobiliſ. D. Hippolytus a Collibus (qui nunc in Galliam abiit legatus) et D. a Lautern id a Lingelſhemio commodato acceperunt legendum. Altera quod D. Denaiſius aſſeſſor Spirae ſibi a D. Lingelſhemio mitti illud ipſum petivit. Itaque ne plane veſtro voto excideretis, a D. a Lautern, qui penes ſe habuit, duernionem iſtum expetivi, et ſic deſcribi curavi. Spero autem Kopffium hac ratione ſcopum ſuum eſſe aſſecuturum. — Bockſtadius rediit ex acidulis: Memini ſuperiore hyeme ipſum de neſcio quibus notis ad te miſſis mihi referre. Tacui tum; quae cogitarim animo, malim coram dicere.

Ep. CCXCI. *pag.* 351. *Idem, d.* VI *Octob.* 1609.

" Heri accepi et Thuanum, a P. Kopf ante annum promiſſum. Pollicitus eſt nuper, ſe pro paginis illis, ex novo Pariſienſi exemplari deſcriptis et tranſmiſſis, unum e patribus mihi daturum. Sed haec tibi. Poſſem addere quoddam meum infortunium ex iſta occaſione natum, et D. Lingelſhemii offenſam, ſine mea culpa, caſu quodam inopinato contractam: De quo alias.

Ep. CCXCII. *pag.* 352. *Idem. d.* XIX *Octob. eod. an.*

" De D. Lingelſhemii offenſa dolui. Dicam aperte, ne divinatione ſit opus. Pagellas primas Thuani poſtquam vobis, inprimis Kopffio petenti, deſcribi curaſſem, remiſi nobili a Lautern, cui D. Lingelſh. commodarat librum. Iſtius autem familia non reddidit hero. Culpa in me conjecta, quaſi non reddidiſſem. Lingelſh. adhuc mihi ſuccenſet, quod amiſſo frontiſpicio liber ſit inutilis. Quaeſitum etiam, quo fine primum duernionem ſemel ac iterum petierim, cum ante legerim. Ego cauſatus aliquid, nolui veſtri conſilii alios eſſe conſcios. Scis enim improbari a Lingelſhemio veſtram editionem. Hinc collige, me nonnihil turbatum iſto caſu, reliquas paginas in Lingelſhemii exemplari, (quod in folio Lutetiae excuſum, et adhuc imperfectum eſt) ſequenteis illum tomum IX nuper in 12° editum, cujus ultimam paginam hic D. Kopfio remitto, non abſque cauſa nondum deſcribendas curaſſe. Sed exſpecto etiam D. Hippolytum propediem; is totum exemplar, ut ſpero, aut maximam partem ejus ſecum huc portabit. Tum voto D. Kopfii plenius ſatisfaciam.

Ep. CCXCVIII. *pag.* 361. *Idem, d.* III *Nov.* 1609.

" Thuani deſcriptionem curabo quamprimum potero. Exemplar eſſe jam Spirae apud D. Denaiſium, qui propediem remittet, ut ex D. Lingelſhemio intellexi. Scripſi tuo hoſpiti de Nazianzeno vel Thoma mihi comparando.

Ep. CCCII. *pag.* 364. *Idem, Heidelb.* X *Nov.* 1609.

" Thuani continuationem, quoquo poſſim modo, vobis curabo. Nunc rogo, ut P. Kopf mittat mihi ſequentia folia, ut errata forte corrigam.

Ep. CCCIV. *pag.* 366. *Idem,* XV *Novemb. eod. an.*

" D. Hippolytus rediit, ſed ſtatim Studgartiam profectus. Loquar ei quamprimum licebit, ut Thuanum vobis pleniorem communicare poſſim.

Ep. CCCIX. *pag.* 371. *Idem, Kal. Dec.* 1609.

" D. Hippolytus Thuanum non vidit, tum in praedio ruſticantem.

Ep. CCCXII. *pag.* 372. *Idem, d.* XV *Decemb. eod. an.*

" Vide quam cupiam deſiderio tuo, Cl. vir, et hoſpitis tui ſatisfacere; mitto Thuanum uſque ad annum LXXX. Notavi locum invidioſum de Germanis et Caſimiro duce;

" quem

" quem expungerem, ſi praeeſſem editioni. Cogitabis, quid deceat. Commodum na-
" ctus ſum adhuc aliquot duerniones. Deſcriptos brevi habebitis. Sed, uti pridem pru-
" denter ſcribebas, cavete ne mihi officium iſtud officiat. Nomen meum plane tacete;
" ut porro, ſi cetera venerint e Gallia, vobis opitulari queam. Folii primi, quod ante
" mercatum vobis deſcriptum miſi, jactura, nondum ſarta nec oblita, peperit of-
" fenſam, &c.

Ep. CCCXXVII. *pag.* 389. *Idem*, III *Kal. Jan.* 1610.

" En vobis optatam ſtrenam, reſidua folia Th. quae quidem hic exſtant. Obnixe
" petiit hoſpes tuus proximis literis, de Carolo Pauli quid ſpei eſſet, hac poſta reſcribe-
" rem. Adii illum, et prudenter omnia ſciſcitatus, vidi Thuani donum eſſe illud ipſum
" exemplar quod in 12mo. proximis iſtic nundinis proſtabat. Nil aliud, nil amplius ap-
" paret. ——— Si D. Lingelſheim adhuc totum opus adipiſci poſſet, neque ſumptui par-
" ceret, neque etiam ſuum iſtud imperfectum exemplar pro κειμηλίῳ theſauroque habe-
" ret. ——— Nec putamus adhuc abſolutum eſſe Lutetiae; id ultra annum LXXXIV non
" deducet auctor, &c. Spero me conſecuturum ante nundinas ſequentia folia Thuani. Sin
" minus, ſaltem vos edocere potero, quicquid erit.

Ep. CCCXXXI, *pag.* 393. *Idem*, XXX *Januar. an. eod.*

" Bongarsius ubi redierit, de Thuano cuncta perquiram, quouſque pervenerit prae-
" lum Pariſienſe; quam cito potiri poſſimus exemplari integro. Quod et Lingelſhemius
" avide deſiderat. Si putas vel lineam vel paginam hic ſupereſſe, quam celemini, valde
" erras. Sed nimium properaſtis, ut intelligo. Sed in eo id commodi eſt, quod ſi pa-
" ginas ſequentes nactus fuero, citius ante nundinas opus abſolvetis; interim Poemata
" Thuani excudi poſſent. Nihil intermittam, &c.

Ep. CCCXXXVII. *pag.* 401. *Idem*, *d.* XXVIII *Mart.* 1610.

" Thuani hactenus ne literulam videre licuit; invident Galli nobis. — Si jam pro-
" ſtat iſtic integer tomus, vicit Kopſius; cui facile erit ſupplere propediem quae deerant.

Ep. CCCXXXVIII. *pag.* 402. *Idem*, *d.* XXI *April.* 1610.

" Thuanum velim haud a vobis nunc publicatum, ſed integrum prius expreſſum eſ-
" ſe ex Pariſienſi, quod prodiit, exemplo. Feci quod potui, et promiſſa exſpecto.

Ep. CCCXLV. *pag.* 411. *Idem feſto Bartholom. eod. an.*

" P. Kopf quae pro deſcriptione Thuani mihi promiſit, nondum exſolvit: Excipiet
" forte, me non totum Thuanum ei miſiſſe. Verum qui potui? Si D. Bongarſius huc
" miſiſſet, vos ſtatim habuiſſetis. Deinde propter ipſum Kopfium, cui ante annum pri-
" mas paginas bis miſi, (quae quidem D. Lingelſhemio non redditae fuerunt, ut antehac
" ſcripſi;) in odium incurri apud magnates et patronos; quod redemiſſem decem thaleris, &c.

Ep. CCCLXXXVII. *pag.* 454. *Idem*, *d.* XII *Mart.* 1611.

" Petrus Kopf nihil ſolvit pro deſcriptione Thuani. Ab hoc impetra mihi tomum
" II Thuani cum appendice, &c.

Ep. CCCLXXXII. *pag.* 450. *Philip. Camerarius*, *d.* VI *Mart*, 1611, *ad Goldaſtum haec inter alia.*

" Audio ad Thuani hiſtorias part. IV. tom. IX. novam acceſſiſſe, et in proximis
" veſtris nundinis publicatum iri.

Ep. CCCXXV. *pag.* 387. *Conrad. Ritterſhuſius*, *Altorfio*, *d.* VII *Sept.* 1609. *ad Goldaſtum.*

" Aiunt etiam Thuani editioni Germanicae te praefuiſſe, eamque notis marginali-
" bus auxiſſe et illuſtraſſe, quo etiam ipſo opere optime de lectoribus meritus es.

Ep. CCCCXXVII. *pag.* 494. *Gothofredus Jungermannus ad Goldaſtum*, *Hanoviae poſtrid. Paſch.* 1610.

" Tuam Thuani editionem, quae Offenbachii edita, nondum videre licuit.

Ex.

Ex P. Burmanni Sylloge epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum, 4to. Tom. II. pag. 359.

Ex epiſtola G. M. Lingelſhemii Joſepho Scaligero.

DE [1] libello illo Anthallenſi me beas judicio illo tuo tam praeclaro: Certe auctor, quod probe ſcio, hunc unicum ſibi ſcopum propoſitum habuit, oſtendere, in religionis re ſummi illius viri auctoritatem valere non debere; quod quia tuo judicio adſecutus, merito ille triumphat. Idem tecum judicant lumina illa Galliae Thuanus, Pleſſaeus, Caſaubonus, quorum elogia itidem habeo. Verum non ſatis notus tibi ego, ſi me talem foetum edere poſſe putaſti; ac quamvis auctoris maxime interſit nomen ſuum celari, cum vivendum ipſi ſit inter Jeſuitas et homines a vera fide alieniſſimos, tamen apud te diſſimulandum non putavi, auctorem ſcripti eſſe Petrum Denaiſium, Argentorati, quae et mihi patria, honeſtis parentibus et ampla in re natum. Is ab incunte aetate mecum in bonarum artium diſciplina conjunctiſſime vixit; noſque ambo, uno fere tempore, ab illuſtriſſimo duce Joanne Caſimiro, laudatiſſimae memoriae, in conſiliarios electorios adſciti; ſed ipſi deinde quietior vita obtigit; factus enim aſſeſſor in ſupremo Imperii tribunali, quod cameram Spirenſem vocant, et literis et ſibi vivere jam per XIV annos potuit; ego fluctibus aulicis immerſus perpetuo curis publicis agitor.

Heidelberga, IV Kal. Jul. 1605.

Ex epiſtolis Geo. Mich. Lingelſhemii ad Jac. Bongarſium, Argentorati 1660, in 12mo.

Ep. XLIX. *pag.* 182.

SUMMUS ille vir Thuanus per literas ad Gruterum petiit cenſuram noſtrorum hominum de rebus Germanicis. Denaiſius meo rogatu conjecit ſuam in chartam hanc quam mitto: Spero non indignaturum ipſum, et agniturum inductum ſe auctoribus, qui non ſatis explorata tradiderunt; nam haec ita ſe habere tu rectiſſime judicabis, utpote optime gnarus rerum noſtrarum.

Heidelb. XV Maii 1604.

In Sylloge MS. autographarum epiſtolarum ad Thuanum, quae penes nos eſt, ſequentes animadverſiones epiſtolis P. Denaiſii praefiguntur, et eadem manu exaratae videntur.

IN aeterno opere Jac. Aug. Thuani *(ed. Patiſſ. in folio, p. 33. bujus edit. Lond. tom.* I. p. 52.) nolim iactum, ut Imperator Otho III, auctor et inſtitutor diceretur Septemvirorum in Imperio, quos tam certum eſt, nec ſub Othone illo nec CC et amplius poſt eum annis fuiſſe cognitos, quam eſt dubium et inexploratum, quando aut quomodo coeperint, ut Aventinus, Peucerus, Onuphrius, et alii obſervavere.

NEC minus ſuſpectum mihi, qui dictitant regis Bohemiae munus eſſe, ut paribus reliquorum ſuffragiis interveniat; cum ei tertium in dicenda ſententia locum nominatim aurea Caroli IV bulla adſignet.

IBIDEM. Tria haec Imperii membra conſtituuntur, Imperator, Principes, Civitates. Neſcio an ſatis apte ad hodiernam Imperii formam, in qua ſoli per ſe electores unum, et quidem longe praecipuum, membrum ſunt Imperii; alterum reliqui Principes; et civitates tertium; quorum omnium caput et princeps ex aequo eſt Imperator.

SEQUITUR *(ed. Patiſſ. pag. ead. et ed. Lond. 53.)* de proceribus, eorum primos quoſque IV ex ſingulari numero eſſe praecipuos. At hi olim videntur fuiſſe non praecipui, ſed ſoli; hodie nec praecipui ſunt, nec numero illo quaternario concluſi. Quin et tota iſta diviſio unde vel quorſum aut quando introducta fuerit, adhuc incompertum eſſe arbitror. Additur, eos pro temporis ratione et Imperatorum arbitrio mutari, augeri, minui. Nimirum iſtud eſt poteſtatis quod in Imperatores confertur. Nam dignitates iſtas naſcendi ordo tribuit, quas mutare aut adimere non eſt penes Imperatorem. Tametſi non ſolum titulos, ſed et ditiones ipſas vacantes transfert et diſtribuit pro merito cujuſque aut ſuo arbitrio. Porro vereor ut et illud ſatis caute ita in genere affirmari potuerit, deficientibus heredibus maſculis, et ditiones et poſſeſſiones eorum ad Imperatorem redire. Nam nec in feudis foemineis ubique verum ſimpliciter eſt, nec in ditionibus non feudalibus, quarum multae magnaeque jure proprio tenentur; et vel teſtamento relinqui, vel in commercium cadere et commutari conſuevere.

QUOD

NOT. [1] Libelli hujus titulus eſt, *Diſſertatio de idolo Halienſi Juſti Lipſii, mangonio et phaleris exornato atque producto.* 1605, 4to.

Quod ſequitur, [ed. Pariſſ. pag. ead. ed. Lond. p. 54.] *Quoniam vero ditiones ſingulorum ita permiſtae invicem ſunt, ut crebras de finibus, &c.* in eo duo ſunt quae haud undequaque ſatisfaciunt. Primum enim, cauſa conſtituendorum x Circulorum non fuit, ut controverſiae de finibus aliaeque privatae lites inter principes tollerentur; ſed primum ut eſſet unde ſenatus Imperii, qui tunc ſumma cum auctoritate conſtituebatur, suppleretur; deinde ut paci publicae eo modo conſuleretur; ac tandem etiam leges Imperii Cameraeque ſententiae executioni mandarentur. Deinde, concilia illa Circulorum communia, quae vocat, videtur pro ordinariis judiciis ſive tribunalibus habere, eaque a Camera ita diſtinguere, ut in illis lites inter ipſos principes proceresque mutuae diſceptentur, in hac de cauſis principum adverſus civitates cognoſcatur.

At vero Circulorum concilia juriſdictionem prorſus nullam, ſed deliberationem duntaxat de executionis modo et ordinanda re bellica auxiliiſque manu armata expediendis habent.

Camera autem omnem inter omnes Imperii ſubditos juriſdictionem ſola complexa eſt, ſive illi principaliter ſubſint Imperatori atque Imperio, ſive magiſtratui alicui intermedio ſint obnoxii; habita duntaxat ratione inſtantiarum et privilegiorum quae Ordini aut ſubdito cuique competunt.

Porro adſeſſores hodie Camerae nominari ab his, et hoc ordine, ſolent.

A Caesare v, inque his iii, e comitum aut baronum ordine, praeſides. Ab Electoribus x, Auſtria i, Burgundia i, ſex Circulis xviii, octo Circulis per vices vi, (connumeratis nimirum Auſtria et Burgundia provinciis.) Fiunt in univerſum xli. Quibus omnibus Caeſar praeſidem ſummum primariumque ſub nomine Judicis Cameralis praeficit, ex principibus, comitibus, aut baronibus. Is nunc eſt epiſcopus Spirenſis.

Ad extremum notandum putavi Imperatorem comitia Ordinum non indicere quo loco et tempore ſibi commodum videtur; ſed conſenſum et auctoritatem adhibere ſex Electorum.

Ex tribus quae ſequuntur P. Denaiſii epiſtolis duae quidem priores inſertae fuerunt in praefatione Geo. Mich. Lingelſhemii nomine ſubſignata, hiſt. Thuani ed. Gen. an. 1620 praefixa. Nunc eas ſuae integritati reſtitutas, quippe ex ipſis autographis tranſcriptas, heic apponimus; utramque emendatiorem, alteram vero et auctiorem.

Ex MS. *Ampliſſimo et illuſtri viro Jac. Aug. Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario et ſenatus Pariſienſis praeſidi digniſſimo, Domino ſuo ſumma obſervantia colendo, S.*

Munus tuum, magnifice et ampliſſime praeſes, neſcio improviſiuſne mihi et inexpectatius acciderit, an laetius optatiuſque; ita voto quam ſpei propior res viſa: Illud, quia viro quem merito ſuſpicit et admiratur orbis, vel innotuiſſe amplum mihi et per ſe honorificum duxi: Hoc, quoniam res ipſa talis, qua nihil poſſit eſſe neque difficilius pulchriuſque, neque perfectius et numeris omnibus abſolutius. Hiſtoriam enim miſiſti non ſolum ingenio et induſtria, atque omni neceſſario tantae rei apparatu elaboratam et expolitam, quibus artibus multi ſupra mediocritatem noſtra et parentum memoria excelluere, ſed etiam, quod pauciſſimis atque haud ſcio an praeter te ulli contigit, fide atque candore et incorrupta libertate ſuffultam. Rara conjunctio et huic ſaeculo incognita, ut res geſtas poſteris tradere idem et optime poſſet, et rectiſſime veriſſimeque vellet auderetve. Quae tamen duae res cum olim ſufficerent et utramque paginam implerent, hodie fruſtra ambae forent, niſi acceſſiſſet tertia, quam peraeque nemo, opinor, praeter te praeſtare potuiſſet, certe qui praeſtaret nullus dum extitit. Nam diſtractis per totum Chriſtianum orbem animis, ſciſſiſque de religione ſtudiis, ſi quid prodiit hactenus probum purumque, id continuo ſuſpectum alteri parti et ſolo praejudicio ſpretum damnatumque fuit: Contraque nihil tam foede a vero diſtortum, et ad omnem falſitatem tam deformatum, quod non cum applauſu exceptum, et ſuae factionis laudatores patronoſque nactum ſit. Teſtes Surii, Natales Comites, et ſimiles hiſtoricorum ſimii ſeu dehoneſtamenta, quos in toto tuo tam illuſtri et aeternitate digniſſimo opere, in quo nullius boni et bene de republica vel literis meriti virtuti praedicationem ſuam praeconiumque invidiſti, ne appellatos quidem, ſed tanti cenſoris ſilentio et praeteritione notatos, motoſque tribu ſcriptorum laetus equidem lubenſque adſpexi. At tibi tua majorumque tuorum parentiſque nunquam ſatis laudati clara virtus, vitaeque et morum ſanctitas in maximis rebus publice privatimque ſpectata, eam auctoritatem peperit apud omnes, ut, quamvis

Incedens per ignes
Suppoſitos cineri doloſo,

parem apud utroſque fidem ſimul gratiamque obtinere, et invidos ipſamque invidiam ſecurus ſpernere et calcare poſſes. Nimirum illud eſt, virtute duce, comitem habere fortunam, quam tibi, vir ſumme et incomparabilis, tam gratulor, quam nobis omnibus gaudeo, ad quos ejus rei fructus uberrimus redundat. Pro me autem, quem tam inſigni munere dignatus, quas gratias dignas agam non reperio, niſi hoc unum quod ſupereſt, nimirum ut me totum tibi mancipem obſtrictumque tanto beneficio aeternum agnoſcam. Duo ſunt enim, quorum utrum flagrantiore ſtudio appetam, haud facile diſcreverim: unum ut liceat reliquum tuae hiſtoriae, quod impatientiſſime expectamus ego aliique, videre et frui; alterum, ut ſuppetat unde animum meum gratum re ipſa teſtari queam. Interea Deum optimum maximum ſupplex comprecabor, ut te bono publico natum eidem conſervet, et coepta tua votaque cuncta pronus propitiuſque ſecundet.

Spirae VI Oct. 1604.

T. magnif. et amplit. addictiſſimus,
P. Denaisius.

Ex MS.

Ampliſſimo et illuſtri viro Domino Jac. Auguſto Thuano, S. conſiſtorii conſiliario et ſenatus Pariſienſis praeſidi digniſſimo, Domino ſuo ſumma obſervantia colendo, S.

Literis tuis, ampliſſime Domine, amantiſſimis illis et humaniſſimis, diu eſt cum ſcribere, ſicuti debui, volui: Nec ſemel mihi calamus in manu ſumptus, ſed reverentia quadam et ſplendore nominis tui excuſſus eſt. Vicit tandem pudorem cunctationemque pudor major juſtiorque, ne non ſolum munere memorabili auctus, ſed et literis et amici titulo abs te honeſtatus utroque indigniſſimus viderer, et memet ingratitudinis, ſi ſiluiſſem diutius, damnarem. Eſſe qui in hiſtoriam tuam cenſuram ſive pararent, ſeu minarentur, audieram jam ante; nec tam mirabar, ut ſunt ſaeculi iſtius mores, audaciam, quam ridebam jam tum amentiam inſani cenſoris, qui iſtud potiſſimum opus atque hunc virum opportunum cenſuiſſet, ubi periculum ſive indicium publice faceret ſuae improbitatis et ſtultitiae. Quid enim tandem reprehendet, aut calumniabitur? Jam primum de fide geſtorum ſatis tibi caviſti. Rerum autem peritia qui ſe priorem potioremque credi volet, alium orbem quaerat cui illudat neceſſe eſt; hic fruſtra erit: Et tamen erraſſe alicubi, in tam vario praeſertim ac difficili opere, non eſſet flagitium aut cenſorium crimen. Reſtat ut nimiam in ſcribendo libertatem, id eſt, veritatem ſinceritatemque, culpent. At ipſa, ſi loqui poſſet, Impudentia, alione ſermone uteretur? Aut eſtne quod objici poſſit cuiquam honeſtius et viro probo dignius probrum? Itaque M. Velſerum, nunquam erit ut tam foedae et tam fatuae inceptionis ſuſpectem: Potius e Velſeri (et hoc quoque ipſum indignum) amicis nonnullos, ex eo genere hominum qui non tantum mentiri in gratiam ejus quem adorant unicum, ſed etiam veneno et caedibus graſſari in reges pulchrum beatumque praedicant: Hi ſunt qui religionem obtendunt quam nullam habent; nam qui habent, ſive ii priſcam illam probamque retentam ſive reductam abs ſe credunt, neutris placet veritatem fallaciis defendi et fuco pollui candorem, at illi quidem habent unde ſibi gratulentur, cum te vident aperte ſecum in eodem ſenſu conſpirare: Hi vero etſi Novatorum Sectariorumque paſſim cognomina nec agnoſcant, nec aequis ſane auribus admittant, nemo tamen noſtrum tam proterve injurius eſt, ut, cum in narrando hiſtorici perfecti omnes partes impleveris, in judicando, ex noſtri potius quam tui animi ſententia te loqui poſtulet. Eſt aliunde affatim quod gratias tibi agamus: Ut temporum memoriam et cognitionem rerum mittam, quam acceptam tibi ferimus, quas tu calumniarum nebulas de noſtris hominibus, atque adeo eccleſiis, hiſtoriae tuae luce diſcuſſiſti? Quos viros famae ſuae laudique, unde impoſtorum fraude et famoſis ſcriptis dejecti videbantur, reſtituiſti? Quam de nobis amice ſenſiſti? Nempe religionem habes, non, ut plerique, odii incitamentum et crudelitatis adminiſtram, ſed vinculum charitatis et manſuetudinis magiſtram. Virtutem amas in omnibus, et amare inter ſe mutuum qui hanc amant cupis. Valeant factionum invidioſa nomina: Rem dicam; cum hanc tuam mentem cogito, cum Caroli V imperatoris deficientis extrema verba et firmam fiduciam, te non magis referente quam plaudente, contemplor, ejuſdem charitatis impulſu, nil cetera moror, in hoc veſtigio pedem ſiſto, et haec vera fides, hi fidei fructus exclamo: Hic, inquio, mecum ſentit, et una utrique propoſita ad ſalutem via. Haec quorſum? Ut concludam, quando monumentorum tuorum divinorum adprobatores atque admiratores nactus es, ex utraque parte omnes, quotquot religionem cordi non oſtentui habent, aequum eſſe his te morem gerere, potius quam illis quos nec Dei cura tangit, nec hominum aut honeſti reſpectus continet: Quorum malitioſa perverſitas ut detrahere de ſcriptorum tuorum immortalitate nihil poteſt, ita ſiſtere te in medio curſu tam praeclare merendi de hoc et futuro

I

turo

turo aevo non debet. Hoc abs te boni omnes flagitamus; hoc te ut velis, Deum optimum maximum ut ſalvus et ſuperſtes poſſis, obnixe rogamus. Vale, vir maxime, et benevolentiam, qua me immerentem complexus, mihi conſerva.

Spirae poſtrid. Non. Aug. 1605.

Amplitudini T. addictiſſ.
P. Denaisius.

Ex MS. *Ampliſſimo et illuſtri viro Domino Jac. Aug. Thuano, ſanctioris conſiſtorii regio conſiliario et ſenatus Pariſienſis praeſidi digniſſimo, Domino ſuo ſumma veneratione colendo.*

Ecce alterum abs te, ampliſſime Domine, regalis magnificentiae munus accepi, hiſtoriam tuam ad annum MDLXXII perductam: Quam ego impatienter expetitam, ut primum copia fuit, avidiſſimo animo imbibi, ſed ita, ut tanquam in ſebri majorem ex eo hauſtu ſitim reportarim, ardoremque immenſum videndi cetera, quae inſtructa parataque, ſed non meis annis aut ſaeculo deſtinata eſſe intelligo; et quorum omnem mihi ſpem humaniſſimae alioqui literae tuae in aeternum praeciderunt. Nam qui aliter loquar aut ſentiam, quando et inſtare importunius atque obniti voluntati decretoque tuo, tanta rationum aequitate et prudentia armato, inverecundum ſane improbumque, et, quae vivus non emiſeris, poſthuma expectare nefas peraeque et impium judico? Attamen Deus meliora, quam ut pars illa divini et aeternitate digniſſimi operis, quod tam multis vitam lucemque reddidit, ipſa, velut vipereus partus, lucem non adſpiciat, niſi te parente perempto! Ego vero neque volens quidem imperare mihimet, aut a me impetrare queam, quin quod rogitare ulterius pudet, id optare juvet. Quid ſi et ſperem, et fiduciae aliquantum atque auxilii reponam in interceſſione ſummi illius et tibi amiciſſimi literariae reipublicae tribuni, quam in extrema Theſauri Temporum dedicatione, ceu bonorum doctorumque omnium commune votum, publice nuper concepit et propoſuit? Equidem hoc agam, et interea, cui ego gratiae referendae imparem me ſentio, eam a Deo optimo maximo precibus exorare contendam, cumque ſupplex venerabor, ut et hunc ineuntem novum annum tibi quam auſpicatiſſimum eſſe velit, et plurimorum exinde aliorum perpetuam nullaque interruptam labe felicitatem largiatur.

Spirae poſtr. Kal. Jan. anno 1607.

Tuae amplitudini deditiſſimus,
Petrus Denaisius.

Ex MS. *Ampliſſimo viro, ſapientia, doctrina et rerum uſu excellenti D. Jacobo Aug. Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario ſenatuſque Pariſienſis praeſidi, Domino honorando, S. P.*

Historias noſtri temporis a te conſcriptas, vir ampliſſime, quas Janus Gruterus gener meus mihi commendatas commodarat, primum quidem obiter tantum, ut rerum de quibus in mentem veniebat tractationem inſpicerem, evolvi; poſtea deguſtatione illa adeo illectus fui, ut a principio exorſus ad finem uſque libros XVIII lectione continuata perduxerim. Dictio eſt elegans, pura, ſublimis, ſuccincta, nervoſa: Plurimum vero tibi debebit erudita poſteritas, quod res utiles ignotas, in variis terrarum partibus remotiſſimiſque geſtas, diverſis ſcriptorum monumentis diſperſas, in unum vero codicem collectas, tam docte, ſapienter, ac ſincere ob oculos poſueris.

Verum ut de tabula picta non idem eſt omnium judicium, ita de ſcriptoris opere a multis diverſimode judicatur. Candidi autem pectoris eſt, dicere quod ſentit, viciſſimque mentis ingenuae, ea quae ex candore profecta ſunt, candide accipere.

Occurrerunt inter legendum nonnulla, de quibus nequaquam ſane ſugillandi, ſed monendi ſtudio ſuggerere volui; eaque in chartam hiſce inſertam paginatim annotavi, ut per otium cogitares, ſiquid in poſteriori editione corrigendum videri poſſet. Quum autem te antiquitatis perquam ſtudioſum animadvertam, multum lucis operi acceſſurum putem, ſi ſingulis locorum vetuſtis appellationibus uſitata hoc ſaeculo nomina ubique ſubjungerentur, aut, ſi videretur, terminatione Latina ſaltem mollirentur. Eſt enim multa in oppidorum antiquatis vocibus ambiguitas, quae lectorem remoratur; nec eſt eadem de illis interpretum opinio, quod tabella ſubnexa oſtendit. Et quotuſquiſque eſt, qui, ut ea olim legerit, ſingulorum acceptiones poſt longi temporis intervalla probe meminerit?

Est praeterea continuata ſcriptionis tuae junctura abſque ulla interciſione, etiam ubi nova rerum materies accedit; quod legentis oculos fatigat, nec reſpirare animum permittit. Loquor autem de editione formae majoris, apud viduam Mamerti Patiſſonii facta.

Google

facta. Jucundius itaque videretur, ſi nova tractatio lineae aut verſus initium occuparet. Ita quoque ſingulae dictionis periodi, ſi a majuſculo charactere, id quod alias moris eſt, inchoarent, magis memoriae commodarent. At quod paſſim de gente tua loquens, vocibus primae perſonae *Nos* et *Noſtri* utaris, metuo, praeſertim ſi quid laudabile exiſtat, ut apud adverſarios, aut alios etiam neutri partium addictos, dubiae fidei ſuſpicionem incurrere poſſis: Ideoque tutius putem, pro poſſeſſivo tali pronomine, gentis nomen ſubſtituere. Neque excuſat ſatis Julii Caeſaris, aut aliorum conſuetudo; vel enim illi ſibi ſuiſque potius quam exteris commentarios faciebant; vel ſiquidem alii erant ſcriptores, ipſi quoque rebus gerendis interfuerant.

Obviae ſubinde ſunt etiam voces Germanicae, Anglicae, Belgicae, quae per literam *W* aut *K* ſcribi debent, qualia Waldenburgum, Waldburgus, Wolfgangus, Wernerus, Warmundus, unde Pharamundus rex. Item Valckenburg, Valckenſtein, Valkenberg. Ineptus autem fuero, ſi per Latinitatis affectationem ſcribam, Valdenburg, Valdburg, Volfgang, Vernerus, Varmund; item Valcenburg, Valcenſtein Valcenberg. Corrumpitur nempe eo modo etymologia et ſignificatio. *Walt* enim eſt ſylva, *Valt* autem plica: *Wolf* lupus, *Vol* plenus: *Werner* praemonitor, *Verne* procul: *Warmund* os veridicum, *Varmund* rictus taurinus: *Valkenburg* falconis arx, *Valcenburg* perinde ſonat ac *Valſenburg* aut arx falſa, aut fallax, infida. Certe David Chytraeus diligenter id obſervavit in chronico Saxoniae Latino. Et quamvis *C* pro *K* non incommode ſaepe ſubſtitui poſſe videatur, puta ante *A*, *O*, et *U*, ut *capio*, *commodus*, *cupio*; non tamen ita habet ante *E* et *I*; tunc enim non ut *K*, ſed fere ut *S* ſonat; *cepi* quaſi *ſepi*; *incipio* quaſi *inſipio*, non *inkipio*, nec *inkepi*.

Praeter iſta ſunt nonnulla mihi ignota, de quibus ſive mutos ſive loquentes magiſtros conſulam, edoceri nequivi; qualia *ad crepitaculum gulam frangi*, [*p.* 134 *Ed. Pat. in folio. Ed. Lond. p.* 187, *tom.* I. *lin. penult.*] Item, quis locus ſit *Biterras*, [*p.* 159 *Pat.* 222 *Lond.*] niſi ſcribendum ſit *Bliterras*. Item *(ibid.)* quid *Minervae-Caſtrum?* In Calabria circa Locros juxta Hieracin, quod hodie Grottariam appellant, at illud tuum non reperio. Item, quid *Crepacordium Galliae*, [*p.* 353 *Pat.* 465 *Lond.*] Inveni quidem in Italia *Crepacuore* duo, unum quidem in Calabria, juxta, attamen infra Girazzo, alterum in montanis Apuliae Luceriae vicinum. Verum in Gallia nullum niſi *Crevecoeur* ea voce intelligas; quod ſi ſit, mallem appellationi Gallicae terminationem Latinam adjungi. Non enim omnis lector Gallice novit, ut compoſitiones vocum percipiat. Ejuſdem generis eſt *Rupes regia*, [*p.* 350 *Pat.* 461 *Lond.*] per quam ego quidem te *Rocroi* ſecundum loci ſitum intellexiſſe, et quidem recte reddidiſſe exiſtimo. At non omnes verum etymon norunt, neque ab ullis ita ſcriptum, ſed *Reueroix* ſemper impreſſum vidi; quod fere *crucem rubram* notat; malim itaque *Reuerciam* vocare; lector enim citius ad geographicas tabulas confugiet, quam de etymo rogitabit. Similiter de *Balneis Hannoniae*, niſi oppidum *Fonteines* notes, [*p.* 352 *Pat.* 464 *Lond.*] et ibidem de *Rutio*, niſi Caſtellum *Roeux* putes, non intellexero. Itaque hoc potius *Rocuſium*; illud *Fontes Hannoniae* nominarem, appellatione legenti magis obvia.

Haec ſunt, clariſſime Thuane, quae pro genuina integritate ſubmonere volui, non dubius quin ſimili affectu eadem ſis interpretaturus. Parem ego cenſuram de poematiis meis in adoleſcentia ſcriptis, ſacris, miſcellis, et parentalibus in triceſimum annum praeſens apud Franciſcum Junium theologum affinem meum, apud Paul. Meliſſum, Jo. Poſthium, Lamb. Pithopaeum, Sim. Stenium non ſolum ſubivi, ſed ab iiſdem, ne quid amicitiae tribuerent, ſinceritatem ſum pactus. Addo Proſodiam etiam noſtram, quae intra quintum, ex quo excuſa eſt, annum jam tertio recuſa prodivit; qua ſyllabarum diphthongis aut poſitione carentium quantitates, adductis ubique exemplis, demonſtrantur. Deum precor, ut te foro, juſtitiae, literis, patriae, incolumem et firmum diu conſervare dignetur.

Heidelbergae XXIV Jan. 1605 aerae veteris, aetatis 68.

Tuus omni officio
Henricus Smetius,
Med. profeſſor, quondam Frid. III Elect. et Jo. Caſimiri filii medicus.

Notae in libros XVIII *hiſtoriarum.*

Ed. Pat.	Ed. Lond.	
p. 89.	p. 131.	Lege *Plaſſenburgum* pro *Placenburgum*.
268.	357.	Scribe *Schwinfurtum* pro *Schinfurtum*.
291.	387.	Pro *Sara fluvio*, rectius *Silia*.
292.	389.	*Florangium* pro *Rorangium*.
326.	431.	*Tochaium* legendum forte pro *Pochaium*.
346.	457.	*Henneburgium* pro *Hanneburgium*.

Ed. Par.	Ed. Lond. Tom. I.	
p. 349.	p. 460.	Lege *Rockendorfo* pro *Rocandulſo.*
356.	469.	*delectus* pro *dilectus.*
367.	483.	*Inniofae* pro *Juniofae.*
387.	508.	*illuſtrior* pro *illuſtris.*
398.	521.	*Orbitellum*, aut *portum Herculis* cui adjacet, dele *Plombinum.*
		Caeſarianorum, dele *Gallorum.*
403.	527.	*portum* pro *portam.*
431.	564.	*ſuſcipere* pro *ſuſpicere.*
443.	580.	*ſarcire* pro *ſarcirere.*
455.	595.	Pro *Feroniae lucum*, an non melius *Feroniam* ſimpliciter, quae eſt hodie Caſtellum S. Sylveſtri ad Soractem non procul Roma? ſed Feronia lucus in Tuſcia eſt, hodie *Pietra ſanta*, 5 aut 6 leucis infra Piſas ad mare.
461.	603.	Lege *haec propter* pro *hac propter.*
		factum iri pro *facturum iri.*
463.	604.	*Altzhemii* pro *Azemi.*
		Otto Henricus Ruperti fratris, &c. pro *Otto Ruperti.*
	605.	• *Heidoci* pro *Heidones.*
466.	609.	Lege *Otto Henricus ſucceſſerat* pro *Otto ſucceſſerat.*
		• *Adolfo item Colonienſi*, adde, *ex comitibus Schawenburgenſibus.*
		poſt occaſum pro *ante occaſum:* Nam ſol eo die occidit hora 5 et min. 54.
		in Callaicis forte melius *in Cantabricis.* Laredon eſt portus Biſcaiae, non Galliciae.
483.	631.	• *Underwaldenſi* pro *Undervallenſi.*
492.	643.	*Stoeſſelius.* Novi hominem et audivi diſputantem de coena Domini, menſe Maio, an. 1560. Heidelbergae contra Pet. Boquium publice, praeſentibus Frid. III Elec. Pal. Jo. Frid. Saxone, &c.
493.		• *Wurſatici agri* pro *Urſatici agri.* N. B. Literae Germanicae *W* et *K* non temere rejiciendae ſunt.
499.	652.	*Schawenburgo* pro *Scheualburgo:* Nulli ſunt comites Scheualburgici.
503.	666.	*tumulum* pro *tumultum.*
524.	685.	*Gymneſiam minorem* pro *Gymneſiam majorem.*
533.	697.	*duce Wackenhemo* pro *Vachено*; c'eſtoit le Seigneur de Wackenhem.
534.		• *Mareſii* pro *Marcheſii.*
535.	699.	*ditionis* pro *deditionis.*
544.	709.	• *Wurtzburgenſis* pro *Virſburgenſis.*
552.	719.	*Lettenſe* pro *Leidenſe.*
555.	722.	• *Volckerſamo* pro *Volcerſamo.*
559.	734.	*Baltici maris* pro *Oceani Britannici.*
		• *Eidora* potius *ab Aquilone.*
		Walburgin pro *Valpurgum.*
561.	736.	*Rendeſburgum* ſeu *Renſburgum* (ad differentiam Regenſburgi ad ripam Danubii.)
574.	751.	*Jeſu* pro *Jeſus.*
589.	771.	*initarum* pro *initorum.*
600.	784.	*Mariaburgo et in agro Lucemb.* pro *Mariaburgo in.*
604.	789.	*Hennebergicus* pro *Hannebergenſis.*

Ex MS. *Ampliſſimo viro, ſapientia, rerum uſu, ac doctrina ſingulari exornato, D. Jac. Aug. Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario, ſenatuſque Pariſienſis praeſidi digniſſimo, Domino honorando.*

ABIERUNT menſes octo, Thuane ampliſſime, quum literas ad te darem, quibus hiſtoriarum tuarum lectionem a me ad finem perductam, et quantopere illa me delinierit, teſtatum feci. Interim tamen nonnulla quae non ſatis aſſequi potui, quaedam etiam quae lectori minus fortaſſis ſint placitura, pagellis aliquot minutulo charactere laborioſe ſenili manu peraratis, ingenue indicavi. Tradidi autem illas conſultiſſimo viro Dionyſio Gothofredo, ſuis ad filium ſubjungendas; de cujus fide dubitare neutiquam debeo: Nam et recte ad manus tuas perveniſſe affirmat. Quia vero ternis jam nundinis Francofurtanis et Argentinenſibus nihil a te ad illas reſponſi hactenus vidi, ſuſpicari coepi, vel te can-

dore meo offenſum, vel ſubmonitionem a vetulo medicinae profeſſore profectam ingratam accidiſſe, ac cui reſcribatur indignam; vel negotiorum reipublicae intervenientium cumulo moleque obruto oblivionem mei obrepſiſſe. Quaenam itaque dilationis tam diuturnae cauſa exiſtat, ſcire deſidero. Vale, vir prudentiſſime.

Heidelbergae 25 Septembris 1605.

Tuus omni officio,
HENR. SMETIUS.

Ex MS. *Ampliſſimo, conſultiſſimo viro D. Jac. Aug. Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario, ſenatuſque Pariſienſis praeſidi digniſſimo, Domino honorando S. P. D.*

LITERAS tuas, Thuane ampliſſime, pridie Kal. Sextiles peramice ad me ſcriptas XXIV Septembris legi, relegi. Tradidit inſuper mihi utrumque hiſtoriarum tuarum tomum, primum nempe atque ſecundum, vir clariſſimus Gruterus, gener meus, quo munere ad continuandam operis adaucti novique lectionem me tacite cum gratiarum actione obligatum agnovi.

[1] ADDITAMENTUM itaque primo tomo factum, immo a pag. 501. [*Editionis Drouartianae in folio*] exorſus ad finem uſque, puta libros IX, perlegi. Quibus tomum ſecundum ſubjunxi; horaſque ſubſecivas hyberni temporis impendi, lectionem haud ſine voluptate urgendo, donec ineunte hoc vere abſolverim. Contuli tamen antea editionem ſecundam tomi primi cum priore, et loca circiter XL caſtigata inveni, verum non pauca incorrecta remanſiſſe: Inter quae iſta, *Guandeſtein Schineſurtum, Sara ad Metim, Pochaium, Rocandolſus, ad eam partem quae Duriam ſpectat, infra Dionantum Viperatam flu. ſubjectum habet. Finnani flu. ripam. Julia nova. Pratica Contii Caſtellum. Undervallenſi. Urſatici agri. Claſſis in Neuſtriae littore conſpecta. Leonenſis et Cornuallenſis. Cum rex Marchiſii eſſet. A XV ſicariis confoditur. Nonodomnum. Cracoviacam epiſcopi ſedem. Ditmarſia VII in longitudinem milliaribus ab ortu Eidora flu.* — Et quaedam alia.

OPTASSEM ſane, prout monueram, in renovata impreſſione periodos a charactere majuſculo inchoatas; materias novas per paragraphos diſtinctas; vetuſta locorum nomina per appellationes uſitatas declarata; Belgicas, Germanicas, Vandalicas, Anglicas, Scoticas voces, obſervata inter *V* et *W*, *C* et *K*, differentia, rectius ſcriptas videre. Rationes optati ante biennium aperui. Quid enim noſtra jam refert, ſi Graecus aliquis, Romanus, Latinus, ſi Italus, aut Hiſpanus ſcriptor per vernaculi ſermonis mollitiem, aut in pronunciationis imitatione ineptitudinem peccaverit? An nos cum illo balbutire et ineptire decebit? Haud equidem, vel te judice. Neque probare poſſum receptum in nobilitate tam Belgica quam Gallica morem, quo, proprii quodammodo nominis et familiae pertaeſi, aliam a dominio aut officio publico, quod ſive hereditatis ſeu feudi ſive donationis aut emptionis jure obtinent, appellationem mutuantur. Quo fit ut ſucceſſor in deceſſoris vituperium aut immeritam facti gloriam, auctore obliterato, ſubſtituatur: Id quod tu tamen in quamplurimis et fere ubique prudenter evitaſti, dum propriis alias quoque, a familia, a dominiis, aut functionibus aſſumptas, denominationes ſubjungis.

PESSIME autem me habet, nec leviter iraſcor [2] Duvallio typographo, qui de tuis iſtis nunquam ſatis laudandis laboribus, (de quibus Immanuel Meteranus rerum Belgicarum ſcriptor, affinis meus, in epiſtola Londino ſuperiore aeſtate ad me data tam honorifice ſentit, veracitatis et plenitudinis hiſtoricae laudem tibi ſupra omnes alios attribuit) per negligentiſſimas operas peſſime meritus eſt; dum terſiſſimae tuae dictioni paſſim, ne per ſingulas paginas dicam, ſoloeciſmos craſſiſſimos interſeruit, et interſectiones per commata, cola, periodos imperitiſſime diſtinxit: Sicut notae, quas in IX poſteriores primae partis libros adjectitios jam tranſmitto, fidem facient.

VELIM autem, adeoque neceſſe erit, ut locorum, gentium, fluminum, montium, oppidorum antiquas obſoletas appellationes (quum tantopere controverſae exiſtant, neque editis jam bis voluminibus ſuo quaeque loco interſeri queant) recentibus uſitatiſque nomenclaturis, tuae, tuae inquam, uſurpationi accommodatis, interpretatas peculiari complectaris tabella: Qualem tibi hiſce ſerie [3] alphabetica delineatam interfarcivi, eique aliquot per *W* et *K* ſcribenda vocabula, necnon obſcuriores quaſdam voces phraſeſque adjeci. Alioquin faſtidioſa erit lectori, ut et alias dixi, adeoque inutilis operum tuorum congeſtio. Haud

NOT. [1] Diſtributio XVIII librorum tomi Patiſſoniani in XXVI libros in primo tomo Ed. Drouart. in folio Smetium in errorem induxit. Verum eſt, a pag. 501 ad finem illius tomi Drouartiani IX libros contineri; ſed in Patiſſoniana editione etiam integri leguntur: ut mirum videatur, Smetium id *additamentum* vocare, quod ipſe antea legerat. [2] Qui editionem Drouartianam excudebat, impenſis ſcil. fratrum Drouartorum bibliopolarum. [3] Haec alphabetica nominum interpretatio inter manuſcripta noſtra non invenimus.

Haud enim Julio Caeſari, haud Criſpo Salluſtio, haud Corn. Tacito, ſed poſteritati noſtrae lucubraſti. In geographicis autem tabulis fidem majorem Ger. Mercatori attribuendam cenſeo, ut qui, qua fieri potuit, per longitudinis et latitudinis minutias prae reliquis exactius ſingula aſſignavit, et per longaevitatem LXXXVII annorum nulla alia ſtudia tractans, de aliorum induſtria judicare, eaque prudenter frui, filiorum ſubſidio adjutus potuit.

NOTAS vero per tomum II legendo obſervatas, quae octuplo hiſce plures ſunt, ubi has non diſplicuiſſe intellexero, alias communicabo. Interim tibi, vir magne, firmam longaevamque valetudinem, ad graves iſtos hiſtoriarum, reipublicae literariae commodo, labores exantlandos, a Deo patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, fonte omnis boni, comprecabor.

Heidelberg. XVIII
Martii 1607.

Tuus omni officio,
HENR. SMETIUS.

Notae quaedam ab initio libri XVIII *uſque ad finem libri* XXVI *tomi primi hiſtoriae Thuanae in fol. Pariſiis impreſſae.*

Ed. Drouart. Tom. I.	Ed. Lond. Tom. I.	
p. 510.	p. 624.	Pro *Zanari* lege *Tanari.*
599.	733.	Lege *praemittenda* pro *praetermittenda.*
600.	734.	* *Hollingiſtadium ab Eidora* in mare caput demittente allui dicis; at ſcribe *Hollingſtadium*, quod non ab *Eidora*, ſed a *Trono* ſeu *Trena* dicto fluvio, eoque haud mediocri, alluitur, cujus origo non procul Flenſburgo coepta per VI milliaria a ſeptentrione in auſtrum defluens Oſtevaum, Overſaeam, Wanderopiam, Ballingſtedam, Treinam vicos humectat priuſquam Hollingſtadium attingat: Inde ab ortu in occaſum per tria cum dimidio milliaria curſu flexo, oppidum Swanepedam ac Coldenbutelum allabens, tandem ad S. Annae pagum Eidorae commiſcetur.
655.	801.	Lege *ſparſim* pro *ſparſum.*
659.	805.	*auditurus* pro *audiendus.*
Ibid.	806.	*depoſuerat* pro *depoſuerant.*
662.	809.	*quam* pro *quem.*
668.	816.	*moderatiori* pro *moderatori.*
672.	821.	*at Guiſii* pro *a Guiſii.*
673.		*arthritide* pro *arthridite.*
		obſidione, rectius *defenſione.*
	822.	*Galliam* pro *Galli.*
687.	Tom. II. p. 7.	*exulceravit* pro *exulcerant.*
691.	12.	*avum* pro *aevum.*
692.	13.	*eſſet* pro *eſſe.*
699.	21.	*jacturam* pro *facturam.*
701.	24.	*ſe ad ipſum* pro *ſe ipſum.*
		permultos pro *per multos.*
708.	33.	*poteſtate* pro *poteſtata.*
715.	42.	*principes* pro *principis.*
716.	43.	*cognito* pro *cognitio.*
	44.	*hac* pro *haec.*
717.	45.	*res in incerto eſſent* pro *res incerto eſſent.*
718.	47.	*cuperet* pro *caperet.*
		defuncti pro *defunctis.*
720.	50.	*familia* pro *famila.*
721.	52.	Lege *in urbem venerat* pro *in urbe venerat.*
		evexiſſent pro *eveniſſent.*
726.	58.	*Syrtim* pro *Syrtym.*
734.	68.	*Stephani* pro *Sthephani.*
737.	71.	*Bellaiorum* pro *Belloiarum.*
	72.	*diſpari* pro *diſparſi.*
738.		*Heidelberga* pro *Hidelberga.*
		Barbaro pro *Barboro.*
	73.	*praeterea* pro *praetera.*
739.	74.	*Cattorum* pro *Catorum.*

A Monſieur de Thou, Preſident en Parliament du Roy à Paris.

NON ſtatueram tam cito alteras ad te dare, vir ampliſſime, niſi praeſens commoditas optatiſſima monuiſſet. Scripſi XVIII Martii, et in IX libros tomo hiſtoriarum tuarum primo ſubjunctos notas paucculas per veſtrates ex nundinis Francofurtenſibus perferendas curavi; quas una cum catalogo brevi vocum per *W* et *K* rectius ſcribendarum, priſcorumque nominum quae propria exiſtunt et explanatione recepta indiget, accepiſſe te confido.

NUNC autem obſervationes meas in T. II, et quidem pagellis plurimis comprehenſas, ad te ablego. In quibus inter alia vocabula plurimis locis repetita, qualia virorum, locorum propria per *W* aut *K* enumeranda, item antiquata, ideoque obſcura et incerta, recentioribus ac uſitatis appellationibus declaranda per ſingulas fere paginas (ingrata quidem βαττολογία nec citra legentis, fateor, taedium) repraeſentavi, eo tamen conſilio, ut, quod duabus editionibus eſt neglectum, ſequentibus moleſtia minore ſuo mox loco inveniri, caſtigari, vel interfarciri queat.

AT de indigna et foeda chalcographi negligentiave, an malitia potius, certior reddendus venis, quam in paginarum numeris aſſignandis pluries ducentis commiſit; per quam index operis falſiſſimus, adeoque fere inutilis prorſus evaſit. Quippe a pagina 239 uſque ad 389 denarii defectu fallit: A qua ad 463 uſque denarii numero ſubinde et majore deficit: Inde rurſus uſque ad 470 unitate abundat; ab iſta ad 652 uſque novus error binarii abundantia ſupervenit. Unde liquet quam dubius, quam fallax quaerenti futurus ſit index. Quare oculatior tibi in poſterum corrector quaerendus eſt. Haec autem ad te ut amicum amice ac candide, nequaquam ſugillandi libidine, ſicut Gaſparus ille Scioppius Germanus, ſuae religionis apoſtata, Joſephi Scaligeri epiſtolam de vita Julii patris ad Janum Douſam exaratam examinat; qua impotentius, acerbius, virulentius ſcriptum, nec Archilocus aut Hipponax quiſpiam, nec Naſo in Ibin invectus exacuere potuiſſent. Credo ad maledicendum aere Jeſuitico conductum os hominis, quod nec a te perſtringendo abſtinuit, ac ſi dignitate ac vero majus in hiſtoria tua teſtimonium Julii Scaligeri famae perhibuiſſes.

CETERUM Deum aeternum patrem Domini noſtri J. Chr. ex animo precor, ut tibi, vir magne, vitam longaevam cum mente et corpore vegeto ad continuandos hoſce hiſtoriarum labores impertiri ac conſervare dignetur. Feliciter vale.

Heidelbergae XXIII
Maii 1607.

Tuus omni ſtudio,
HEN. SMETIUS.

Notas Henrici Smetii in XVIII *priores, uti etiam in* IX *(quos vocat) ſequentes hiſtoriarum Thuani libros, integras ſupra exhibuimus; quanquam pleraeque ad errata plane typographica ſpectant, quae in noſtra editione reperiuntur emendata. Hoc ſpecimine fidei noſtrae ſimul et Smetii diligentiae edito, nos lectoris patientiae melius conſulturos arbitramur, ſi, omiſſis levioribus praeli erroribus in noſtra editione emendatis, ex Smetii notis in tomum ſecundum et reliqua Caroli IX, eas tantum quae res aut propria nomina attingunt ſeligamus, et quas auctor noſter aut Puteanus et Rigaltius inſuper habuerunt aſteriſcis, ut in ſuperioribus fecimus, ſignemus.*

H. Smetii notae in tomum ſecundum Drouartianae editionis in folio.

Ed. Drouart. Tom. II.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 1.	p. 76.	* *brumoſo die* pro *nebuloſo*. Sed quo auctore?
3.	78.	*ac ſpecioſo*, dele *ac*.
		* *animadvertantur* paſſive, inſolita locutio.
	79.	* *qui a vobis dicetur*: Haec quatuor verba tranſponantur poſt *mediocrem modum ſequi*.
9.	87.	Pro *puerili ſexu*, ſcribatur *puerulis utriuſque ſexus*.
10.		* Poſt *tandem* addatur *ad Pamalii pagum in Padum defluit*.
		* *in ea Pratum Gelatum*. At *Pratum Gelatum* ſtatuitur prope caput Doriae amnis, in valle Suſana, Mercatori et Caſtaldo.
		* *occurrit in Angrunia valle*: at inter valles Angrunianam et Cluſonium alia vallis Luſerniana ſita eſt: Vide utriuſque tabulas.
14.	92.	*Cometa* XXVIII *apparuit*: addendum vel horas, vel dies, vel hebdomadas.
16.	95.	*Fora* aut *Phthora* herba aconiti videtur ſpecies, miram habens facultatem.

Neque

Ed. Drouart.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 25.	p. 109.	* *Neque petita a reo fatalia* — Quid hoc eſt?
26.	110.	* Pro *non etiam* lege *nec non etiam*.
29.	114.	* Poſt *Guiſius* addatur *Cardinales*.
		* Poſt *Guiſii* addatur *Card.* ne pro Guiſio duce ſumatur.
		* Vacua eſt lacuna — impleatur.
34.	119.	* *Severitate in eo*, videtur melius *in eos*.
	120.	* Pro *in propter* lege *in propria cauſa*.
		* *Paene diſturbaretur*; at ſi de corporis remotione intelligatur, annon rectius *proturbaretur?* ſin de mente, annon melius *perturbaretur?*
35.		* Pro *huc adſunt* ponatur *hic adſunt*.
36.	123.	Pro *Ochoſiae* legatur *Ezekiae*, nam Ochoſias impius fuit.
43.	132.	Lege *Hennebergenſis*.
58.	156.	* *Verum in nobis*, adde *ſui*.
68.	168.	* Pro *ad ſe abducerent*, lege *ad ſe adducerent*.
71.	171.	* Lege *Wolfgango* pro *Volfango*; et ſic ubique.
86.	193.	Pro *inde* lege *ad Mongomerium*.
97.	205.	* Pro *Apſellenſes* lege *Abbencellenzes*, vel *Abbatis-cellani*.
102.	212.	* Lege *moletrinas* per *e* in ſecunda.
104.	216.	* *Patibulo affixus*. Frequens eſt tibi haec phraſis; at crudeliſſimum erat apud Romanos hoc ſupplicii genus; clavis enim vivi ligno affigebantur: Hodie, cum gutture compreſſo praefocati aut ſtrangulati a funiculo pendentes vitam finiant, nec vulturibus affigantur, minus crudele reo, minuſque horrendum ſpectatori mortis genus eſt. Ideoque non recte affixi, ſed appenſi aut ſtrangulati dici debeant.
105.	218.	* *Genabenſium*: Sed quinam hodie iſti? aliis enim eſt *Orleans*, aliis *Gien*.
119.	235.	* *Cuneo incenſo*, videris hic et alibi pro *cuniculo* ponere; ſed quo auctore?
123.	240.	Pro *Ebredunenſi* lege *Ebrodunenſi*.
129.	258.	* Poſt *comitantibus* interſeratur *ille*; aut pro *comitantibus* legatur *comitatus*, participium paſſivum.
		* Pro *pontificiis* ſcribatur *Caeſaris inſignibus*. Indecorum enim pontifici et Caeſari ſimilem eſſe habitum.
130.		* *Saxo ſtrictum praeferens Caeſari gladium.*—At in hac pomposa procerum ſerie addi oportuit, quo ordine alii Imperii principes, puta Duces, Landtgravii, Marchiones, Principes ſimpliciter dicti, quales Anhaltini, Hannebergici, Arauſionici, item comites Imperii inceſſerint: Item equove an pedibus Caeſar novuſque rex, Electores, Duces, Archiepiſcopi, Epiſcopi, reliquique Imperii magnates iter fecerint, eo quod plateae tabulis ligneis conſtratae eſſent coeni cauſa.
		* Poſt *Confluentem* adde, *Moſellae cum Rheno*; ad differentiam alterius ejuſdem nominis inter lacum Acronium et Baſileam ſitae, ubi Arola Rheno infunditur: Et oppiduli nomen rectius *Reenſium* appellatur quam *Rectiſmum*. Hujus oppiduli fit mentio ab Hartmanno Mauro in Coronatione Caroli V.
131.	259.	* *Diadema* regis capiti imponunt: malim *Coronam*; non enim eſt faſcia purpurea, ut antiquis, circumligari ſolita, ſed ex auro ſolido fabricata, qualis Carolo V impoſita.
	260.	* Dele *Zollerani legato*; Papenheimius enim diverſum, puta Mareſchalli hereditarii, officium habet; Saxonici iſte, alter Brandeburgici legatus: Zollerani ſunt cubicularii hereditarii.
132.	261.	* *Ex urbe* — at quanam, *Sigethone* an *Conſtantinopoli?*
133.		Lege *Wormatia*, *Wiſenburgum*, et *Witenſteinium*, per *W*.
	262.	* Pro *Stocolmiam* lege *Stockholmiam*.
134.	263.	* Pro *Finnoniam* lege *Finlandiam*, ſic enim modo ſcripſiſti. Ita quoque affinitas vocis Fioniae, qua Daniae inſula quaedam vocatur, mihi obiter minuſque attente legenti impoſuit.
139.	270.	* *Pluteis tectae machinae*. Quid hic ſunt plutei?

Ed. Drouart.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 140.	p. 271.	* _Varia peſte._ Quum peſtis ſit ſpecies quaedam morbi aut mortis, malim genus aliquod poni, ut _mortis, exitii, perniciei, interitus, cladis, ſtragis._
141.	272.	* _Securi percuſſi._ At in Gallia non eſt ſecuris uſus, ſicuti nec in Belgio nec Germania, ſed gladii, in decollando. Quid noſtra refert, ſi Romanis olim, ſi Bononienſibus adhuc, et Anglis ſit uſitatum?
142.	274.	Poſt _exortus eſſet_, aliquid deeſt.
143.	275.	* _Cadavera furcae affixa._ Vide ſupra notam in _Patibulo affixus._
158.	294.	* Poſt _imperaret_ addatur _qua negata._
161.	299.	Pro _ſubvenitur_ lege _ſubveniret._
171.	310.	* Pro _potente_ legatur _potiente._
173.		Pro _Valdeci_ lege _Waldeci._
196.	342.	* Lege _l'Aigle_ pro _Leſga._
206.	354.	_Exemplo Joae, Joſiae, Davidis, Salomonis, et Hieremiae._ At de Davidis aetate qua fuit unctus in regem non quidem exacte conſtat; veriſimile eſt XX annos attigiſſe, — Vide 1 Reg. XVI 13, XIX 22, et XVII 35. Adde quod, licet a Deo electus, a propheta in regem unctus, nullam tamen vivo Saule regni adminiſtrationem adivit. De Salomonis aetatis anno, quo, vivo adhuc patre, ſed ſeptuagenario et decrepito, in regem unctus, valde incertum eſt, putem tamen XVI aut XVII annum attigiſſe. Ad Hieremiam quod attinet, quare inter reges recenſetur, cum propheta exiſtit? Sed hujus locum ſupplere poſſunt Ozias rex, qui anno aetatis XVI, et Manaſſes, qui XII, reges creati ſunt.
210.	359.	* Pro _aulicorum gratiam_ videbatur _odium_ legendum.
216.	391.	* Pro _Quereno_ lege _Quarenhemio._ Novi enim hominem anno 1569.
		* Pro _Beizeburgum_ lege _Bentzenburgum duobus ſupra Lawenburgum milliaribus tranſmiſſo, per._
217.		* Pro _Manduelius_ lege _Manduwelius_, ac ſi dicas Vir diabolicus; eſt familia honeſta inter Weſtfalos, de qua illic ſaepe audivi.
	392.	_Joſias_, at paulo ante _Joſua_ dictus.
218.	393.	* Pro _Virtſburgus_ lege _Wurtzburgus_, et ſic ubique.
221.	395.	Pro _Bidenbrachius_ lege _Biedenbachius._
		* Pro _Volemarum_ lege _Volckmarium._
222.	396.	* Poſt _obſtinatis_ adde _animis._
		* Poſt _Danis undique_ adde _tam ex ripa quam flumine oppugnatus_; nam aliquot tormenta in Warnovii ripas ex navibus ad faciliorem victoriam traducta, ad me perſcriptum memini.
		* Poſt _miſſo_ interſeratur _inter Pſalmi_ CXXX _de profundis communi nautarum voce, linguaque vernaculari, decantationem._ Ita enim Roſtochio, de illa memorabili in portu Warnoviano commiſſa pugna navali, ad me perſcribebatur.
		* Lege LX _annos_, IV _menſes_, XV _dies vixiſſet._ Nam natus eſt X Martii 1503, denatus XX Julii 1564.
		* Pro VII _annos_ pone VI _annos_, V _menſes, diem unum._ Carolus enim reſignavit XXIV Feb. 1558. Ferdinandus vero obiit XXV Julii 1564. Vide chronologiam Mercatoris, ut mathematici rectiſſimi et diligentiſſimi, quem novi et vidi.
223.	397.	Pro XV _filios_ lege XV _liberos._
225.	400.	* Pro _Suſam_ ſcribe _Saſſam_; ſic Mercator.
251.	437.	* Pro _Polvillerio_ lege _Polwilerio._
252.	438.	Scribe _Wernberus_ pro _Verneberus._
		* _A Gepidis dictum_, adde _vulgo Zipſerlandt vocant._
256.	443.	* _Praetorianorum_, adde _quos Janizaros appellant._
274.	466.	* pro _Leobergae_ lege _Lambergae_, ſic ipſe Langius ſcribebat.
277.	469.	* Pro _Suudenſem_ lege _Sunduiſam._
	470.	* Pro _Thalenſe_ reponatur _Scanicum._
278.		Lege _Weſt-Gothiam_, quod ſonat Gothiam occiduam; _Veſt-Gothia_ ſonat Gothiam munitam.

* _War-_

Ed. Drouart.	Edit. Lond. Tom. II.	
p. 278.	p. 470.	* *Warburgam*, rectius *Wartſberga* ſcribitur et *Hallandiae arcem.* N. B. Dicitur *Wartſberga* quia in monte ſita; non *Warburgum*, quod eſt in Zelandiae Danicae litore meridionali, Falſtriae inſulae adverſo.
280.	472.	* Pro *Palphardum* lege *Plaphardum.*
281.	473.	* Pro *Viterſemio* lege *Witterſhemio.*
		* Pro *Kircovio* lege *Kirchovio.*
283.	476.	* Poſt *Sigiſridum* adde *Saccum*, id enim cognomen erat a familia; Northuſanus vero a patria.
		Pro *Schaunburgio* ſcribe *Schonburgio*; ſic enim Chytraeus. Tu *comitem* dicis, Chytraeus non. Differunt enim multum *Schawnburg* et *Schonberg*; hi enim nobiles ſunt, non comites.
283.	477.	* Pro *Vitembergae* lege *Wittembergae.*
294.	492.	* Pro *Helſenſtanius* lege *Halſenſtenius*; pro *Buchardus* lege *Burchardus*; pro *Lechtenſtanius* lege *Lichtenſtenius.*
306.	507.	* Pro *inculpari* lege *culpari.*
315.	518.	* Pro *Artevella* lege *Artavelda.*
316.		Pro *Caſlanti* lege *Catſanti*, quod ſonat Catthorum arena.
318.	520.	* Poſt *morionis cucullum*, adde *qui vultum cardinalis exprimebat per regeſtionem; quia tres illos primarios proceres moriones prior appellaſſet.*
321.	524.	* Lege *Palantius* (unico *l*) pro *Pallas.*
322.	525.	* Scribe *Hochſtrati*, quaſi altae plateae comes; non *Hocſtrati*, quod uncam plateam ſonat.
	526.	* Scribe *Borgerhautum*, quaſi civium quondam ſylva; non *Borgerhutum*, quod pileum civium ſignat.
323.	526.	* Poſt *princeps*, adde, *qui Burggravii Antwerpienſis titulum gerens, eo plus auctoritatis fideique apud cives quam alii habebat.*
324.	528.	* poſt *Egmondanum*, adde, *nec hos ſolum, ſed et Arauſienſem.*
		* Poſt *exitium*, adde, *Arauſienſi vero ex periculo exilium ſpontaneum.*
		* Scribe *adytumque templi*, pro *aditumque.*
325.	528.	* Pro *adverſarios ſudibus* lege *aſcendentes pedibus.*
	529.	Scribe *pro valvis ſacelli*, nempe intra templum.
		Poſt *omnia*, adde, *majoris illius templi clauſtra reſerata, ſacella effracta:* Deleantur hae voces, *clauſtra etiam majoris templi reſerata ſunt.*
		de praeda certamen. Imo, an quicquam praedae fuerat ſurreptum quod alicujus pretii eſſet, incertum: Querimonias non audivi: Tanta aequitate utebantur, ut ſiquid aureum, argenteum, ſtanneum, aereum, ferreum ſe offerret, id ad aediles, qui cum lucerna in remotiore templi parte menſae cuidam aſſidebant, deferretur: Quod hiſce oculis vidi, profunda nocte cum eleemoſynarum praefectis aliiſque viris honoratis, poſt peractam in primario templo diffractionem ingreſſus. In materiam ligneam, lapideam, idolum aliquod referentem, ſaeviebatur.
		* *dejicere conantur*, adde, *erat catenis ferreis validis ex fornice appenſum, ſicut et amborum latronum ſtatuae.*
		* Pro *Heidonum* lege *Heidanum*, a familia nobili mihi affinitate juncta.
326.	530.	* Poſt *potuiſſent*, adde, *ita tamen ut ex illis duos aut tres admiſerint cenſores teſteſque promiſſae repurgationis.*
		* *Aloſti:* At nequaquam *Aloſti*, ſolo mihi natali; nam magiſtratus in removendis idolis, praevertens motum, ipſe officium fecerat.
327.	532.	* Pro *Dominicum* ſcribe *Cyriacum*, ſic enim nomen habebat et ſcribebat, non *Dominicus*; quamvis aequipolleant.
		Pro *L. Hamelmanum* lege *Hermannum Hamelmannum, theologiae licentiatum.* Novi enim hominem familiariter.
		* Poſt *Bonderius*, adde, *vulgo Vander Baenderije.* Novi hominem.
328.	532.	* *Aloſti.* At non hoc Lalanus, ſed loci magiſtratus fecit: Neque ſuſpendio affecit, ſed in puteum aquarium domus cujuſdam demerſit.

Nota,

Ed. Drouart.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 332.	p. 544.	Nota, quod etiam de nuptiis regiis in Scotia denunciationes publicae tribus Dominicis diebus ante in templo fiant: Id quod in Germania nobiles ſibi probro verterent.
336.	548.	*Hetlandicas inſulas.* At a Mercatore et aliis *Scetlandicae* vocantur.
338.	555.	*voluiſſe cum ipſis*, adde autem illud.
339.	556.	* Scribe *Peterſhemium* abſque *c*.
340.		* Lege *Petro Hackio praetore Middelburgenſi.*
		* Pro *Oſtrevelam* lege *Oſterwelam.*
	557.	Lege *Toloſianos*, quia *Toloſium* vocaſti.
		* *gladium ſtrictum.* At non gladium, ſed ſcloppetum, proditorem appellans, in pectus intentavit; ad cujus minas Arauſienſis placide reſpondit, *Diſplode, ſi lubet, lorica ferrea munitus non ſum,*
		* *monetales aedes*, adde, *foro Howerianano.*
		* cccc *equites*, adde, *et peditum aliquot millia.*
		* *juxta aeſtuarium.* At vero non illic, ſed in lata platea Kipdorpiana, et Nova Longa appellata, juxta D. Jacobi templum; qui Hiſpanorum patronus eſt, et in quibus vicis plerique habitant. Addo, quod *aeſtuarium* dicendo nihil certi dicitur; ſunt enim Antwerpiae aeſtuaria ad quae aeſtus marinus accedit et recedit plurima, nempe portus, ſtationes navium, et foſſae intra urbem cum Scaldi communionem habentes.
		* Pro *Murano* ſcribe *Moerano.*
341.		Pro *Villebrochi* ſcribe *Willebreuchii.* N. B. Ego circa hoc tempus Antwerpia diſceſſi.
342.	559.	* Pro *Herlium* ſcribe *Herlinum.*
	560.	* Pro *Agrippinae* lege *Agrippina.*
343.		* *Egmondanum monaſterium*, adde, *in Hollandia.*
349.	565.	* Pro *Bakerſelam* ſcribe *Backerſelium.*
350.	567.	* Pro *Groneburgia* lege *Croneburgia.*
351.	568.	* Pro *Aſloiam* lege *Anſloiam.*
		* Pro *Aggerſanſenam* lege *Ackerbuſenam.*
352.	569.	Pro *Valdemari* lege *Waldamari.*
	570.	* Poſt *oppidum*, adde, *in ripa Rheni poſitum.*
		* Poſt *in Galliam*, adde, *auctore Friderico Rudelſhuſio.*
354.	572.	Pro *Auguſtano* lege *Auguſto* VIIviro; et pro *Vilelmo*, *Wilhelmo.*
355.	573.	* *Schonrichio*, quaſi pulchra quaerens.
	574.	* Pro *ſubſtractus* lege *ſubtractus.*
357.	575.	* Pro *quae anguſtiſſima* lege *qua anguſtiſſima.*
362.	581.	*Epiſcopi*, adde, *conſilio*, *opera*, aut *interceſſu.*
365.	584.	10 *aureorum*, qu. ſi *millia* non addendum.
377.	602.	* *oppugnationem*, *propugnationem* melius.
385.	611.	*praetoriana* aut adde *cohortes.*
386.	612.	* Lege *dilapſis ſociis deſertum ſe, cinctumque ab hoſte undique ſentiens.*
389.	615.	* Pro *Hotius* ſcribe *Hohenloius.*
414.	635.	* Pro *haec non ſucceſſiſſet* ſcribe *hac non.*
416.	638.	Pro *Hebreſteinii* lege *Eberſtenii.*
417.	639.	Pro *Wedam* lege *Weddam*, et ſic ubique.
		Pro *pago Delfico* lege *Delfsfiliae*,
	640.	* Lege *Heiligerlaeam*, ubique; a ſanctitate, nam *Heilig* ſanctum; non *Hellegerſium* ab *Helle*, quod inferos notat.
418.		*Martinengi*, non *Martineſii.*
		* Pro *Honteino* lege *Haulteinio*, Belgice *Haultein* ſublimis.
419.	641.	* Pro *Studeburgum* lege *Suydbrucum.*
	642.	* Pro *Pentanus* lege *Pentemius.*
		* Pro *Dueus* lege *Dhunius.*
		* Lege *Lamorallus*; dele *Amurathes.*
421.	644.	* *Berquanum oppidum*, nullum eſt tale; an forte *Sberenbergam?*
		* Pro *Bredembergenſi* lege *Sberenbergenſi comite*, qui ſororem Arauſienſis habebat.

* Pro

Ed. Drouart.	Ed. Lond. Tom. II.	
p. 423.	p. 646.	* Pro *Reidemum* lege *Rheidanam*, ubique.
		* *duobus abhinc milliaribus.* At abeſt quatuor aut etiam pluribus.
	647.	* Lege *ad pontem canali, quo ſe Amiſus exonerat, impoſitum.*
424.	648.	Lege *Delfiſiliae*, dele *Delfici.*
		Ulſtengam, nam vulgo *Ulſt* vocatur.
426.	649.	Pro *Lomervallius* lege *Lowervallius* ubique.
	650.	* *et tranſmiſſo Rheno.* At Rhenum tranſmiſerat ante luſtrationem, neque Trevirenſis ditio illic ultra Rhenum porrigitur.
		* Dele *Rutio*, malim *Roeuſio.*
		* Pro *Maleſbergio* lege *Maelbergio.*
431.	656.	* Pro *Holmiae* lege *Stockholmiae.*
		* Pro *Karceſam* lege *Karkuſam.*
475.	709.	* *Sobrinum ſuum.* At Caſimirus non erat ſobrinus Bipontini; non enim ex duabus ſororibus prognati, ſed ex duobus fratribus Ruperti regis filiis; quorum unus Bipontinae ditionis, alter Simmerenſis poſſeſſor, longa ſerie ante CLXXX annos producti, ideoque *agnati* potius dicendi.
476.	710.	Pro *Schonburgii* ſcribe *Schawmburgii.*
488.	725.	* *Manduvelium*, dele *Mandolfum.* Vide ſupra.
500.	741.	* Pro *quae mox* lege *locus mox.*
501.	742.	* Pro *Cadenatum* lege *Cadenacum.*
503.	744.	* Pro *fragor* melius *ſtridor.*
513.	756.	* Pro *Venthauſenam* lege *Wenthauſenam.*
522.	776.	Pro *Greneljum Speellam* lege *Grovelſium Spellam.*
523.	777.	* *tractis*, annon potius *miſſis?* non enim terra trahit vapores.
525.	779.	* Pro *Bergeredorpti* lege *Bergerdorpii.*
526.	781.	* Lege *foras ſpectantem, projectis ſcalis canabeis:* et dele *admotis*; nam hujuſmodi ſcalae non extrinſecus admoveri, ſed ab internis projici ac praeberi potius ſolent.
528.	783.	*ſpecula occiſa*, ſane non intelligo.
570.	835.	* Pro *Catalani* lege *Cataloni.*
589.	Tom. III. p. 9.	* *formidoloſum*; non ita, ſed potius *formidabilem.*
601.	24.	* Lege *peragatur* pro *pergatur.*
614.	41.	* *ſubeunda*, forte melius *ſubvehenda.*
629.	60.	* Lege *fructiferae arbores* pro *frugiferae.*
631.	62.	* Lege *ſumma commiſſa* pro *ſummam commiſſam.*
636.	68.	* Pro *Vardae* ſcribe *Wartae.*
		* *in Saxonia*, ſcribe *in Saxoniae ea parte, qua ducatus Brunſwicenſis Grubenhagius Haſſium verſus tendit.* Errat enim Chytraeus, qui comitatum Plaſſenſem inter Gottingham et Mandam ſtatuit, quum inter Gottingham et Lindeviam IV milliaribus magis in Boream ſitus eſt; fui enim in arce per aliquot dies, et heroem ſeptuagenarium familiariter novi, ad conjugem, quae comitis Lippienſis ſoror erat, aegrotantem anno MDLXVIII Lungovio evocatus. Sunt etiam nobiles a Pleſſen in ducatu Mechelburgenſi; ex quibus Wolratus a Pleſſen, electori noſtro Palatino a conſiliis arcanis.
		* Pro *Tramium Lubecenſium portum* repone *Travemundam.*
		* Scribe *Wolfenbutelum* pro *Volfebutelum.*
637.	70.	* Pro *valle Francolina* ſubſtitue *Francodaliae.*
		* *Wenceſlao Zulegero, theologis.* At Zulegerus non erat profeſſione theologus, ſed legum licentiatus et conſiſtorii eccleſiaſtici ſecundarius praeſes, in ſacris literis bene verſatus, et colloquio cum Anabaptiſtis inſtituto praeſidum trium unus ordinatus. Theologorum autem praeter Dathemium erant alii ſex, ſicut Anabaptiſtarum XVI numero proprium ſcribam habentes.
		Michael Neander; at iſte non *Michael*, ſed *Martinus Neander* nominabatur, adhuc ſuperſtes, quem ante dies paucos hoc de negotio compellavi. Erat autem et illis tertius adjunctus Gaſpar Fanſius. Huic colloquio electorem ipſum Fredericum III ad aliquot dies interfuiſſe ex actis conſtat.
	71.	* Scribe *Wagnerum* pro *Vagnerum.*
653.	93.	* Lege *ſtruendarum* pro *ſtructarum.*

Ex MS. *Ampliſſimo, ſapientiſſimo viro D. Jac. Aug. Thuano, ſacri conſiſtorii conſiliario, ſenatuſque Pariſienſis praeſidi, Domino honorando.*

LITERAS tuas, Thuane ampliſſime, v Kal. Sext. datas clariſſimus juriſconſultus Dom. Gotofredus mihi reddidit: quarum brevitatem, properato viri ad nos reditu, excuſas; diſtincte alioquin et plenius paulo ad meas reſponſurus; quod ipſum feciſſe te peroptarem, ut qua parte et modo operam meam gratiorem tibi fuiſſe et in poſterum eſſe poſſe intelligerem. Nam quum videam in poſteriori editione non obſervari ea de quibus in priore monueram, additiſque locis annotaram; qualia de characteribus *W* et *K*, nec non de antiquarum appellationum per recentiores uſitataſque explicatione, atque propriarum vocum, quae ab Hiſpanis, Italis, Gallis depravatae fuerant, orthographia reſtituenda, dubitavi an in talium obſervatione continuandum foret mihi.

QUOD autem petis, ut ea, quae in ſecunda parte hiſtorici operis tui praeterea animadvertiſſem, quam primum ad te mitterem, id ipſum ſane nuperrime per D. Gotofredum univerſim effeci: Liquet enim (ſi modo recte omnia illa evolviſti) me in poſtrema etiam pagina quiddam notaſſe.

VERUM, an epiſtolam meam XVIII Martii exaratam, una cum notis in IX libros parti primae pro auctario ſubjunctos, per mercatores nundinis vernis miſſam acceperis, adhuc ignoro; nullam enim illius in poſtremis ad me tuis mentionem feciſti.

CETERUM reliqua Car. IX, libris ſenis comprehenſa, partique ſecundae, prout velle videris, ſubnectenda, autumnalibus his nundinis forma octava a te tranſmiſſa accepi; eademque qua potui diligentia perluſtrata, licet haud ita craſſe vitioſa ut priora illa, mendis tamen non paucis conſperſa deprehendi: Quae, quales, quo loco deliteſcant, ſeptenis hiſce, quas vides, pagellis proditas reperies. Feliciter et longum vale, vir eximie.

Heidelb. XXIX Nov. 1607.

Tuus omni officio,
HEN. SMETIUS.

Notae quaedam in hiſtoriae Thuanae libros VI, *reliqua Caroli* IX *enarrantes; forma octava, apud Drouart. Pariſ.* 1608.

Ed. Drouart. Tom. V. 8vo.	Ed. Lond. Tom. III.	
p. 151.	p. 177.	* *Brielam, inſulae Vornenſis primarium oppidum, appellunt.*
		* *ad quam duo Rheni oſtia, Wabalis et Lecca, ſimul cum Moſa conjuncti in mare provolvuntur.*
		* *Moenia*, adde, *ab altera parte ſcandunt.*
152.		* *loco potiuntur*, adde, *et quidem abſque ſanguine.*
	178.	Pro *Delfinſavam* ſcribe *Delfiſhavam*, quaſi *portum Delfenſium.*
153.		Pro *Ladiſlaus* mallem *Lancelotus.*
154.		* *Middelburgum*, et ſic ubique.
		* Lege *Campoveram* pro *Camferam.*
		* Lege *Tergoeſam* pro *Tergoam*, et ſic alibi.
		* *Zuyd-Bevelandiae inſulae*, ad differentiam Nort-Bevelandiae inſulae illi proximae.
159.	180.	*Gouda.*
160.	181.	* *Doeſburgo.* Nam Duiſburgum ſitum eſt multo ſuperius inter Weſeliam et Duſſeldorpium ad Roram fluvium, parvo milliari a Rheni ripa ſiniſtra.
		* *Hattbemio.*
		* *Steinwicam.*
161.		* *Lancelota* pro *Ladiſlao.*
165.	183.	*Worſtio* pro *Voriſto.*
166.		*Comes Brandenburgicus*; at nulli ſunt Comites Brandeburgici, omnes enim ſunt Marchiones.
170.	185.	* Lege *Bruxellis* pro *Bruxellas.*
178.	188.	* Lege *Wiertium* pro *Vertium.*
		* *Dieſto* pro *Diſto*, et ſic alibi.
184.	190.	* *Mexica.*
	191.	* *Tergoeſana* pro *Tergoenſi*, et ſic ubique.
	193.	* *Campoverenſes* pro *Canferenſes.*
191.		* Pro *Bergae* lege *Bergenſis comes*; quippe Bergae mille ſunt.
192.		

* *Doeſburgum,*

Ed. Drouart. Tom. V 8vo.	Ed. Lond. Tom. III.	
p. 193.	p. 193.	* *Doeſburgum*, in comitatu Zutfanienſi, ad confluentem Iſalae veteris cum foſſa Druſiana, quae comitatui Sherenbergenſi contermina ſunt. Duiſburgum ad Roram, Doeſburgum ad Iſalam poſitum.
		Lege *Elburgum* pro *Elbericum*.
	194.	*Nederwormterii* pro *Nedervormeteri*.
		* *Schauwmburgenſis* pro *Sconuenburgenſis*.
		Franikera pro *Frunika*.
194.		* *Snekae* pro *Snecae*.
		* Poſt *imponuntur*, ſcribe, *et primo quidem adverſo, mox vero ſecundo flumine per alterum Rheni*, &c.
195.		* *Doeſburgum* pro *Duiſburgum*.
		Lege *Swollae*, *Haſſeltae*, *Steinwickae*, *et Harderwickae*, pro *Suuolae*, *Huſſeltae*, *Stenuicae*, *et Hardeuici*.
197.	195.	*Amersfortii* pro *Amſterfortii*.
		Schagius pro *Scaccus*, vulgo *van Schagen*.
		* *Wicboldus Riperda* pro *Vibutius*.
		Stuverus pro *Stenerus*.
198.		* Pro *Lugduni Batavorum* lege *Delfis*.
		* Lege*Delfos* pro *Lugdunum*.
		* Poſt *affixus eſt* adde *Schagius autem in carcere obiit*.
		* Scribe *Mullerus* pro *Mulerus*, et *Pruſius* pro *Prutius*.
199.	196.	* *ferratarum* pro *ferrearum*.
201.		*Naerdenae* vel *Naerdae* pro *Nardemi*.
202.	197.	*Steinbachius* pro *Steinbacchus*.
230.	208.	* *Tſchudus* pro *Tſcheudus*.
243.	215.	* Pro *Nardemenſem* lege *Dromerenſem*, ſeſquimilliari infra Naerdam Amſterodamum verſus.
244.		* Lege *devoluta* pro *tranſmiſſa*.
247.	216.	* *multis* pro *duabus*.
250.	217.	* *appoſitum* pro *circumpoſitum*. Non enim canalis circuit, ſed canalis quidem influit.
255.	219.	* Pro *circulo* malim *globo ligneo per medium ſecto*; et pro *confixa*, *infixa*.
263.	222.	Lege *Walachrenſi* pro *Valacrenenſi*.
264.		* Lege *Rummerſwallium* pro *Romaſvallium*.
265.	223.	* *Poicto* pro *Poeto*.
266.		* Pro *Amerledus*, ſcribe *Mierleius*, vel ſi malis *Amerleius*, vulgo *van Mierleo*.
273.	226.	* Lege *lacum Harleminum* pro *Mabartemum*.
		* *per aggeres mari oppoſitos*. At nulli ſunt aggeres; ſolummodo ſunt colles arenoſi, neque illi conjuncti, natura oceano furenti oppoſiti, quos *Dunen* vocant.
		* Lege *Graveſanda* pro *Graviſſenda*.
281.	229.	* *Wernerum* pro *Vernerum*.
		* *ſacroſanctum Henrici*, adde, *regis*, ne de Henrico Brunſwicenſi intelligatur.
283.	230.	* Lege *Dreſdenam* pro *Dreſenam*, et ſic ubique.
357.	263.	* Lege *perductae viderentur* pro *perducta videretur*.
382.	272.	* Lege *de loco autem variatum ſententiis*, pro *de loco et variatum*.
386.	274.	* Dele *vitricum*, et pone *ſocerum*, Galli reſpectu.
389.	275.	* Lege *gentis Gallorum intererat*; dele *noſtra*, quod videtur ſuſpectum.
395.	277.	* *res noſtras*, rurſum.
397.		* Lege *Roſenbergius* pro *Rozenbergus*.
401.	279.	*Wladiſlavienſi* pro *Vulodiſlavienſi*.
402.	280.	*Erfordiam* pro *Herfordiam*.
413.	283.	* Pro *Zeuenarae* lege *Zevenariae*, et adde, *ad ripam Rheni verſus foſſam Druſianam divertentis*.
430.	291.	* Pro *ab Alberto et Ulrico* lege *ab Ulrico et Johanne Alberto*.
447.	298.	* *ſtatimque*, adde, *Caſimiro filio et Ludovico Naſſavio praeſentibus*.
448.	299.	* Poſt *honoraverunt*, adde, *in cujus tamen magnae urbis ingreſſu, loco fauſtae*

Ed. Drouart. Tom. V. 8vo.	Ed. Lond. Tom. III.	
		ſauſtae acclamationis ex turba a profugis Gallis audire coactus eſt, Voici le grand Boureau de Paris.
p. 448.	p. 299.	* *trajecto Viſurgi ad Iſenacum:* deleatur *Viſurgi*, et pro eo ſubſtituatur, *trajectis ad Iſenacum duobus, Herſela atque Niſa, fluviolis, qui illic confluentes, uno deinde infra oppidum milliari, Werrae flumini ſe immiſcent, quod poſt novem aut decem milliaria ad Mundenam urbem Fulda fluvio accepto Viſurgis nomen induit.*
452.	300.	* Pro *omni generis* lege *omnis generis.*
471.	307.	* Lege *oppidanarum ſtationum* pro *oppidanorum.*

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Andreas Schottus.*

PAX Chriſti, &c. Bibliothecam Hibericam, ampliſſime praeſes, in manus tuas ut perveniſſe gaudeo, ſic doleo non paruiſſe typographum Marneum, cui per epiſtolam id negotii dederam ut illam epiſtolae partem ad Marianam noſtrum reſecaret, ne quod diſſidium ex hac παῤῥησίᾳ inter nos oriretur. Verum neglexiſſe video, ut eſt in erciſcunda cum Jo. Aubrii ſocii heredibus familia occupatus, adhuc aetatis vitio ſeu memoriae praetermiſſum. Erit itaque humanitatis tuae, vir magne, bonam in partem interpretari, neque ſiniſtra accipere quod dextra a me porrigitur. Admonere enim, ſi pateris aequo animo, amice voluimus, preſſo idcirco nomine, non laedere; τὸ γὰρ ἄλλως λοιδορῆσαι ἢ συμπαῖσαι ἀρχῆς εἶναι, ſemper animum induxi meum. Jam tum cum meus eſſem, nec deeſſent qui me peterent, nullum tamen veſtigium vindictae aut maledicentiae in meis, etſi modicis nulliuſque pretii ſcriptis, reliqui; nedum ex quo ſocietati miles adſcriptus ſum, fas eſſe unquam duxi tantae auctoritatis ac doctrinae virum, a quo injuriam nullam accepiſſem, vel dicto laceſſere. Dabit pro his fortaſſe noſter ille conatus (volui quidem certe) ſilvam tibi materiamque Hiſpanicos ſcriptores ſaepius laudandi. Hoc enim potiſſimum ſpectabam cur partum illum excidere mihi ſim paſſus, quo prodeſſem quamplurimis, obeſſem vero mortalium nemini: parcius contra laudandos cenſent pii partium ſtudioſos, ac depravatarum opinionum auctores, ut, quod opto, annalium tuorum egregius labor non anguſtis unius regni finibus, ſed in utraque Heſperia legi tuto queat. Vides haec tempora et rerum, alternante fortuna, viciſſitudinem; valde ut poſterorum de nobis judicia formidanda cenſeam, cum quid eveniet humanitus, et erit a morte ſenſus: Sic tibi quae opto eveniant, ut nihil imprudentibus excidat cujus merito pudeat pigeatque. Per ego te hanc dextram rogo obteſtorque, ne de hac παῤῥησίᾳ, quam et annales tui praeſerunt, amare nos ſocioſque non deſinas. Narro tibi exiiſſe Antuerpiae opera noſtra, typis Plantinianis, Pſalmoram Parodian heroico carmine; Jo. Bochii notas item eruditas et hiſtoricas; quandoquidem te capi poetica Jobi poema loquitur. Vale in Domino, meque amare perge. Tornaci Nerviorum, ubi et Dionyſius Valerius canonicus, quem identidem viſo, ſalutem adſcribi voluit, ac de te ſentit perhonorifice.

III Nonas Martias
1609.

Servus in Chriſto,
ANDREAS SCHOTTUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Andreas Schottus.*

QUAM me uberes literae tuae delectarint, ampliſſime praeſes Thuane, vel illud ſatis arguit, quod ut identidem ſumma cum voluptate legi, ſic et invitus, ut juſſeras, depoſui. Tum illud accidit ἀπροσδόκητον mihi homuncioni ea abs te tribui, quae in me agnoſcere nec poſſim, nec debeam. Sed quia caecus Amor fingitur, quid mirum ſi nos hic ludit amabilis error? Amemus itaque inter nos, qui ſtudia tractamus; et qua poſſumus re conſilioque juvemus; ſoliciti interim quale de nobis futurum ſit poſterorum judicium, quoniam eſt apud poſteros ſenſus. Certe quod poſtulas jubeſque, amoris gratia equidem non detrecto, ſtudiis partem aliquam decerpere, tibi ut morem geram in tuis legendis paulo quam antea accuratius. Non tamen hoc mihi ſumo, nec poſſum, cenſorem ut agam, eorum praeſertim quae in republica narrantur geſta; diſerte illa quidem, ſed nimis laudatis partium fidei ſtudioſis: Quare de literatis doctiſque hominibus (quorum exitus ſingulis fere annis ac libris recenſentur, ut a Strabone in urbibus philoſophi ac poetae laudantur) legam ſane perlibenter, animique ſenſum candide aperiam; quandoquidem in his elogiis ad poſteros tranſmittendis noſtrum utriuſque conſentit aſtrum. In his recenſendis candide agam et amice. Si pateris tantundem, abs te etiam, ſi vacat, in meis nugis, quas eſſe aliquid exiſtimas, exigam, et, niſi moleſtum eſt, efflagitabo. Certe hoc tibi

iterum jurejurando confirmare poſſum, tua unius gratia excidere mihi paſſum bibliothe-culam illam, ne deeſſet in tuis illis doctis annalibus de Hiberis ſermo, ut a peregrino homine et oculato teſte profectus; qua de re queſtum non ſemel in Annalibus meminiſſem Caeſarem cardinalem Baronium: nam per epiſtolam omnia illa ad te allegare non poteram quae ſcripſeram ſimul Hiſpanias attigi, errorem ut eriperem, qua poſſem, qui Pyreneae accolas omnes ut barbaros faſtidirent, quod et libri raro aut nunquam ad nos pervenirent. Seponam igitur quae legendo obſervavero, vel de eorum quos petis natalibus ac mortuariis ab amicis cognovero; mittamque ad te, res ut tota arbitrii tui ſit; nihil aliud hic ſpectans, ſic Deus me bene juvet, quam ut ſcripta tua, quod maxime exopto, perennare queant, et, quod ille ait,

Caneſcant ſaeclis innumerabilibus.

Cetera, quia civilem ſcribis, non eccleſiaſticam hiſtoriam, aliis dijudicanda relinquo; nec tantum mihi arrogo, ut ingenioſus hic videri velim, ratus, quod res eſt, nihil eſſe hoc quidem ſaeculo difficilius, quam in hiſtoria ſic ſtylum temperare, neutram ut in partem offendas, in tanta depravatarum opinionum, quae in Europam eruperunt, colluvione. Allaborandum itaque ut odio atque amore vacuus ἐυγεγραφὼς rem, ut geſta eſt, ex fide narret, temperet ab encomiis eorum qui Romanam oppugnavere ad hanc diem eccleſiam, ne, quo venuſtius dixerit, eo longius ſerpat malum. Vix credas quantum Sleidanus differtis hiſtoriae armis Catholicos violavit, prae Germanicis legionibus et ſignis, quae factionum duces circumtulerunt; ut et Lutetiae veſtrae Pontanus theologus hanc ſibi provinciam Dei zelo ſumpſerit; ut et in Ubiis Surius Lubecenſis Carthuſianus, quis credat? quo calumniis in Caeſarem Auguſtum pioſque jactis reſponderent; quod te omnium minime fugit, ſi te explorare libet, et aequa rem lance aeſtimabis. Quis igitur Catholicus laudari illum aequo animo patiatur et tantum non in coelum ferri, qui mendaciis atque calumniis, ſpecioſe quidem dictis, confictis tamen, orbem impleverit? Quamobrem per ego hanc te dextram rogo obteſtorque, ut ex animo te tuaque amabo, ſocios, ut facis, adjuves libenterque audias, quod facere te certo ſcio; ſic de meis tibi annis Deus adjiciat; et cum a publicis negotiis integrum erit, perſcribe interdum ad nos Antuerpiam, quo proficiſcor e Nerviis, in eaque opera utendum exiſtima, ſi forte quantum volo tua cauſa poſſum, ubi et annalium tuorum major copia ſuppetet. Vale in Domino.

Tornaci Idib. Aug. 1609.

Servus in Chriſto,
AND. SCHOTTUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

PLURIMUM tibi multis nominibus debet Gallia, vir ampliſſime; ſed hoc potiſſimum nomine, quod hiſtoriam ſcribere dignatus es. Ita enim non tantum mendacia jugulaſti, quibus ſtudio partium opprimebatur veritas; ſed etiam ſcripturis exemplum praebuiſti, quod probabunt omnes probi, aſſequentur pauci. Non eſt quod quiſquam ſuſpicetur, ne quid gratiae vel odio dederim, quorum cauſas procul habeo; ſed et odio dignum cenſeo, quiſquis ita agit, ac ſi mendacio noſtro indigeat Deus. Abſit a probis haec lolligo. Quod in rebus humanis illiberale eſt, in Dei negotio non poteſt non turpiſſimum et ſacrilegum eſſe. Si nihil aliud, hoc certe profiteri poſſum, bona fide me agere, et porro, ſi quid ultra tentem, acturum eſſe. Ne deſidiae quidem crimen patienter tulerim. Quam feliciter operam navaverim, aliorum eſto judicium. Sententiam incorruptius nemo, nemo peritius tulerit, quam tu, vir illuſtris; quem literarum columen, hiſtoriae principem merito dixerim. Vel hoc nomine qualecunque ſcriptum meum amplitudini tuae offerre et caſtigatiſſimo judicio tuo ſubmittere debui, tibi quidem ignotus, ſed nihilominus dignitatis tuae longe ſtudioſiſſimus. Sed et, ni fallor, vivunt adhuc hodie in memoria tua tum paternus avus, regis in curia Pariſienſi patronus, tum maternus, Nicolaus Valla; cujus etiam meminit hiſtoria tua in Mercurialibus diebus. Ut ut ſit, hoc meae erga te obſervantiae τεκμήριον pro tua humanitate grato animo ut excipias etiam atque etiam rogo. Deus te, vir praeſtantiſſime, diu ſervet incolumem regni tranquillitati ac totius reipublicae literariae bono.

Sedani, Idibus Julii 1613.

JACOBUS CAPELLUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

Quod munuſculum noſtrum, vir ampliſſime, amanter et honorifice excipis, in eo agnoſco non meritum meum, ſed humanitatem tuam. De Scaligero quod mones, cum debita tum tibi, tum illi, veneratione accipio. Hiſtoriae meae prodromum emiſeram A. D. MDCV, et de Epochis illuſtribus inſcripſeram. In ejus libelli praefatione Scaligerum pro ingenii mei tenuitate celebraveram. Libellum ad ipſum miſeram: Ille amice reſpondit, et ἀντίδωρα loco ſuum in Pareum Elenchum miſit. Ego, gratiis actis, diſſimulare non potui mihi dolere quod in noſtrae profeſſionis hominem tam aculeatis verbis uſus eſſet. Viciſſim Pareum monui, ut a ſuo de detrahendis Perſico regno viginti circiter Olympiad. conſilio abſtineret. Ita utrinque. Poſtea deprehendi me in Euſebii praefatione, inclyto tuo nomini inſcripta, pag. 10, et 11, acerbe laceratum, quod cum patrum pleriſque ſcripſiſſem Chriſtum Martii XXV reſurrexiſſe. Ἀντιλοιδορεῖσθαι nec debui, nec volui. Laudes rependere, crudo adhuc vulnere, neceſſe non erat; in quo tamen Parei potius quam mei rationem habui. Poſthac, ſi Deus dederit, opportuniore loco dicam de magno illo heroe quid ſentiam. Sed exorientem video procellam Muſis inimicam. Avertat hanc Deus optimus maximus, et cum in ea re, tum in reliquis negotiis, ſanctiſſimis tuis conſiliis benedicat. Bene vale, vir praeſtantiſſime, et excuſatum me habeto, ſi literis tuis hoc demum menſe acceptis paulo ſerius reſpondeo.

Sedani IX Kal. Mart. JACOBUS CAPELLUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

Illustrissime ac praecellentiſſime Domine. Per univerſam prope Europam oculos circumferenti mihi, omneſque viros dignitate et virtute praeſtantes, qui id aetatis vigent ac florent et quorum nomen omnibus fere in ore eſt, percenſenti, tu unus prae ceteris occurriſti, quem ego ſummopere mihi diligendum, ſuſpiciendum, et colendum putarem. Tot enim ac tantas dotes et ornamenta divina benignitas in te congeſſit, ut, quemadmodum ubi coena dubia apponitur, quid potiſſimum ſumas ignoras, ita quid in te eminet, quid ſit praeſtantius, difficile admodum facias ad judicandum. Nam, ut alia omittam, quanti illud eſt, quod maximarum rerum adminiſtrationem cum aſſidua literarum omniumque bonarum artium tractatione conjunxiſti? Itaque qui ſciunt quantum legeris, ſcripſeris, monumentis mandaveris, vix fieri potuiſſe exiſtimant, ut rempublicam unquam attigeris et negotiis gerendis eruditam illam manum admoveris. Contra, qui aut ipſi videre, aut ab aliis accepere, quae quantaque domi militiaeque geſſeris, quantum pro regibus Chriſtianiſſimis, pro regni illius vel conſervatione vel amplificatione laboraris, vix adduci poſſunt ut credant, tantum otii tibi fuiſſe, ut in his literarum ſtudiis operae quicquam potueris collocare. Quid, quod tanta eſt in te comitas, morumque ſuavitas, ut qui te ſemel adeunt et alloquuntur, horum neminem non tui amantiſſimum tibique obſtrictum dimittas? Quid mirum igitur, ſi et ipſe, quanquam tanto terrarum intervallo a te disjunctus, nec de nomine quidem, nedum de facie notus, mira quadam ac prope incredibili benevolentia et obſervantia in te eſſe coepi? Ego vero pluris me nunc ipſe facio, poſtquam adeo tui ſtudioſus eſſe coepi: videor enim mihi ſat bonus aeſtimator virtutum tuarum fuiſſe. Sed vide, quaeſo, quo me illud ſtudium provexerit; paſſus ſum mihi ab eo neſcio quid verſiculorum extorqueri: quibus ſcriptorum tuorum praeſtantiam, non celebrandam illam quidem (quis enim id ſe facere poſſe confidat?) ſed admirandam tantum atque adumbrandam ſuſcepi, quos etiam verſiculos una cum quibuſdam aliis lucubratiunculis meis imprimendos curavi. Porro animadverti eos ſereniſſimo principi huic et ſenatui univerſo pergratos fuiſſe. Quod idcirco arbitror contigiſſe, quia tuum ipſius nomen praeferrent, quem tota haec civitas mire diligit, ſuaeque incolumitatis [illegible] amplitudinis cupidiſſimum eſſe intelligit. Accipe igitur, vir ampliſſime, libenti animo libellum hunc ipſum meum, quem tibi dono mitto, meque pro tua eximia humanitate in album tuorum refer. Cujus rei pignus ſane magnum et certum dabis, cum aliquid tua ut cauſa faciam jubebis.

Venetiis Non. April. 1614.

T. A. addictiſſ.
OCTAVIUS MENINIUS.

Scriptorum illuſtriſſimi Thuani immortalitas.

NON ſi Typhoei aut Enceladi manu
Conſtructa moles ſurgat ahenea;
Excelſa non ſi montis inſtar
Arx ſolido ex adamante conſtet;

Vivax ſuperſit ſemper, et omnia
Durando vincat ſaecula; ſed ſitu
Evicta paulatim fatiſcet,
Inde ruat labefacta prorſum.

Teſtis coloſſus, clara Rhodos, tuus,
Strataeque vaſto pyramides ſolo;
Teſtes tot urbes, urbium nunc
Plena cadaveribus ſepulchra.

Teſtis meae tu, heu! patriae caput,
Tot foeta quondam civibus, artibus,
Armiſque, nunc tantum ruinis
Et tumulis, Aquileia, nota.

Abſumit aetas omnia ſcilicet,
Deletque res et nomina, nec patrum
Collapſa jam ſeri nepotes
Aſpiciunt opera et labores.

Illa, illa tantum libera caſibus,
Nullique fato temporis aut fugae
Subjecta vivunt, eruditae
Quae fabricant monumenta dextrae.

Ter o beati, qui ſibi conſulunt,
Aeternitatem nominis et parant
Doctas per artes, nunc legendo
Quae veterum vigilata cura,

Nunc lucubrando poſtera quae legens
Miretur aetas; tuque potiſſimum,
Thuane, felix ter quaterque,
Cujus opus numero carentes

Vivet per annos: Unice Galliae
Florentis, o flos, raraque gloria,
Thuane, Muſis invidenda
Auſoniis Latioque coelo.

Tu namque motus, inclyte, publicos
Praeſentis aevi, bellaque triſtia,
Cauſaſque bellorum, modoſque,
Hiſtoria celebras diſerta.

Et nunc triumphos nobilium ducum,
Nunc magna narras funera principum,
Fractaſque regnorum columnas,
Et penitus quatefacta ſceptra.

Aeris ſtrepentis jam videor ſonum
Audire; ſtricti jam gladii micant;
Jam pallor, horror, morſque ſaeva
Per medias equitat catervas.

Jam

Jam jam tremendam fulminis in modum
Henricus haſtam torquet, et agmina
Proſternit; hoſti lenis idem
Poſtmodo dat veniam jacenti:

Victorque curru quadrijugo inſidens
Intra ſuorum moenia civium,
Dum cuncta plaudentum reſultant
Vocibus et fremitu ſecundo;

Tandemque et enſis et clypei immemor,
Solaque nixus cuſpide gloriae,
Dat jura laetantes per urbes,
Per populos, placidaque gaudet

Quiete, felix conjuge, liberis,
Et ſpe nepotum; grataque ad otia,
Artes amicas pacis almae,
Et profugas revocat Camoenas.

O mi liceret, talia quae notis,
Thuane, mandat, tangere dexteram,
Et oſculari; quod licebit,
Illius eximios labores

Certe oſculabor, ſedulus et ſinu
Laeto fovebo, luminis iſtius
Uſuram et aurae dum ſupremo
Eripiat mihi veſper ortu.

At tu Deorum muneribus potens
Attolle cornu, Sequana, laetior,
Manuque plena tanto alumno
Lilia candidiora porrige.

Jam diſcet illum, qui radiis calet
Surgentis Indo ſolis ab aequore,
Arctous illum diſcet orbis,
Diſcet et Heſperium cubile.

Octavius Meninius.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano Jo. Roſinus.*

Nobilissime atque ampliſſime Domine praeſes, ſalve. Si ad eum ſcriberem, de cujus pio ac liberali animo erga literarum ſtudia et literatos, inter quos tamen me vel plane nullum vel ultimum ſaltem locum habere libenter agnoſco, non ſatis conſtaret, operoſe mihi laborandum eſſet ut ejus mihi benevolentiam conciliarem. Sed jam de iſto tuo, Jacobe Auguſte Thuane, praeſes ampliſſime, animo, tot exſtant certiſſima argumenta publica et privata, ut nullus dubitationi ſit relictus locus. Itaque ſuperſedendum iſto labore, ab omni verborum ambitu abſtinendum, et recta procedendum eſſe ad id quod me ad ſcribendum impulit, ſum arbitratus. Fuiſſe mihi aliquot annos notitiam et literarum commercium cum nobiliſſimo et clariſſimo Domino Jacobo Bongarſio, ὃς νῦν ἐν ἁγίοις, tibi, Auguſte Thuane, ignotum fortaſſis non eſt. Is cum ex me cognoſceret novam me moliri et adornare editionem Romanarum Antiquitatum, multis partibus auctiorem ea quam ante annos triginta primum emiſi, et expetere ad eam editionem regium privilegium, facile ſe exorari paſſus eſt, ut ab Henrico IV vere magno, Galliae et Navarrae rege, cujus memoria ſit in benedictione, hujuſmodi privilegium mihi impetraret, idque ad decennium, addita hac conditione, vim ac valorem id privilegium habiturum, ſive ego in, ſive extra regnum Galliae Antiquitates excudendas curarem. Factum hoc XXI die Martii, anno ſalutis MDCII. Interea multa acciderunt, quae editionem iſtam novam praeter opinionem meam ſunt remorata. Cumque videret idem Bongarſius, rege Henrico IV nefarie, proh dolor! interempto, et ſceptro ad ſucceſſorem filium Ludovi-

cum

cum XIII, cui Deus optimus maximus faveat, delato, nunc mihi opus eſſe novo privilegio, quo vetus illud confirmaretur, ultro in ſe recepit et iſtud mihi curaturum. Quod cum avide expectarem, nuncius affertur de immaturo et mihi boniſque omnibus luctuoſo ejus obitu, qui quantum me perculerit dici non poteſt. Et videbatur mihi omnis ſpes impetrandi novi regii privilegii erepta, niſi fiduciam cepiſſem fore, ut, quod Bongarſius morte praeventus effectui dare non potuit, a te praeſtaretur. Et hac fiducia erectus non dubitavi ad te ſcribere. Oro igitur te, Jacobe Auguſte Thuane, praeſes ampliſſime, qua poſſum animi ſubjectione, ut hanc meam interpellationem, intempeſtivam forte et incomptam, ne aegre feras; meis precibus locum des, et, prò tua qua polles auctoritate, facias privilegium novum mihi impertiri. Des hoc meae cum Bongarſio conſuetudini et amicitiae, quem ſcio te ſemper in oculis tuliſſe; cujuſque opera et beneficio factum, ut ipſe quoque te noſſe, colere, ac venerari coeperim; cujus is mecum communicaret nunquam ſatis laudatos tuos ampliſſimi operis hiſtorici libros, quamprimum iſti evulgarentur, quos ſine admiratione, et paene dicam ſtupore, nec videre nec legere potui. Poſtremis meis ad ipſum literis petebam mihi ſignificari, quando reliqui iſtius tui ampliſſimi et admirandi operis libri (nam centum viginti octo libros modo confectos eſſe, et ex ipſo Bongarſio, et ex quadam Iſaaci Caſauboni epiſtola didiceram) eſſent prodituri. Sed reſponſum nec accepi, nec accipere ab eo poſſum, et ex quo nunc talia cognoſcere queam plane non video. Sed quid haec ad iſta de quibus ſcribere coeperam? Eo igitur me refero, a teque, Thuane, praeſes ampliſſime, majorem in modum peto, ſi judicaveris me priori Antiquitatum editione operae aliquod pretium feciſſe, et nova atque recognita editione eſſe facturum, ut in reipublicae literariae, quam et ego, quantum per tenuitatem facere poſſum, juvare cupio, gratiam facias, ut vota mea preceſque et exaudiantur et expleantur. Quacunque in re ſtudio obſequiiſque tibi viciſſim gratum facere potero, non patiar in me quicquam deſiderari: Deumque optimum maximum venerabor, ut haec aliaquè in rempublicam Chriſtianam merita tibi abunde reponat, teque quam diutiſſime florentem ac valentem ſervet, cui me humiliter commendo. Scripſi Naumburgi ad Salam fluvium a. d. VII Id. Februarii, anno ab incarnatione Chriſti Salvatoris noſtri MDCXIII.

AMPLITUDINI tuae devotus, et ad omnia obſequia promptus,

JOANNES ROSINUS,
Iſenacenſis Thuringus eccleſiaſtes in templo
cathedrali apud Naumburgenſes.

ADJECI chartam continentem titulum nova quem editio habebit, ut inſeri privilegio poſſit.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

BEAVIT me illuſtris amplitudo tua, ampliſſime Domine Thuane, patrone omni ſtudio ac obſervantia colende et obſervande, miſſo, quod ſubmiſſe petii, regio privilegio, et ſcriptis inſuper humaniſſimis et ſuaviſſimis literis, quae omnia quam diligentiſſime ad me curavit clariſſimus Dominus anteceſſor Dionyſius Gothofredus; cui ob hanc rem gratiam habeo, tuaeque etiam amplitudini, quod hac occaſione in viri illius clariſſimi notitiam venerim, namque et ipſe literas ad me dedit humaniſſimas. Regio vero privilegio ita utar, Deo optimo maximo ita largiente, ut cognoſcat amplitudo tua ſe hoc beneficium in hominem gratum contuliſſe; Deumque precabor ut eidem viciſſim bene faciat, et largiſſime retribuat quod in me haud merentem contulit. Sed publice amplitudini tuae debentur atque agentur grates, cum hoc beneficio res literaria publica promoveatur, cui ego in primis ſtudeo. Sed haereo in uno. Nominor in privilegio LL. Doctor, qui tamen ejus profeſſionis non ſum, neque juri unquam operam dedi, verum theologiae et philologiae, virilemque aetatem exegi partim in functione ſcholaſtica, partim in miniſterio eccleſiaſtico; ſicuti etiam nunc eccleſiaſtis munere fungor hic Naumburgi in templo cathedrali annum vigeſimum primum. Quid igitur faciendum, inducendaene illae voces in privilegio? Sed venio ad alia. Ex Domini Bongarſii obitu amplitudinem tuam graviſſimum vulnus accepiſſe facile poſſum exiſtimare ex meo, qui patronum eum habui vere magnum, mihique praeter meritum faventem, deque me optime merentem. Sed et jactura, ut ego quidem judico, inaeſtimabilis eſt, quam in ejus obitu et Galli fecerunt et Germani; atque hi in primis, quorum erat amantiſſimus. Memini ipſum aliquando ad me dicere, natione ſe Gallum eſſe, ſed maximam partem in Germania vixiſſe, pioque erga Germaniam affectu nemini Germanorum cedere, verum plurimos ſuperare. Atque haec ipſius verba non dubitavi etiam aliis, iiſque magnis viris, referre; vereorque ut nobis brevi uſu veniat (quod tamen Deus clementer avertat) dicere cum Plautino illo,

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Quum quae in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Namque, ut alius poeta ait,

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Sed de Bongarſio noſtro hactenus, de quo ſcire percupio, num aliquid ab ipſo ante obitum in lucem datum fuerit, quod futurum intellexi, et num poſt obitum ipſius aliquid in memoriam ipſius ſcriptum et editum ſit, nihil enim hactenus vidi. Quod poſtremo amplitudo tua tam clare et diſtincte mihi ſignificat de opere ſuo hiſtorico, id vero mihi multo eſt gratiſſimum. Equidem priores libros ſumma cum delectatione legi, et miratus fui unde amplitudini tuae tam exquiſita rerum omnium, etiam noſtratium, notitia. Pauca quaedam animadverti, de quibus olim ad nobiliſſimum Dominum Bongarſium ſcripſi, quae etiam ad amplitudinem tuam repetam, ſi ita tibi viſum fuerit: habeo autem primam hiſtorici operis editionem, nec niſi ad librum LXV [1]; alteram et noviſſimam editionem non vidi. Quamprimum me exſolvero iis laboribus qui nunc in manibus ſunt, poſtremam et locupletatam editionem, cujus amplitudo tua meminit, mihi quoque curabo; Deoque mihi valetudinem largiente ac vitam prorogante, et diligenter et accurate legam; ac quicquid animadvertero vel omiſſum, vel aliter quam re vera ſe habuit narratum, candide ad amplitudinem tuam perſcribam; ſed et libros, ſi ea requirit, ad rem pertinentes mittam, quales ſunt conciones, orationes funebres, epicaedia Frederici Guilhelmi adminiſtratoris, Joannis fratris et Chriſtiani II electoris ducum Saxoniae, et ſi quae alia amplitudo tua voluerit. Illud hoc loco diſſimulare nolo, offenſos fuiſſe nonnullos, quod amplitudo tua, partis primae tomo priore libro VIII pag. 884 [2] primae editionis, de Mauritio Saxoniae electore ſcripſerit, "aſpiraſſe illum olim ad ſummam fortunam; et ſequenti pagina, "quod idem paulo ante mortem cum rege Galliae Henrico, Franciſci filio, "conſilia de rebus in Belgio in Caeſaris perniciem inierit;" neque hoc ſic factum voluiſſe concedere. Verum narravit mihi Bongarſius ſe haec habere a comite Ortenburgico, qui iſta a Schertelio audiverit. Ego quoque miratus fui, quod eodem tomo lib. IX, pag. 994 primae editionis [3] de Joanne Frederico I electore amplitudo tua ſcripſerit, "extremum diem ipſum clauſiſſe V Non. Martii, virum conſtantem et invicti animi, etiam ab ipſis hoſtibus, ad haec liberalitatis regiae laudem conſecutum, qui poſt varias vitae aerumnas et adverſitates, quibus tota vita conflictatus eſt, tranquillitatis portum in morte tandem invenerit; obſcuriore tamen ejus poſt mortem fama, quod liberos longe ſui diſſimiles reliquerit." Haec, inquam, ego fui miratus: Reliquit namque tres filios, qui omnes ſuas habuerunt dotes, et in conſtantia patrem ſecuti ſunt, niſi quod maximus natu aliqua in parte deſciverit, et bellum non neceſſarium moverit, ſeductus tum ab aliis, tum a cancellario Chriſtiano Bruck. Parens meus piae memoriae functus eſt miniſterio eccleſiaſtico Vinariae, ubi illi aulam habuerunt; adhibitus ab iiſdem ad concilia eccleſiaſtica, et Joanni Gulielmo, Friderici Gulielmi et Joannis patri, morienti adſuit. Sed haec hactenus; plura, volente Deo, proxime, ſi amplitudini tuae non diſplicuerit; quam clementi tutelae, protectioni, et gubernationi Dei opt. max. etiam atque etiam diligenter, et ipſi me ſubmiſſe commendo. Datae Naumburgi a. d. XIIX Kal. Januarii (quo ego die, anno MDLI, in lucem editus ſum) anno MDCXIII extremo. Illuſtrem amplitudinem tuam omni ſtudio et obſervantia colens

JOANNES ROSINUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

INSPEXI obiter partem alteram praeclariſſimi et rariſſimi operis illuſtriſſimi Thuani: Reperi quaedam aliter ibi tradita quam ſe habuiſſe a noſtratibus feruntur, &c.

PARTIS II. tom. II. lib. XLI. p. 50, [*ſcil. Drouartianae edit. in* 8vo. *tom.* IV. *edit. Lond. tom.* II. *p.* 574.] fit mentio Elizabethae (fictitiae ſcilicet) Angliae reginae, quae nuptias Joannis Frederici II, Saxoniae ducis, ejus qui poſtea Gothae captus fuit, ambiverit, et relicto regno in Thuringiam venerit, et ad ipſum denique principem perducta fuerit; quo nomine princeps, ut hanc in matrimonium duceret, voluerit Agnetem conjugem Heſſi filiam, Mauritii electoris viduam, repudiare. Haec mihi nunquam fuere audita. Illud vero

NOT. [1] Scil. edit Drouart. tom. IX. in 12mo. [2] Scil. Drouartianae tom. I. in 8vo. i. e. pag. 408 tom I. hujuſce noſtrae editionis. [3] Drouartianae in 8vo. tom. I. et hujus noſtrae tom. I. p. 456.

vero audire memini, veniſſe in Thuringiam multis ante bellum Gothanum annis quae ſe finxerit eſſe Annam Clivenſem, Henrico regi Angliae nuptam an. MDXXXIX, et ſequente ab eodem repudiatam, uti eſt apud Johan. Sleidanum lib. XII et XIII, et Michaelem Benterum lib. V, et alios; poſtea detecta fraude ad perpetuos carceres fuiſſe damnatam. Inquiram de tota re diligenter; et, ſi ita videbitur, per occaſionem ad te ſcribam.

EADEM parte lib. XLVI. p. 450, et 451. [*edit. Lond. tom.* II. p. 755.] ubi de colloquio Altemburgenſi ſcribitur de Victorino Strigelio, quod et colloquio interfuerit, et diſſenſioni praecipue cauſam dediſſe dictus fuerit. Quantum ego ſcio nec interfuit Victorinus, nec praecipue cauſam dederat illi de qua tunc agebatur diſſenſioni, ſed alii. Abierat autem is multo ante Heidelbergam, ubi anno MDLXIX, menſe Junio, ejus die XXVI, e vivis exceſſit. Teſtantur haec acta quae nullam ejus faciunt mentionem; nec ego qui amanuenſis loco in colloquio iſto, cui et reverendus pater meus piae memoriae intererat, eram, quicquam tum de Victorino, quaſi is quoque adeſſet, audivi.

EADEM parte lib. L. p. 798. [*edit. Lond. tom.* III. *p.* 40.] ubi de colloquio Frankentalenſi cum Anabaptiſtis habito, notarii dicuntur fuiſſe Gulielmus Xylander et Michael Neander; hic in edito illo colloquio Martinus Neander Sileſius appellatur.

HAEC mihi nunc occurrerunt, &c.

Naumburgi Idib. J. JOANNES ROSINUS.

Ex MS. *Jac. Aug. Thuano.*

QUANTO fuerim affectus gaudio, et quam paene exultaverim prae laetitia, illuſtriſſime atque ampliſſime Domine praeſes, Domine et Maecenas magne, colende, honorande, acceptis et lectis ampliſſimae dignitatis tuae literis, et accepto regio diplomate per eandem mihi impetrato, verbis exprimere non ſatis poſſum. Reſcripſi autem non multo poſt, miſſis literis meis ad ampliſſimum atque excellentiſſimum Dominum Doctorem Dionyſium Godofredum Heidelbergam, quibus gratias amplitudini tuae egi pro praeſtito mihi tanto beneficio, ac ſpero illas ampliſſimae tuae dignitati jamdudum eſſe redditas. Interceſſit autem hactenus mora aliqua, ita ut non, quomodo ſperaveram, Antiquitates meae in lucem prodierint: Sed puto fore ut brevi, volente Domino Deo, praelo ſubjiciantur, et mora iſta accuratiore editione compenſetur. Interea ne vacuae hae meae ad ampliſſimam dignitatem tuam pervenirent, mittendum ad eam putavi librum, quo trium illuſtriſſimorum Saxoniae principum electorum, qui proximo ſuperiore ſaeculo vixerunt, vitas complexus ſum, ante paucos aliquot annos a me in lucem emiſſum: Quem ut ampliſſima tua dignitas boni conſulat, mihique porro faveat, etiam atque etiam diligenter oro. Nondum prodierant in publicum ampliſſimae dignitatis tuae hiſtoriae, cum iſta typis committerem; alioqui potuiſſem quaedam ex iis excerpere, et mea ornare atque illuſtrare. Veriſſimum enim expertus ſum, quod olim, cum mentio fieret ampliſſimi et immortalitate digniſſimi operis hiſtorici ampliſſimae dignitatis tuae, dicebat ampliſſimus Dominus Doctor Gerſtembergerus cancellarius, piae memoriae, Ex eo oportere nos diſcere atque cognoſcere quae in hiſce terris acta et geſta eſſent, quorum alias ignari atque rudes eſſemus. Dignitatem tuam pluribus moleſtare nunc nolo, verum eam clementi tutelae, protectioni, et gubernationi Dei opt. max. etiam atque etiam diligenter commendo. Datae Naumburgi ad Salam poſtridie Kal. Septemb. calculo veteri, anno ſalutis MDCXV.

ILLUSTREM amplitudinem tuam, omni ſtudio, pietate, et obſervantia colens

JOANNES ROSINUS.

Ex MS.

HAEC ſunt illa pauca de quibus clariſſimum Dominum praeſidem Thuanum admonitum percuperemus; non quidem quod ea de cauſa mutationem aliquam cum incommodo, ſed quod ſaltem rei veritatem ipſi conſtare, deſideremus.

FOLIO ſcilicet 62 ſecundae editionis in 8vo. [*ſcil. Drouartianae tom.* I. *edit. Lond. tom.* I. *p.* 36.] doctiſſimae et nunquam ſatis laudatae hiſtoriae ſuae injuria Ulricum ducem crudelitatis accuſari, et belli illius a Suevico foedere contra eum ſuſcepti cauſas non ſatis explicari.

LICET enim anno MDXIV, ob diminutum aliquantulum carnis et vini pondus ac menſuram, ac nonnullas alias inſolitas impoſitiones, (quae debitorum ingentium exſolvendorum ergo ad tempus adinventae fuerant, quibuſque aula praedeceſſorum ac ſua fre-

quentior et ſplendidior quam fere alia ulla Germaniae, cauſam dederant,) aliis eam rem patienter ferentibus, Remſanae vallis incolae, nullo modo ſe laturos (non quidem omnes, ſed ſeditioſiſſimus quiſque, qui tamen reliquos volentes nolentes in ſuum traxere conſortium) proteſtati, magno numero armati conveniſſent, abolita tamen iſtarum turbarum cauſa et negotio ad publicum totius ditionis conventum delato, in ſua quiſque regreſſus eſt, auctoreſque turbarum partim dilapſi et proſcripti, partim capitali ſupplicio affecti ſunt. Unde quies ſecuta, nec ullus unquam eam ob cauſam miles lectus eſt. Verum cum aliquot poſt annos Reutlingenſes (ea eſt Imperii civitas in ipſo propemodum ditionis ejus meditullio ſita) praefectum quendam ſylvarum Ulrici ducis ſua in urbe occidi, nec caedis auctores in vincula duci paterentur, Ulricus, princeps generoſi ac injuriae impatientis animi, qui tum Maximiliano primo imperatori exequias ſatis ſplendidas celebrabat Stutgardiae, accepto hoc nuncio, mox eodem die Reutlingam cum iis quos ſecum habebat equitibus, quorum magna pars propter illam exequiarum ſolemnitatem vocata fuerat, feſtinanter proficiſcitur, reliquis ſubſequi juſſis; atque ita alieniſſimo anni tempore propter continentes nives et ſaeviſſima frigora, oppidum obſeſſum et oppugnatum per deditionem cepit v Kal. Februarii MDXIX: Quod quidem nullum aliud Ulrico incommodum attuliſſet, ſi, poſt poenam de illis ſumptam, urbem libertati priſtinae reſtituiſſet; ſed cum eam ſibi retinere, aliiſque tum in ditione ſua, tum in vicinia ſitis idem minitari videretur, a conjunctis Suevico foedere principibus et civitatibus, omni cis Rhenum ditione exutus eſt; idque circa finem Maii: Verum Septembri menſe cum paucis reverſus, ſubditorum voluntate magnam amiſſi patrimonii partem recuperavit. Unde militem confoederati denuo ſcribere coacti ſunt, ut necdum ſatis adhuc confirmatum iterum expellerent. Quia vero metuebant, ſi idem frequentius fieret, ne ſumptus intolerabiles et ſine fructu facere cogerentur, viam invenere, qua Carolo quinto ditionem armis partam, adeoque jure belli, ut videri volebant, ſuam, vendiderunt, pro tanta pecunia, quanta refundendis in bellum factis ſumptibus prope par eſſe poſſet. Porro id ſuum qualecunque jus Carolus imperator, dum cum fratre Ferdinando provincias hereditatis divideret, in eundem fratrem ſuum transfudit. Quo factum eſt, ut toto exilii Ulrici tempore, quod quindecim annorum fuit, Caroli primum imperatoris, deinde Ferdinandi fratris nomine adminiſtraretur haec provincia. Atque hoc omne jus eſt, quod Auſtriaca domus in hoc ducatu ab initio ſibi vindicavit, uſque dum, principibus qui Smalcaldico foedere juncti fuerant devictis, Ulricus in Suevia a ſociis ſolus derelictus conditiones a Carolo quinto imperatore datas accipere coactus eſt; quarum quidem pluribus, refuſis ingentibus pecuniarum ſummis, ſubſequentes principes Chriſtophorus filius et Ludovicus Ulrici nepos liberati ſunt; non tamen omnibus, uſque ad iſta Frederici ducis tempora, qui, anno MDXCIV, in comitiis Ratiſbonenſibus ipſe praeſens cauſam ſuam coram imperatore, electoribus et aliis principibus egit; et domum Auſtriacam, uti poſt Ulricum praedeceſſores fecerant, vel eam ob cauſam ullo modo recognoſcere recuſavit; quod non ut heres defuncti Ludovici, ſed ex pacto et providentia majorum, ſuo capite (eſt enim Georgii Ulrici fratris filius) ſuccederet. Unde factum eſt, ut tandem interventu electorum et principum, conſentientibus omnibus Auſtriae principibus, quatuor centenis millibus florenorum imperatori perſolutis, vexam redemerit, atque ducatum ipſum ſuamque familiam priſtinae libertati reſtituerit. Tantum vero abeſt quod Baioarii fratres, ut eodem folio 62 dicitur, eum ad recuperanda ſua juverint, ut e contra illi, major praeſertim natu Wilhelmus, non inter minimos Ulrici ducis hoſtes fuerint, (Ludovicus enim aequior ſemper fuit affini ſuo) atque ille Suevici foederis dux hoc enixe ſtuduerit, ut et expelleretur Ulricus, et aditus illi pro reſtitutione intercluderetur.

GERMANICA nomina familiarum et locorum frequenter non pleniſſime nec planiſſime expreſſa mirum non eſt: Poſſent tamen fortaſſis emendari, vel unam ob hanc cauſam, ne vel in familiis, vel in locis, quorum nomina aliquantulum ſono propinqua ſunt, error commiſſus videatur. Ut cum folio 113, et 114, [*edit. Lond. tom.* I. *p.* 63.] *Balthaſar a Gultlingen Gutlingus* dicitur; fol 169. [*edit. Lond. tom.* I. *p.* 88.] *Circena* pro *Kircheimio* dicitur; et eodem folio *Boſinga* [*Put. L. Bolſinga*] oppidum Imperii pro *Bopfingen*; fol. 172. [*edit. Lond. tom.* I. *p.* 89.] *Oetinga* pro *Eringa*, quae eſt comitum Hohenlohenſium; et *Allprunum* pro *Hailprunna*.

AD folium 244, [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 125.] *Bertavum* ac *Vedingam.*] *Marpachum* ad Nicri fluvium, et *Waiblingam* ad Remſam amnem ſita oppida occupavit Albanus; illud vi, ubi crudeliter in obvios quoſque ſaeviit; hoc per traditionem Leonhardi Schlaheri praefecti Waiblingenſis, qui tamen cum Hiſpanis urbem, neſcientibus aut nihil tale ſuſpicantibus civibus, aperuiſſet, urbe elapſus nunquam eo redire auſus fuit.

ET eodem *Circena ad Nicrum.*] Duo ſunt in hoc ducatu ejuſdem nominis oppida, alterum ſub antiqua Teccenſium ducum arce, unde nomen ducibus his fuit, quod oppidum et ipſum

Kircheimium ſub arce *Theck*, vulgo *Kirchen-under-Theck*, et ab imperita plebe *Kirchen-an-der-Eck* dicitur, cum promontorii inſtar promineat mons ille qui ſuper impoſitam habuit arcem Teccenſem, cujus nunc rudera tantum extant. Alterum ad Nicrum ſitum, unde et *Kirchen-am-Necker* vulgo dicitur; verum hoc neque munitum, neque oppidi ſpeciem habet.

Fol. 257. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 131.] *Gravecolmum* pro *Raubenculmo* ſcribitur; ut etiam *Guabachium* pro *Schuvabachio*; et fol. 263. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 134.] *Gotheberga* pro *Gutenberga*; *Plaunum* pro *Plavium*; *Riembavum* pro *Reichenbachum*; et fol. 266. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 135.] *Guaudeſtinium* pro *Gnauſtein*; fol. 268. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 136.] *Schermeſſer* pro *Schirmitz*; et fol. 351. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 172.] *Interbocis* pro *Juterbocis*; et fol. 358, *Wolfgangus Milchlingius* dicitur *Melchingus*.

Fol. 360. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 176.] *Uladiſlaus Jagello* Poloniae rex *Venceſlaus* dicitur; ſed hoc typographi ſphalma arbitramur eſſe, quemadmodum fortaſſis et illud quod fol. 364. [*ed. Lond. tom.* I. *p.* 178.] pro *Rhelingeri Redingeri*, pro *Baumgartnerii Burigarteneri* ſcribuntur.

Quod ſi excellentiae ipſius placeret, vel in ſequentibus editionibus et alia nomina (quae ob Germanici idiomatis difficultatem et Romani ſcriptores ubique fere corruperunt) corrigere, vel in continuatione hujus ſuae hiſtoriae, cujus vulgationem omnibus votis expetimus et cum deſiderio expectamus, noſtra opera uti, promptiſſimi erimus non hoc ſolum praeſtare, ſed et quaecunque in noſtris vel aliis vicinorum archivis conducibilia, et tanto libro ejuſque auctore digna videbuntur, ſincere et ex rei veritate bonaque fide edere et communicare.

Oswaldus Gobelkofer,
Doct. med. et inclyti ducis Wirtembergenſis hiſtoriographus,
ſuo et Dominorum Regiſtratorum nomine.

Ex MS. *Exemplar eorum quae Gaſpard Laurentius profeſſor Genevenſis miſit, anno* 1613, *illuſtri viro Domino Thuano; quae tamen ipſi non fuerant reddita, ſed in via ſubſtitere, aut etiam excidere.*

Dignitas et amplitudo tua, vir illuſtris, merita in rem literariam et in univerſum Franciae regnum, illa etiam hiſtoria tua, hujus ſaeculi monumentum inſigne ſaeculis omnibus profuturum et regionibus cunctis, excitant merito ad celebritatem et honorem nominis tui omnes rei literariae ſtudioſos; quibus album meum calculum addo, et inter eos me recenſeo, ut aliqua ex parte obſequium et obſervantiam meam dignitati tuae offeram: Benigne igitur tua dignitas excipiet has obſervationes meas in hiſtoria illa tua, quam ſuſpiciet et admirabitur omnis aetas, quam nemo ſatis verbis ornaverit, in qua etiam elucet ἀκρίβεια indefatigabilis laborque immenſus. In circumſtanciis tamen nonnulla ſunt quae dignitati tuae repraeſentare neceſſe mihi fuit; quis enim tam accurate omnia perſequatur, qui in ſingularibus, quae ſunt infinita, omnia aſſequatur? ea vero duntaxat quae mihi comperta αὐτοψίᾳ, intuitiva cognitione, ut vulgo loquuntur, mihi perſpecta, quae dignitas tua aeque beneque conſulet, utpote quae conſideratione digna.

Libro xxx [*ed. Drouart. fol. lib.* xxxi. *ed. Lond. tom.* II. *p.* 235.] hiſtoriae, ubi de rebus ad Ciſteronem geſtis et in illa provincia, nominatur Soreſius et Cipetra, quaſi duo fuerint. At Cipetra quidem, qui faverat Proteſtantibus anno mdlxii, eſt ille Soreſius quem ego tunc vidi ſaepiſſime Ciſterone. Fuit filius comitis Tendani proregis; poſt patris obitum vocatus idem fuit Cipetra. Fratrem habuit, ſed ex priore matrimonio; comitem Summeripanum, qui poſt obitum parentis comes Tendanus fuit, illius familiae poſtremus. At alter ille, tum Soreſius tum Cipetra dictus, (non ex illa familia ducatus Burgundiae, is qui vocabatur Cipetra Carolo nono praefectus) aperte omnino et religionem et partes Proteſtantium profeſſus eſt. Is adultior factus anno mdlxvii Ciſteronem felicius propugnavit, quam alii anno mdlxii fecerant; nefarie trucidatus fuit ſub illa famoſa pace anno mdlxviii, cujus caedes habetur libro xlii hiſtoriae. Anno mdlxii comes et prorex Claudius Tendanus, arma vitans filii ſui Summeripani, Druentiam fluvium trajecit, ut furorem vitaret comitis Carſii, Flaſſani et Ventabreni; Manoſquam urbem venit, ac inde Ciſteronem ſe recepit, uxorem ſecum habens ſuam, et filium ex ea ſuum, Soreſium tunc nominatum, cui aderat illuſtris Cardaeus, baro Cennaſius, baro Dubar, ejuſque frater Maligeus, Movantius, et primariae nobilitatis Eſpinoſius; qui omnes profitebantur religionem reformatam, quos et vidi ipſe Ciſterone in ſanctis concionibus menſe Aprili et menſe Maio; imo fui tunc puer in coetu illorum qui Manoſqua Ciſteronem ſe receperunt, viri, mulieres, et omnis ordinis homines, quorum ductores erant illuſtres illi viri quos paulo ante nominavi, anno mdlxii.

Libro xxxix, [*ed. Drouart. fol. ed. Lond. tom* II. *lib.* xli. *p.* 563.] ubi adventus ducis Albani per Allobroges narratur, certe non fuit trajiciendus Arva fluvius Albano,

qui ex Italia veniens ad Rhodanum, nullo flumine interjecto, per Allobroges tranſibat: Arva enim fluvius non in Italiam influit, ſed in Rhodanum prope Genevam.

Lib. xlii, et xlv. [*ed. Drouart. fol. ed. Lond. tom.* II. *lib.* xliv. *p.* 687. *et lib.* xlvii, *p.* 790.] Urbium Privaſii, Albenaſii, Beſſi, et Puſini ſitus atque nomina prorſus confunduntur; neceſſe eſt igitur iſta, prout ſunt, certiſſime proponere.

BESSUM eſt oppidum in Vivariatibus vel Vivarienſibus (quos Caeſar Helvios nominat) ad ripam Rhodani immediate ſitum; vocaturque Beſſum ſuper Beſſum, quod duplex arx oppido immineat; ibi nullus eſt alius fluvius quam Rhodanus. Eſt quidem torrens aut rivus ad jactum catapultae inde diſtans; Paira dicitur Puſinum verſus.

PUSINUM vero eſt oppidum ad ripam Rhodani, interjectis tamen multis hortis Beſſo diſtat iter unius horulae.

LORIOLUM vero, ſaepe in hiſce hiſtoriis commemoratum, oppidum eſt in Delphinatibus trans Rhodanum orientem verſus; diſtans a Puſino atque etiam a Beſſo oppido magnum milliare, per planitiem inter oppidum illud et Rhodanum.

PRIVASIUM vero eſt urbs in Vivariatibus in locis montoſis et praeruptis, diſtans tum a Beſſo, tum a Puſino, ac proinde a Rhodano iter duarum duntaxat horarum, et in hiſtoria illuſtris Domini Thuani confunditur et nomen et ſitus cum Fano-Privati, ſive *San-Privas*, pago vel arce non longe a Nemauſo ad Pontem-Dugar; ſed Privaſium, cujus fit ibi mentio, Nemauſo diſtat viginti magnis milliaribus.

ALBENASIUM quoque eſt urbs in Vivariatibus montes Sevennos vel Cimmenios verſus, diſtans a Privaſio iter quinque horarum, et a Rhodano ſeptem. Ad veritatem hiſtoriae et res magni momenti in illis locis geſtas neceſſe eſt iſta diſtincte et certe proferri.

Distincte quoque, non conf[u]ſe, ſunt commemorandae res quae in illis locis geſtae magni momenti fuerunt anno mdlxviii. Rem narrabo, ut conferatur cum iis quae ſunt in hiſtoria illuſtris viri; nam tunc temporis ipſe ego eram aut Puſini, aut Privaſii, aut Beſſi, et vidi ea quae ſequuntur veriſſime narrata. Illo anno mdlxviii Movantius et Valavoira ex Provincia Gallica copias Proteſtantium deduxerunt, omnibus ſuis relictis, ut ſe conferrent ad principem Condaeum et ad Amirallium. Primi ad flumen Rhodanum pervenerunt prope Beſſum, quod oppidum ab illorum partibus ſtabat. Ex parte Delphinatus ad ripam Rhodani exiguum propugnaculum conſtruxere, ut Rhodanum tuto a Delphinatibus trajicerent; erantque mille quingenti pedites et ad centum equites, qui primi ex illo propugnaculo Rhodanum trajecerunt, ac Privaſium verſus contenderunt; deinde Albenaſium; quibuſcum ſe conjunxit primum Dominus de Leſtrange, primariae nobilitatis Vivarienſis et vir magnis dotibus ornatus, in flore aetatis ſuae: id quod expreſſe dicendum, quia in nonnullis hiſtoriis quaſi ſenex nominatur: Atque etiam cum illis ſe conjunxit Petrogordius (*Pierregourde*) cujus in legione ſive regimento erant ad duo millia Vivarienſium. Eo ipſo die quo Movantius ex illo propugnaculo tranſivit Rhodanum, venit ex Delphinatibus legio Blaconii nobiliſſimi viri, et legio Anconii Blaconii affinis, qui etiam copias ſuas ad Beſſum traduxerunt. Succeſſit ad eorum locum in propugnaculo Mirabelli Delphinatis legio atque poſtea legio du Cheilar, et fratris ejus Pigroſſi: Deinde Vapenſium duce Oroſio, inter quos erat illuſtris Ediguerius tunc vexillifer equitum Oroſii. Sequentibus diebus cum illi omnes copias traduxiſſent ab illo propugnaculo, Beſſum poſtremo advenit Monbrunius cum ſua legione, in qua erant ad duo millia peditum, quibus ſe conjunxerunt ſeptingenti Ulanienſes (*d'Orange.*) Illi omnes ad decem et octo millia a Vivariatibus per Sevennos montes Mirialdum urbem advenerunt, atque ibi ſe conjunxerunt cum copiis Galliae Narbonnenſis (*Languedoc*) qui relictis urbibus et familiis ſuis in Aquitaniam ſe contulerunt.

Libro xl [*ed. Drouart. in fol. ed. Lond. tom.* II. *lib.* xlii. *p.* 611.] hiſtoriae, ubi clades Poncenatii narratur: certe clades illa non accidit in Sebuſianis. Nam Sebuſiani vel Seguſiani ex Caeſare intra Rhodanum et Ararim ſunt ſiti; at illa clades accidit trans Ligerim ad urbem quae *Tiers* nominatur, et ad *Croprere* in Arvernis.

Lib. xlv [*ed. Drouart. in fol. ed. Lond. tom.* II. *lib.* xlvii. *p.* 791.] indiſtincte (libere ac vere dicam) et confuſe narrantur ea quae a Monbrunio geſta ſunt, et a Delphinatibus, poſtquam a clade Monconturiana in Galliam Narbonnenſem, et in Vivarates reverſi ſunt. Eram tunc Privaſii cum illuſtris Monbrunius eo advenit, ineunte anno mdlxx. Cum eo erant nobiliſſimi Delphinates, omnes equites, nulli pedites, Mirabellius, Ediguerius illuſtris tunc xxviii aut xxx annorum, Cugius, Quintellus, Pantaiſius, Pigroſius, et alii nobiliſſimi Vapenſes, et Gubernetius, et Dominus du Pouet, qui una cum Monbrunio Puſini ſubſtiterunt: reliqui vero Privaſii commorati ſunt, praeſtolantes dum occaſio daretur tranſmittendi Rhodani, et illius hyemis ſaevitia leniretur. Interea dum ad Puſinum, e regione in Delphinatibus extructum propugnaculum, ut tranſitus Rhodani tutus eſſet, ad inſtar illius propugnaculi quod Movantius ante biennium e

regione Beſſi conſtruxerat: Santangius fuit primus illi propugnaculo praefectus: deinde etiam Piperus ex familia equitis du Bayard: Uterque in obſidione illius propugnaculi interfectus.

In hiſtoria Pouetii nomen confunditur ex nominis aequivocatione. Pouetus (*du Pouet*) fuit Delphinas, qui poſtea in duello interfectus fuit a Gubernetio ante amiciſſimo: Sed Poyettus, qui commemoratur ibi in hiſtoria, non fuit Delphinas, multo minus Allobrox; ſed fuit ex ſuperiore Vivariatum regione Albenaſii aliquandiu praefectus; qui fuit in conſpicuo gradu inter veteranos milites, et Andelotio perquam charus. Utrumque vidi Privaſii aut Puſini.

Historia, pace dixerim illuſtris viri Thuani et cum bona venia, nominat Monbrunium et Delphinates nobiles *Allobroges:* Atqui Allobroges ex Caeſare fuerunt illi qui ſiti ſunt inter lacum Lemanum et Iſarum fluvium, inter Alpes et Rhodanum. At illi qui in inferiore Delphinatu, cujuſmodi fuit Monbrunius, ſunt Delphinates potius annumerandi inter eos qui in provincia Romanorum olim dicebantur.

Nobilis Pontius ex Beſſo oppido praefuit urbi du *Saint Eſprit*, quae ſtabat a partibus Proteſtantium an. mdlxii. Interfectus fuit anno mdlxvii in obſidione oppiduli quod vocatur *la Chapelle* in ſuperiore parte Vivarienſis regionis. Ejus frater qui Ollerius nominabatur Beſſi fuit praefectus nomine regis magni Henrici quarti, qui grandaevus fuit admodum. Illa nomina in hiſtoria confunduntur.

Ibid.] Comme Monſieur vit pluſieurs ſe jetter par les murailles, il dit à ceux qui eſtoient près de luy, " Voyez comme ces pauvres Bourgeois ſe jettent, &c." Mais Monſieur de Laval qui eſtoit auprés de luy fit connoiſtre que c'eſtoient des ſiens, dont il fut bien étonné.

Ibid.] Le Comte de Sainct Aignan ſe noya dans le foſſé, & ſon fils aprés luy. Monſieur luy demandant ſon avis au Conſeil, il y avoit fait de grandes difficultés; ſurquoy il luy dit, " Quoy, Comte, le nez vous ſaigne?" Il luy repond qu'il luy feroit voir le contraire, parce qu'il y mourroit pour ſon ſervice; & depuis n'en dit plus mot. Etant preſt de partir pour ce voyage, il eſtoit venu voir ma Mere ſa Couſine germaine chez elle, & comme s'il preſſentoit ſon malheur, luy dit & à moy meſme pluſieurs fois qu'il euſt voulu en eſtre quitte pour un bras. Monſieur de Fervacques eſtant pris dans la ville, fut ſauvé en diſant qu'il eſtoit Monſieur de Laval, & s'en deſchargeoit ſur Monſieur de la Rochepot, qui de fait ſous ombre d'achepter des pierreries pour Monſieur, avoit fait voir les jours precedens les plus belles pieces, qui eſtoient chez les orfevres pour les piller ce jour-là.

Pag. 593. [*ed. Lond. tom.* IV. *pag.* 194.] Un Synode national des Egliſes Reformées de France s'eſtoit tenu à Vitré en May 1583, où j'avois aſſiſté de la part du Roy de Navarre, & propoſé deux poincts: l'un, qu'ils perſuadaſſent chacun à ſa province de tenir une ou deux perſonnes qualifiées & capables auprés de ſa perſonne, par l'avis deſquels il conduiſit ſes affaires publiques; à quoy il fut ſatisfait quelques mois aprés. L'autre, qu'ils nommaſſent d'entre les Paſteurs & Docteurs, deux ou trois qui aſſiſtaſſent une ambaſſade qu'il deſiroit envoyer vers les Princes & Etats de meſme profeſſion, pour la reunion des differends qui eſtoient entre les Confeſſions: ſurquoy ils en avoient nommé trois,

trois, entre leſquels eſtoit Monſieur de Chandieu, & deputé pareil nombre vers le Roy de Navarre, par leſquels il eſtoit remercié & loué de ce ſoin & zele envers la paix de l'Egliſe, & prié d'avoir agreable que je fuſſe chef de cette Legation. A quoy de fait il s'eſtoit reſolu: mais Monſieur de Segur homme violent, & qui gouvernant les Finances n'euſt pas conſenti à cette depenſe pour un autre, voulut y aller; & le Roy de Navarre qui ſe ſentoit chargé de ſon humeur biſarre, y conſentit aiſément. J'en dreſſay neantmoins toutes les Dépeſches, & nos Egliſes n'eſtimant pas que telle negociation fût bien en ſa main, n'y envoyerent point. N'eſt à oublier qu'en ce Synode de Vitré ſe trouverent deux Paſteurs des Egliſes du Pays-bas, qui au nom d'icelles s'unirent à la Confeſſion de Foy & Police Eccleſiaſtique de nos Egliſes, Preſident en iceluy Monſieur Merlin.

Pag. 608. [*ed. Lond. tom*. IV. *pag*. 211.] En ce temps je fus envoyé du Roy de Navarre vers le Roy Henry III, pour luy declarer ce que le Roy Philippes avoit voulu traiter avec luy par l'entremiſe du Vicomte de Chaux, & d'un d'Undiano ſon Beaufrere, ſçavoir de luy fournir trois cent mille ecus comptans, & cent mille par mois pour faire la guerre au Roy, ſans s'enquerir de la Religion. Les particularités en feroient trop longues icy, & ſeront declarées à Monſieur de Thou quand il luy plaira. La negociation avoit commencé dez l'an paſſé. Je luy menay tout enſemble un Capitaine, Beauregard Dauphinois, que Monſieur de Savoye avoit employé en diverſes reconnoiſſances, qui declaroit entr'autres une entrepriſe d'Eſpiart ſur Arles, & une autre ſur Briançon; luy donnay auſſi avis que ceux de Guiſe eſtoient aſſeurez d'Orleans, & d'une Lettre trouvée dans la poſche du Viceroy de Valence, par un ſien Valet de chambre François à luy eſcrite par un Secretaire d'Etat d'Eſpagne, qui portoit, " Aujourd'huy a été reſolué la guerre contre la France." Le Roy me dit qu'il avoit eu divers ſoupçons, mais que j'eſtois le premier qui luy avoit donné lumiere. Pourveut à Arles où les engins d'Eſpiart furent pris & luy tué, & ailleurs où il pût; fit deſpeſches par tout, qu'il me commanda de concerter avec Monſieur de Villeroy, & manda Monſieur pour luy en communiquer, qui coucha deux nuits avec luy. Il me commanda de dire le tout à la Reyne: je m'en excuſay, n'ayant cette charge; mais il m'y mena, & luy conta le tout en ma preſence. Ce n'eſtoit pas pour en tirer le fruit. Il me fit offrir cent mille livres pour ce ſervice par l'Abbé Delbene, que je refuſay. Mais je luy demanday cent mille écus pour le Roy mon maitre, qu'il m'accorda. Les negotiateurs du Roy d'Eſpagne ſur les difficultés que je leur faiſois traitant avec eux, me dirent en partant, " He bien vous refuſez ce party, nos marchands ſont preſts," entendant ceux de Guiſe.

Pag. 610. [*ed. Lond. tom*. IV. *pag*. 212.] Il ſe mit au ſervice de Monſieur Pierre Loiſeleur dit de Villiers, ſon Miniſtre, auquel il ſe confioit de ſes plus ſecretes affaires. Le matin Madame ſa femme luy avoit dit comme il apportoit certaines deſpeſches, qu'il avoit mauvaiſe mine, & luy repondit que c'eſtoit parce qu'on ne l'expedioit pas aſſez toſt.

Pag. 616. [*ed. Lond. tom*. IV. *pag*. 220.] Cette aſſemblée fut tenuë ſur l'automne aprés l'entreveuë de Monſieur d'Epernon, & en icelle fuſmes deputez Monſieur de Laval & moy vers le Roy Henry III, pour luy preſenter les plaintes de ceux de la Religion, & le requerir, attendu la continuation des animoſités, de la prolongation des places de ſeureté; laquelle nous fut premierement refuſée, puis accordée pour deux ans ſur ce qu'un ſoir étant allé voir Monſieur de Bellievre je luy fis aſſez clairement entendre les difficultés qui ſe rencontreroient en cette execution. Prenant congé de Monſieur le Cardinal de Bourbon, il me demanda ce que nous avions obtenu, & en demeura etonné, parce qu'ils avoient reſolu de prendre leur pretexte ſur le refus des places, & voyoit que par là il leur manquoit. Monſieur de Villeroy qui s'abſtenoit des affaires, retiré en ſa maiſon de Paris pour une fievre quarte, me dit fort bien que s'il euſt été en ſanté, nous ne les euſſions pas obtenuës. Cette aſſemblée de Montauban fut fort celebre, où eſtoient avec le Roy de Navarre, Monſeigneur le Prince de Condé, & les plus notables Gentilhommes & Capitaines de toutes les Provinces. A mon retour près du Roy de Navarre je fus ouï d'eux à Sainte Foy ſur Dordogne, où je les aſſuray qu'ils auroient la guerre au Printemps. Mais à peine aucun m'en voulût croire. Le Roy de Navarre qui avoit cent mille ecus, au lieu de les garder pour une neceſſité, les employa pour la Ferté au Vidame, dont il ſe repentit bien aprés.

Pag. 617. [*ed. Lond. tom*. IV. *pag*. 221.] Cette diſpute de Monſieur du Ferrier avec Monſieur de Roquelaure à Nerac fut un conte à plaiſir. L'entreveuë du Roy de Navarre avec Monſieur d'Epernon ſe fit à Pamiers, non à Nerac là où j'eſtois. Monſieur du Ferrier ne fut point appellé à ce Conſeil, ny la choſe miſe en deliberation. Et quant au diſcours à moy attribué, il eſt par devers moy tout autre; & fut fait en

l'an 1582 lorſque Monſieur de Segur vouloit mener le Roy de Navarre en Cour, auquel je mis par eſcrit ſommairement les raiſons & inconveniens de part & d'autre. Pour Monſieur du Ferrier luy revenant d'Italie, & moy allant en poſte en Gaſcogne, je le rencontray à Artenay, où aprés avoir renouvellé l'ancienne amitié, louant Dieu de le voir en tel age ſe porter ſi bien, il luy eſchut de me dire qu'il avoit 76 ans: ſur quoy je pris occaſion de luy dire s'il n'eſtoit point temps de penſer à Dieu & à ſa conſcience, luy ramentevant les propos qu'il m'avoit autrefois tenus à Veniſe, & ne nous departiſmes point qu'il ne m'euſt promis de faire profeſſion de la Religion. Une aſſignation de quatorze mille écus qu'il eſperoit de la Cour, le faiſoit dilayer. Mais j'eſcrivis à un de mes amis en Cour pour le tenir de prés, & arrivé que je fus prés du Roy de Navarre, luy perſuaday de luy donner ſes Sceaux, qu'il accepta, & le vint trouver. Là il fit Declaration publique de ſa Religion en l'Egliſe Reformée; mais s'il m'eut cru, comme il appert par pluſieurs Lettres, c'euſt été par ſa propre bouche, & avec un Eſcrit adreſſé à la Chreſtienté, par lequel on euſt reconnu par quelles cauſes il euſt été meu à ſe departir de l'Egliſe Romaine. Monſieur de Montagne me diſoit ſouvent, que nous leur avions gagné une Bataille, par avoir retiré ce perſonnage; honorant la vertu qu'ils avoient mepriſée.

Ex Franciſci et Joannis Hotomanorum et claror. viror. ad eos Epiſt. ex bibliotheca J. G. Meelii in 4to. Amſt. 1700. p. 402.

Jo. Hotomanus Gul. Camdeno.

AMPLISSIMUS D. Thuanus peramanter te ſalutare juſſit, et majorem in modum tam publico quam privato ſuo nomine petit abs te, vir humaniſſime, ut ne diutius orbi invideas reliquum Elizabethae. Hoc abs te avide expectant etiam omnes qui veritatem amant, ii certe potiſſimum quibus et viſa et cognita princeps illa vitae laudatiſſimae, memoriae feliciſſimae. Cuperet praeterea, ſi non eſt moleſtum, ad hiſtoriae ſuae contextum ea a vobis Anglis addiſcere, quae a morte Demetrii in Ruſſia contigerunt, ſcitu et fide digna, quippe qui quotannis illuc navigando frequentiſſima habetis cum illa gente mercimonia. Denique cum anno, ut arbitror, CIↃIↃCVII, oceanus, qua ſpectat occidentalem Angliae partem, tanto et tam repentino impetu exundarit, ut incolis plurimum damni et incommodi intulerit, ſcire cupit D. Thuanus an haec vera ſint, et an infortunium illud tanti ſit, ut hiſtoriae inſeri mereatur; et ſi quid eſt vel Anglice vel Latine a veſtris hominibus in utroque hoc argumento, id eſt, de rebus Moſcoviticis et de iſta exundatione, id et conquirere et tranſmittere velis.

Lut. Par. Kal. Mart. MDCXVII.

Ibid. p. 404.

Gul. Camdenus Jo. Hotomano.

RELIQUUM annalium parturio; ut partus ſit vitalis HORAE obſtetricantur. Et hoc illuſtriſſimo Thuano ſignifices, et meis verbis officioſiſſime ſalutes. Inundatio, quae ad aeſtuarium Sabrinianum hinc in agro Somerſettenſi, inde in Gloceſtrenſi et Wallia, anno MDCVII, accidit, memoria digna eſt. Satis erit adnotare quibus lineam appoſui in [1] libello incluſo. De rebus Moſcoviticis a Demetrii obitu diligenter inquiram, et brevi, ut ſpero, tranſmittam, et plura quamprimum Mericus redierit, qui legationem in Ruſſia obiit, et in dies expectatur.

XXVIII Martii ſtylo veteri.

Ex

NOT. [1] Utinam nobis contigiſſet libellum hunc, quem impenſe ſed fruſtra quaeſivimus, offendiſſe; nam in narratione hujus inundationis quae libro ultimo hiſtoriarum Thuani, tom. VI. p. 427, reperitur, paucula ſunt obſcure tradita, (e. g. *columbae, cum aliunde paſtus deeſſet, ſtabus immiſſae, ariſtis frumenti in pyramides coacervati inſidentes, granis forte oblatis veſcebantur*;) quae ope libelli iſtius elucidari fortaſſe potuiſſent.

Ex MS. *D'un Anonyme.*

De l'Ancienneté du Royaume de France.

Ed. Drouart. 8vo. tom I. p. 15. ed. Lond. tom. I. p. 12. *Franco-Gallorum regnum ſub Childerico et Clodoveo felicibus auſpiciis apud nos coepit circa annum ſalutis* CDLXXX.

LE Royaume de France a commencé environ l'an de nôtre Seigneur 438; car le Roy Clodion avoit ja conquis audit an la Batavie, Gueldres, Cleves, Juliers, Cologne, Mayence, Treves, Tongres, devers Liege, Namur, le Hainault, le Tournaiſis, le Cambreſis, l'Artois, Terouenne entre Arras & Calais, Amiens, le Beauvoiſin, Orleans, Soiſſons, Rheims; & generalement tout le pays entre la riviere de Loire & la Province de Baviere en Allemagne. *Marianus Scotus* Chron. l. II. in Theodoſio juniore A. D. 438. *Otho Friſingenſis* Chron. l. IV. c. 32. *Godefridus Viterbienſis* Chron. part. XVII in principio; *Abbas Urſpergenſis* in Chron. an. 367. & *Aeneas Sylvius* in Europae ſtatu ſub Friderico tertio Imperatore cap. XXXI. Et en cette conquête (peu excepté) ſe maintaindrent ſes ſucceſſeurs, le Roy Merovée qui ſe trouva à la campagne de Chaalons en la bataille contre Attila Roy des Huns, & le Roy Childeric, lequel, aprés ſon retour de Turinge, eſtendit ſon Royaume juſqu'à Angers qui ſe rendit à luy. Ce qui ſoit remarqué, de peur que ſi on eſcrit que le Royaume de France n'ait commencé qu'environ l'an 480, les Anglois viennent à ſoutenir que le Royaume d'Angleterre ſoit de quelques années plus ancien que le Royaume de France: ce qui importe en matiere de preſeance.

Dans un feuillet blanc qui eſt au devant du I. *Tome de l'Hiſtoire de Monſieur de Thou (edition de Geneve 1626) apartenant à Monſieur l'Abbé de Thou, on trouve les Obſervations ſuivantes, écrites de la propre main de Monſieur du Puy.*

M*Enapii.* Par ce nom M. de Thou entend ceux de Cleves, Juliers, Bergh, le pays de Gueldres, quoiqu'il ne contienne de ce Duché (i. e. de Gueldres) que la partie qui eſt au deça du Rhin, car au reſte les Menapiens comprennent la plus grande partie du Brabant ſitué entre les rivieres de la Meuſe, du Demer & de l'Eſcaut, & la Zelande. Les villes de Sevenberghen & Gertrudenberg qui ſont de la Hollande, ce qu'il y a du Duché de Cleves, & de l'Archeveſché de Cologne au deça du Rhin. Les villes d'Ordinghen, Nus & Suns, & Brugge, Gladbeck, Dalen, Waſſemberg & Heinſberg, qui ſont du Duché de Juliers.

Triboci. Straſbourg en l'Alſace ſuperieure avec la moitié de l'inferieure.

Vangiones. Ceux de Wormes & de Mayence.

Nemetes. Ceux de Spire.

Treviri. L'Archevêché de Treves, qui comprend outre cela la Baſſe Auſtraſie ſituée entre la Moſelle & la riviere de Nahe, le Duché de Bouillon, & la ſouveraineté de Sedan, le pays aux environs de Mezieres, & la plus grande partie du Duché de Luxemburg avec quelques villes qui dependent de Cologne.

Tungri. Dans ce pays eſt contenue la moitié du Comté de Namur; cette partie du Brabant où ſont les Villes de Tienen, Hannuy, Landen & Halen; une partie du Liege. Tout le Duché de Limbourg, partie du Duché de Juliers, une petite partie du Duché du Luxembourg, & encore une partie de l'Eveſché de Cologne.

Sicambri. M. de Thou les prend pour ceux de Gueldres au deça du Rhin; mais il eſt certain qu'ils ont demeuré au delà, & ont tenu le pays où eſt maintenant une grande partie de la Weſtfalie autant qu'elle s'eſtend entre la riviere de Lippe & le pays de Weſſen. Ils ont encore occupé la moitié du Duché de Berg, tout le Comté de la Marck, & la partie du Duché de Cleves qui eſt au delà du Rhin, mais ils furent exterminez de la Germanie par Tibere qui les transfera dans la Gaule & en abolit le nom.

Ubii. En ce pays eſt compris preſque tout ce qui depend de l'Archeveſché de Cologne, & la plus grande partie du Duché de Juliers.

Eburones. Ce ſont les meſmes que *Tungri.*

Atuatici. Ils contiennent aujourd'hui une grande partie du Brabant, une petite portion de la Flandre, une partie du Henault & de Namur.

N.B. M. de Thou les prend pour *le Brabant.*

Pleumoſii. On ne ſçauroit dire quel pays c'eſt, d'autant qu'il y avoit cinq peuples joints enſemble qui n'eſtoient pas fort grands, leſquels furent depuis appellez *Succomi*, entre leſquels eſtoient *Pleumoſii.* Tout ce que l'on peut faire, c'eſt de deviner que c'eſt ou Tournay ou quelque autre lieu qui n'eſt pas loing de là; mais cela ſeroit contraire à

la narration de M. de Thou, qui dit que ces *Pleumoſii* parlent la langue Germanique.

N.B. M. de Thou les prend pour la *Flandre.*

Livonia. Les habitans l'appellent *Lieffland.* Elle eſt diviſée en quatre parties, Eſten, Lotten, Curland & Semigallen. La premiere eſt occupée par le Roy de Suede, les autres trois ſont ſous la domination du Roy de Pologne. L'iſle d'Oeſd, qui eſt de la Livonie, appartient au Roy de Dannemarck.

Marcomanni. Quoique M. de Thou les prend pour ceux de Moravie, il eſt neantmoins certain que ce ſont ceux de Boheme qui doivent eſtre entendus par ce nom.

Quadi. C'eſt proprement la Moravie, contre l'opinion de M. de Thou qui les prend pour la *Sileſie.*

Sequani. La Franche Comté, la Breſſe, & la haute Alſace.

Sclabi. Il n'y a aucun auteur ancien qui parle de ces gens ſous ce nom, par lequel ſont entendus ceux de *Verdun* qui a été autrefois appellé la cité de Cloux, d'où eſt venu le mot de *Clabi* par le changement ſi frequent de l' *V* en *B*, & par ſuite de temps la lettre *S* a été adjouſtée, comme il arrive aſſez ſouvent aux noms propres des lieux.

Leuci. *Toul.* Ils contenoient encore Nancy, & une partie de la *Lorraine.*

Mediomatrices. *Metz.* Ils contiennent la plus grande partie de la Lorraine.

L'Auſtraſie. Le Palatinat au deça du Rhin, & la baſſe Alſace.

Seguſiani. Le pays de Foreſt & le Lionnois.

Viberi. C'eſt une partie du pays de Vallay.

Veragri. Une autre partie du pays de Vallay.

Allobroges. La Savoie & le Dauphiné ſont compris ſous ce nom. M. de Thou les confond bien ſouvent.

Arelatenſe regnum. Le Royaume d'Arles, ou de Provence.

Pannoniae. Ces pays contiennent la Carniole, la Croatie, la Carinthie, la Stirie, & la plus grande partie de l'Auſtriche, la Boſnie, la Sclavonie, & tout ce qu'il y a de la Hongrie entre le Danube & le Save. Il eſt ſeparé de l'ancienne Germanie par les montagnes, qui ſe nomment aujourdhui Pleyſz, Hengſtberg, Demlberg, Heiſberg, Schnegberg, & Kalenberg.

Alpes Lepontiae. Ce ſont des montagnes qui ſont une partie de celles de Griſons.

——*Rheticae.* Les Alpes des Griſons.

——*Vindeliciae.* Les Alpes du Tirol, qui ſeparent le Tirol d'avec le Duché de Baviere.

——*Juliae.* Les Alpes des Venitiens, ou les Alpes de Frioul.

——*Carnicae.* Les Alpes de Carniole.

——*Cottiae.*

Dacia. Elle contient toute la Tranſilvanie, une partie de la Hongrie, de la Valachie, & preſque toute la Moldavie.

Ex MS. *Extrait d'une Lettre de M. de Thou à M. de Sainte Marthe du* XVII *Fevrier* MDCII.

MONSIEUR. J'ay receu la voſtre avec vos Eloges vrayement dignes de vous, & pour leſquels noſtre France vous a grande obligation. Il y a long temps que j'ay dit à Meſſieurs vos Enfans, que vous deviez tenter le meſme pour les Hommes illuſtres aux Armes, en la vie deſquels il y aura plus de diverſité pour s'eſtendre ſans eſtre contraint d'uſer de redites, comme en ceux que vous avez donné au public: en quoy neantmoins vous avez eu plus d'ennuy que le lecteur n'en aura à les lire. Car vous avez été fort ingenieux à diverſifier un meſme ſubjet ....

Ex MS. *Extrait d'une Lettre de M. Caſaubon à M. de Sainte Marthe, eſcrite de Paris le* XXII *Mars* CIϽIϽCVII.

MONSIEUR. J'ay reçeu de Meſſieurs vos Enfans l'exemplaire de la derniere edition de vos œuvres, qu'il vous a pleu me donner; pour lequel je vous remercie avec autant d'affection comme je reçoy de plaiſir & contentement à la lecture de vos doctes Eſcrits, ſoit en vers, ſoit en proſe. *Il n'appartient qu'à vous de faire des Eloges,* & de comprehendre en peu de paroles ce qui eſt de plus remarquable en la vie de quelqu'un. Je croy que ne ſerez marry, *ſi ejuſdem laudis ſocium tibi adjicio magnum Thuanum; cujus divinum opus alii propter alia mirabuntur, ego non minime propter caſtigatiſſima judicia de tot viris doctis.*

VII.

DE JACOBI AUGUSTI THUANI Teſtamento et Morte.

Illuſtriſſimi viri JACOBI AUGUSTI THUANI Teſtamentum.

A. ☧. Ω.

In nomine ſanctae et individuae Trinitatis.

QUONIAM Deo ita viſum, ut uxor mea chariſſima Gaſpara [a] Chaſtrea, quam mihi fore ſuperſtitem ſemper ſperaveram et optabam, turbato ordine naturae, prior deceſſerit, ego Jacobus Auguſtus Thuanus, omnium maximus ac miſerrimus peccator, morte ejus luctuoſiſſima admoneor, ut de mea ſerio cogitem, et de rebus meis hoc ultimae voluntatis meae elogio ſtatuam.

ANTE omnia gratias quam poſſum maximas ago Deo omnipotenti, quod me ex fidelibus parentibus naſci voluerit, in eccleſia ſua per ſacrum lavacrum regeneraverit, meque in ea ſacramentorum ſuorum participem effecerit, et fidem vivam, non mortuam in animo meo impreſſerit, adjuncta aeternae vitae ſpe, quae in eo conſiſtit, ut credamus in Deum, et, quem miſit, Filium dilectiſſimum, Verbum aeternum ante ſaecula genitum, JESUM CHRISTUM; qui conceptus de Spiritu Sancto in utero beatiſſimae Virginis Mariae carnem in ſaeculo ſumpſit; in ea natus, paſſus, mortuus, et ſepultus eſt; in ea reſurrexit, aſcendit in coelum, captivam ducens captivitatem, et inde largiſſime dona hominibus diſtribuit, pro conſummatione promiſſorum miſſo Spiritu Sancto a Patre Filioque procedente.

IN hac fide me vivere profiteor; et ut in ea ad ultimum vitae ſpiritum conſtanter ac ſine haeſitatione perſeverem, adſiduis quantum poſſum precibus ac lachrimis a Deo contendo; immenſamque ipſius clementiam oro et obteſtor, ut me in peccatis et iniquitatibus conceptum ab humanae infirmitatis pollutionibus repurget, dignumque ex indigno per miſericordiam ſuam efficiat, in quo tanquam in templo ſuo habitare dignetur, mihique paſſionis filii ſui dilectiſſimi JESU CHRISTI meritum ad expiationem peccatorum applicet; ut, quum noviſſima vitae hora non improviſa venerit, ab angelis ſuis in ſinum Abrahae raptus cum ſanctis et electis ſuis aeterna felicitate perfruar.

HAEC praefatus, liberis meis, quos ex humaniſſima et inſolabiliter, niſi quatenus in reſurrectione ſpes, mihi ſemper lugenda conjuge ſuſcepi, tutores do nominoque Henricum Chaſtreum [b] Nancaei comitem illius fratrem, Henricum [c] Burdeliae vicecomitem Petrocoriorum praeſidem, Ludovicum [d] Vicinum ab Ambra, ſororios meos; et, quia propter locorum diſtantiam ſemper adeſſe non poſſunt, eis adjungo Joannem [e] Thumerium Boſſiſium ſacri conſiſtorii adſeſſorem, Renatum Thuanum [f] Bonnolium fratris filium, Jacobum Gillotum, Cyprianum Perrotum, ſenatores Pariſienſeis: quos omneis et ſingulos rogo ut educationis liberorum meorum et adminiſtrationis bonorum curam habeant, conſilioque ſuo et auctoritate juvent eum quem onerarium tutorem nomino ac conſtituo, Martinum [g] Paridem in ſenatu advocatum, amicum et familiarem meum; cui et ejus uxori, quam mea ſemper unice dilexit, habitationem in aedibus meis hac in urbe, quam commode fieri poterit, ex tutorum conſilio aſſignandam, do lego, quamdiu tutela durabit.

BONA mea mobilia et pretioſam ſupellectilem, ſi fieri poteſt, vendi ac diſtrahi nolo: Sed quae ſervari poterunt, eouſque ſervari cupio, quouſque eorum inter heredes meos fiat diviſio.

INTERPR. [a] *de la Chaſtre.* [b] *Nançay.* [c] *Bourdeilles.* [d] *de Voiſin, Sieur d'Ambres.* [e] *de Thumery Sieur de Boiſſiſe.* [f] *de Bonneuil.* [g] *Paris.*

Bibliothecam meam xl amplius annorum ſpatio magna diligentia ac ſumptu congeſtam, quam integram conſervari non ſolum familiae meae, ſed etiam rei literariae intereſt, dividi vendi ac diſſipari veto, eamque communem cum numiſmatis antiquis aureis argenteis et aereis inter filios, qui literis operam navabunt, facio, ita ut etiam exteris aliiſque philologis ad uſum publicum pateat. Ejus cuſtodiam Petro [g] Puteano cognato meo et multis nominibus mihi charo, donec filii adoleſcant, committo, qui et libros MSS. iis qui opus habebunt utendos dare poterit, modo de illis reſtituendis idonee caveatur.

Eum praeterea et Nicolaum [h] Rigaltium in ſenatu advocatum et regiae bibliothecae curatorem, virum doctiſſimum ac juxta probum, rogo, ut filiorum meorum in literis inſtitutionem conſilio et induſtria ſua adjuvent, amicitiaeque noſtrae memores eos officioſe inviſant, et praeceptoribus eorum praeſto ſint.

Historiarum mearum, quas ad Dei gloriam et publicam utilitatem ſine odio et gratia, Deum ipſum teſtor et homines, conſcripſi, paratam editionem, ſi ante quam ipſa edatur moriar, iiſdem committo; praecipioque ut ea in re [i] Sammarthanorum fratrum, qui me in toto opere multum opera ſua et diligentia adjuverunt, conſilio utantur.

Lucubrationes item omnes alias meas fidei eorundem Puteani et Rigaltii committo.

[k] Dominam a Burdelia et Dominam ab [l] Ambra dilectiſſimae uxoris nuper defunctae ſorores enixe ac demiſſe quantum poſſum obſecro, ut, qua pietate et charitate matrem complexae ſunt, eadem liberos ejus proſequantur, ac praeſertim filiarum curam commendatam habeant, ſive in iis matrimonio digne elocandis ſive velandis: quod ante aetatem legibus praeſcriptam et coacte fieri veto.

Corpus meum, quandocunque et ubicunque me mori contigerit, juxta corpus uxoris nunquam ſine honoris elogio et acerbitatis ſenſu nominandae tumulari mando, quod ubi futurum ſit, nondum decrevi, et codicillo ſeorſim, ſi longior vita ſuppetet, indicabo; quo et mihi integrum ſervo de rebus aliis meis, legatis et largitionibus in eos qui nunc ſunt, et poſt in mea familia erunt, erogandis amplius ſtatuendi, ita tamen ut nihil huic meae voluntatis teſtationi derogetur, quam firmam validam ac ratam eſſe volo.

Ego Jac. Aug. Thuanus corpore validus, ceterum de morte quaſi in propinquo ſit Chriſtiane cogitans, propria manu ſcripſi ac ſubſcripſi. Actum in [m] aedibus Palatinis illuſtriſſimi Achillis Harlaei quondam ſenatus principis meritiſſimi, ſororii mei, ad quas dolori tanto ſolitudinem quaerens me contuleram, iii Eid. Quintil. anno R. S. cIↃIↃcxvi.

Vigesimus praeteriit et centeſimus
Dies, reclini corpore ex quo in ſellula
Humili recumbo, ſternor aut ſupra torum;
Tandemque plane clinicus jaceo domi,
Inter dolores languidum corpus trahens,
Pejor priore ſemper et ſequens fuit.
Tentata, te monente, nequicquam omnia,
Amice Thumeri, debeo cui vitam hactenus.
Aſclepiadum ceſſit in vanum labor:
Fruſtra rogatus et bonus [n] Renealmius
Peculiaris abdita artis pandere,
Stertit profundum nocte, dum crucior miſer.
Quid jam amplius moramur in terreſtribus,
Graviora morbo et experimur remedia?
Tentanda coelo per pias preces via:
Nec vita tanti eſt, tamdiu, ut vivas, mori.

Non. Mai. cIↃ IↃcxvii.

A.

INTERPR. [g] *du Puy.* [h] *Rigault.* [i] *de Sainte-Marthe.* [k] *Madame de Bourdeilles.* [l] *d'Ambres.* [m] *au Bailliage du Palais.* [n] *Reneaulme.*

A. ☧. Ω.

Heic in quiete buccinae exſpecto ſonum,
Animas jubebit quum ſolutas ad ſua
Humi relicta transſvolare corpora,
Interque functos ultimae ſententiae
Judex ſedebit et ſuperſtites Deus.
Ubique quae ſervata ſemper ab omnibus,
Hanc ipſe, quantum corporis non noxii
Hebeſve ſenſus ingeni non obſtitit,
Teneris ab annis uſque ſervavi fidem.
Mihi culta corde ſancta non ficto Trias,
Et criminis crux expiatrix non ſui.
Mihi veritatis cura vitae commodis
Antiquiorque charitatibus fuit,
Nullique facto, voce nulli injurius,
Injurias patienter aliorum tuli.
Tu, quiſquis es, qualiſque quantuſque, o bone,
Si cura veri eſt ulla, ſi pietas movet,
A me meiſque injuriam, quaeſo, abſtine.

Ex MS. *Viro illuſtri J. A. Thuano Daniel Heinſius S. D.*

Acerbissimum dolorem, quem ex illuſtriſſimae matronae conjugis tuae, olim tibi dilectiſſimae, nunc beatae memoriae, obitu contraxiſti, nobiliſſime et ampliſſime Thuane, ut in magnis viris nihil fama patitur latere, etiam nunc peregrini loquuntur. Quantum enim unus tu plurimis aetatibus ac gentibus immortali illa tua hiſtoria lucis ac vitae dediſti, tantum tibi ab eadem nominis acceſſit ac ſplendoris, ut, ſi velis maxime, in obſcuro agere aetatem minime liceat. Celebrator temporum tuorum et quae tua antecedunt, tot illuſtrium virorum ac magnarum animarum vindicator, aliquando argumentum aliis futurus es, qui nunc mores tuos, vitam, ingenium accurate intuentur, ut intelligant an praeclarus ille animus, qui candore inaudito, inuſitata generoſitate, illo tempore quo calumniis et ſimultatibus latrocinia exercent Chriſtiani et in partes ſuas regna trahunt et eccleſias, invidiam provocare auſus eſt, contra impetum fortunae et incertos rerum humanarum caſus aliquid praeſidii ſibi diu vivendo ac ſcribendo comparaverit; an vero ſimul increpuerit, tanquam imbellis tyro, bene ſecum agi putet, ſi, quod in comoedia eſt, tecto latere abſcedat, hoc eſt, ſibi inviſus et gravis, amicorum et officiorum fugitans, nullum niſi ex doloris intemperie ſolatium petat. Atque ego quidem, vir maxime, cum ex ſummo ampliſſimoque viro Benjamino Maurerio, regis legato, hanc domeſticam calamitatem tuam accepiſſem, pro eo ac debui moeſtus et dejectus fui animo, ſupra quam aut dici aut credi poteſt, ab aetate prima nominis ac dignitatis tuae ſtudioſus atque obſervans: Sic enim mecum cogitabam, nullum eſſe majus homini ſolatium. quam in commodis uxoris moribus; individuam illam vitae conſuetudinem non ſingularem modo habere voluptatem, verum, ſi quid aliud in rebus humanis, ſapientis quoque occupare et expugnare animum; ſi praeſertim vincula conjugii pignora accedunt, quae, ut matre ſuperſtite animum oblectant paternum, ita, amiſſa illa, quoties conſpiciuntur, toties dolorem renovant, toties materiam moerori ac occaſionem praebent. Sciebam aliquandiu domo abfuiſſe te, aliquandiu ejus et tuorum omnium, dum patriae vacare cogeris, conſuetudine et praeſentia caruiſſe; rediiſſe ea ſpe potiſſimum, ut, quam e calamitate reipublicae ac miſeria acerbitatem hauſiſſes, eam domi in complexu tuorum deponeres; ex uxore illuſtriſſima tot tuorum caſuum ac vitae participe, liberorum aliquot parente, nobiliſſima, prudentiſſima, et, quod omnia haec ſuperat, mariti amantiſſima, aetate ea quae ineptiarum omnium immunis verum conjugii fructum animi conjunctionem putat, ſolidum ſolatium peteres. Id

a praeter

praeter expectationem nunc ereptum eſſe, ut cum domo abſens multa dictu gravia, perpeſſu aſpera, ut ille loquitur, audiveris aut videris, nihil tibi gravius evenerit, quam ea lege domum rediiſſe. Haec cum mecum cogitarem (neque enim ferream illam Stoicorum ſapientiam unquam in vita probare potui) cogitare coepi denuo quis eſſes. Eſſe te hominem ab ineunte aetate iis artibus imbutum, quae contemptum vitae et fortunae inconſtantiam ob oculos ponunt; ſcripta ſapientum ac praeclara dicta, quae hoc unum fere inculcant, prope cum lacte imbibiſſe; defunctum iis ſtudiis, non cum libris, ſicuti ſolent qui nihil majus poſſunt, ſed cum caſibus humanis ac fortuna ipſa, in aula, in curia, congreſſum eſſe; in ea gente eſſe natum, quae, ut omnibus ingenio, judicio, et cultu literarum antecellit, ita totum fere ſaeculum omnibus mutationibus obnoxiam rempublicam habuit, in qua factiones civiles, ſaepe ab aliis cauſis, ſaepiſſime a religione exortae ſunt, quae, ut cetera ambitioni noſtro tempore ſervire coepit, olim ſacramentum pacis, nunc diſcordiarum vel praetextus vel occaſio. Cogitare mecum coepi quot vel inteſtina bella, vel tumultus in republica, vel lanienas vidiſſes. Converte oculos ad illud tempus quo reſpublica et vidua et orba fuit; quo Henricus magnus, amor non unius populi, ſed generis humani, unico momento felix et cadaver fuit; quicquid ex hoc tempore evenit ſilentio involvam, ne aut dicam quae vidiſti, aut memoriam eorum tibi revocem quae ſine indignatione, ſatis ſcio, et dolore acerbiſſimo non potes meminiſſe. Cogita tot urbes, tot villas, tot agros aut direptos aut vaſtatos a ſuis; tot honeſtos homines exutos dignitate aut ſpoliatos; patriam ipſam, quae, ut ſola praeda fuit omnium ac ſpolium in bello, ita magis fluctuat in pace, cumque unius imperio regatur, adhuc neſcit cui ſerviat: in his omnibus ſi nihil gravius evenit tibi quam quod conjugem amiſeris, nae tu multis es beatior: Nam vir natus ad ſalutem laborantis patriae, et in ea ad tutelam poſitus, pleriſque es diſſimilis, qui in tanta publica calamitate nihil habes niſi domi quod deſideres. Uxorem amiſiſti; grave vulnus, fateor, ſed ſi hoc excipias quod talem amiſiſti, dicam tibi idem omnibus quotidie evenire, et in ea urbe in qua tu habitas, plurimis eodem die. Uxorem amiſiſti; ſed quam multi patriam amittunt, aut, ut loquar de hoc tempore, quam multos patria amittit, imo ejecit? Quot eximii et illuſtres et conditionis tuae viri fortiter exilium tulerunt? Quot, cum optime eſſent de republica meriti, quam beatam ipſi fecerant, ingratam ſunt experti? Non Plutarchos nunc, aut T. Livios, aut Xenophontas in medium producam, ut exempla gravitatis in adverſis et conſtantiae ex iis petas: ignoſcant mihi manes maximorum virorum, amplius Thuano et integritati ejus aetas noſtra debet: Ad te et praeclara monumenta tua ablegandus es. Vin' tu, prudentiſſime virorum, aliquando cogitare, patria incolumi ac ſalva, nihil eſſe quod excelſus animus amittat; amiſſa hac ac perdita, nihil eſſe tanti quod deſiderare debeat? Ne de Scipionibus, Coriolanis, et Camillis amplius loquamur per te effectum eſt; noſtri temporis exempla omnes docuiſti, quae, cum cetera ſcholarum fere finibus contineantur, tales ſunt qui legunt et uſurpant qualis eſt qui ſcripſit. Velis nolis, voluntatem tuam et judicium terrarum orbis manu tua conſignatum tenet; quicquid tam facunde commendaſti, niſi praeſtas, conſcientia mortalium urgeris. Nihil Hoſpitalius amiſit vir coeleſtis, quem cum tota Gallia non caperet, ne videre quidem in republica maluit; qui ſi nunc ex eo loco in quo placide quieſcit ad vos, et potiſſimum te, veniat, cujus opera nunc vivit, et his verbis te compellet: “ Ego quidem quamdiu vixi, patria volente, hoc egi ut incolu-
“ mis, ut ſalva per me eſſet; nolente illa, hoc quod volui et potui, ne quid me indignum
“ committerem. Quae et in republica et extra eam geſſi quod nunc in memoria mortali-
“ um et recordatione vivant et in poſterum victura ſunt, eruditioni et candori tuo de-
“ beo, qui virtutes aevi tui, et praeſertim popularium tuorum, praemio aeternitatis do-
“ naſti. Quo mortale genus contra fatum obligare tibi magno pergis animo, et exemplis
“ contra vim fortunae et licentiam munire? quibus unum ut conſtantiae adjicias, amici te
“ rogamus, ne auctoritate tua te invadant, qui virtutes tuas ideo oderunt quod multorum
“ per te vident illuſtratas eſſe. Amiſiſſe uxorem nobiliſſimam matronam et te uno dig-
“ nam audio, quo moerore penitus confectum lucem et congreſſus hominum vitare. A-
“ deone novum hoc videtur tibi, qui per tot ſaecula complexus animo et ſcriptis rerum
“ humanarum indicem ac tabulas poſteritati conſervaſti? Adeone de republica non cogi-
“ tas, vir tantus et pars ejus tanta? quae ſi eſt incolumis, ſolatium ex illa pete; ſin

“ everſi

“ everſa eſt ac nulla, minus eſt quod amiſiſti.” His ſi, inquam, tantus vir nunc tecum ageret, credo, vel auctoritate ejus vel exemplo, ſi praeſertim aliquid adjungeret de ſuis, manum veritati dares. Puta nunc illius ore rationem loqui tecum, omnes eximios et claros qui ſuperſunt nunc viros petere a te, ut cum Deo, cum republica, cum libris, et praeſertim ſcriptis tuis immortalibus, poſtremo tecum, redeas in gratiam. Cogites quidem quantum amiſeris; primo, conjugem; ſecundo, ſingularis foeminam exempli; poſtremo, voluptates tuas et delicias: ſed cum iſta cogitaſti, unum adde, hominem fuiſſe, et te talem eſſe; non e plebe, non obſcurum aut ignotum; ſed in ſummo et illuſtri loco poſitum; ſed quem omnes legunt, omnes intuentur, a quo omnes ſapientiae praecepta petunt; natum tali loco, ante annos eruditum ac prudentem, contra improborum vota cito dignitatum ac honorum compotem, et paternae togae prope heredem. Cogita quid illa amiſerit; quicquid tibi diſplicet et bonis; miſeram rempublicam, et poſt tot tantoſque motus nondum conſtitutam. Cogita quid conſecuta ſit, vitam nullis caſibus expoſitam, regnum nullis factionibus obnoxium, et quod uni regi ſervit, immortali et aeterno; conſuetudinem ſanctorum angelorum, beatorum martyrum, ipſius Jeſu Chriſti, qui coronam vitae ſolus habet et diſtribuit. Haec ſi ipſe expectas, noli invidere illi cui prius contigerunt, aut dolere ejus vicem, quae, ſi non omni ex parte felix eſſet, aequius doleret noſtram, quibus cum malignitate aliorum et infirmitate noſtra adhuc decertandum eſt, qui caduci, fragiles, mortales ſumus. Atque haec non potui, vir maxime, quin ad te ſcriberem, partim quod dolorem tuum ſingularem, cum multarum rerum optimarum et ipſius regni detrimento, indulgere ſibi audiviſſem, partim quia ſummam meam in te obſervantiam teſtari iſta ratione volui; qui, ut tecum lugeo, ita a te peto, ne moerori tuo plus in hac fortunae tempeſtate quam exiſtimationi tribuas; a quo univerſus orbis ſpecimen candoris, generoſitatis, eruditionis habet, nunc conſtantiae expectat. Vale, vir ampliſſime, et amare nos perge, qui te colimus.

Lugd. Bat. anno 1616, VII Aug.

Ex Rigaltii vita P. Puteani, Pariſ. 4to. 1652. *p.* 31.

TEMPORA ſurrexerant feracia trutinarum in bono aeque atque in malo ſtultiſſime vel improbiſſime judicantium. Quae res [Thuano] viro malitiarum et calumniarum intolerantiſſimo, etſi vixdum ingredienti ſenectam, adeo diſplicuit, ut, corporis et animi viribus adhuc integer, nemini quicquam, ſed ſibimet ipſi gravis; accedente ſub initium aegritudinis clade domeſtica, conjugis amatiſſimae obitu; poſt menſes inde novem ſtomachico ſcirrho in gangraenam efferato deceſſerit.

Ex epiſt. M. F. Limerii ad G. Camdenum dat. Lut. Pariſ. poſtridie Idus Maias 1617. *in Syll. epiſt. Camd. in* 4to. *p.* 183.

SUPPLICIUM Ancorani, et quae circa illud erant, nuper ſcribebamus, mi Camdene. —Inter publica gaudia fatum obiit Aug. Thuanus, dignus certe qui majori et firmiori etiam gaudio frueretur. Cauſam mortis referunt aegritudinem ex morte uxoris et publicis diſſidiis, quae probum virum non minus quam privata jactura affecerant. Sic vixerat, ſic obiit in Domino.

Ex Fr. et Jo. Hotomanorum et clariſſimorum virorum ad eos epiſt. ex biblioth. Ja. Gul. Meelii, Amſt. 4to. 1700.

Ex ep. Jo. Hotomani ad Gul. Camdenum, p. 405.

QUO tempore poſtremae mihi literae tuae peramanter ſcriptae reddebantur, una cum aliis tuis ad Gothofredum noſtrum literis et praeſtantium aliquot Angliae veſtrae hominum effigiebus, quas Puteano et aliis communibus amicis abs te prius ſalutatis oſten-

di, ambiguo (ut ita dicam) adfectu ob interitum Ancraei tyranni noſtri laetabamur, et ſummi illius ac nunquam ſatis laudati viri D. Thuani mortem lugebamus. Et certe ob lumen hoc Galliae noſtrae, audebo etiam dicere, reipublicae Chriſtianae, mature nimis et prius quam operi egregio et utiliſſimo ſupremam manum imponeret, extinctum, perpetuo lugebimus. Mortalitatis igitur memores optamus, ne tibi, vir clariſſime, idem eveniat, et Elizabetham tuam imperfectam relinquas veremur, quam Gallus quidam, vir honeſtus, non tamen mihi ſatis notus, in Gallicum, ut audio, ſermonem vertendam ſuſcepit, ſi modo a cancellario noſtro privilegium impetrare poſſit: de quo te monendum cenſui, ut ſi quid vel addere vel mutare voles, id opportune facias.

Lut. Pariſ. IX Junii 1617.

Ibid. p. 406. D. Jo. Hotomano Gul. Camdenus.

SPLENDIDISSIMUM illud Galliae ſidus, optimum Thuanum, immaturo occaſu, maximo reipublicae literariae damno, extinctum eſſe, non ſatis dolere poſſum. Extinctum quid dico, qui ſaeculis innumerabilibus magis magiſque reſplendebit? Praeivit ille; nos eo ordine, quo Deus juſſerit, ſequemur. De teſtamento vere Chriſtiano et tanto viro digniſſimo gratias, quas poſſum, longe maximas habeo. Vix credas quam bonis apud nos placeat. Exemplar meum urbem obambulat, et vix domi continere poſſum. Annales meos Gallice eſſe converſos equidem non invideo, miror magis; ut non edantur opto, priuſquam emendatiores, auctiores, et cum aliquot annorum ſupplemento denuo Latine prodeant, quod propediem futurum ſpero. Interim ſi has emendationes interpreti impertias mihi gratiſſimum feceris.

Lond. VII Jul. 1617.

Ex Syll. epiſt. Camd. in 4to. p. 186.

Petrus Puteanus Gul. Camdeno S. D.

IGNOSCE, quaeſo, vir clariſſime, tardo ſcriptori, et reſponſionis tam ſerae et breviſſimae cauſam accipe: Mors illuſtris viri Jacobi Auguſti Thuani, quae me ita oppreſſit, ut nil niſi in ſolitudine ſolatium quaero, ut libentius dolori tanto indulgeam. Obiit, obiit, vir amiciſſime, lumen Galliae, vel potius Europae; candor ipſe, probitas, et eruditio: et, ſi verum dicere libet, nunc nil niſi mera barbaries, praecipue apud nos, ubi ſpecie recti ducimur, ſolidam virtutem negligimus, imo contemnimus. Clariſſimus Hotmannus amicus noſter ad te miſit, ut audio, teſtamentum illius magni viri: pietas non fucata in eo mire elucet, probitas item non vulgaris, et amor ſummus in literas et literatos, cum honorifica noſtri mentione.— Raphaelem Thorium, praeſtantiſſimum medicum et eruditum, a me, niſi grave eſt, ſalutes velim; ab eo omnes boni et eruditi verſus in obitum illuſtris Thuani exſpectant, et a te, ſi te Muſae delectant.

Luteriae Pariſiorum IV Kal. Junii 1617.

Ex MS. *Clariſſimo viro Petro Puteano Gul. Camdenus S. D.*

TRISTE illud nuncium, Fatorum invidiam Thuanum illum, virorum optimum et Galliae ornamentum, vobis, nobis, et univerſae reipublicae literariae abſtuliſſe, ex triſtibus Limerii mei literis jamdudum accepi, et ſine teſte pro eo ac debui indolui. Verſibus quo minus dolorem teſter, Muſis arridentibus non ego natus; illas tamen juvenis colui, ſed tritum apud nos diverbium eſt, a poetis perinde ac a tonſoribus ſeneſcentibus, nihil comptum, nihil terſum, nihil calamiſtratum: quod vero potero, tantum virum admiratione proſequar et imitari gaudebo, qui aeternam vitam anhelans hanc tam pie in Domino et teſtamento vere Chriſtiano confecit; de quo gratias habeo ingentes. Ecce autem quid

quid rependo? pro auro orichalcum. Exemplar Domino Thorio tradi curavi. Nihil jam prius mihi in votis quam de Antonini Itinerario in regia bibliotheca, quod Caſaubonus et Fredericus Lindenbrogius mihi tantopere praedicarunt, a te plenius intelligere, et Britanniae itinera et inſulas emendatiora videre; ut, qui plurimum tibi debeo, plus debeam. Vale, vir optime.

Londini XXVIII Junii ſtylo vet. MDCXVII.

Ex Syll. epiſt. Camd. in 4to. p. 399.

In mortem viri undiquaque incomparabilis JACOBI AUGUSTI THUANI.

SI quis adhuc ſupereſt, qui perdurabile quicquam
Aut certum inſtabili credat in orbe dari,
Nos videat; nam qui modo libertate recepta,
Gallia, condidimus [1] carmina laeta tibi,
Nunc elegis moeſtis cantamus fata THUANI
Triſtia: laetitiam, Gallia, mitte brevem.
Vix dum bis ſenis licuit gaudere diebus,
Et novus heu miſerae jam tibi luctus adeſt.
Umbra voluptatum dolor eſt, et maxima ſaepe
Gaudia luctificis ſunt maculata malis.
Occidit heu ſaecli noſtri lumenque decuſque;
Vir lingua, ſcriptis, conſilioque potens.
[2] Qui fata haud metuens, extrema mortis in hora,
Humanam potuit carmine flere vicem.
Hic ille ingentis plaga quem vaſtiſſima mundi
Noverat, in tumulo jam jacet exiguo.
Adſunt diſcinctae Charites, ornantque ſepulchrum
Floribus, et crebris fletibus ora rigant.
Adſunt Pierides etiam, moeſtiſſima turba,
Et planctus tumulo dant lachrimaſque ſacro.
Quas inter certant Erato ſimul atque Thalia,
Hunc ſibi jure ſuo vindicet utra virum.
Illa affert magnos, miranda volumina, faſtos:
Haec affert docti carmina vatis opus.
Gallia tota gemit, cum per quem vivet in aevum
Omne datum durae conſpicit eſſe neci.
Nos quoque, qui vivum ſemper ſuſpeximus, udo
Ploratu et calidis ora lavamus aquis.
At tu, quem rutilum dicunt in morte tyranni
Nubibus e mediis exeruiſſe jubar,
Sol lucis genitor, miſeranda in morte Thuani
Debueras atra condere nocte caput.
Haec tamen in tanto reſtant ſolatia luctu,
Quod vix-dum mortem ſenſerit ipſe ſuam.
Namque fluens lente per venas ſanguis apertas,
Deſtituit pigro torpida membra gelu.
Ergo dolor mortis ſolos nos tangit, at ipſe
Evaſit quidquid mens habet atra mali.
Sic etiam decuit; tranquillae pacis amator
Qui fuerit, placide debuit ille mori.

Felix

NOT. [1] Ex occaſione ſcilicet caedis mareſchalli Ancraei. Vide Syll. Epiſt. Camd. in 4to. p. 401. [2] Hoc diſtichon reſpicit carmen teſtamento Thuani in utraque editione Genevenſi atque adeo hac noſtra proxime annexum, Nonis Maii, quo ipſo die obiit, ſubſcriptum.

Felix hoc etiam dicendus nomine, quod te,
  Gallia, pacatam viderit ante necem.
Ipſum equidem extrema ſic eſſe in morte locutum,
  Talia vel tacite ſecum agitaſſe reor.
" Summe Deus, forti dextra qui cuncta gubernas,
  " Ad te nunc alacri ſubvolo mente lubens.
" Uxorem amiſſam paſſu ſequor ipſe citato,
  " Hanc iterum reddet jam nova vita mihi.
" Geſtio Scaligerum coetuſque videre piorum;
  " Verum haec laetitiae eſt maxima cauſa meae,
" Quod poſt me pacem patria in tellure relinquens,
  " In pacem aeternam, non rediturus, eo.

Ex MS. *Clariſſimo viro Petro Puteano Raphael Thorius S. P. D.*

INAUSPICATUM amoris veſtibulum eſſe videtur a morte nata occaſio, vir clariſſime; ſed videtur tantum: bonis enim feliciſſima eſt in mortis imagine virtutis exercendae et colendae amicitiae materia. Mors Caſauboni fecerat me notum Auguſto Thuano: Thuani obitus eſt mihi jam apud te proxeneta: de futuro non libet ominari: Sic imperat generis humani auctor, ut mutuum in hac vita amorem futurae poſt mortem charitatis umbram tantum eſſe intelligamus. Dicam ingenue, nihil mihi unquam contigerat laetius magni Thuani oblata amicitia, ſublata nihil gravius, nihil acerbius. Ejus tamen jacturae ſolatium aliquod in tua benevolentia videor mihi praeſagire; putaſti me dignum ſcilicet, cui expreſſam teſtamenti tabula tanti viri effigiem impertires, quemque inter funeris procuratores eligeres. Ego vero, etſi confixus dolore non ſufficerem operi, nec auderem ad concentum muſicum inter veteres poetas accedere, auſus ſum tamen in ſolitudine, magno amico, ſed nimis caduco, juſta perſolvere, eo ſono, quem tantae virtutis amor et admiratio efformarunt. Hic ego non tam flevi mortuum, quam applauſi beato; nec tantum, ante etiam abſentem, deploravi, quantum omni honore cumulatum celebravi; ut meum carmen ſit non tam Epicedium, quam Epinicium. Egi vero ſegniter et lente, ut otium et animus ad alia intentus tulerunt, nec formidavi Tiberii ſarcaſmum ad legatos Ilienſes. Id unum volui, ut extaret apud te et tui ſimiles qualecunque animi mei in decus illud ſaeculi teſtimonium. Vale.

Londini VIII Nov. 1617.

Ex MS. *Epicedium ampliſſimi viri Jacobi Auguſti Thuani.*

ESTE procul, viles lachrimae, quarum omnis ab aegro
Rivus corde fluit, procul inſolabile carmen,
Et dolor effraenis; virtus animoſa THUANI
Caeco emerſa lacu, toto clariſſima coelo,
Averſata ſitum et molles exoſa querelas
Florentes gemitus robuſtaque funera poſcit.
Cur, Natura, negas? cur, quae pugnantia firma
Pace elementa ligas, adverſo pectore ſenſus
Conſpirare vetas? rapidis ſufflamina curis
Cur prohibes, facilique paras auctaria damno?
Nil periit mundo; mortales corporis artus
Liquit humi, ingenium chartis, optabile ſaeclo
Obtulit exemplum: magnum et ſine crimine nomen
Noſtra colit, venienſque magis reverebitur aetas;
At felicem animam primordia ad alta reverſam
Sidera habent, meliuſque recepta coelite lucent.

a Flere

Flere tamen geſtis, diſperſaque munera in ortus
Ire ſuos quereris, totumque requiris alumnum;
Nec leges fers ipſa tuas; quae vulnera figis,
Fixa gemis; ſolvis gemitum, plorasque ſoluto.
Fas etiam: ſed vos naturae dicite legem,
Pierides, juſtos flendi praeſcribite fines,
Atque praeite ſono; vobis Auguſta voluntas
Et mentis patuere fores; quibus ille moveri
Vocibus et quali curas mollire ſolebat
Carmine, noviſtis: Themidis poſt ſacra canenti
Dulce fuit poſito vobis attendere plectro,
Saepe retentatis gratum colludere chordis.
Vos oneri tanto vires ex ubere cenſu
Sufficite, et pleni ſcintillam e pectoris igne,
Quo mihi lenta fluat glacies, accenſaque ſancto
Flamine per notos ſurgant praecordia cantus;
Et liceat vati, ne vox aliena bibentem
Angelicos ſonitus rauco ſtridore fatiget,
Flere Thuanaea divinum voce Thuanum.
Non inſueta peto; veſtris bona prima, ſorores,
Subdidit arbitriis; neque nos de gente profana
Venimus oratum; quanquam veſtra oſtia raro
Percutimus, nondum tamen inviolabile foedus
Laeſimus, Aonias aut ejuravimus aras.
 O ſi viſa mihi, qualem coeleſtibus eſſe
Credibile eſt, et quae miracula tanta tegebat,
Spirantis facies! non jam mihi Apolline multo
Eſſet opus, doctae non mendicare cohortis
Subſidium, et totam votis obtundere Cirrham:
Sola viri ſpecies, animique nitore coruſcans
Vultus, et e placido bona mens ſpectabilis ore
Vim daret, atque humiles in coelum attolleret auſus.
At nunc fama levis, ceu nocte volatilis umbra,
Circuit in ſomnis, jamque expirantis imago
Lethi ducta manu, ſenſuque excepta ſoluto,
Inchoat ignavos incerta in mente calores,
Atque opere in medio meditantem carmina lauro
Digna, ſoporato vacuum languore relinquit.
 Ipse adſis igitur, mentiſque e lumine vivo,
Seu magnus genitor, lux olim prima ſenatus,
Cervici incumbit, vatum ſeu Memmius hoſpes
Te tenet, Hoſpitii ſeu notus voce Michael,
Funde leves radios, tardiſque volatibus auram
Adſpira, et proprii quanquam ſecurus honoris,
At concede Dei de te tranſcribere laudes.
Ille ſinu e medio tenerae ſua ſemina menti
Sparſit, cumque novis adoleſcere jugiter annis
Juſſit, et in fructus tandem prodire ſeniles.
Inde accenſus amor veri, cui vanus honorum,
Poſthabitis cenſurae odiis, et vilis habendi
Ceſſit amor, famaeque ſitis, vitaeque cupido.
Hinc primus virtutis apex, hoc fonte bonorum
Crevit luxuries, hinc veri candida cultrix
Manavit pietas, fluviis felicibus omni

Exundaſſe potens patria, niſi lividus ardor,
Palponumque lues, et ſaecli ruſticus olim
Deliraſſe pudor, ſecreto ex amne ruentes
Aggeribus poſitis tenuiſſet carcere fluctus.
Quod tamen invito fremitu feciſſe licebat,
Feciſti, intrepidis auſus mandare tabellis
Aetatis monimenta tuae, quo lumine verum
Prodiit e latebris, quam ſaevo daemone mota
Vis Erebi, et quantis armata furoribus ortam
Sanguinis aggreſſa eſt rivis extinguere lucem,
Quas dedit ambitio turbas, quos dira libido
Regnandi trepido conflavit in orbe tumultus; .
Qualia rerum avidis, multum variante theatro,
Ruderibus modo tecta ſuis, modo ſidera tangens
Gallia, bis * denis peperit ſpectacula luſtris.
Nec tamen interea tuguri ſub tegmine clauſus
Luctantis patriae concuſſum turbine clavum
Deſeris, ignavis permittens omnia votis:
Non etiam ferro crucibuſque improvidus offers
Conſilii locuples populoque ſalubre furenti
Pectus; at aequanimi fretus moderamine ſanctas
Opportuna ſagax ſervas in tempora leges,
Priſca quibus coeant animorum vulnera; menti
Redditus ut ſanae poſt tot deliria civis,
Plaudentem ſpoliis miſerorum et ſanguine pinguem,
Opprimat unitis peregrinum viribus hoſtem.
   Coram tantus eras, ſeu ſeditione labaret
Inteſtina ſalus, ſeu res externa ſenile
Poſceret arbitrium, ſeu multa ambage volutae
Cordato inciderent reſecandae judice lites.
Sub cute qualis eras, et quem domus ima tegebat,
Non ego, dicat Amor; dicat plorata marito
In ſummam uſque diem lachrimis vitalibus uxor;
Parvaque progenies, non tam ſuppleta parentis
Innocuis opibus, patriis quam dives amicis.
Conjuge ſic rapta, tectis lanugine natis,
Immoritur gemitu ſicca ſuper arbore turtur.
Dicat et ignaris experta Lutetia terris,
Ut domus Auguſti templum fuit, ut pia cultum
Incoluit pariter cordis penetralia Numen;
Ut pax interior majora ad fraena magiſtrum
Erudiit: quod ſi populi bona fata dediſſent
Obſequium, nullo melius res Gallica ſtaret
Conſule, nec regnis magis invidioſa propinquis.
Ut vero urbs ſileat, conjuncta Europa loquetur,
Quam nullus tanto fortunae in culmine faſtus,
Virtutumque choro, doctrinae et divite gaza,
Non modo conſpecti ſuffurabatur amoris
Igniculos; miſſis ſed vocibus undique lectos
Longius oceano, ſi quantulacunque micaret
Virgula ab ingenio, ſibi deſpondebat amicos.
   Haec erat omnigenae virtutis ſumma, beatae
Porta viae, legis ſupremae finis, amare
Mente Deum, et cunctos uno de ſemine fratres.
Ille ſui laudatus amor, non corporis eſcas,

Mella

NOT. * *Potius ſenis: Thuani enim hiſtoria* LX *circiter annorum ſpatium complectitur.*

Mella voluptatum, perituræ pabula maſſae,
Quaerere ſolicitus; clauſae ſed ſternere menti
Promptus iter coelo, poſtquam de carcere fracto
Ibit, et e vinclis ad libera templa volabit:
Namque luto curiſque datum ſatis eſſe monebant
Corporis in terram gravitas ignava ruentis,
Et levitas elata animi ſalientis ad aſtra,
Atque humanarum ſpontanea taedia rerum.
Sed tibi propoſitum quanti cum roboris hoſte
Pugna futura prius, quae vis, quae monſtra, quis aſtus
Eluctanda tibi, torva cum fronte ſuperba
Mors aderit, figetque pedem, quatietque minaci
Pectoris in latebras funeſtum haſtile lacerto:
Jamque trucem expertus virides in conjugis annos
Deſperas propriis parcentia ſpicula rugis.
Sed nec ames, animae poſſis nec vulnera truncae
Ferre diu; quaerenda tibi permiſta beatis
Eurydice, et viva mortis per tela fruendum.
Providus hic miles truculentis moribus hoſtem
Sub tecta invitas, diſcas ut ferre feroces
Hoſpitis obtutus, ut circumſtantibus armis
Arma pares contra, notas ut cominus artes
Artibus eludas, ſubito ne territus ictu
Molliter occumbas, maculamque prioribus addas
Laudibus, et pulchram mors finiat abſona vitam.
Illa thoro deinceps rapta pro conjuge juncta
Accubat, illa cibis: non ſacris illa vacantem,
Non Phoebo intentum vel amico deſeret horto.
Triſtibus in ſomnis quoties coeleſtis oberrat
Abſentis ſociae vultus, ſimul obvia mentem
Solicitat jucunda comes, nec ut ante tuendo
Terribilis gratam circumſonat auribus horam.
Sic leo conſuetus catulae nec ſuſcitat ungues,
Attollitve jubam, flammas nec lumine vibrat;
Nec viſo illa tremit, caudam nec ſubjicit alvo,
Horreſcitve pilis; odii ſed utrinque, ſed irae
Immemores, ſtabulo placide paſcuntur in uno,
Et tutos obeunt in eodem ſtramine ſomnos;
Donec ad ingenium feritas innata recurrens
Non expectata praeſepia ſtrage cruentet.
Sic monitus, quicquid vano male pondere tardat
Accinctum, removes; quicquid loca celſa petentem
Deprimit, ablegas animo procul; arma ſaluti
Deſignata rapis; longo proviſa ſupellex
Tempore virtutum (nec enim fallacibus audes
Credere blanditiis) ſummos revocatur in uſus.
Tum media intrepidus proſtas luctator arena
Cunctantemque vocas, vitae totius amicis
Conſtiterit ſimul ac ratio, patriaeque petenti
Jure ſuo, quo quiſque modo ſua tempora civis,
Quo ſtudia et vires et opes impendit avitas,
Et qualem in tenera patrem ſe prole relinquit.
Hoc quoque agis, genii vultum gaviſus aperta
Exprimere in tabula, curamque extendere longe
Poſt tumulum, et grates de poſteritate mereri.

Tum proclinanti patriae meliora precatus
Quam tranſacta ſibi, venientem ex agmine longo
Morborum, propriis diffiſum viribus hoſtem
Praeſentis, duplicaſque animoſi pectoris aeſtus,
Major ut ancipiti ſurgat tibi gloria pugna,
Certaque de dubio diſcrimine praemia tollas.
Arma fides tibi, ſpes tibi, amorque Deique hominumque,
Tectaque multiplici triplex patientia parma,
Et quibus acceptum, parili ſine vulnere, vulnus
Perferat illaeſo firmum munimine pectus:
Non feriendo etenim de cuncta domante magiſtra
Morte triumphatur; vicit qui ſponte receſſit.
Viribus aegra ſuis, furiiſque amentis [1] Etruſci
Gallia fatali lymphata ruebat ab oeſtro:
Te pietas antiqua ſubit; labentis imago
Viſcera tranſadigit, ſuadetque cadente libenter
Oppetere, et patriis nunquam ſupereſſe ruinis.
Jamque fatiſcebant fracti cruciatibus artus;
Integra vis animi, nullo turbata tumultu,
Lenta retractabat ſtricti divortia nexus;
Diſceſſuſque vias, et nullo cognita ſenſu
Gaudia cum ſuperis aeterna in luce notabat;
Cum baſiliſcus atrox, terrae populator, et aurae
Peſtifer infector, regis cecidiſſe ſagittis
Fertur, ad obtuſas et venit nuncius aures
Donatam patriae cum libertate ſalutem.
Erigis hic ſubito viſus, manibuſque caducis
Solvis vota Deo, et ni te potiora manerent
Praemia, ſervato gaudere ut cive liceret,
Differre implacida malles cum morte duellum,
Et dare conceſſos fatis melioribus annos.
Longa ſed emenſus vitae aequora rurſus in altum
Deferri renuis, ſemperque obnoxia nimbis
Regna fugis: tibi pura novo magis orbe probatur
Certa quies, ſtadii vicinam tangere metam
Eligis, oblatam victa de morte coronam
Auferre, et celebres, quorum de voce ſuprema
Ipſe modos dederas, pro luctu audire triumphos.

Ex MS. *In obitum Jac. Aug. Thuani, regis in ſacro conſiſtorio conſiliarii et in ſuprema curia praeſidis,* Ἐπικήδειον.

Audiat hos gemitus, et moeſtae vulnera mentis
Aſpiciat, vocemque meo det habere dolori,
Vota ſui vatis nunquam fruſtratus Apollo:
Quemque ſolet laetis, hunc triſtibus addat honorem
Verſibus, haec noſtri ſaltem ſolatia luctus
Praebeat, ut poſſim digne doluiſſe videri.
Ergo huc, Phoebe, veni, capiti ſed laurea deſint
Serta, nec ardenti veſtis tibi fulgeat auro.
Qualis eras poſt fata Lini, vel Thracia quando
Littora diſcerpti rubuerunt ſanguine vatis,
Talis ades; tantum pullos indutus amictus;

NOT. [1] *Intellige mareſcallum Ancraeum.*

Neve
2

Neve alios lyra pulſa velit niſi funere ſuetos
Incinuiſſe modos: Non haec jactura propinquis
Flebilis, aut charos dolor hic modo tangit amicos,
Vel dulces natos; damnum commune gemendum eſt.
Non urbs una potis tantos comprendere luctus,
Magna licet, magnique eadem ſit maxima regni.
Non ſic ſola queat, quamvis ſe Gallia latos
Explicet in populos, hominumque ibi multa beatam
Millia concelebrent gentem, nec ſidera currant
Plura polo, pluresque mari volvantur arenae:
Orbis in hoc debet lachrimas, impendere funus.
Nos etenim magno facimus nunc juſta Thuano:
Nunc iterumque, iterumque venit lugendus; adeſte
Huc quantum eſt hominum, veſtros et jungite fletus.
Non tamen et paſſim lachrimas et ab omnibus ille
Exigat, aut omnes velit hoc ſibi pendere munus:
Si quibus eſt pietas, vel ſi quibus aurea cordi
Simplicitaſque fideſque, et mens ignara nocendi,
Vobis in luctum licet ire et plangere ſolis
Pectora, et aerias queſtu tundentibus auras
Incuſare Deos, crimenque impingere fatis.
Inſontes nobis tantum purique vocentur
Ad partes: longe abſiſtant, et munere caſto
Abſtineant, quibus eſt ſcelerati conſcia facti
Menſque manuſque ſimul; quos aut inſanus habendi
Torquet amor, vel amor torret furioſior alter
Quem Veneris fecere faces; quos denique pectus
Inſeſſum vitiis, capta velut arce, timendos
Quamvis intrepidis praebet virtutibus hoſtes:
Hos lugere veto, et raptum plorare Thuanum.
Fas nulli impuro ſacrata inviſere buſta,
Muneribuſque rogos cumulare, et ſpargere flores,
Non magis ac divûm ſacris ſuccedere templis,
Advolvique aris, et odorem adolere Sabaeum:
Nam ſancti manes et divi dona nocentum
Rejiciunt, ſoliſque ſui cultoribus eſſe
Conceſſere piis. Quis vero ſanctior illo
Dum vixit, vel quae nunc umbra beatior amplo
Ambulat Elyſio coetus auctura piorum?
Non mihi, ſi totum Pindo qui defluit amnem
Ebiberim, non ſi totius fontis inunder
Gurgite Caſtalii, non ſi mihi, carminis auctor,
Ipſe ſuam tradat Phoebus laurumque lyramque,
Omnes per titulos laudum vacet ire tuarum,
Tot generis decora alta tui faſceſque parentum
Atque tuas, nec tanta tuae miracula vitae
Pandere, teque adeo toto velut agmine ſeptum
Virtutum, ac celſo ferientem vertice coelum,
Evectumque ſupra populos et nubila terrae,
O lumen noſtri, decus o mirabile ſaecli!
Singula dum meditor, ſcribendi captus amore,
Carminis anguſto breviter concludere gyro,
Feſſa labat cervix, et iniquo pondere preſſi
Ferre negant humeri, ſuccumbenteſque requirunt

Suetum onus, atque ſuis menſuram viribus aequam;
Tot ſeſe numero ſpecies ac nomina laudum
Oſtentant, quae nec verbis evolvere promptum eſt,
Nec fas eſt, nunc aut olim, ignorata ſileri.
Fruſtra Cyrrha mihi, fruſtra Pimplea movetur,
Incaſſumque cio Muſas, Phoebumque laceſſo:
Irritus hic labor; ingenium ſuperante fatiſcit
Materia: quod ſi genii inſpirata faveret
Aura tui, vireſque meis adflare Camoenis
Inciperes, alio non eſſet Apolline nobis
Nunc opus, ac de te poſſem te digna referre.
Nam quis Pierios invaſit largius hauſtùs,
Explicuitque ſitim, ac pleno ſe proluit ore?
Cui melius via nota, ſacri quae montis amoenos
Ducit in aſcenſus, et ſummo vertice ſiſtit?
Cum ſtreperum vulgus rupis juga celſa ſubiret,
Incertuſque viae clivo ſudaret in imo,
Viſceribus ſiccis et toſto gutture rivos
Circum errans vacuos, et in omni fonte laborans,
Tu cuſtos datus unus aquis, quae calle remoto
Acceſſu prohibent turbas hauſtuque profanas.
Hinc, te Pieridum circumfundente corona,
Plectra capis magno non inficianda Maroni,
Et quae Maeonides poterat ſe credere digna.
Teſtes fatidico fundit quos pectore queſtus
Entheus Helciades, et lamentabile carmen
Triſtia quo planxit fata infelicis Idumes:
Teſtis et Hebraei fuerit ſapientia regis,
Et nullis evicta malis patientia Jobi,
Et quaecunque ſacro ferienda poemata plectro,
Ad Latios ubi flexa modos, meminere Camoenae.
An dicam aerias acies, et bella ſub ipſis
Nubibus, atque avium non aequo proelia Marte,
Cum praeda ac praedo de vita et ſanguine certant?
Haec tu cum caneres, alto de vertice Pindi
Phoebus et Aoniae multum ſtupuere ſorores,
Mirataeque novas recitari carminis artes:
Auſus enim ignoto princeps decurrere campo,
Et quo nullus equos fertur flexiſſe priorum.
Cetera quid memorem docti monumenta laboris?
Sive illa heroum grandi incedentia paſſu,
Seu pedis undeni fracto currentia metro,
Attica ſeu verſu poſuit, cui nomen Iambe:
Omnia quae quondam, Muſis dictantibus ipſis,
Chartae excepta dabas nullum interitura per aevum.
Atqui non alio ſolitum tibi tempore blandas
Solicitare Deas, quam cum, gravitate remiſſa,
Liber et explicito majoris munere penſi
Contractae cuperes diſſolvere nubila frontis,
Et feſſam magnis mentem ſubducere rebus.
Mollia non etenim tu natus ad otia, nec te
Totum Pegaſides ſibi poſſedere puellae;
Nec ceſſare tuae paſſus meliora juventae
Tempora, et ignavo marceſcere languida ſomno,

Et

Et nullis quae vitam agitant exercita curis,
Addictus tantum ſtudiis ignobilis oti;
Sed quo te rapuit genii vis alta ſequutus.
Gallia terribili tremeret cum tota tumultu,
Cum paſſim turbaret Iber, Galluſque rebellis
(Heu conjurato Gallus vel pejor Ibero!)
In ſua ſaeviret furiali viſcera ferro,
Fluctibus in mediis et tempeſtatibus atris
Nuſquam abſceſſiſti timidus fugienſque pericli;
Sed magnus magnis voluiſti accedere vindex
Vindicibus patriae: nec cum feralis Enyo
Omnia permiſcens ſummis involveret ima,
Et ſciſſa gaudens fureret Diſcordia palla,
Dulcia tum placidis componens tempora Muſis
Tutus eras, tacitoque tibi tantum ipſe canebas,
Sed comitem tibi junxerunt communia flentes
Damna viri; nec opem, ſi quando opis ulla dabatur
Copia, non prodeſſe tuam tunc patria ſenſit,
Sive animis, ſeu conſilio, ſeu viribus ullis
Eſſet opus, tali miſeram quaſſante procella.
Tum decuit medio celſum dare jura ſenatu,
Quo tua te ſerie longa demiſſa vocabat
Nobilitas, potiorque antiquo ſtemmate virtus
Ac meritum: nam luce quidem perfuſus avorum,
Luce tua perfundis avos; generique regeſtam,
Quam genus ingeſſit, ſervent ipſique nepotes,
Hanc lucem et referant qui mox naſcentur ab illis,
Atque ſuis tradant porro uſque nepotibus, ut ſic
Gentis in aeternum maneant monumenta Thuanae.
Regia ſed poſtquam te praeſide curia magno
Eſt ſubnixa diu, ſummis mox rebus agendis
Accito moderanda tibi data principis arca,
Atque aerumnoſi tractanda negotia regni.
Illa quis integrior quiſve incorruptior egit,
Tantam inter ſcabiem et miſeri contagia ſaecli?
Roma ſuos ſileat, ſed Roma antiqua, Catones;
Nec cui jure ſuis Juſti cognomen Athenis
Impoſitum eſt, nobis opponere Graecia tentet;
Plus ſe jactat in hoc, plus ſe miratur in uno
Gallia, et hos olim mores exempla daturos,
Quos nunc laudet, habet, venientique imputet aevo.
Sed tibi, tam ſancta virtute ac pondere mentis,
Demeruiſſe parum noſtri mala tempora ſaecli:
Poſteritas etiam tibi nos debebit, et hujus
Temporis annales, et quae jam vidimus ipſi,
Et quae non vidiſſe juvat: te fortia diſcet
Facta ducum memorante, et regum fata priorum,
Regnorumque vices, et belli geſta togaeque,
Et magnos tot Marte viros, quibus alta ſuperbit
Francia, totque viros Muſis et Apolline magnos.
Immortale opus ac longinqua in ſaecula fama
Victurum, laude uſque recens et honore perenni!
Cui docta pollens cedat gravitate Jugurthae
Conditor, Auguſtique decus Cornelius aevi,

Et quiſquis Latia magnum ac memorabile nomen
Nactus in hiſtoria: nec ſe tibi Livius ingens
Aequet, et eloquii laxis contendat habenis,
Quem nitidae decor atque ubertas lactea linguae
Commendant Latio. Non hac modo dote ſuperbum
Fers coelo caput, atque ſuas facundia partes
Explicat, at veri potiorque priorque docendi
Cura fuit. Sed dum optatas contingere metas
Ac ſtudioſus ad haec perducere tempora coeptum
Pergis opus, puerique ſenes dum principis annos
Virtutemque paras aeternis condere chartis,
(Cum, fracto marte ac poſitis civilibus armis,
Undique turbato rediit pax candida mundo
Unius ex caede infandi poenaque tyranni,
Qui regem ac regnum dura ditione premebat,)
Invidit nimium propero mors invida fato,
Et dignum Pyliae fines tranſire ſenectae,
Plenum annis licet, immaturo funere merſit,
Et tot ſpes, tot vota ſimul noſtra abſtulit orco.
Hoc tantum ſcelus ac talem furere auſa furorem,
Ante tamen ſaevo voluit praeludere telo,
Ac tentare prius, qua tu mage parte pateres;
Inflixitque animo grave et immedicabile vulnus,
Viſcera ad ipſa patens penitas et ad uſque medullas,
Dimidiumque animae rapuit tibi, conjuge rapta;
Conjuge, qua melior curas aequare mariti
Nulla fuit, moreſque ſuos de moribus ejus
Fingere, et ad vultum proprios componere vultus;
Cui vel Gracchorum genitrix Cornelia longe
Ceſſiſſet, non hac tantum, qua ſidera tangit,
Laude pudicitiae, ſed avito ſanguine, multos
Praeferat illa licet numeretque in gente triumphos:
Namque haec caſta magis, nec ſtirpis origine priſcae
Clara minus, referens Chaſtracae ſtemmata gentis.
Te juſtus fati praemittere debuit ordo;
Lex aetatis erat; ſed et haec tua vota fuerunt,
Ut prior intraſti dias in luminis oras,
Lumine ab aethereo diſcedere poſſe priorem,
Ejus et in blandis animam exhalare lacertis.
Vota nihil valuere, nec ulla lege teneri
Fata volunt: ſic tum naturae foedere rupto,
Turbatis vicibus, moriendique ordine verſo,
Eſt praemiſſa tibi, mediiſque exciſa ſub annis,
Ante colos vacuas, nec toto ſtamine fuſo.
Hinc tibi prima mali labes, ſumptuſque dolendi
Impetus, et flendi nunquam modus, atque voluptas
Una fuit nullum lachrimis imponere finem.
Paulatim hinc fluere ex omni tibi corpore vitae
Officia, atque etiam lucis ſublapſa cupido:
Non potus, non ulla cibi jam gratia cordi eſt;
Ipſe etiam ſomnus, laſſis optabile numen,
Non niſi rarus adeſt, et votis ſaepe vocatus
Pervigilem longas patitur te ducere noctes;
Ac, ſtatione ſua cupiens decedere, tentat

Improbus hoc Stygiae munus mandare ſorori,
Donec feſſa malis, morboque evicta ſenectus,
Corporis atque animi pariter languoribus aegra,
Succubuit tandem, lectoque inlata, quietem
Cum peteret, niſi ſupremam vix repperit ullam.
Tunc inter mortiſque moras ac taedia vitae,
Urgerent hinc inde mali cum mille dolores
Confectum, ac medica vinci ferus arte negaret,
Inque dies pejor vexaret viſcera morbus,
Vique ſalus nulla humana nitente reduci
Poſſet et in ſolido rurſum inſtaurata locari,
Ad circumſtantes lectum converſus amicos
Has tum fudiſti moribundo pectore voces:
Jam centum fluxere dies, quibus addite luces
Bis denas numero, reclini corpore cum me
Sellula parva tenet recubantem, aut languida lecto
Membra jacent; planeque domi jam clinicus haerens
Nuſquam efferre pedem primo vel limine quivi,
Meque mihi vires vix ſuffecere ferendo:
Poſtera lux ſemper mihi pejor agenda priore
Luce fuit; te nequicquam tentata monente
Omnia ſunt, Tumeri, cui nos debere fatemur
Hactenus hoc vitae quod viximus: omnis in auras
Namque Aſclepiadum ceſſit labor, omnia fruſtra;
Et fruſtra nobis Renealmius ille rogatus
Abdita Paeoniae ſecreta ut panderet artis,
Stertit, dum crucior miſer alta nocte, profundum:
Quid moror? aut quae ſpes his me tenet amplius oris,
Cui morbo gravior medicina ſubinde paratur?
Non tanti ut vivas morientem ducere vitam;
Ecquis enim lucis tanto accendatur amore,
Ut ſibi tot crucibus duriſque doloribus emptum
Eſſe velit vitae exiguum quod reſtat: eamus,
Tentanda eſt precibus coelo via. Dixit, et iſta
Verba ſuo moriens dedit inſcribenda ſepulchro:
Heic jaceo expectans donec ſacra buccina ſignum
Inſonet, atque animas jubeat Deus ipſe ſolutas
In priſcas ſedes et humi ſervata reverti
Corpora, cum ignivoma metuendus nube ſedebit
Et vivos inter judex et lumine caſſos,
Ultima cum dicenda die ſententia ſummo
Imponet meritis poenas et praemia juſtis.
Quae ſervata fides et ubique et ab omnibus una,
Quantum non hebes ingenium ſenſuſque rebellis
Corporis aut vetuit peccato obnoxia moles,
Haec ſervata mihi teneris conſtanter ab annis;
Sancta Trias nobis non ficto pectore culta eſt,
Et noſtri tantum rea crux eademque piatrix
Criminis; at veri curae mea commoda ſemper
Poſtque habui charos, et vero ſemper adhaeſi;
Non ulli facto, non voce injurius ulli,
Expertus ſum ſaepe malae convitia linguae.
Quiſquis eris, qualiſque, et quantus denique, veri

Si te cura movet, ſi tu pietate moveris,
Parce mihi, jam parce meis, et perge viator.

Martio menſe 1618. Cl. Salmasius.

Quae ſequuntur Danielis Heinſii carmina, cum edit. Genev. Hiſt. Thuani praefixa fuerunt, locum in hac noſtra etiam merito vendicant.

Illuſtris viri JACOBI AUGUSTI THUANI *Apotheoſis, Auctore* Daniele Heinsio: *item alia quaedam ejuſdem in eundem.*

Illuſtri viro Benjamino Auberio Maurerio, Chriſtianiſſ. regis conſiliario, et apud praepotentes Belgicae Ordines oratori digniſſimo, monumentum hoc, viro aeternae memoriae invicti candoris ac fidei a ſe poſitum, L. M. Q. conſecrabat auctor.

Felix, quem dirae meditantem incommoda vitae,
Regnorumque vices, nec ſtantem legibus aulam,
Invenit ſuprema dies, lethumque morantem
Urget ſaepe Deum, fatoque occurrit, et ultro
Eluctantem animam poſcenti indulget Olympo.
Non illum ingrato perfudit flumine Lethe,
Nec queſtus humiles indignoſque ore cientem
Nequicquam, ardenti Phlegethon circumſtitit amni:
Sed totam pertaeſus humum, ſortiſque malignae
In ſeſe alternis redeuntem fluctibus aeſtum,
Intactas ſceleri ſedes, ſemotaque regna
Fortunae imperiis, nullique obnoxia fato,
Optat, et incertis immunem caſibus aethram.
Illic attonitam majori numine mentem
Paſcit, et imbellis circumerrat moenia mundi,
Sceptrorumque obitus coelo miratur, et ortus.
Haud ſecus Anchiſa genitus, poſt triſtia fata,
Et ponti ſpatiis Martiſque agitatus Ulyſſes,
Invaſere Deos: terraſque hominesque peroſi,
Exceſſere humiles anguſti corporis artus.
Te quoque non aliter, regni fidiſſime cuſtos,
Et regum comes, et patriae tutela ruentis,
Auguste, infelix toties, totieſque furore
Gallia civilique exundans ſanguine, finem
Humanis docuit ſperatum imponere rebus.
Te quoque lex eadem fati coeleſtibus umbris
Addidit, heroaſque inter, qua purior aether,
Et longe terris melior divertitur orbis,
Veri immota fides, nullis concuſſa locavit
Aularum illecebris. Quo poſtquam maxima rerum,
Quae nunc ſydereos inter Dea volvitur axes,
Juſtitia aſpexit venientem, occurrit, et omnem
Splendore inſolito aſſurgens implevit Olympum.
Adventum ſenſere Deae, Titanius orbis,
Et laeti ſtellarum ignes, et pallida Phoebe:
Senſit, et intranti ſonitum dedit, arduus aether.
Olli Relligio, caſta ac ſine ſordibus ullis,
Haerebat lateri, primos amplexa parentes,

Et

Et tantum innocuo Pietatis nomine dicta:
Nunc ira immodicos jure averſata nepotes.
Relligio, quae bellorum nunc maxima cauſa,
Olim pacis et obſequii mitiſſima nutrix,
Priſcas ipſa ſuo jungebat foedere gentes:
Necdum in mille vias nequicquam ſciſſa modoſque,
Necdum picta comas, multoſque imbuta colores:
Qualis cum varium coelo caput extulit Iris,
Adverſum ducens paulatim Hyperionis ignem,
Et multa oppoſitas percurrit imagine nubeis:
Sed candore oculos illuſtrans, lumine mentes
Perfundens; ſed adhuc primaevo imbuta cruore,
Quem quondam magni ſoboles aeterna tonantis,
Errores noſtros, noſtros miſerata labores,
Rerum autor, rerum fons idem et terminus omnium,
Terram inter coelumque ſuum, trabe fudit ab alta
Saucius, et totum moriens diviſit in orbem.
Tali Diva habitu, taleſque imbuta colores,
Ambroſium late, adveniens, diffiavit odorem,
Oſculaque, aſſiſtens, dulci libavit alumno.
Namque olli, medias Syrteis mediaſque Charybdeis
Inter, et extremum ſcopulos quos continet aequor,
Antiquum ſcrutatus iter (qua prima parentum,
Quos aetas antiqua tulit, nondum invida vero,
Uſque per inſuetum monſtrabat ſemita callem,
Anguſtos certoſque aditus) ceu nata parenti,
Nullos paſſa thoros, nullos experta calores,
Haeſerat: illam olim prima jam ſtante juventa,
Illam autem, vita jam diſcedente, vocarat.
Nequicquam; furias inter, bellique procellas,
Et captas hominum diverſa indagine mentes.
Quippe ubi vis cordi atque nefas; diſcordia tetra,
Et praeda, invalidas laſſare et caedibus urbes,
Pax viſa eſt pictaſque viris, quos triſtis Enyo,
Et ſtimulis diverſa ſuis afflavit Alecto.
Stabant et caſtae, juveni ſua gaudia, Muſae,
Non quas Pindus alit, nec quas Parnaſſia rupes,
(Quanquam illas quoque, ſupremo de vertice Pimplae,
Excivit quondam, cum leni carmine mille
Ignotas volucrum pugnas, legeſque tuendi
Aucupia atque artes, venturo tradidit aevo)
Sed quales Solyme, magnarum conſcia rerum,
Ante omnes, gremioque ſuo produxit Idume.
Nec procul aſtabat, miſeris incognita terris,
Libertas, comitata virum, dum vita manebat:
Libertas, qua non ſuperis acceptior oris:
Veri priſca parens, quam recto examine et aequo,
Nullae regum irae, nullae avertere ſecures.
Illam coelicolum genitor, ne vita lateret
Anteacta in tenebris, et poſteritatis amore,
Rerum incorruptam dederat morumque miniſtram;
Ni veſanus amor ſcelerum, turpiſque lubido,
Famam fruſtra hominum lucemque exoſa lubido,
Terra avertiſſent pavidam, coeloque dediſſent.

Atque ea, dum clara rutilantem in luce tuetur
Ingentem immenſumque virum, cui Gallia tota,
Tota ſuum debet Celtarum gloria nomen,
Bis medium complexa, bis haerens voltibus illius,
Olli caniciem velavit protinus omnem,
Omnem caniciem, ſertiſque et olentibus herbis
Velavit, lauruque caput praecinxit honeſtum:
Caniciem, plenam quam majeſtate verenda,
Rex olim, regiſque ſui pars magna ſenatus,
Horruit, et nullo fregerunt ſaecula luxu;
Non contactus opum, nec honorum inſana lubido:
Quae ſimul ac caeco deſcendit pectore, nunquam
Infandam caeco dimittit pectore peſtem,
Virtuti propior, vanaque ab imagine ducens
Fallaces animi ſpes et ſublimia vota,
Incumbenſque ſibi; quantoque immenſus et amens
Altius aſſurgit, tanto magis aeſtuat ardor:
Haud ſecus ac, toto cum ſpargit nubila coelo,
Atque imis fumum eructat fornacibus Aetna,
Ipſa ſuos paſcit, et iiſdem paſcitur, ignes.
Ergo olli, ſubito pulſa ceu nube, Juventus
Adſtitit, et priſcae rediere in pectora vires.
Quaqua autem, primo mergentem ex aequore Phoebum
Et fugientem inter, vaſtus protenditur aether,
Omnia diducti luſtrat miracula coeli.
Heic videt errores hominum, cauſaſque latentes
Aut terrae ancipites, et prima exordia rerum;
Signaque, tendenti contra, obluctantia mundo;
Defixas ſpecies flammarum, alteque repoſtas,
Palantes alias paſſim, paſſimque vagantes.
Unde ſuos Titan, unde Heſperus, exerat igneis;
Bina miniſteria et binos ſortitus honores:
Seu Phoeben, ſeu Matutam deducit, eoo
Surgentem e thalamo, picturatoque cubili:
Matutae Veneriſque ſimul certiſſima cura.
Unde Helice formoſa, oculiſque ardentibus apta;
Tantis apta oculis, tot pulchris orbibus ardens,
Quanquam illi nomen veteres fecere minori:
Et qui conſequitur ſuccinctus plauſtra Bootes.
Nerea cur metuant Arcti, pontumque fatiget
Orion iratus, et altum miſceat aequor.
Eſt locus, Heſperiae domitos ubi conſpicit Indos
Ignipotens Titan, crinali fulgidus auro;
Illic res hominum, totaſque ab origine gentes,
Fataque fortunaſque virorum, et noxia bella,
Coelavit Natura parens, regeſque duceſque
Francigenas, tantique, ut erant, primordia regni.
Illic, e media terrarum clade, videres
Audacem Pharamondi animum, poſt triſtia Romae
Excidia et ſparſos Italorum in finibus hoſtes,
Senſim emergentem coelo, fortemque Capetum,
Unde omnis ſeries et longus ducitur ordo.
Nec non et rabiem noſtrique incendia belli
Coelarat referens: quaeque ipſa ex ordine, longo

Includens operi, ſeros produxit in annos:
Ingenteiſque viros, et coelo auctore creatos,
Seu Phoebi, ſeu belligeri Mavortis alumnos.
Jamque ſub imperium Franciſci, altamque Leonis,
Auro intertexto triplici gemmiſque, tiaram,
Gaudentes toto ſpectares agmine Muſas.
Gaudebant divae, divae caput attollebant.
Ipſe ultro Lyciam maternaque littora Deli,
Bis mille hinc atque inde viris comitatus Apollo,
Coelo poſteritas quos admirata reponit,
Celtarum ad fines dilectaque vorterat arva.
Quas fera vis Mavortis, et ira immitis Enyus,
Confeſtim toto pavitantes orbe fugabant.
Namque aliis foede certatum eſt ſanguine et armis,
Et ſua colliſit geminos diſcordia reges.
Ergo aſpectari cruor undique, et undique ferrum,
Tendenteſque manus coelo, pacemque vocantes,
Triſti cum fremitu, cumque horriſono ululatu.
Ante omnes, belli intrepidum, variumque per hoſtem,
Exultantem animis, et verſicoloribus armis,
Jus regni media ex acie ſceptrumque petentem
Erricum aſpiceres, invictum in ſaecula nomen,
Ingentem Erricum: quem ferro atque aere coruſcum,
Ferro atque aere humeros ſolido pectuſque rigentem,
Portabat ſonipes; indignatuſque teneri,
Inſtantum clamorem inter gemituſque cadentum,
Ignem oculis, acrem volvebat naribus ignem.
Ille autem, quantus Boreas vel turbidus Auſter
Inviſam agricolis nubem pecorique minantem
In mare provolvit, galea conſpectus, et altam
Candentis quatiens criſtae de vertice ſylvam,
Juratum totis frangebat viribus agmen.
Atque illum averſis fugiens jam Manius armis,
Ibriacos juxta, celebri nunc nomine, campos,
Adverſam trepidus ſortem incuſabat, et urbem
Immenſam Paridis luctu incendebat inani:
Ipſa videbatur laeto Pax candida vultu
Delabi coelo, atque infractam viſere gentem:
Contra autem, infeſto diſcedens agmine Mavors,
Quem circum Furor, et Rabies, Pallorque, Metuſque,
Et Vis, et miſeranda Fames cingebat, et Ira,
Informes viſu facies, et triſtis Egeſtas,
Extremas Boreae ſedes, deſertaque regna,
Ibat, et incultas Edonum accendere gentes.
Jamque inſtauratis ſurgebant oppida muris,
Templaque Divorum, foedis proſtrata ruinis.
Jam virides lucos, et opacum frigus ab umbra,
Quaerebat, pecorique ſuo ſolatia, paſtor,
Monſtrabat fontes, et amictos frondibus amnes.
Jam formoſa avidi vertebant rura coloni,
Pacatiſque hilares ridebant civibus urbes.
Jam Pietas, jam cana Fides, jam laeta redibat
Erigone, terris non aſpernata videri.
Ipſa inter primos magni mens alta Thuani,

Jura dabat, rectoque animos fingebat et aequo,
Jam veri dociles, ſacraſque admittere leges.
Quin etiam certo dilectas foedere Muſas
Jungebat, quarum aeterno devinctus amore,
Tot rerum ingratas ponebat pectore curas:
Aut priſcas cenſebat opes et commoda regni:
Aut Martis ſoboli, poſitis dum vivitur armis,
Regibus ignotum, Muſarum inſpirat amorem:
Aut regni dominas affando detinet aures,
Impellitque animos, aut triſtes temperat iras.
Saepe etiam vitae comitem rebuſque gerendis
Aſſiduum Livorem, et agentem nubila Sortem,
Quos magnae pater omnipotens concurrere laudi
Juſſit, et excelſas urgendo attollere mentes,
Suſtinet; haud aliter, quam cum procul urbe viator,
Ante diu coeli faciem rimatus, et auras,
Excipit excuſſa ſtagnantem grandine nimbum,
Aut raucum tonitru, aut praemiſſi fulminis alas.
Nec minus et geſtis proavorum inſtabat, et acri
Urgebat ſtudio venturam in ſaecula molem,
Immortalem animi molem: quam nulla vetuſtas,
Nec ferri vis ulla, nec ulla injuria fati
Evertet; non ſi toto molimine Livor,
Et conjuratae concurrant undique linguae;
Nec ſi rupta iterum in ſuperos tellure reſurgens,
Centum audax manibus frondoſum impellat Olympum,
Impius Aegeon, formidatuſque Typhoeus
Fruſtra coelicolis, cum terrigena Pallante.
Illic, et, quaecunque aevò memoranda priori,
Et praeſens defuncta malis ingentibus aetas
Pertulit, aut fati domitrix dedit ignea virtus
Laudum argumenta magnarum, et grandia coepta;
Quantum aulae supereſt, quantum majoribus orſis;
Mandabat chartis: ſeque intexebat et illis:
Altae mentis opus, tot regum extendere fando
Nomen, et inſtantem populis avertere noctem.
Saepe etiam culti libabat gaudia ruris,
Villabonique hortos (ea menti prima voluptas,
Cum ſol juſticium terris indiceret, et cum
Jam dulces Procne zephyros comitata rediret)
Muſcoſi caput ad fontis projectus, et undae
Ingenuo fugientem invitans murmure ſomnum;
Roſtrorum oblitus trabeaeque, oblitus honorum;
Nec pudor, aut peponi malo ſubducere rorem,
Aut matutini frigus defendere coeli,
Aut vitem manibus duxiſſe, aut arboris altae,
Nec jam ultro ferrum metuentis, ſtringere ramum.
Sic Divi vixere olim: ſic dulcia rura,
Ipſos jam pertaeſa homines, Aſtraea colebat.
Heic Sophie jucunda, domos diffuſa per omnes,
Conſtrictos vario ſolvebat nectare ſenſus.
Seu Stagira ſuas argute effunderet artes:
Sive animorum ortus, et diae ſemina mentis,
Quaeque reluctanti vincla inter inertia reſtent

Scintillae

Scintillae ſuperum, et primi veſtigia coeli;
Tum quae corporibus maneat natura relictis,
Magnus Ariſtocles ſublimi panderet ore:
Altave Zenonis paulatim aſſumeret arma,
Aſſultus contra varios fortiſque ruinas
Obducens animo virtutem: ut pectore lato
Impiger Alcides villoſi terga leonis,
Seu regem Heſperium, ſeu diram invaderet hydram.
Aut ſacros alio donabat carmine vates:
Aut majus tendebat iter, ſublimis et ardens,
Alte puniceo ſubvinctus crura cothurno.
Nonnunquam et chara lenibat conjuge curas,
Unanimo, dulci, quae reſpondebat amore;
Quanto non Ithaco conjux, non caſta marito
Alceſtis, non quae medios comitata per igneis
Te, infelix Capaneu, et rupti foedera lecti,
Squallenteis adiit nigra fuligine maneis.
Mox etiam, ſuprema illam cum fata tuliſſent,
Victus amore, ſequi dilectam perſticit umbram,
Non ſecus ac vates, Rhodope quem vidit et Haemus,
Eurydice, miſera Eurydice bis denique capta,
Solantem curas, et ſaxa inculta trahentem,
Inviſam ducens nullo oblectamine lucem;
Non Cereris, non qui Lethaeo e gurgite terras
Irrigat, et feſſos curae interlabitur artus.
Nunc demum, luce aetheria defunctus et aura
Heu conclamatam toties, complexus amantem,
Coeli inter choreas et gaudia pura vagatur.
Parte alia, quantum non laetus ſanguine Maurus,
Non Scytha, non diri facinus videre Geloni,
Quantum non truculentae olim Buſiridis arae,
Admiſere nefas, nec ſi cui jure latenteis
Avertit radios merſus caligine Titan,
Rex tantis fatorum undis furiiſque ſuperſtes,
Armorum pater, et pacis certiſſimus auctor;
Quem non mille acies, non Belga invictus et acer,
Non regno tum mixtus Iber, non Teutones alae,
Non tota Oenotria incumbens, non oppida tanta
Terruerant obſeſſa armis, non ſulphuris atri
Ignea, quae rupem, quae totam everteret urbem,
Tempeſtas, non Farneſio de ſanguine ductor,
Magnus Alexander; (Dii, ſi quae eſt cura nepotum,
Det poenas tam ſaeva dies) ſecurus et expers
Armorum, media populi plaudentis in urbe
Caeditur, et feſtae moriens ſubducitur aulae.
Illum excedentem, regno concedere viſa,
Flevit, et averſo fugit Pax aurea vultu:
Illi omnis moeſto conſedit Gallia luctu:
Illi omnes ſummo Parnaſſi in vertice nymphae
Efflebant amnes: illi Aoniae Aganippes
Arebant rivi, arebant Pimpleides undae:
Et caeca obductum ſtupuit ferrugine coelum.
Atque heic Auſoniis peſtem deſcendere ab oris
Aſpiceres, bellumque atrox impune moveri,

Et ſua confertos ardere in funera cives.
Juxta Tiſiphone ſuccincta audacibus hydris,
Arma inter trepidoſque duces errabat, et altum
Cocyto e medio ferri aſpirabat amorem.
Heic Anchoranum impavidum, caſſoque furentem
Ardore imperii, quanto non Martius olim
Sejanus, non immanem Catilina minatus
Vim libertati trepidae gentique togatae,
Fecerat; atque olli, coepta inter inania, demens
Pone ſequebatur conjux deformior omni
Eumenidum populo, totamque imitata Megaeram.
Illam carminibus fama eſt et triſtibus herbis
Vecordes populi vortiſſe in proelia mentes:
Aſt aliis foedo ſenſim invadebat amore
Ignaros animos, et vinci neſcia corda.
Uni namque Erebi ſedes, Stygiamque paludem,
In ſcelus et ſaevos Hecate tranſcripſerat auſus,
Tartareaſque artes, et quicquid nocte ſub ima
Claudit, inacceſſa ſuperis caligine, terra.
Nec procul hinc rex primaevus, ſceptrique potitus
Tum demum auſpiciis, ſancto inſtammante ſenatu,
Infandum occultis cingebat viribus hoſtem.
Ipſe pater, clara jamdudum ſede refulgens
Coelicolum, quem Borbonidae comitantur euntem,
Heroes divis geniti divumque parentes,
Victores animos, et non ſuperabile pectus,
Ardenti nato ſublimi afflabat ab aethra.
Illum ter flagrantem oculis coeloque minantem,
Conjugis et toto furias Acheronte cientem,
Cernere erat: dux Vitraeus quod tendere contra,
Et jure oppoſitos auderet cludere poſteis.
Quem mox ingenti trajectum vulnere coſtas,
Temporaque, et largos ſpargentem ſanguinis imbres,
Paſſim oſtentari coelo terriſque videres,
Diſcerptum manibus caput, et deforme cadaver.
Illam autem (namque hoc praeſaga effinxerat arte
Venturum) tetro damnatam crimine morti,
Ultrices circum aſcendebant undique flammae,
Et truncum in cineres collapſum ambederat ignis.
Jamque propinquantem ripae, qua fumeus amnis
Migrantes animas caeco tranſmittit Averno,
Horruit umbrarum genitor perculſus, et omnis
Adventantem Acheron; quartamque ſororibus atris
Addidit: heic Celtas, Phlegethonti proxima, manes,
Spirantem ſaniem et tortos implexa colubros,
Terrifico admonitu taedarum exercet et ignei,
Commiſſaſque odiis urget civilibus urbes.
Talia perluſtrat, ſeſeque in imagine tota
Agnoſcit, rerumque vicem miſeratur et orbem.
Nec ſecus ac lunae imperio, ſeu flectit ad ima
Oceani, ex imo ſeu tollit gurgite currum,
Coelatum argento currum, bigaſque potenteis,
Idem eadem, accedens toties, totieſque recedens,
Littora nunc tangit, nunc vitat littora pontus:

Sic modo turbari furiis, modo munere pacis
Aſpicit incertam patriae miteſcere gentem,
Felicemque vocat, nec dignam hoc nomine, mortem:
Vitam autem contra, inſtabilem, caecamque futuri,
Mille inter nimbos animi, triſteiſque procellas:
Atque illam ante alias, magnis quae proxima rebus
Aſſidet infelix, raptique Ixionis inſtar,
Fortunae incumbit radiis, nunc alta minaxque,
Nunc humilis, dominaque iterum depreſſa ruente.
Atque ita dum volvit tranſacta, animoque reponit,
Annaleſque ſuos Naturae explorat ad unguem;
Heic dicto prius, et viſu mirabile, ſacrae
Coelicolum patuere fores, totumque repente
Purus, et electro ſimilis, circumdedit aether.
Conſtitit heic, paſſimque oculis errantibus haurit
Heroas animas, et libertatis amore
Intrepidas: quarum indignans poſt talia laudes
Paulatim tenebris induci, et inertibus umbris
Involvi (quae mortaleis lex excipit una
Poſtquam illos dulci defecit lumine vita)
Laudum immortali meritos donavit honore.
Heic ſedet, heic ſummum percurrit mente Parentem,
Artificem tantorum operum, finemque modumque;
Immenſum, ingenitum; ſeſe in ſe, ac cuncta, tenentem:
Heic Natum, jam victorem, jam vulnera, jam vim
Fruſtra intentatam, veteriſque inſignia poenae,
Perfoſſum latus, et manantes ſanguine vultus,
Victaque tormenta, profligatoſque dolores,
Toti appendentem coelo terriſque, tuetur:
Quique mare ac terrae tractus coelumque profundum
Complet et ex aequo ſuſpenſam Spiritus aethram
Haurit inexpletum, propiuſque amplectitur; olim
Semper adoratum et defixum pectore Numen.
Nos quoque, mendaci pietatis nomine et umbra
Inſidias iraſque et bella infanda tegentes,
Texenteſque alios flexus alioſque reflexus,
Et labyrintheis implexos orbibus orbes,
Ridet; et errandi ſtudium miratur inane.
Heic quoque, ſi qua manet vitae inferioris imago,
Gaudia tanta inter ſuperum et jam parta trophaea,
Conjugis antiquae teneros reminiſcitur ignes.
Fors et purpureo, ut quondam, venerandus amictu,
Jus aequum ex alta ſublimis ſede profatur:
Aut coelo plaudente omni, plaudentibus aſtris,
Res patriae laudeſque ſuae deducit, et alte
Intonat, ingentes repetens ex ordine faſtos:
Mendaceſque auctorum animos, quae plurima terras
Incolit ac ſeros illudit turba nepotes,
Luſtrat, et aurato venientes arcet Olympo.

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ΒΟΥΚΟΛΙΚΟΝ

Δωριστὶ.

Ἦς ποκ' ἔαρ, καὶ Θύρσις ὁ βουκόλος, ἄματι μάστῳ,
Ἔσδεθ' ὑπὸ πτελέᾳ· σὺν δ' οἱ καλὸς ἔσδετ' Ἀμύντας·
Ἄμφω δ' ἀρπαχθέντα καταδύροντο Μενάλκαν·
Θύρσις δ' οἷος ἄειδεν, ἐπεὶ πρεσγύτερος μάστῳ.
Τίς τυ θεῶν βαρύμηνις ἀνήρπασε, θεῖε Μενάλκα;
Τίς τυ κατεκρύψεσκεν ὑπὸ χθονὶ, πῶν ἐόντα;
Φοῖβος γάρ τυ δίδαξεν ἀλαθέα πάντα πιφαύσκεν,
Μῶσα δ' αὖ τυ δίδαξε λιγύθροον ὕμνον ἀείδεν·
Ἃ δὲ τυ συρικτὰν μεγαλώνυμον ἦμες ἔθακε.
Πρωθάβαν δ' ἔτι κῶραν ἐόντα τὺ, θεῖε Μενάλκα,
Πὰν αὐτὸς φιλέεσκε καὶ Ἄρτεμις· Ἄρτεμις αὐτὴ
Ἔθρεψ' ἐν δρυμοῖσι, καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκυσσε,
Ὡς πάρος Ἐνδυμίωνα, τεᾷ δ' ἀπιμήνατο μολπᾷ.
Ἱμερτὰν γὰρ ἄειδες ἐν ὤρεσι θέσκελον ἀχὰν,
Ἄλλα τε μείλιχα πολλὰ, τά τοι χρέεν αὐτὸς Ἀπόλλων.
Οἷα κανὼν δέ τις ἔσκες ἐρισδέντεσσι βροτοῖσι,
Νείκεα δέ σφιν πάντα κακαγορίας τ' ἀνέλυσας·
Ὡς καὶ τὸν Χείρωνα, δικαιότατον πάλαι ὄντα,
Παλίω ἐν σπάλυγξι κατευδαίουσι, λέγοντι,
Πάντα μάλ' ἰθυνέν ἐς τ' ἀκριβές· ἔστι δ' ὅτε σφιν
Ἐξ ἀπειρεσίας ἰθυνέσκες τὸν ἀγῶνα.
Τῷ σταθμὰν καλέεσκον· ἐπεὶ φίλον οὔ ποκα φῶτα
Ἐν χάριτι κρίνεις, οὐδ' αὖ πάλιν ἄλλον ἐν ἔχθρᾳ·
Χρυσῷ ἀδήλατος, καὶ ἀναίσατος, καὶ ἄτρεπτος,
Ὡς Αἴας ποκ' ἄτρωτος ἔεν τμαθῆμεν σιδάρῳ.
Νῦν δ' ἄϊστος, ἄφαντος, ἀναύδατός μοι ἀπέσβης.
Ἁ μὲν δίκα τεὸν οἶτον ὀδύρεται, ἠδ' ὀλολύσδει,
Στᾶθος ἑὸν κόψασα· καλὸν δ' ἔρρηξε χιτῶνα.
Ἁ δ' ἀρετά τυ κλαίει, ἐπαιάζει μὲν θανόντι,
Καί τυ μέγα στοναχεῦσα κινυρομένα τ', ἐπιβωστρεῖ.
Πατρὶς δ' ἅ τυ θρέψε, καὶ ἅ τυ πρᾶτον ἔνεγκε,
Ὡς μάτηρ φίλον υἱὸν ἀποιχόμενον, τὺ φίλασε,
Καί τυ περισφίγξασα πανύστατα, καί τυ φιλεῦσα,
Αἶ αἶ, φατὶ, Μενάλκα, συνώλετό τοι τεὸν ὗδας.
Μᾶλα δ' ἐμὰ στάκοντι, τεὸν μάλος ἁδὺ ποθεῦντα,
Ταὶ δαμάλαι δ' οὐ φαντὶ καλὸν γλάγος, ὥς ποκ', ἀνησεῖν·
Οὐ δᾶν οὐκ ἐθέλοντι, καὶ οὐκ ἔτι λῶντι νέμεσθαι,
Τλᾶναι, ὅπᾳ τὺ πάροιθε τεᾶς σύριγγος ἄκουον.
Πολλάκι γὰρ πόλιάς τε καὶ ἄστια πάντα λέλοιπας,
Ἐνδιόων αἰχοῦσι· καλὰ δέ τοι ἔνεδεν ὕλα.
Οἷος δ' ἐν μάλοισι καὶ ἐν δαμάλαισιν ἐτέρπευ
Συρίσδων, ἅτε βοῦκος ἐὼν, ἅτε τῶν νομέων τις.

Ἀλλ' ἔκα τι κάματος καπυρὸν χρόα πάμπαν ἵκοιτο,
Ἀελίω φρύγοντος, ὑπὸ σκιερᾷ πλατανίστῳ,
Ποίᾳ ἐνὶ μαλακᾷ, γλυκερὸν πάλαι ὕπνον ἰαύες·
Οὐχ' ὡς ἐν πολίεσσι καθεύδοντι βροτοὶ ἄνδρες·
Τήνοις γὰρ δίκαι ἐντὶ, καὶ ἀσχολίαι, καὶ ὀϊσδύς,
Αἰεὶ δὲ μελεδῶνες ἀνάρσιοι ἀμφὶ πολῶνται·
Τᾷδέ τοι εὐφροσύναι τε, καὶ ἀσυχίαι, καὶ ἔρωτες,
Καὶ παγὰ κελαρύσδει ἐν ἄντρῳ, καὶ πίτυς ᾄδει,
Ὄρνιχες δ' ἁπαλόν τι ποτὶ κράνασι λαλεῦντι.
Ἁνίκα δ' αἱ δίψα στόμα τοι καὶ χείλεα μάρπτοι,
Κράνας αὐτοχύτω, καταλειβομένας τι καταχὲς,
Ἢ ποταμοῖο πίησθα· ποτὲς δέ τοι ἦς λίαν αἰδὼς·
Ἀδύτερος, ναὶ Πᾶνα, καὶ ἀκεράτοιο νέοιο·
Τὸν γὰρ τὰν κεφαλὰν καὶ τὰν φρένα φαντὶ βαρύνειν,
Τῶν δ' αὖ ταὶ δαμάλαι ταίτ' ὄϊες αἴκε πίωσιν,
Οὖθαρ σφω βέβριθε μάλα γλυκεροῖο γάλακτος·
Νῦν δ' ὄϊστος, ἄφαντος, ἀναύδατός μοι ἀπέσβης.
Τῷ καί τυ στοναχεῦσιν, ὅσοις φίλον ἐντὶ μελίσδεν.
Κἄμμες τὺ στοναχεῦμες ἀθέσφατα, θεῖε Μενάλκα·
Ναὶ, τὺ φίλος, καὶ δὶς καὶ τὸ τρίτον αὖ, στοναχεῦμες·
Τὰν ζὰν, ἀγλαόμολπε, καλὰν σύριγγα ποθεῦντες.
Αὐτὰρ ἐγὼ νῦν τᾷδε κενάριον αὐτίκ' ὀρυξῶ,
Ἐν δὲ μέλος γραψῶ, τύμβῳ δ' ἐπὶ τῷδε χαραξῶ·
ΕΣΒΗΣ, ΘΕΙΕ ΜΕΝΑΛΚΑ, ΚΑΙ ΟΥ ΜΕΤΑΚΕΙΣΕΑΙ ΑΜΙΝ·
Α ΔΕ ΤΕΑ ΜΝΑΜΑ ΚΑΙ ΤΟ ΚΛΕΟΣ ΩΔΕ ΛΕΛΕΙΠΤΑΙ.
Ὣς μὲν Θύρσις ἄειδε· καλὸς δέ μιν ᾔνεσ' Ἀμύντας,
Ἄρνα δὲ ζακίταν ἁπαλόχροα τήνῳ ἔδωκε.

ΩC. ΑΠ. ΑΥΤΟΥ.

ΜΗ. ΜΕ. ΞΕΙΝΩΝ. ΛΩΣΤΕ. ΚΑΚΗΓΟΡΙΩΝ. ΕΛΕΗΣΟΝ.
ΜΗΔ. ΕΙ. ΤΩΝ. ΦΘΟΝΕΡΩΝ. ΑΝΤΙΟΩ. ΣΤΟΜΑΤΩΝ.
ΟΥ. ΜΑ. ΓΑΡ. ΑΤΡΕΚΙΗΝ. ΕΠΙΜΑΡΤΥΡΑ. ΠΑΝΤΑC. ΑΡΕΣΚΕΙΝ.
ΟΥΚ. ΕΘΕΛΟΝ. ΜΗ. ΜΟΙ. ΤΟΥΤΟ. ΘΕΟC. ΤΕΛΕΣΑΙ.
ΚΑΙ. ΓΑΡ. ΑΛΗΘΟΣΥΝΗ. ΜΕΜΕΛΗΜΕΝΟC. ΙΣΑ. ΠΥΛΗΣΙΝ
ΑΔΟΥ. ΨΕΥΣΤΑΩΝ. ΑΙΝΟΝ. ΑΠΟΣΤΡΕΦΕΤΑΙ.

Lutetiae

Lutetiae ad S. Andreae in Arcubus in ſacello Thuanorum epitaphia ſequentia viſuntur.

JACOBO Auguſto Thuano Chriſtophori filio, in regni conciliis aſſeſſori; ampliſſimi ſenatus praeſidi; literarum, quae res divinas et humanas amplectuntur, magno bonorum et eruditorum conſenſu peritiſſimo; variis legationibus ſumma ſinceritate ac prudentia functo; viris principibus aevo ſuo laudatiſſimis eximie culto; Hiſtoriarum ſcriptori, quod ipſae paſſim loquuntur, celeberrimo; Chriſtianae pietatis antiquae retinentiſſimo.

Vixit annos 63.
Menſes 6. dies 29.
Obiit Lutetiae Pariſiorum
Nonis Maii 1617.

Parciſſime cenſuiſſe videtur, qui tali viro ſaeculum defuiſſe dixit.

A. ☧. Ω.

VIRTUTE et genere
Nobiliſſimam Gaſparam
Chaſtream, Gaſpari Chaſtrei
Nancaeni regiae majeſtatis
Cuſtodum praefecti filiam,
JACOBUS AUGUSTUS THUANUS,
Chriſtophori filius, repetito
Sacramento conjux, conjugem
Nono ſupra triceſimum aetatis
An. coelo receptam, inſolabili
Quantum licuit deſiderio,
Sequutus eſt: Decimo poſt
Menſe, anno climacterico,
Deus annuit optanti.

De conjugio per annos
Decem et quatuor utrimque
Sanctiſſime tranſacto
Filii tres, totidem filiae,
Communibus votis optimorum
Parentum memoriae
Tumulum bona piaque
Mente nuncupaverant.

Ad finem Commentariorum de vita Thuani, epitaphium Mariae Barbanſonae uxoris ejus primae legitur.

VIII.

VIII.

De cura et fide amicorum quibus paratam Historiae ſuae editionem publicandam Thuanus commiſit.

Adjiciuntur Scriptorum recentium celebriorum in Thuani Hist. Elogia et Cenſurae.

T*HUANO mortuo anno* 1617, *hiſtoricum opus ſuum Genevae excuſum erat anno* 1620, *in folio, hoc titulo inſcriptum.* "Illuſtris viri Jacobi Auguſti Thuani, regii in ſanctiore conſiſtorio conſiliarii, et in ſuprema regni Gallici curia praeſidis, Hiſtoriarum ſui temporis, ab anno Domini 1543 uſque ad annum 1607, libri CXXXVIII. Quorum LXXX priores multo quam antehac auctiores; reliqui vero LVIII nunc primum prodeunt. Opus in quinque tomos diſtinctum. Accedunt Commentariorum de vita ſua libri ſex, hactenus inediti.

Cui editioni hoc monitum a Georg. Mich. Lingelſhemio fuit praefixum.

AD LECTOREM.

HABES, lector, Jacobi Auguſti Thuani hiſtoriarum ſui temporis opus perductum uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum, comprehenſum libris CXXXVIII. Prodierant antea libri LXXX, nunc auctiores. Promuntur jam LVIII, qui lucem hactenus non viderunt. Summaria quoque ſeu argumenta ſingulorum nunc accedunt, quibus ſubjuncta nomina ſcriptorum, ex quibus auctor ſua hauſit, ut conſtet ex ſelectiſſimis et probatiſſimis quibuſque ea uſurpata. Summa omnium expectatione ſperabamus fore, ut quibus auctor teſtamento curam editionis operis ſui incomparabilis injunxerat, Nicolaus Rigaltius et Petrus Puteanus, viri clariſſimi, deſiderio noſtro ſatisfacerent: ſed quod auctor quodammodo praeviderat, fore, ut iniquitas temporum impedimento eſſet, id ipſum in cauſa eſſe deprehendi, cur illi editionem diutius premant prudentia publico detrimentoſa. Ne igitur bono generis humani elaboratum opus diutius lateret, ego, cui Thuanus ipſe lucubrationum ſuarum, paulo antequam excederet, deſcriptum ex autographo ſuo exemplar habere permiſerat, hoc amicitiae defuncti et utilitati publicae debere me exiſtimavi, ut dum differunt illi et meliora tempora expectant, clauſtra effringerem, et luci darem opus, ex quo lux dimanatura eſt in omnes populos. Egone paterer diutius premi opus tantis vigiliis, tanta cura elaboratum, quo nihil majus antiquitas, haec aetas nihil ſimile vidit? Quis non miretur virum hunc, tota vita graviſſimis curis in dignitatibus quas geſſit exercitum, mente concipere hiſtoriam univerſalem totius orbis et tot laboribus ſufficere potuiſſe? ut aequabili ſtylo res geſtas omnium ſub ſole nationum, aeternis monumentis, tanto cum judicio ad normam veritatis, mandaret, incertum fide an facundia majore? Certe nitorem ſermonis cum veritate, raras res hodiernis hiſtoriarum conditoribus, conjunxit. Accedunt et de vita auctoris libri ſex, quos ad annum CIↃ IↃ CII pertextos Germaniae itidem concredere voluit; quos ſi ampliores et ad vitae finem perductos habent ii, quos ante dixi, curatores teſtamenti, plurimum rogatos volo ne publicae rei invideant. Conſtat hiſtoriam hanc ſtatim initio, maximo bonorum et praeſtantium virorum, omnium paene nationum, plauſu acceptam fuiſſe; quod malo lector ex amici mei, fraterna charitate dilecti, camerae imperialis aſſeſſoris Petri Denaiſii epiſtolis duabus cognoſcat.

Hae duae Denaiſii epiſtolae, ex autographis tranſcriptae, inter alias ejuſdem epiſtolas ſuo proprio loco ſub capite hujus tomi VI *inſeruntur.*

HAEC Denaiſius quondam meus. Tu, lector, theſauro hoc fruere, et rerum maxime memorandarum cognitione animum paſce; dum tamen aequo animo feras, ſicubi interpunctio-

rum ratio minus exacta currentem animum remoretur, ac nonnunquam in fine periodi properantem ad principia revocet; ſciaſque hanc ſcrupuloſam diligentiam in excudendo opere longo ad exemplar, quod auctor remitti ſibi ut per otium attentius diſpungeretur mandaverat, praeſtari non potuiſſe. Vale.

GEORGIUS MICHAEL LINGELSHEMIUS.

Viſum eſt praeterea Lingelſhemio Praefationem Rob. Stephani tomo primo et unico praefixam (quae etiam Drouartianae editioni in 12° fuiſſet appoſita) in editionem Genevenſem transferre, cum Introductione ſequenti.

Paulo antequam obiret auctor, juſſu ejus nova editio Lutetiae per Robertum Stephanum cudi coeperat, quae auctoris fato interrupta eſt, primo tantum volumine confecto, quod in hac editione bona fide repraeſentavimus. Neve quid deſiderari jure poſſit, hanc quoque tibi ex eodem volumine Praefationem damus, etſi totius operis editioni non conſentiat.

LECTORI.

NON difficile fuit Romanis ſcriptoribus, ſtabilito firmatoque imperio, res orbe toto geſtas poſteris explorata fide tradere. Nam et orbis ipſe totus erat Romanus, et imperium urbe, communi generis humani patria, velut uno ſpiritu, continebatur. Ita nihil illi tam diſſitum aut remotum ſcribendo perſtringebant, quod domeſticum et familiare non eſſet: adeoque victoriarum, et, ſi forte, cladium hiſtorias quaſi accepti depenſique tabulas conficiebant. At eodem jam orbe in tot particulas minuto, imperio in tot regna et principatus α diviſo, qui geſta cunctorum comprehendere narrando ſuſcepit, quamvis in conſilia rerumque cauſas judicio penetraverit, in ipſis tamen conſiliis ac variis rerum eventuumque figuris genium cujuſque nationis ac gentis obvium habet, cui rite factum an ſecus fuerit, vernaculi quidem intelligunt et ſentiunt; alii non magis quam nos illam a Pollione notatam in Livio Patavinitatem. Quocirca hujuſce operis auctorem non tantum orbis univerſi memorias cura paene ſupra modum anxia ſolicitare oportuit, verum etiam populorum externarumque gentium aures et judicia conſulere; ac ſciſcitari, num, diſcurrente multiplicis hiſtoriae filo quaedam exotica peregrino ſchemate obvoluta gravibus officiis occupatum ac ſaepenumero aliud agere coactum feſelliſſent; quae tamen antequam opus ſuum poſteritati ſanciendum permitteret, ſagaciſſime requiri ſuoque ordine digeri β haud inutile eſſe judicaret. γ Nempe quod olim eximium pingendi artificem factitaſſe narrant, unam et alteram editionem propoſuit velut in pergula tranſeuntibus, auſcultaturus ſi quae forte retractanda vel acrius pervidenda notarentur. δ Etenim hiſtoria, ſicut pictura, bono quidem in lumine collocanda eſt; ſed tanto probanda, quanto ad propoſitum exemplar, id eſt, veritatem, ε accedit. Igitur infrunitas eorum voculas, qui rigidum hiſtorici tenorem ab inanibus aretalogi fabulis differre noluerunt aut neſciverunt, vir intaminati candoris et incorruptae fidei pro nihilo duxit. Quae vero ſapienter animadverſa ſunt ab viris in exiſtimando prudentibus, quales ipſe etiam atque etiam rogat ut in publica ſcriptione caſtiganda vel locupletanda operam navare porro nec ambitioſe pergant, ſedulo collegit: ζ iiſque probatis ac penſitatis, η quartam concinnavit editionem locis aliquot inculcatam atque reſectam: quam adeo ceteris poſthac uſpiam cudendis pro archetypo eſſe velit, et vero jubeat; praeſertim quum a prioribus nihil variet, niſi qua locupletior auctiorque, aut qua etiam fortaſſe accuratior atque limatior. Nec enim eſt quod te conturbet, ſi librorum aliquot initia ſecus ac primo fuerant concepta reperias. Quidni ſuper re ſua uti quiſque ſtatuerit ita jus ſit? Quanquam et haec mutatio ratione conſilioque non careat; nimirum ut eſſet opere in magno ubi ſubſiſtere ſaepius et reſpirare poſſes; tum ut ſeſe lubentius ſupervacuis officiis θ abſtineret typographus ille Francofurtenſis, qui corporis hujuſce hiſtorici compagem in paragraphos et fruſta diſcerpere conabatur. Et tamen irrita fuit adverſus contumacem cautio. Nam et notis, quas ſtulti politicas vocant, editionis ſuae paginas conſperſit ineptis et frivolis. Sane hominem ut ab incepto deſiſteret, viri probi et graves in Germania paſſim hortati fuerant; quibus ille, ſi pudori, ſi otio conſuluiſſet, parere neceſſe habebat. Sed is fuit praeduri capitis ſtupor, ut prudentiſſimis monitis pervicaciter obſurduerit. Fidem heic tuam, lector, appello; apage Abderitica deliramenta; ſtet ſuus operi nitor, ſua hiſtoriae ſimplicitas, integra tibi quidquid volueris obſervandi, ſentiendi libertas. In ſumma, haec editio cum aliis,

VAR. LECT. α dejuncto *D.* d. β haud operae pretium fore *D.* d. γ Itaque *D.* d. δ Quippe *D.* d. ε accedit, ut illud uſurpari liquido poſſit, ὅτι τοῦτο ἐκεῖνο. Igitur *D.* d. ζ iiſque ut ita dicam [illegible] probatis *D.* d. η tertiam *D.* d. θ abſtinerent, qui jam corporis hujuſce hiſtorici compagem apte decenterque cohaerentem capitum aut ſummarum commatis ſive paragraphis divellere fruſtillatimque concerpere meditabantur. Quin et politicas, ſi placet, ad paginarum marginem notas parturiebant. Fidem heic tuam, quiſquis es, lector, *D.* d.

VERISSIMA ſunt omnia, quae ante menſes quatuor de Thuano mihi ſcripſeras; planeque tibi aſſentior, non abire ita oportere. Atque adeo ſi ceſſare ii vellent, qui ſanguine vel affinitate τῷ μακαρίτῃ Junio devinctiores ſunt; non tamen tam duro ſtomacho eſſe deberent quibus eccleſiarum noſtrarum honos cordi eſt, ut hominem tam bene de iis meritum, poſtquam illum coelo dignatus eſt Deus, ab eo viro, qui ob ſummam auctoritatem apud poſteros fidem fortaſſe inveniret, apertiſſimis et iniquiſſimis calumniis onerari paterentur. De me quidem ita habe, neutiquam me quieturum. Sed cur hactenus nihil in hoc negotio egerim, cauſa eſt non una. Nam uſque adeo obrutus fui mole curarum, ut ne reſpirandi quidem otium concederetur. —— Venio nunc ad alteram cauſam dilati in tuendo ſocero officii. Sciebam edi in hac urbe epiſtolas Scaligeri, quas antequam vidiſſem, putabam nihil hac in re fieri oportere. Quid, inquies, ea res ad Junianam cauſam? Imo plurimum: Scis quale fuerit illud maximi Scaligeri ingenium; non ferebat diſſentientem. Itaque ſemper eo nomine offenſior Junio fuit, quod in quibuſdam ad ſacram θεολογίαν pertinentibus, ac credo in aliis etiam nonnullis, a ſe diſcreparet. Offenſam eam unus et alter diſcipulorum alebant, maligne interpretantes apud Scaligerum, quae vel publice docuiſſet Junius, vel privatim dixiſſet. Scaliger, ut irae impotens erat, accuſare Junium literis ſuis apud doctiſſimos Gallorum, eoſque inter Caſaubonum, Thuano uſque adeo familiarem, atque adeo, ut arbitror, Thuanum ipſum. Itaque non committendum putavi, ut, quia alterum accuſationis caput erat de Junii deſultorio ingenio, multa conante, nec aſſequente quod moliretur, hiſce verbis reſponderem, priuſquam vidiſſem quid Scaliger ad Caſaubonum ſcripſiſſet. Prodiit nunc epiſtolarum opus. Praefatio eſt ab Heinſio, ſed ſub Elzevirianorum nomine. Magnifice extollit Scaligeros. Ait naturam quotidie homines parere, non miracula: Sed quid tota poſſet, voluiſſe in utroque Scaligero experiri, inque iis duobus bis omnes vires ſuas eſſe periclitatam. Quibus ego laudibus non invideo: Etſi non arbitrer Eraſmum fuiſſe iis minorem. —— Quam autem maligne egerit Scaliger, vel hinc vide, quod non ſemel dicat uſque adeo imperitum eſſe Junium, ut non dico Hebraice (quamquam et illud ſcribat) ſed ne Latine quidem ſciverit. Cujuſmodi cum literis iſtis video contineri, dubitare non poſſum, quin iis Thuanus compulſus ſiniſtrum adeo judicium de Junio tulerit. Imo plane perſuaſum habeo, haud leviora eſſe, quae de eo ad Thuanum perſcripſerit. Quamobrem ſi calamum adverſus Thuanum ſtringam, periculum video, ne filius Thuani, juvenis eruditus, et ut genere, atque opibus pollens, ita multis in Galliis charus, et maximis honoribus deſtinatus, quae de imperitia Junii modeſte parens ſcripſerit, ea aperte, et ſine circuitione prodita, oſtendat a magno Scaligero, reip. literariae dictatore, cui doctior orbis lubens eruditionis faſces ſubmittit. Hinc mihi nova cura, etiam tuendi eum adverſus Scaligeri calumnias, incumbet. Quem ego virum laudavi ſemper, ac porro laudare decrevi: non quia ejus impotentiam animi, aut maledicentiam ignorem; aut quaſi neſciam, quam multis in locis aliquid humanitus patiatur: ſed quia ejus tantae virtutes, praeclaraque adeo merita ſunt erga hiſtoriam, ac bonas literas, ut propterea, quae peccavit, cenſeam ei condonari et aeterna oblivione ſepeliri oportere. Nec tamen impediunt iſta, quo minus accurate refellantur, quae de fuga Junii ex ſupplicii metu comminiſcitur. Imo nec impedit quicquam quo minus, ſaltem modeſte, aliquid dicatur adverſus illud de ingenio deſultorio. Nec enim deſultorio is ingenio, qui a prima paene aetate theologiae ſe dedit, inque eo ſtudio conſenuit. Linguarum, ſcio, ſtudio et philoſophiae incubuit: ſed propter theologiam imprimis, ut in criticis aliquis voluit videri: Haec ille ſubſecivis horis, quas aleae aut compotationi aliqui impendunt. Sed ſaepius deceptus eſt. At nihil opus metiri Junium ex criticis, nihilo ſane magis, quam Scaligerum ex Cyclometricis, puerilium errorum pleniſſimis. Nec tam infelix eſt conjector, quam livor ait. Aliquid accuſatio ea ex vero, at nec minus eſt, quod ex mendacio, invidia, atque odio trahit. Quare nec detrecto provinciam, iſti parti quoque occurrendi: nedum diffugiam laborem diluendi foedum errorem, quo ſeditionis aut complicationis adverſus ſummos magiſtratus reum agit, ac turpis fugae inſimulat. Quae tanto turpiora, quanto probitas eruditioni antiſtat. Tantummodo mihi ita agendum video, ut quam minima eorum offenſa, qui Thuano et Scaligero impenſius favent, fortiſſime Junii cauſam agam. Utrum autem ſeorſim, an in praefatione operis alicujus id acturus ſim, adhuc delibero. Atque ubi ex amicorum conſilio aliquid ſtatuero, faciam te quam primum certiorem. Nec diſplicet, ut in academiae Lugdunenſis profeſſoribus, quorum vitae ante biennium hic cum coelata eorum imagine recuſae fuerunt, idem error paucis refellatur. Haec nunc in mentem venerunt.

Lugd. Batav. CIƆIƆCXXVII. V Id. Maii.

Ger.

Ger. Voſſius Hugoni Grotio, p. 113. Ep. 79.

TANDEM, maxime et amiciſſime vir, prodit in lucem hiſtoria mea, de Hiſtoricis Latinis; cujus exemplar nunc mitto: quod, licet nihil elucubrarim ſubtili tuo judicio dignum, tamen, quia meum eſt, placiturum confido. — Dicere vix poſſim, quantopere ſim ſermone et literis multorum fatigatus, ut tuerer honorem ſoceri adverſus Thuanum. Et diatribam ſuper eo ſeorſim poſtularunt. Mihi, etſi impenſe honori Juniano ſtuduerim ſemper, res tamen ea tanti viſa non eſt. Quare ſatis fore putavi, ſi id fieret praefatione altera operis noſtri, quae eſt ad lectorem. Ita autem reſpondeo, ut, ſalvo ſoceri honore, modeſtius potuerit nemo: idem, ſcio, judicabis ipſe ubi videris. Movere me non ſolum magna Thuani merita, ſed etiam quod filium ejus viderem tantopere a te amari: quem ſcirem nihil immerito magni facere, praeter me unum. Sane hic erga nobiliſſimum juvenem amor tuus tanti apud me fuit, ut vel acerbius aliquid tam multorum aſſiduo impulſu cogitantem facile poſſet ſuſſlaminare. Acrius paulo inſurrexi adverſus Scaligerum, quia edoctus eſſem ab eo fonte eſſe, quod pleraque de Junio Thuanus hauſiſſet: ut fidem faciebant multa. Memor eram, qualia ſuperſtes evomuerit adverſus Junium, cum totus in fermento jaceret. Et meminiſſe ipſe potes. Adhuc in noſtris et aliorum manibus verſantur codices Juniani, Scaligeri manu oppleti bellis illis elogiis, ſimia, aſinus, cojone, et aliis id genus convitiis, βωμολόχῳ, non Scaligero dignis. Et hocce anno Heinſius noſter in lucem edidit epiſtolas Scaligeri, in quibus non urbanatim, ſed ruſticatim Junium tanquam Cumanum aſinum tangit, homo caetera magnus, ſed nimis malignus, nec ita animatus, ut ſe etiam hominem eſſe cogitaret. Vellem Heinſius periodos eas, in quibus de Junio Scaliger loqueretur, imo totas epiſtolas omiſiſſet. Nunc aſteriſcum ponere fuit contentus: interim relinquit, ubi dicatur edidiſſe notas in Cypriani magiſtrum, contuliſſe Manilium cum MSS. codicibus Palatinis, aliaque id genus: quaſi multum interſit, utrum dicam Sophroniſci filium, an Socratem; Trojani belli ſcriptorem, an Homerum. Equidem vellem hanc mihi neceſſitatem reſpondendi non impoſuiſſet Heinſius. Et tamen ita reſpondeo, ut, qui neſciat hocce anno editas apud nos eſſe Scaligeri epiſtolas, neſcire etiam poſſit per eum, cujus me nomini dico parcere velle, intelligi Scaligerum. Nempe tum demum nomino, cum ejus de Junio epicedium refero: Iccirco tandem ſubjungo *aliquid de epiſtolis praeſtantis viri, ſive dicti ſive adhuc innominati nobis.* Nempe innominati, ubi calumniae reum ago: At nominati honorifice, ubi ejus de Junio elogium commemoro. Summa autem defenſionis noſtrae eo redit, dicere potuiſſe Junium de Criticis ſuis et aliis ſimilis monetae illud Arellii Fuſci, Ne quis me ex his cenſeat.

Lugd. Batav. CIƆ IƆC XXVII. x Kal. Sept.

Ex epiſtola lectori a G. J. Voſſio libris ſuis de Hiſtoricis Latinis praefixa. Ed. Lugd. Bat. in 4to.

MULTA multorum exempla, quorum opera poſthuma habemus, cautiorem me reddunt. Commemorare plurima cum poſſim, exemplum unius afferre contentus ero: de quo agendi graves ſane habeo cauſas. Nec alienum plane ab inſtituto erit hoc noſtro, cum de Hiſtoricis agam, et ille, de quo loquar, inter hujus temporis Hiſtoricos principem mereatur locum. Eſt is Jacobus Auguſtus Thuanus ὁ μακαρίτης, vir genere, doctrina, dignitate maximus, et cui aliquid humanitus patienti plane debeat ignoſci, partim ob graves occupationes, quae ſingula ad amuſſim expendere non patiebantur; partim etiam ob merita praeclara erga Gallias ſuas, ac remp. literariam. Maximus ille vir, quem dixi, (ſi opere poſthumo ſtare licet) ad annum CIƆIƆCII prodit ea de viro, et genere nobili, et eruditione clariori, et pietate modeſtiaque longe maximo, Franciſco Junio Biturige, ex quibus vix guttam veri exprimi poſſe, nemo ſcio eorum qui vivunt negare ſuſtineat. Eo enim, quo dixi, loco haec de Junio legas: [1] *Lugduno Batavorum, ubi diu profeſſus eſt, ob rerum novarum ſuſpicionem ab Ordinibus Belgii exactus, ſicuti ſuo loco diximus, et Altorfii, ubi defecit, a Norimbergenſi rep. honorifico ſtipendio invitatus.* Nempe, memoria deceptus, in errorem Tarteſſia muraena grandiorem incidit vir ſummus: quod ita eſſe, ex ipſius verbis liquido conſtat. Ait enim, *ſicuti ſuo loco diximus.* At nihil uſpiam tale retulerat de Junio: verum de Hugone Donello, diſſuaſore quidem, attamen conſcio conſiliorum, quae conjurati ceperant Lugduni anno CIƆIƆLXXXVII. Qua de re ita ad annum hunc ipſe prodidit Thuanus: [2] *Hugo Donellus juris ſcientia clarus, eamque diu Avarici Biturigum profeſſus, qui ob religionem Lugdunum conceſſerat, quod conſilio participaſſe crederetur, a ſenatu monitus ut alio migraret, Altorfium ſe contulit; ubi Norimbergen-*

NOT. [1] Vide Tom. VI hujus editionis, p. 128. [2] Vide Tom. IV hujus editionis, p. 504.

ſis reip. ſtipendiis ad mortem uſque docuit. De Donello id, ut videmus, pronunciarat ipſe: de Junio ſe dixiſſe arbitrabatur. Nempe Gallus erat uterque: adhaec ille in Biturigum urbe jus profeſſus, hic natus ibidem: uterque etiam apud Batavos in Lugdunenſi docuerat academia, neque id exigua cum gloria. Quid mirum igitur, ſi glaucoma iſthaec in ſcribendo objicere potuerint viro occupatiſſimo? Sed ut ſimiles hactenus fuerint, in iſto diſſimiles tamen, quod Donellus eximius foret juriſconſultus; Junius autem theologorum, qui iiſdem quidem caſtris, in hoc religionis per orbem diſſidio, militarent, nullo inferior haberetur: quod item Donellus in conſpiratione illa quorundam adverſus illuſtres Hollandiae Ordines, quam dicebam anno CIƆ IƆ LXXXVII, conſiliorum nefariorum conſcius fuiſſet; atque ea propter, auctoritate procerum, ſolum vertere ſit coactus: Junius autem iis temporibus docuerit Heidelbergae: imo quinquennio demum poſt, nempe anno CIƆ IƆ XCII, ex Palatinatu in Bataviam conceſſerit: nec unquam poſtea pedem extra eam poſuerit: atque adeo, quamdiu vixit, maximo in pretio fuerit apud illuſtriſſimum principem Mauritium, ac potentiſſimos Hollandiae et Weſtfriſiae Ordines: quod denique Donellus extrema vita Altorfii Noricorum jus profeſſus obierit anno CIƆ IƆ XCI, aetatis LXIV: Junius, qui altero demum poſt anno in Lugdunenſem academiam venerat, deceſſerit ibidem anno CIƆ IƆ CII, aetatis LVII. Itaque illius Altorfii, hujus Lugduni Batavorum monumentum ab omnibus viſitur. Quid pluribus de Junio opus in re, non urbi modo huic, ſed univerſae cognitiſſima Bataviae? Bataviae vero? imo toti foederatae Belgicae, atque adeo Galliis ipſis, et terris aliis, in quibus paene innumeri ſuperſunt, qui temporibus Junii, ſtudiorum cauſa, in academiam hanc confluxerant, oculati omnium teſtes quae diximus. Quare de iſto quidem tam aperto errore verbum ulterius non addam. Verum quid prohibet, quo minus, occaſione iſtius, etiam excutiamus hoc tempore, quae Thuanus proxime ante allata verba praemiſerat? *Obiit*, inquit, *cum annum tantum* LVII *attigiſſet, vir deſultorio ingenio, qui multa conatus an aſſecutus ſit quod moliebatur, doctorum erit judicium.* Haec de Junio Thuanus, a quo tamen multi egregiam laudem retulere, cum nec alteram Junianarum virtutum partem poſſiderent. Nempe acerbe adeo ut ſummus vir pronuntiaret, fecit [a] amicus ejus, vir cetera egregius; ſed, quod in aliis damnat, praefidens, planeque ἰδιογνώμων καὶ αὐθέκαστος, ſaepe etiam turgens loliginis ſucco, ac, ſi quis non per omnia aſſentiret, vehemens alieni nominis obtrectator: quo vitio non mediocriter foedabat egregias, imo admirandas animi dotes. Non me ariolari hic, ſed certiſſima promere, multis poſſim indiciis comprobare: ſed ea ſunt viri illius merita, ut quaedam ſatius ſit honoris cauſa taceri. Quod ſiquis ambigat, indicia iſtorum aliqua reperiet in literis ejus hocce anno in urbe Lugdunenſi noſtra editis: ubi ille ne meris quidem calumniis abſtinuit: quibus, ſcio, facile caviſſet, ſi vel per ſomnium veniſſet in mentem, fore, ut ea more malo poſt obitum quomodocunque divulgarentur. Ac ab eodem fonte hauſtum videtur, quod de Juniana Inſtrumenti tralatione alibi judicat Thuanus. Sed utcunque ſe habeant iſta, illud tamen nemo laudaverit ſatis, quod idem ille, cujus nomini parcendum putavi, licet pleriſque, dum viverent, minus ſe aequum praeberet, defunctis tamen iiſdem candidum ſe exhiberet virtutum praeconem. Quo honore etiam memoriam Junii fuiſſe proſecutum, divini ejus verſiculi teſtantur. Itaque non ultra ei immorabor: ſed potius ad rem ipſam me convertam. Quaero igitur, quid illud ſit, cur graviſſimus et conſtantiſſimus vir, Franciſcus Junius, deſultorii ingenii dici mereatur? Num quod reſilierit a ſtudio juris civilis? hoc enim a quibuſdam reſponderi audio. Equidem non diffiteor, in juris ſcientia ſummos audiiſſe magiſtros, Donellum dico, Duarenum, Contium, Ruſardum, Cujacium, alios: ſed factum id aio ſolo adoleſcentiae quinquennio, cujus partem etiam politiores ſibi literae vindicarunt: praeterea id factum imperio patris, viri ut genere clari, ita ſummis dignitatibus a rege Galliarum et regina Navarrena aucti, plurimumque gratia apud eos pollentis. Qualis cum pater foret, quid mirum ſane, ſi ſtudia illa in filio praetulerit, quae admirandae indolis adoleſcenti ad honores maximos munirent viam? Atque illa tum fuere. Sed, defuncto parente, Dei, ſcripturarum, religionis amor, uſque adeo filium inflammarunt, ut, ſpretis ſaeculi honoribus, ad S. theologiam penitus animum appelleret: nec conſilium hoc totis XL annis, quibus poſtea vixit, unquam mutavit. Ac quantum in ſacro hoc ſtudio praeſtiterit interea, ex monumentis ejus judicium penes omnes eos eſto, quos in triſti hoc religionis per orbem diſſidio haut nimium abripit affectus. Verum, conceſſerit aliquis, illud de jure putidius objectari, cum idem fecerint alii, ſummi item ſacri ordinis viri: verum, inquiat, ſi aliud quicquam, illud ſane deſultorium potius videri, quod, theologum profeſſus, humaniorum attigerit literas, atque adeo etiam in ſcriptores nonnullos κρίσιν auſus ſit exercere: quippe qui (o crimen novum atque inauditum!) epiſtolas M. Tullii ad Atticum et Quinctum fratrem, item Manilii aſtronomicon, contulerit cum manuſcriptis Palatinis, ac variantes lectiones et breves notas duobus ſit libellis complexus. Equidem factum non diffiteor. Inſtabant amici: et feriae

NOT. a Joſ. Scaliger.

erant:

etant: impenſum igitur pauxillum temporis, dum ſe fritillo oblectant nonnulli, vel in litore conchas legunt. Quantillum igitur illud eſt, quod gravioribus ſtudiis deceſſerit, ut ea propter deſultorium ejus ingenium dici mereatur! Nec ſane tum operam plane perdidit. Nam in illis Palatinis codicibus (utcunque is, de quo antea etiam loquebar, id in caſtigationibus diſſimulet) multa emendatius legebantur quam editis antea: multa perperam quidem, attamen ejuſmodi, ut, ſicubi Junio minus liqueret, alios tamen otio magis affluentes, ad loca ea integritati reſtituenda, Mercurii alicujus Euodii vel Hegemonii inſtar, tanquam manu ducerent. Quod nunquam defugiam comprobare, ſi tanti illud eſſe aliis videatur. At, inquies, nonne Codinum idem tranſtulit e Graeco et illuſtravit notis? Quaſi non intereſſet ejus, qui eccleſiaſticam amaret antiquitatem, eccleſiae noſſe Conſtantinopolitanae officia, quae tradidit Codinus: aut quaſi nihil referret, utrum utiliſſimus ſcriptor beneficio Junii e tenebris erutus in doctiſſimorum hominum manus veniret, an oblivione aeterna ſepeliretur. Sed enim, eum cum ederet, unico duntaxat codice uſus fuit, eoque mutilo, et multis locis corruptiſſimo. Quaſi hic ulla ſit Junii culpa, ac non eo magis excuſandus ſit, ubi rem non acu tetigit. Et idem tamen variantes poſtea Palatinorum codicum manuſcriptorum et Raphaelis Serlejani lectiones nactus fuit. Etiam cum in vocibus mixobarbaris, et officiis pleriſque imperii orientalis, tum temporis quidem (nam nunc, ut dies diem docet, liquidiora hac parte ſunt omnia, cum aliorum induſtria, tum doctiſſimi amici mei Joannis Meurſii) cum, inquam, in iſtis ſpiſſae forent tenebrae etiam hominibus eruditiſſimis, accuratius alios rerum Conſtantinopolitanarum ſcriptores contulit cum iis quae apud Codinum legiſſet. Hinc amplior lux Codino. Itaque editionem moliebatur novam, non paulo et integriorem et emendatiorem. Sed typographus differre eam maluit. Tantum enim, bono non tam Junii aut publico quam ſuo, illud egit, ut editio vetus, pauculis praemiſſis e ſecundis Junii curis, exiret, atque ita ſcriptor, quo pauci et non niſi doctiſſimi caperentur, ementiens faciem novam novos etiam conciliaret ſibi emptores. Sed exemplar, quod ſecundae editioni Junius deſtinarat, quamquam, ut puto, non tam confectum quam affectum, habeo ipſe: quod ſi videre contigiſſet editori Codini nupero, (viro ſane eruditiſſimo, utinam candoris et aequitatis amantiori) genuinum, ut cenſeo, in Junio haut tantopere fregiſſet. De Tertulliano quoque videamus, eccleſiaſticorum e Latinis, qui ſuperſunt, antiquiſſimo, quem beatus martyr Cyprianus magiſtrum ſuum vocitabat. Hunc ſaltem nemo, credo, indignum dixerit theologo, non lectore modo, ſed etiam interprete: utcumque illorum, quae tenebras ei affundunt, maxima pars face philologica aut critica debeat diſpelli. Junius igitur auctumnalibus unius alteriuſque anni feriis, etſi ſibi non minus quam ceteris in otio tum vivere liceret, ne juventus tamen penitus quieſceret, quaedam graviſſimi ejus ſcriptoris enarravit publice; poſteaque et alia ejus privatim, licet tum majoribus diſtineretur, adoleſcentibus aliquot explicavit. Editionem eorum poſtea, ut fit, flagitarunt, atque etiam extorſerunt nonnulli, qui, curis virum alio vocantibus, limam ulteriorem deſperabant. Equidem agnoſco, in difficili adeo, addo et corrupto ſcriptore, relicta ab eo eſſe multa, quae vel Delio natatore vel Aeſculapio indigeant. Nec in iis, quae vidiſſe ſe putavit, contendero ſemper Lynceum fuiſſe: cum et Homerum quandoque dormitare prope omnium opinio ſit. Imo nec illud inficias iero, cum longe plurima eorum, quae in Tertulliano negotium faceſſunt, ab recondita interiorum literarum cognitione dependeant, multis in locis eum certius et explicari et reſtitui potuiſſe ab aliquo minus aliis ſtudiis occupato, quique omni paene vita ſe dediſſet corrigendis aut illuſtrandis ſcriptoribus antiquis. Verum quid impedit, quo minus talis nunc quoque exſurgat aliquis, qui ſcriptorem nobiliſſimum non paulo det nobis meliorem? Ceciderit prior: cadet forte, qui ſequitur: laus erit publica: ut pauxillum illud Laberii immutem. Procul ſolum eſto inſectatio omnis ac canina facundia, ſine qua plerique ſibi parum diſerti videntur. Nam unde alioquin eſſe dicam, quod ſi quid viderint, quod alteri inviſum putent, ilicet inimice allatrent atque arrodant; nec tam cogitent, quantum alius praeſtiterit, quam ubi alucinetur, immemores interim manticae ſuae, quam errorum minime vacuam geſtant in tergo? Sint ſane huic noſtro, ſint aliis quoque, iis in ſtudiis de quibus nunc loquimur, ſua παροράματα, vel σφάλματα, vel etiam παρεγχειρήματα· quae nemo doctiſſimorum hominum effugere ſemper potuit: nedum, cui τὰ ἔξωθεν prae ſacris πάρεργον forent. Attamen fateantur, favore nihilominus, non odio, dignam eſſe propenſiſſimam illam bene etjam de rep. literaria merendi voluntatem. Praeterea ſi boni eſſe viri et haberi velimus, non totum nos Junium metiri convenit, ex opera praeſtita, cum animum laboribus ac curis prope obrutum amoenitate literarum laxare paululum vellet. Quanto enim aequius eſt, ut eum potius aeſtimemus ex illis, quae elaboravit in ſcripturis ſacris vertendis, explicandis, et graviſſimis religionis controverſiis enarrandis! Hic occurrat nobis, quam praeclara doctiſſimum quemque docuerit ille, cui nihil in more minus foret quam exſcribere alios. Quod ſi in iſtis etiam, quae nunc dicimus, aliquando, vel ingenii fiducia vel humana imbecillitate, non vitilitigatoribus modo, ſed candidis etiam hominibus,

deceptus videatur; cogitemus, generoſi eſſe animi, malle, ubi gravioris nihil periculi ex lapſu metuitur, cadere interdum, quam metu illo, ne labaris, ſemper humi jacere. Cogitemus etiam, eum ſua pro oraculis haberi noluiſſe: longe aliter ac mos eſt illis, qui paene in omni ſtudiorum genere (quo jure non diſputo) dictaturam ſibi vindicant; nec ea contenti, imperium (ſi tam molli id nomine vocandum) exercent aſpere in literas, ac falſis lacerant maledictis viros doctrina haut inferiores, moribus etiam meliores. Cogitemus denique, haut alterum fortaſſe ad ſacra ſtudia tractanda attuliſſe plura majoraque tum adjumenta, tum ornamenta, quam a Junio factum fuit. Quippe qui diligenter legiſſet jam puer Latinos, Graecos, grammaticos, oratores, poetas, hiſtoricos, philoſophos: qui juris ſcientiam addidiſſet: qui Hebraice, Chaldaice, Syriace eſſet doctiſſimus: qui tentaſſet etiam aliqua Arabice; quamquam eo tempore, quo arduum eſſet reperire ulla ad linguam hanc ſubſidia, quae poſtea divina bonitate ſuppeditarunt multa magnaque: adhaec qui tanta cura devoraſſet et concoxiſſet doctores ſcholaſticos, Aquinatem et Scotum ante omnes: quique, ut recentes magni nominis interpretes legiſſet, ita aſſidue paene verſaſſet SS. patres; innumera ad eos obſervaſſet; in Graecis imprimis; cujus rei teſtimonia luculenta, tum in Nicaeni concilii libris ab eo tranſlatis, tum in toto Joſepho, Clemente integro, ac pluribus aliis ab eo illuſtratis correctiſque, oſtendere ipſi poſſumus, ac poſſunt item ſimilia alii in aliis. Sed quid his inſiſto? Sane ingenium viri et diffuſiſſimam eruditionem multi facilius carpent, quam aemulabuntur. Et quibuſdam obſtrigillantibus, non deerunt toto orbe viri docti et clari, qui debito eum praeconio ornent. Qualem mox ab exceſſu ſuo habuit etiam maximum virum vereque literarum principem, Joſephum Scaligerum, qui verſibus hiſce defuncto parentavit:

JUNI, *quem modo literis potentem,*
Pleni gymnaſii frequente coetu,
Cingebat docilis corona pubis
Dicto pendula differentis ore:
At nunc, o ſeries iniqua rerum,
Tactus ſidere peſtilentis aurae
Sol pallentibus occidis tenebris!
Te moerens ſchola flet ſuum magiſtrum,
Orba eccleſia te ſuum parentem,
Doctorem gemit orbis univerſus.
Flent, flent; non uti vulgus imperitus,
Quem morbus docet ipſe, quid valere eſt.
Quanti eſt filius, orbitate diſcit,
Qui nec denique quid potitus olim eſt,
Sed quid perdiderit, ſolet putare.
In te longe alia eſt viciſſitudo:
Nec quantus fueris, carendo diſcit,
Qui vivi meritum aeſtimavit olim;
Et nunc conſcia publicae querelae
Poſtquam triſtia te tulere fata,
Et clarum jubar abſtulere mundo,
Nos quid perdidimus, quid et dolendum eſt,
Non ſcimus magis, at magis dolemus.

Haec Scaliger de defuncto, quo tempore nec gratiae aucupium ſtimularet, ut nimis efferret Junium; nec aemulatio vel ullus in ſtudiis diſſenſus in cauſa eſſe poterat, ut detractum ei quicquam vellet. Haec idem, ut verſiculis ſuis, ipſe ſubſcripſit, in lectulo duabus poſt mediam noctem horis: quando mens humana, ſi unquam, ſua eſſe ſolet, nec affectibus abripitur. Haec ille, cum peſtilentia in academia Lugdunenſi intra menſem unum ſummos duos viros, Junium, ac Trelcatium, abſtuliſſet; ac porro ſtrages tantas tota faceret Batavia: quae mortalitatis cogitatio non patiebatur Scaligero tum quicquam, niſi ſincerum, ex ore vel calamo exire. Quid, quod ſcimus apud liberos defuncti, atque alios, longe etiam majoribus elogiis extuliſſe omnigenam illam Junii, ac imprimis rerum ſacrarum ſcientiam? Sed praeconia illa, quia plane invidenda videantur, ne apponere quidem ipſe ſuſtineo. Nec obſtare tum potuerunt, quod in nonnullis, etiam iis quae ex ſcripturis de temporum ratione diſceptarentur, aliud Junio viſum fuiſſet. Nam utcumque Scaliger aegre ferret diſſentientes, nec talibus (nempe homines omnes ſumus) aequum ſe arbitrum praebere ſoleat; tamen fere erga defunctos alius erat: imo ſubinde etiam, ſuperſtitibus illis, mens ei ad ſe redibat tandem. Poſt Scaligerum, ſi id requiri putarem, poteram ingentem referre copiam virorum praeſtantium, qui magnis laudibus Junium extuliſſent. Atque in his e-

tiam principes viros: quales ſui multos habuit poteram dicere admiratores, malo amatores. Hos inter illum, quo nemo in principali faſtigio conſtitutus de ſtudiis melius potuit judicare. Quo modo cum loquor, nulli obſcurum eſſe arbitror, intelligere me auguſtae memoriae vereque maximum magnae Britanniae regem Jacobum primum. Cujus affectum erga Junium ſuperſtitem non uno cognovimus indicio; et praeclarum de mortuo judicium, cum alia teſtabuntur, tum literae, quas rex tantus de religionis negotio ante novennium ad praepotentes foederatae Belgicae Ordines miſit. Haec fuſius ſum proſecutus, non tam propter Thuanum, virum nunquam ſatis laudatum: quam ob malevolos quoſdam, alienis ſemper inſidentes papulis, unumque hoc agentes, ut quanto plus aliis detraxerint, tanto majores ipſi videantur. Quales Juniani ſeſe nominis decus infringere poſſe arbitrantur, partim poſthumis illis parum candidis epiſtolis praeſtantis viri, ſive dicti ſive adhuc innominati nobis: partim etiam pauculis iſtis, quae Thuano per errorem in vaſtiſſimo opere, ut ſit, exciderunt; imo quae emendaturus erat, ſi ſua ipſe in lucem edere potuiſſet. Quod ſi quis a me potiſſimum haec pro Junio dicta eſſe mirabitur, is ſciat, et hoc, et majora me debere honori academiae noſtrae Lugdunenſis, cujus magnum ille, dum vixit, ornamentum fuit. Sciat quoque, id a me factum ſuaſu atque impulſu multorum praeſtantium virorum; quorum hoc amori erga Junium non debui denegare. Sciat etiam, hoc privatim interfuiſſe mea; qui eo in adoleſcentia uſus ſum praeceptore, et optimo, et amantiſſimo mei. Denique cui iſta non ſufficiunt, cogitet, me officio functum eſſe non mali generi: atque ita ut fieret, interfuiſſe totius Junianae familiae, tot etiam filiorum meorum: quibus nihil aeque exopto, quam ut avitae pietatis, doctrinae, et modeſtiae exemplum, nunquam ſibi ex animo effluere patiantur.

Lugduni Batavorum, anno CIↃ IↃCXXVII. IV Nonas Jun.

In editione poſteriore Genevenſi, an. 1630, locus de quo agitur, curatorum juſſu emendatus, ſic legitur.

“Mense proximo Franciſcus Junius, in Biturigibus Cubis apud nos natus, itidem
“ obiit Lugduni Batavorum peſte abſumptus, cum tantum annum LVII attigiſſet; vir
“ deſultorio ingenio, qui multa conatus an adſecutus ſit quod moliebatur, doctorum e-
“ rit judicium.”

Laudanda Voſſii pietas, qui non contentus factum ignominioſum Junio, calami ſeu memoriae lapſu non propoſito (ut ipſe Voſſius ultro agnoſcit) a Thuano improperatum, diluiſſe; etiam animi dotes et in rempublicam literariam merita ſoceri ſui contra cenſuram Thuani vindicare ſtrenue aggreſſus eſt.

Laudanda vero et fides Rigaltii et Puteani, qui in editione Genevenſi poſteriore factum illud, Junio loco Donelli manifeſto errore in priore attributum, omitti probe curaverunt; ſed judicium Thuani de Junio nihilominus imminutum et illibatum relinqui voluerunt: memores proculdubio auctoris noſtri ſub finem libri Hiſtoriarum ſuarum LXXI, haud mitius de eodem Junio pronunciantis, his ſcilicet verbis: “Immanuel Tremellius novam Veteris Foederis ad Hebraicae
“ veritatis fontes examinatam tranſlationem molitus eſt, ſocio tanti laboris aſcito Fran-
“ ciſco Junio Biturige, qui poſt Tremellii obitum eandem editionem in opere alieno plus
“ juſto ingenioſus recenſuit, et additis multis auctiorem potius quam meliorem judicio
“ multorum reddidit.”

Anno 1634 liber Genevae excuſus fuit in 4to, ſic inſcriptus: Nominum propriorum, virorum, mulierum, populorum, &c. quae in viri illuſtris Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriis leguntur Index, cum vernacula ſingularum vocum expoſitione.

Indicis hujus auctores fuere Petrus et Jacobus Puteani fratres. Ejus exemplar miſſum fuit ad P. Fulgentium, animorum et ſtudiorum conjunctione et conſuetudine cum illuſtri illo P. Paulo Veneto inſignem, qui inde occaſione capta epiſtolam ſequentem ad Puteanos fratres exaravit.

Ex MS. Molto Illre Sigr Colmo.

HO ricevuto con l'honore della lettera di V. S. de 6 del paſſato il libro che poſſo chiamare la Chiave del Thuano: dell'una & dell'altro le rendo le gratie che poſſo maggiori. Id-eſſo mi par d'havere & di poter haver' l'Hiſtoria di quel grand huomo, da me ſingolarmente riverito in vita; la cui glorioſa memoria, par le ſue eccellenti e traſcendenti virtù [illegible] doppo la morte. Che in vera realta io non lo potevo leggere, perche nell' Hiſtoria come la mente non può ſeguire dietro nelle perſone & luoghi, io non ricevo guſto ma diſguſto. Ma queſta digna fatica de' Sigri Puteani ſervira ai noſtri Italiani, non ſolo per la Thuana, ma per tutte le Hi-

ſtorie de Francia & altre ancora. Dal che V. S. puol conoſcere, quanto io mi reputa obligato al ſuo dono.

Di Venetia li 19 Lughlio 1634. FR. FULGENTIO.

Ex Gabr. Barth. Gràmondi Hiſt. Gall. in folio, Toloſae 1643, in folio, p. 190.

EADEM circa tempora (anno 1617) mortalitatem explevit Thuanus, parlamento Lutetiano praeſes: vir proſapia illuſtris, doctrina et rerum experientia inter paucos. Liberales artes et ſcientias ut profeſſus a teneris, ut literatos amaverit, immenſa in rempublicam charitate, docemur Hiſtoriarum monimentis, quae accurate edidit ab exceſſu Franciſci primi in Henrici IV extrema. Externi acceptam illi gratiam ferunt hiſtoriae Gallicae, nec parce laudant. Atenim nihil indigus eſt externae laudis qui ſibi ipſe praeco eſt, ſeu vitam ſpectas, ſeu quos ſcripſit libros. Deterſa illi loquutio et Latina, ſtylus facilis, et quandoque rebus memorandis effuſior: ut affectaſſe dixeris ſcribendi genus, quo nihil omitteretur, et in plano forent quae ſcriberet. Quod pro vario lectorum affectu accipitur varie: laudatur multis diffuſa loquutio, quia per ſe facilis eſt: ſunt quibus ſtyli majeſtas placet, paucis multa complectens: hi gravitate commendabiles ſunt; illi facundiâ: utriſque ſua dignitas. Ceterum privilegia eccleſiae Gallicanae et regum auctoritatem dum acrius vindicat vir politicus, Romae ſuſpectatur. Iniqua ſuſpicio, quam mendacii manifeſtam facit, nedum vita quam exegit in fide Catholica et Romana, magno virtutis Chriſtianae exemplo, ſed et ipſius teſtamentum, quo palam profitetur fidem orthodoxam. Bibliothecam ut collegerit magnis ſumptibus, ut in uſum publicum legaverit, docent nos ejuſdem teſtamenti hæc verba: "Bibliothecam meam quadraginta amplius annorum ſpa-
" tio, magna diligentia ac ſumptu congeſtam, quam integram conſervari non ſolum
" familiae meae, ſed etiam rei literariae intereſt, dividi, vendi, ac diſſipari veto; eamque
" communem cum numiſmatis antiquis aureis, argenteis, et aereis, inter filios, qui literis
" operam navabunt, facio; ita ut etiam exteris aliiſque philoſophis ad uſum publicum
" pateat: ejus cuſtodiam committo Puteano, qui et libros meos iis qui opus habebunt
" utendos dare poterit."

JUSTA Thuano aeſtimatio Puteani: optima electio procurandae bibliothecae, quam praeter libros omnium ſcientiarum editos, illuſtrant manuſcripta veterum auctorum innumera, per quae magnum rei literariae augmentum eſt. Nec ſatis manuſcriptis veteribus, ornant inſuper recentiores libri, manu item ſcripti, queis continentur typi (originalia vocant) rerum quae per aetatem noſtram tranſactae in aulis principum, quorum compilatio Puteani opus et labor eſt. Hic legationum acta et memoriales libros, hic placita regum et ſenatus nunquam vulgata, hic Gallicanae privilegia eccleſiae, vetera et nova monimenta invenias, digna auctore, cui inter doctos magnum nomen, ingens in publicum charitas eſt.

FINE anni exceſſit [1] Villaraeus, vir magni nominis: illi ſeptuaginta et novem anni ſpatium vivendi, qua etiamnum aetate rebus haud impar erat regendis; curſu honorum inoffenſo quatuor reges emenſus magna laude procuravit res Galliae, vita et moribus innocens, ſagax, et, qua maxime doctrina valuit, arcanorum imperii ſumme peritus. Tenues illi opes pro longa adminiſtratione; quo patuit res Gallicas procuraſſe ipſum magis quam ſuas, quod rarum in aula, eoque magis laudabile.

Mezeray dans ſon Hiſtoire de France, Tom. III *p.* 282. *de la premiere Edition in folio* 1651.

CHRISTOFLE de Thou premier Preſident, egalement zelé, mais avec une parfaite diſcretion, pour le bien public & pour l'authorité Royale, deux choſes qu'il avoit hardiment maintenuës contre les mauvais conſeils des flateurs, & les attentats de la Ligue, mourut à Paris le premier jour de Novembre (1582); de regret, à ce qu'on crut, de voir la France ſur le penchant de ſa ruine. Car ayant voulu remonſtrer au Roy (Henry III) que la multiplication des Edits onereux pourroit enfin cauſer de perilleux ſouslevemens, le Roy le traita de mépris, & ſe tournant vers les flateurs qui l'environnoient, leur dit que ce bon homme radotoit; paroles qui le frapperent ſi vivement au cœur, non pour le reſſentiment de ſa propre injure, mais pour le déplaiſir du miſerable eſtat où il voyoit la France, que cette bleſſeure ne ſe pût guerir que par la mort: luy faiſant parmy les derniers ſouſpirs de ſa vie, pouſſer des ſouſpirs de douleur, & des paroles prophetiques ſur les malheurs prochains dont le Roy & le Royaume eſtoient menacez. Il laiſſa à tous les bons citoyens un regret extreme de ſa perte, & un ſouvenir eternel des obligations que la France luy avoit; parmy leſquelles, à mon advis, on doit compter pour la plus grande,

NOT. [1] M. de Villeroy.

celle

celle de luy avoir donné Jacques-Auguſte de Thou, dont les ouvrages immortels, malgré la cenſure de l'Envie & des mauvais François, teſmoigneront à toute la poſterité, ſa rare doctrine, ſa merveilleuſe ſincerité & candeur, ſa pieté ſans fard, ſon integrité deſintereſſée, & ſur tout ſon zele equitable pour la grandeur de l'Eſtat, & pour le public.

M. Sorel dans ſa Bibliotheque Françoiſe, *Paris* 1667, 12°. *p.* 337.

Il faut placer en un honorable rang l'Hiſtoire de M. le Preſident de Thou, qu'il a faite de ce qui s'eſt paſſé de ſon temps depuis l'an 1543 juſques à 1607. — Toutes les perſonnes illuſtres & fameuſes de ce ſiécle là y ont leur Eloge, & l'Autheur n'y oublie aucun des accidens remarquables. Quelques Critiques ſe ſont perſuadez qu'il avoit mis trop de Digreſſions dans ſon Hiſtoire, mais ayant eu deſſein de la faire de longue étenduë, il y a pû mettre ce qu'il a voulu; on ne doit point ſe fâcher qu'il nous ait appris quantité de belles choſes; car en ce qui eſt des Hiſtoires particulieres, les plus longues ſont les meilleures. M. Scipion du Pleix parlant de la mort de M. le Preſident de Thou dans ſon Hiſtoire de France, a voulu faire l'Eloge de celuy qui a fait l'Eloge de tant d'autres. Il dit, "Que c'eſtoit un perſonnage illuſtre en extraction, alliance, dignité, integrité & doctrine; Qu'il a écrit l'Hiſtoire en ſtile élegant & floriſſant, mais qu'ayant donné quelques atteintes au S. Siege & à quelques Ordres de Religieux, & ayant témoigné une horrible averſion contre tous les partiſans de la Ligue, cela eſtoit cauſe que quelques Gens de ſon temps avoient mauvaiſe opinion de ſa croyance; mais que la profeſſion qu'il avoit faite toute ſa vie de la Religion Catholique Apoſtolique & Romaine & la ſoigneuſe inſtitution de ſes Enfans à la Devotion, à la Pieté, & à toute ſorte de Vertus, eſtoient de tres-puiſſans argumens pour en faire un jugement contraire:" Ce n'eſtoit pas aſſez dire pour M. Dupleix; Il ne s'eſt pas arreſté au fait. Il falloit ſouſtenir que M. de Thou n'avoit parlé du Pape, des Moines, & de la Ligue, que comme devoit faire un bon Serviteur de ſon Roy. • On connoiſt que cét Hiſtorien veut le blâmer en l'excuſant. Voila un mauvais office qu'il luy rend, ce qui fait croire que l'Envie le faiſoit parler, voulant attaquer ceux qui ſe meſloient d'écrire l'Hiſtoire. Cela ſe connoiſt encore en ce qu'il allegue qu'on a imputé au Preſident de Thou de n'avoir compoſé ſon Hiſtoire que des Libelles de ſon temps: cela eſt de peu de conſideration. Il n'y a point de Libelle, ny de Memoire, qu'il ne faille qu'un bon Hiſtorien prenne la peine de voir; Cela n'empeſche pas qu'avec cela il ne ſe ſerve de bons Memoires particuliers. Au reſte, de ſoûtenir que l'illuſtre Hiſtorien dont nous parlons s'eſt ſervi des Memoires des Huguenots, plûtoſt que de ceux des Catholiques, cela n'eſt pas d'une preuve facile, & quand il l'auroit fait, il a ſceu diſtinguer le bon d'avec le mauvais, & prendre les choſes qui eſtoient les plus certaines. Enfin il n'y a point de malice ſi noire, ny ſi ſubtile, qu'elle puiſſe oſter à M. le Preſident de Thou l'honneur qu'il s'eſt acquis par ſes beaux Eſcrits & par ſes Vertus particulieres. Nous avons encore à dire touchant ſon langage Latin, que veritablement chacun n'a pas trouvé bon qu'il ait déguiſé des Noms propres des lieux ou des Hommes de telle ſorte qu'ils ſont un peu malaiſez à reconnoiſtre; mais on doit conſiderer que les Noms François n'ont aucune grace dans les Diſcours Latins, & que le Dictionnaire qu'on a fait de ceux que M. de Thou a inventez, ſuffit à ceux qui auront la curioſité de voir l'original de ſon Hiſtoire.

Jugemens des Sçavans *par M. Baillet*, *Amſt.* 12°. 1725, *p.* 250. *vol.* II. *partie* I.

Le caractere de la critique de Monſieur de Thou eſt cette liberté Françoiſe qui regne par toute ſon Hiſtoire, qui l'a fait ſi fort diſtinguer d'avec la pluſpart des Ecrivains de ſon ſiecle, qui luy a fait éviter avec tant de ſageſſe les deux extremités où ſe ſont jettés d'un côté quelques zelés Catholiques, & de l'autre la pluſpart des Proteſtans, & qui luy a donné en particulier l'avantage ſur les trois celebres Cardinaux [*Baronius, Bellarmin, du Perron*] dont nous venons de parler, en ce qu'étant tout-à-fait exempt des préjugés & des interêts qui les occupoient, ni la crainte, ni l'eſperance, ni aucune autre paſſion n'a été capable de corrompre ſa plume & ſon eſprit. On ne prétend pas néanmoins que tous les jugemens qu'il a rendus en faveur de tant d'Ecrivains médiocres ſoient toûjours fort juſtes & irrevocables. Ce ſont des Eloges que l'on trouve répandus dans ſon Hiſtoire à la fin de chaque année. Ils ſont une des plus curieuſes parties de cette Hiſtoire.

Ibid.

Ibid. vol. I. *p.* 337.

Ce ne ſont pas les François ſeulement, mais les Etrangers ſur tout qui ont donné à Monſieur le Preſident de Thou la préſéance ſur tous les Hiſtoriens de ces derniers temps, & qui l'ont égalé aux anciens, ſoit pour la grandeur du ſujećt, ſoit pour la diſpoſition & la proportion des parties, ſoit enfin pour le choix d'un ſtyle convenable à la majeſté de l'Hiſtoire.

Jo. Andr. Boſius de comparanda Prudentia et Eloquentia Civili. 4to. *Jenae* 1678, *p.* 14.

Nostro et *ſuperiori ſaeculo* multi ad veterum accurationem proxime acceſſere, quidam et optimos quoſque Romanorum et Graecorum hiſtoricorum aequarunt. Inter hos principe loco ponendus Thuanus eſt, ſcriptor eloquentia, doctrina, libertate, prudentia, ac fide nemine inferior; praeſertim in rebus Gallicis, quibus ipſe interfuit. In reliquarum enim gentium non parem ubique fidem meretur, qui alios ſequi neceſſe habuit. Unde factum, ut etiam ſtylus ejus alicubi diverſus deprehendatur: verba namque auctorum quibus uſus eſt plerumque retinuit. Perſecutus eſt res ab anno 1546 ad 1607 in univerſa Europa geſtas; adeoque veluti bibliotheca hiſtorica illorum temporum haberi debet. Quae ad religionis hiſtoriam pertinent, ſumma aequitate et moderatione, quamquam religioni pontificiae addictus, tractavit; eaque re multorum e Papiſtis odium in ſe concitavit; adeo ut a nonnullis idcirco Politico-Catholicus appelletur; a quibuſdam etiam ut atheus et profanus traducatur.

Ex Jo. Petr. Titii recenſione voluminum hiſtoricorum Thuani, in 4to. *Gedani* 1685, *pag.* 26.

Videmus eſſe etiam, qui in rebus Gallicis, nempe ei notioribus, plus ei fidei tribuendum credant, quam in ceteris, ubi aliorum ei fides ſequenda fuit. Unde ſtylum quoque ejus aliquando diverſum eſſe autumant; cum verba auctorum, quibus uſus eſt, plerumque retinuerit. Sed (quod bona virorum inſignium ſic cenſentium pace dicere liceat) primum illud cognoſci facile poteſt, non niſi illorum fidem hiſtoricum et diligentiſſimum et prudentiſſimum ſecutum eſſe, quibus fidem ſe habere quam rectiſſime poſſe judicaret. Id quod auctores, epitomis librorum appoſiti, ſat probant: ut omittam, quanto ſtudio ex illis qui rerum gnari eſſent, iiſque graviſſimis ac fide digniſſimis viris, omnia exploraverit. Ad ſtylum quod attinet, nuſquam ſane quiſquam deprehendet effrontem multorum audaciam ei placuiſſe, qui paginas, imo libros alienos integros tranſcribere, ac pro ſuis venditare, bellum facinus putant. Quam vero ipſe rationem ſibi tenendam duxerit, perſpici ab omnibus, qui conferre quaedam notiora voluerint, nullo negotio poteſt. Ex. gr. de obitu M. Lutheri quae attulit, ex Jo. Sleidani commentariis hauſta eſſe, et ipſe in indice ſcriptorum, qui libro II praemiſſus eſt, commonet, et res loquitur. At modus tradendi longe diſpar eſt. Thuanus enim ex iis quae a Sleidano fuſius expoſita ſunt, non niſi ea quae inſtituto ſuo ſufficere arbitrabatur ſelegit; et quamvis verba Sleidani nonnulla retinuerit, forma tamen ſtyli tam conveniente uſus eſt, ut ea in re nihil deſiderari queat: cum non recentiorum tantum, ſed et veterum optimos eodem modo rem geſſiſſe, oſtendi facile poſſit.

Ex Thuani Hiſt. lib. LXXIV, *ſub finem.*

Hubertus Folieta unus noſtro aevo dignus fuit, qui, ſicuti ſpem fecerat, hiſtorias ſui temporis Pauli Jovii veſtigiis inſiſtens perſequeretur. Verum per particulas earum potius guſtum dare quam continuum opus pertexere eum in animo habuiſſe crediderim; quippe cum ea, quae dedit, tam diffuſa ſint, ut ſi eadem ubertate et copia cetera ſcripſiſſet, res procul dubio in immenſum excreviſſet. Multa ex eo cum operi huic inſeruerim, ac plerumque verba ipſa, nam qui meliora potuiſſem? non ſolum ingenue id profiteri, ſed ejus memoriam digna recordatione heic recolere officii mei eſſe duxi.

Les Hommes Illuſtres qui ont paru en France pendant le 17me Siecle, par M. Perrault, à Paris 1696. in folio. Tom. I. *p.* 41.

M. le President de Thou.

La Famille de Mr. de Thou eſt une des illuſtres Familles de la Robe. Celuy dont nous faiſons l'Eloge avoit recueilli comme par droit de ſucceſſion toutes les bonnes qualitez de ſes Anceſtres, la droiture de l'ame, l'amour de la Juſtice, & tout ce qui forme une probité conſommée, le courage, la ſageſſe & la ſcience: il ſembloit meſme qu'il les eut reçuës à condition de les porter à un plus haut degré de perfection, tant il prit de peine à ſe rendre un des premiers hommes de ſon ſiecle. Il nâquit à Paris en l'année 1553, & fit ſes études aux Univerſitez de Paris & d'Orleans. Aprés s'y eſtre enrichi de la connoiſſance des Lettres humaines & de la Juriſprudence, il voyagea en Italie, en Flandres & en Allemagne, où il s'inſtruiſit à fonds des mœurs, des coutumes, des intereſts des Princes, & de la Geographie de tous ces Pays differens; Eſtudes qui luy ſervirent merveilleuſement, non ſeulement pour toutes les grandes negociations où il fut employé; mais pour mettre à fin auſſi glorieuſement & auſſi utilement qu'il le fit enſuite, l'admirable Hiſtoire qu'il nous a laiſſée.

Au retour de ſes voyages il fut fait Conſeiller & Maiſtre des Requeſtes, & peu de tems aprés Preſident au Mortier. Ses differentes Charges luy donnerent lieu de faire voir les talens qu'il avoit receus de la Nature, & qu'il avoit cultivez par une eſtude continuelle. Auſſi toſt que la journée des barricades eut obligé le Roy Henry III à quitter Paris, il ſe rendit inceſſamment auprés de ſa Majeſté, qui s'eſtant ſervi quelque temps de ſes conſeils, l'envoya en pluſieurs Pays eſtrangers pour diverſes negociations. Lors qu'il eſtoit à Veniſe, & que là il eut appris la mort malheureuſe du Roy, il alla auſſi-toſt trouver Henry IV, qui le receut avec toutes les marques d'eſtime & de bienveillance imaginables, & qui l'admit dans tous ſes conſeils les plus ſecrets. Et comme un des principaux talens de ce grand homme eſtoit de manier les eſprits par la force de ſon éloquence naturelle & acquiſe, & de les tourner comme il luy plaiſoit, ſa Majeſté s'en ſervit en pluſieurs affaires tres importantes. Il fut employé dans la Conference de Sureſnes, & pour traiter avec les Deputez du Duc de Mercœur.

Le Roy luy donna la Charge de Garde de ſa Bibliotheque, vacante par la mort du grand Amiot Traducteur de Plutarque. Cette illuſtre Bibliotheque la plus belle du monde, aprés celle du Vatican, ne tomba pas en de moins dignes mains & n'en receut pas moins d'honneur qu'elle luy en fit. Elle devint plus que jamais le réduit de ce qu'il y avoit de plus ſçavans hommes & de plus vertueux parmy les gens de Lettres; & ç'a eſté particulierement ſous ſa conduite qu'elle s'eſt renduë recommandable, tant par les hommes vivans qui y conferoient de toutes ſortes de ſciences, que par les Autheurs morts qu'on y alloit conſulter.

Il fut nommé entre les Commiſſaires de la celebre Conference de Fontainebleau, où le Cardinal du Perron confondit luy ſeul Dupleſſis Mornay ſouſtenu de douze Miniſtres les plus habiles de ce temps-là.

Pendant la Regence de la Reine Marie de Medicis, il fut un des Directeurs generaux des Finances; où ſa ſuffiſance & ſon integrité ne parurent pas moins que dans l'exercice de ſes Charges de Judicature. Ces differens emplois capables d'occuper toute l'attention des plus habiles, ne l'empeſcherent pas de trouver du temps pour compoſer le plus grand corps d'Hiſtoire que nous ayons, contenant dans cent trente-huit Livres tout ce qui s'eſt paſſé, non ſeulement dans toute la France, mais dans toute l'Europe, depuis l'année 1543 juſques en l'année 1608, avec une exactitude & une fidelité qui n'a gueres d'exemples. Il n'a jamais ny deguiſé ny ſupprimé la verité: noble & genereuſe hardieſſe dont il a eſté loüé de tous les grands hommes de ſon temps, & particulierement de Papyre Maſſon, qui diſoit qu'il n'eſtoit pas poſſible qu'un Hiſtorien qui n'eſt pas ſincere allaſt loin dans la poſterité. Cet Ouvrage eſt digne des Anciens, & peut-eſtre ſurpaſſeroit-il une grande partie de ce que les anciens Romains nous ont laiſſé en fait d'Hiſtoire, s'il n'avoit pas trop affecté de leur reſſembler. Car cette affectation de bien parler leur langue a eſté ſi loin qu'elle luy a fait défigurer tous les noms propres des Hommes, des Villes, des Pays & des choſes dont il parle, en les traduiſant en Latin d'une maniere ſi eſtrange, qu'il a fallu adjouſter un Dictionaire à la fin de ſon Hiſtoire, où tous les noms propres d'Hommes, de Villes, de Pays, & autres choſes ſemblables qui y ſont contenuës, ſont retraduits en François. Secours non ſeulement utile, mais neceſſaire à ceux qui veulent avoir une parfaite intelligence de ſon Hiſtoire. C'eſtoit l'enteſtement de ſon temps, qui alloit à un tel excés, qu'au lieu de donner à la pluſpart des enfans qu'on baptiſoit, les noms des Apoſtres,

Camden Hiſtorien Anglois; & qu'une Hiſtoire qui ſeroit écrite en Latin de la ſorte que Montagne le ſouhaitoit, c'eſt-à-dire, remplie de noms François, ne ſeroit pas liſible, tant elle ſeroit deſagréable. Il avouë neanmoins qu'il y a quelque temperamment à garder dans ces traductions des noms François en Latin, & qu'il ſuffit de leur donner une terminaiſon Latine. Par exemple, il faut dire *Jolius* pour *Joly*, & non pas [1] *Lepidus*; *Carterius* & *Entragus* pour *Chartier* & *Entragues*, & non pas *Quadrigarius* & *Interamnus*, comme a dit M. de Thou. Pline le Jeune, dans une de ſes Lettres à Caninius, dit, que ce n'eſt pas un petit embarras, que de faire entrer dans les Vers Grecs des noms Barbares; mais qu'il n'eſt rien dont le travail & l'art ne viennent à bout de ſurmonter, ou du moins d'adoucir. Homere pour rendre ſes vers plus coulans ne doutoit point d'abreger, d'étendre & de changer les noms propres des Grecs. M. Groulard étoit premier Préſident au Parlement de Normandie; un particulier lui preſenta un Poëme Latin, dans lequel il l'apoſtrophoit par ces vers, qui firent rire tous les Savans :

In publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Groulard.

Exemple que M. Menage raporte pour faire connoître combien il eſt ridicule de ne pas latiniſer les noms François, quand on écrit en Latin. A la verité il n'eſt rien de plus dur dans la Poëſie; mais il n'en eſt pas tout-à-fait de même dans la Proſe, & principalement dans l'Hiſtoire, où l'on n'aime point à deviner les noms propres d'hommes, de villes, &c. ſans leſquels on n'entend rien à ce qu'on lit.

Hiſtoire de France par M. le Gendre, fol. Paris 1718. *Tom.* I. *p.* 56.

Les Sultans d'Egypte faiſoient donc leur ſejour à Babylone, comme les Occidentaux l'entendoient, c'eſt-à-dire, au Grand Caire: & ils furent les maîtres de la Terre-Sainte juſqu'à l'an 1516, que Selim I Empereur des Turcs s'en empara, auſſi-bien que de l'Egypte l'année ſuivante. Ce fut luy qui executa en effet ce que Louis XII projettoit de faire, ou ce que ſes ſujets du Royaume de Naples ſouhaitoient qu'il fît, en luy faiſant dire ſur cette Medaille: PERDAM BABYLONIS NOMEN.

Ex operibus ſelectis Joannis Harduini, *e ſocietate* Jesu *Preſbyteri*, *Amſtelodami in folio* 1719, *pag.* 905.

Explicatio nummi ſub Ludovico XII *Francorum rege cuſi*, *inſcriptique*
PERDAM BABILLONIS NOMEN.

Excerpta ex Auctario Diarii eruditorum, impreſſo Pariſiis, die 31 *Januarii*, 1707.

Nummus Ludovici XII Francorum regis, cujus meminit Jacobus Auguſtus Thuanus libro I Hiſtoriarum ſui temporis, eſt ſane eximius ac ſingularis; ſed ab ipſo perperam explicatus. Aureus eſt in gaza regia; et in cimelio illuſtriſſimi D. Foucault, regi a ſanctioribus conſiliis. Nummi illius iconem primus exhibuit D. Petavius, ſenator Pariſienſis; et poſt eum D. le Blanc, in libro inſcripto Gallice, *Monnoyes de France.* Prior nummi pagina vultum principis exhibet, capite cincto corona e liliis Francicis, cum hac epigraphe: LVDO. FRAN. REGNIQ. NEAP. R. Poſterior habet inſignia regni Franciae, quae ſunt tria lilia, ſuperpoſita corona, pro more illius aevi, aperta. Inſcriptio, cruce praefixa: ✠ PERDAM BABILLONIS NOMEN. Alluſio eſt ad locum Iſaiae, cap. xiv. 22. ubi de Chaldaica Babylone dicitur, *Perdam Babylonis nomen.*



Existimavit D. Thuanus, comminatum eſſe hoc dicto regem Ludovicum XII ſe deleturum eſſe urbem Romam, quoniam eſſet ei cum ſummo pontifice Julio II ſimultas maxima:

maxima: probroſoque Babylonis nomine eumdem ipſum Romam deſignaſſe. Hanc vero interpretationem amplectuntur avidiſſime ſanctae ſedis Apoſtolicae hoſtes: quibus credi perplacet, a Chriſtianiſſimo etiam rege ſummopere ſpretam fuiſſe ſedem Chriſti vicarii. Verum eſt haec interpretatio prorſus falſa, ac memoriae religioſiſſimi ſane principis injurioſa valde et contumelioſa.

Animadvertendum enim eſt, primo quidem, nummum iſtum tunc cuſum fuiſſe, cum eſſet Francorum rex Ludovicus XII, idem rex Neapolitanus: Nam id aperte praefert inſcriptio; *Ludovicus Francorum Regnique Neapolitani Rex*. 2°. Reges Neapolitanos etiam inſcribi et eſſe reipſa reges Hieroſolymitanos a temporibus Friderici II imperatoris. 3°. Tunc eumdem inſcripſiſſe ſe, ut in edicto ejuſdem legitur, pro creatione parlamenti Provinciae, anno 1501, apud D. Jolly, tomo 1. Officiorum Franciae, pag. 472. *regem Franciae, Neapolis, et Jeruſalem*. 4°. Anno illo ipſo quo capta a Ludovico XII Neapolis eſt, aut anno certe ſequente, nummum hunc cuſum fuiſſe; hoc eſt, ante annos ipſos novem quam cum Julio II ſummo pontifice ſimultates exerceret. Nam poſt annum certe 1503, numquam inſcripſit ſe Ludovicus XII regem Neapoleos. Non igitur urbi Romae minas intentat rex certe Chriſtianiſſimus, hoc dicto, PERDAM BABILLONIS NOMEN.

Sed tunc factus ille nimirum rex Hieroſolymitanus cum et rex Neapolitani regni, pollicetur hoc lemmate, ſe Terram Sanctam, ditionem utique ſuam, recuperaturum eſſe; deleturumque poſtea ipſammet Aegyptum, uſque ad Cairum, quae civitas Aegyptii Soldani primaria tunc ſedes fuit; quoniam ſimul is Terram Sanctam et Jeruſalem tunc tenebat. Cairum autem errore populari occidentales omnes ſcriptores a temporibus belli ſacri, ut plerique eruditi putant, Babylonem vocabant pro Babillone; quod veteris Cairi nomen fuit. Sic enim in hoc nummo ſcriptum eſt, BABILLONIS, ut recte D. Petavius edidit, et nos ipſi vidimus in nummo eo, qui perpulcher eſt ac nitidiſſimus; non, ut Thuanus retulit, pag. 8. BABYLONIS. Nam quod ad illud Martialis Epigramma attinet, e libro XIV. epigr. 150.

Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus:

ubi Ferrarius in Geographia videre ſibi viſus eſt Aegyptiam Babylonem, longe allucinatus eſt. Chaldaicam enim, quae Euphrati amni impoſita fuit, vates indicat Babylonem, verſuque ſolum illud Plinianum exprimit, e libro VIII. pag. 231. *Acu facere id Phryges invenerunt — Colores diverſos picturae intexere Babylon maxime celebravit, et nomen impoſuit. Plurimis vero liciis texere, quae polymita appellant, Alexandria inſtituit.*

Soldani igitur Aegyptii in Babillone nova ſedem tunc habebant, hoc eſt, in Cairo: et Terram Sanctam obtinuere iidem uſque ad annum 1516, quo Selimus I Turcarum imperator hanc occupavit; ut et Aegyptum anno conſequente. Is ergo anno 1517 praeſtitit, quod Ludovicus XII anno 1501 pollicebatur ſe facturum eſſe hoc dicto, PERDAM BABILLONIS NOMEN.

Haec ſequens refutatio, nunc primum ex MS. vulgata, Jo. Harduini S. J. explicationis nummi ſub Ludovico XII Francorum rege cuſi, inſcriptique PERDAM BABILLONIS NOMEN, *perbenigne nobis tranſmiſſa fuit a viro nobili extero; quem minime dubitamus quin omnes melioris notae eruditi, lecto hoc ejus ſcripto, multijuga doctrina ornatum et exquiſito judicio feliciter eſſe praeditum, facile pronunciaturi ſint.*

Jo. Harduinus S. J. abſurdis noviſque in literario orbe opinionibus non minus ac ſubtilibus audacibuſque, et, quod ingenue fatendum eſt, quandoque non infelicibus interpretationibus, clarus, cum opinaretur ſe huic Ludovici nummo veram, et mirum quantum ab ea diverſam, quam ceteri Galli ſcriptores prodiderant, interpretationem nactum eſſe, tanta eſt delectatione perfuſus, ut morae impatiens minime ſe continere potuerit, quin prima quaque data occaſione eamdem typis evulgaret: itaque inter Ephemerides eruditorum Pariſienſium in ſupplemento menſis Januarii A. 1707, brevi ſchediaſmate referri curavit; nec eo contentus, e Gallico in Latinum ſermonem verſam, aliquantum tamen immutatam et auctam, ſua inter *Opera ſelecta*, quae A. 1719, Amſtelodami prodierunt, denuo in publicum prodire voluit. Putavit igitur Harduinus Jacobum Auguſtum Thuanum Hiſtoriarum ſui temporis libro primo, ante alios in eum ſenſum hujus nummi epigraphen accepiſſe, nempe, quaſi Ludovicus, mutuatis verbis ex Iſaiae cap. XIV. 22. Romae, quam cum antiquis et ejus temporis ſcriptoribus ob deploratam morum aulae illius corruptionem Babylonem appellat, comminaretur, idque propter ſimultatem maximam ipſum inter et Julium II P. M. extremis ejus pontificatus annis cum maxime exacerbatam. Reprehendit

dit id propter Thuanum ea de interpretatione, quam prorſus falſam ac memoriae religioſiſſimi principis non minus quam ſedi apoſtolicae injurioſam valde et contumelioſam exiſtimat. Odioſae huic reprobataeque interpretationi novam ipſe ſubtilemque explanationem ſubſtituit ex titulo *regis Neapolitani*, quo Ludovicus in nummo utitur, dum legitur: *Francorum regnique Neapolitani rex* — Ex quo argutatur Ludovicum, ut qui tanquam *rex Neapolis* eſſet etiam *rex Hieruſalem*, nihil aliud ea inſcriptione, *Perdam Babillonis nomen*, voluiſſe quam minari ſeſe abs Aegypti rege, quem Soldanum vocant, Hieroſolymam Terramque Sanctam tum temporis obtinente, non modo Hieroſolymitanum regnum utpote ſuum vindicaturum, ſed etiam ejus ſede ejecturum, Babillonem ita ſubvertendo ut nomen adeo ejus pereat. Is etenim rex regiam ſedem in urbe vulgo *Cairo* dicta habebat, quam urbem etiam Babillonem jam inde a ſacri belli temporibus occidentales ſcriptores appellare conſueverant.

Porro epocham qua nummum hunc cuſum imaginatur, ſtatuit ad annum 1501 vel ſequentem. Ac ponit poſt annum 1503 Ludovicum nec regis Neapolitani titulum uſurpaſſe, et ideo nec Babillonis nomine Romam deſignare potuiſſe. Profecto ſi ita ſe res haberet, ſat firmum ejus argumentum eſſet, ſaltem ad propulſandam Thuani interpretationem: quoniam eo tempore nullae regi cum Julio II contentiones eſſe poterant, cum conſtet ex hiſtoria, Alexandrum VI tum maxime viguiſſe regi foedere amicitiaque conjunctiſſimum; tantum abeſt ut ei Romae exitium ſub Babillonis nomine minaretur. Sed laetius exultaſſet Harduinus, ſi ſciſſet prioribus Thuani editionibus, nempe Pariſienſibus annorum 1604 et 1609, atque Germanicis 1614 et 1617, ipſum Thuanum, dum hunc refert nummum, ſcripſiſſe eum Neapoli curatum, his verbis: *cuſo etiam Neapoli aureo nummo*, &c. etenim ſi Neapoli cudi juſſiſſet, certum eſt id aut 1501 aut 1502, aut prioribus A. 1503 menſibus, non inſequenti tempore potuiſſe: nam apud omnes hiſtoricos conſtat, Ludovicum a magno duce Conſalvo a Corduba coactum Neapoli excedere, atque ea regni parte quae ipſi obvenerat ex pacta diviſione cum Ferdinando rege Catholico prid. idus Mai. anni 1503, quo die Conſalvo Neapolim ingreſſo Averſa et Capua dedita, ac tandem primo novi anni 1504 die Galli tradita Gaieta cum arce ac ceteris quae tenebant in regno oppidis, exceſſere, uti patet ex hiſtoria Guicciardini, atque apud omnes alios tam Italos quam Gallos ſcriptores in confeſſo eſt.

Verum qui ſuper debilibus ruinoſiſque fundamentis ſtruit, ſaepe patitur ut omne ſuperimpoſitum aedificium humi prolapſum videat. Putavit Harduinus a Thuano primum eam interpretationem illi nummo tributam: putavit etiam Ludovicum poſt annum 1503 non amplius ſibi titulum regis Neapolis ſumpſiſſe, ac proinde prioribus hiſce annis nummum fuiſſe cuſum, non poſtea. Opinatus eſt quoque Hieroſolymam cum Terra Sancta eo tempore ab Aegypti Soldano poſſeſſam fuiſſe. Quae poſitiones ſi falſae demonſtrentur, et nummum non Neapoli cuſum, ſed potuiſſe in Gallia a Ludovico curari ſequentibus annis, cum, donec vixerit, regis Neapolitani titulum uſurparit, acceptaſque a Julio pontifice injurias reſpexerit, concidant et in fumum evaneſcant omnia ejus inventa neceſſe eſt. Et quidem ante omnia falſum eſt, a Thuano primum eam interpretationem nummo aſſignatam; nam Galli ſcriptores, aſperrimi crudeliſque Ludovicum inter et Julium belli temporibus proximiores, quamvis nummum quod non inſpexerint varie deſcribunt, conveniunt tamen cuſum a Ludovico in Gallia fuiſſe, poſtquam Julius adeo in regem ſaeviit, ut regnum diris devoveret, comparatiſque in eum copiis ipſe accinctus enſe et thoracatus ducem ſe praebuerit. Imo clariſſimi Italorum et Gallorum ejus aevi ſcriptores, quos inter Arnoldus Ferondus in Ludovico XII, ferunt Julium ita armatum, dum ponte Tiberim trajiceret, haec protuliſſe alta voce, ut ab omnibus audirentur, verba: *Quando me nihil Petri claves juvant, Pauli enſem diſtringam:* atque haec inter clavibus in flumen projectis, enſem, quo cingebatur, e vagina eduxiſſe. Quod ſane amplam poetarum ejus temporis ſcommatibus praebuit materiam, unde celebre per Gallorum ora carmen apud Ferondum legimus:

In Gallum, ut fama eſt, bellum geſturus acerbum,
Armatam educit Julius urbe manum.
Accinctus gladio, claves in Tibridis amnem
Projicit, et ſaevus talia verba facit:
Cum Petri nihil efficiant ad proelia claves,
Auxilio Pauli forſitan enſis erit.

Quo factum eſt, ut Gulielmus Budaeus ejus temporis ſcriptor lib. 5. de Aſſe, dum in Julii ſcelera ſaevoſque conatus invehitur, non ſe contineat quin ſanguinarium, ſacrilegum, furioſumque dicat, qui *animo* pluſquam *gladiatorio* (ejus ſunt verba) *graſſaretur ad Chriſtiani nominis cultorem, nempe regem Chriſtianiſſimum, mundo ſtupente, delendum.* Tum ait: *Cleri*

magiſter

magiſter ſanguinarius, qui, effractis timoris divini repagulis, feras nationes in Domini populum immittebat, et Gallorum partes eorumque fautores diris execrationibus devovens, ſcelere pluſquam tragico, totum paene orbem religione ſolutum in devotos concitabat. Per haec tempora, cum maxime hoſtili odio, vi, miniſque arderet Julius, totuſque fureret *ad regem Chriſtianiſſimum delendum*, Ludovicus hunc nummum cudi juſſit, ſuas tam diri inſenſique hoſtis minis objecturus; qua de re vere a Thuano refertur, uti *moribundi ſenis inanes diras contraria obnunciatione generoſe revicerit, cuſo etiam aureo nummo, qui &c.* Nec Thuanus eſt qui princeps ſcripſerit, nummum eo tempore et cauſa cuſum; nam Franciſcus Hotomanus non ſecus ac Budaeus graviſſimus clariſſimuſque inter Gallos J. C. qui aeque adverſus Sixti V in Galliam incepta ac Budaeus contra Julium, ſcripſit librum, cui titulus *Sixti V fulmen brutum.* Qui liber, Placcio de ſcript. anonym. n. 651, pag. 84, auctore, in lucem prodiit A. 1585, viginti annos antequam Thuanus ſuas ederet hiſtorias: Is igitur pag. 177, ſcripſerat Ludovicum XII, poſt exſecrandas Julii diras, cudi curaſſe in Gallia nummos cum illa epigraphe, *Perdam*, &c. hiſce verbis. “ Quam animi magnitudinem Ludovi-“ cus ille rex noſter duodecimus, parens patriae nominatus, ac ſervitutis illius pertaeſus “ ſuſceperat, cum poſt illam papae Julii furibundam execrationem, *nummos aureos in Gal-“ lia* cum hac inſcriptione cudi juſſit: *Lud.* XII. *D. G. Franc. Rex. Dux Mediolani.* “ Tum ex altera parte inſignia Franciae et Mediolani conjuncta, cum hac inſcriptione: “ *Perdam Babylonem.*” Qui nummus, uti ab Hotomano deſcribitur, licet nec in regis Galliae muſaeo, nec in aliis, quantum ſciam, reperiatur, ac Petavius et Le Blanc tantum recenſeant aureum illum perinde ac a Thuano correctioribus in editionibus deſcribitur, tamen nihil id derogat tam gravis J. C. auctoritati, cum facile ſuo tempore ambo hi nummi aurei ſupereſſe potuerint, quorum unus ab Hotomano obſervatus titulos *Franc. Rex. Dux Mediolani*, cum Galliae Mediolanique inſignibus et inſcriptione, *Perdam Babylonem:* alter eidem fortaſſe inviſus exhiberet titulos, *Francorum Regnique Neap. Rex*, cum ſolis Galliae inſignibus ac epigraphe, *Perdam Babillonis nomen.* Et ſane, niſi tempore rerum omnium edaci factum eſſet, ut nummus ab Hotomano deſcriptus deſideraretur, omnem Harduino tam novae et inſolentis interpretationis anſam praeripuiſſet; nam cum in illo non legatur titulus *Rex Neap.* ex quo ejus ſubtilitates ortum ducunt, ſed alter, nempe *Dux Mediolani*, qui nihil ad rem Ludovico pro Hieroſolyma eſſe poterat, nullo pacto ipſum juvare potuiſſent quae de Cairo et Aegypto ſomniavit. Sed etſi ponamus nunquam in rerum natura fuiſſe nummum ab Hotomano deſcriptum, et verum ipſi ignotum, haud tamen id ſententiae Francorum Julianis jurgiis proximiorum officeret, qui ipſi, nedum patres ipſorum meminiſſe poterant, a Ludovico cudi juſſum in Gallia aureum nummum, quo furorem audaciamque Julii retunderet, illa epigraphe, *Perdam Babylonem*, ſive *Babillonis nomen*; quod, uti deinceps demonſtrabimus, non niſi de Roma intelligi poterat, qua nihil aptius eſſe poterat frangendo efferati Julii animo, qui vires omnes intendebat, uti ait Budaeus, *ad regem Chriſtianiſſimum delendum.* Nec ſolus Hotomanus memorat a Ludovico hunc nummum in Gallia cudi juſſum, ſed idem Franciſcus Pithoeus in libro cui titulus, *De la Grandeur, Droits, &c. des Rois, & du Royaume de France*, teſtatum reliquit, nempe retundendae audaciae Julianae cauſa fuiſſe cuſum, deſcribitque talem, qualem ab Hotomano habemus, cum titulo *Dux Mediol.* et inſcriptione *Perdam Babylonem:* quod alterum nummum a Petavio, Blanc, et aliis deſcriptum ignotum ei fuiſſe demonſtrat. Atque adeo verum eſt a ſcriptoribus Gallis communiter aſſeri et pro certo haberi, iis temporibus eaque occaſione hos aureos nummos in Gallia cuſos, ut Paulus Petavius ſenator Pariſienſis, primus, ipſo Harduino docente, eum nummum, in quo habetur *Perdam Babillonis nomen*, cum titulo *Regnique Neap. Rex*, typis evulgavit; iſque imprimi curavit una cum nummo a Julio cudi juſſo, poſt expulſum a Bononia Johannem Bentivolum cum inſolenti hac et ſuperba inſcriptione, *Bononia per Julium a tyranno liberata*, qua aperte Bentivolum tyrannidis incuſat, et clam perſtringit Ludovicum, qui ſuis viribus ac clientela Bentivolum tuebatur. Ex quo opinatur Petavius hac etiam cauſa, praeter quas ſuperius memoravimus, impulſum Ludovicum, ut, poſt cuſum a Julio nummum, par pari relaturus cudi in Gallia ſuum juberet, cum inſcriptione *Perdam Babillonis nomen.* Quidquid de hujus opinione ſit, certum omnino eſt omnes Francos ſcriptores, aut antiquiores aut Thuano coaevos, pro certo habuiſſe, ejuſmodi occaſionibus ac turbulentiſſimis Julii temporibus, poſtremiſque ejus annis, juſſum eſſe in Gallia aureos hoſce nummos a Ludovico cudi. Extra omnem controverſiam res eſſet, ſi aliquo in muſaeo quis hunc nummum reperiret, qualis a Luckio deſcribitur pag. 23. typ. Argentinae A. 1620. fol. ſimiliter ac apud Petavium, Le Blanc, et alios, excepto, quod in hoc Luckii ex parte inſignium Franciae adnotatur annus quo cuſus eſt, nempe 1512, qui annus incidit in id tempus, cum maxime exarderet bellum ac odia Ludovicum inter ac Julium.



De hujus nummi ingenuitate nullus ſcrupulus ſuboriri poteſt, nam a Luckio impreſſus eſt A. 1620, quum nondum cuiquam in mentem venerat, Ludovicum non quo diximus tempore et occaſionibus eum nummum cudi juſſiſſe, ſed circa annos 1501 aut duobus proxime ſequentibus, eo quod animo conceperit Hieroſolymitanum regnum ſibi aſſerere, ex Aegyptii regis manibus eruere, ac Babillonem regiam ejus ſedem ſubvertere. Singularem vero hanc ſubtilemque opinionem Harduinus tandem ſuo e capite deprompſit, inque dias luminis auras ſua pro audacia glorioſus produxit; adeo ut nulla ſuſpicio ſuperſit, Luckium arguendae Harduini interpretationis gratia de ſuo annum adjeciſſe.

Nec nobis dubium faceſſit Le Blanc, qui in libro *Monn. de France* pag. 258. adnotatum reliquit, ab Henrico II morem inductum, ut in Galliae nummis annus apponeretur; nam id conſtanti de more intelligi debet, cum et antea in aliquibus nummis adſcriptum videamus; quia idem Le Blanc nummum recenſet Annae reginae, in quo annus legitur 1494, Luckius eodem loco nummum Ludovici Mediolani cuſum eodem ipſo anno 1512, et Maezereus in Lud. XII plures refert hujus regis nummos in quibus anni leguntur 1507, 1509, &c. Luce igitur meridiana clarius apparet, Francos omnes ſcriptores aut antiquiores aut Thuano coaevos non aliam interpretationem hiſce nummis dediſſe, nec niſi iis temporibus et occaſionibus cuſos exiſtimaſſe.

Thuanus ſuam dum Hiſtoriam ſcriberet certus quidem de rei veritate erat; ſed quia nummum nec ullo in muſaeo nec libro impreſſum viderat, cum Petavius primum typis ediderit, et Luckius non ante annum 1620 librum ſuum Argentorati protulerit, aliorum fidei, qui nec nummum inſpexerant nec quid certi de eo noverant, innixus, facile deceptus eſt, ut falſo crederet ſcriberetque nummum *Neapoli* cuſum cum Neapolis et Siciliae inſignibus. Ideo in prioribus ſui operis editionibus Pariſienſibus annorum 1604, 1606 et 1609, atque etiam in Germanicis ex hiſce exemplis, auctore adhuc vivente, 1614 et 1617 curatis, ita legitur: “ Quin et eo uſque provectus eſt, ut, ſpretis multorum, quibus alioqui plurimum tribuebat, ſuaſionibus, moribundi ſenis inanes diras contraria obnunciatione generoſe revicerit, *cuſo etiam Neapoli aureo nummo*, qui effigiem ſuam in una parte, *et inſignia Neapolis ac Siciliae* ex altera referebat, cum hoc elogio *Perdam Babylonis nomen*; quales adhuc hodie multi reperiuntur.” Sed quemadmodum ſcriptores, qui dum vivunt ſua ipſi typis evulgant opera, invidis iniquiſque judiciis ſaepe ſubjacent, ita commodius, praeſertim in magnis operibus, in quibus fieri nequit ut omnia accurate uſque pervideant quin quandoque ſomnus obrepat, eo fruuntur beneficio, ut, oculis omnium illis expoſitis, bona fide ab amicis errorum admoniti emendationem exequi poſſint: eodem pacto Thuanus inter cetera admonitus nummum illum non Neapoli fuiſſe cuſum, nec Neapolis ac Siciliae inſignia, ſed Galliae exhibere, locum Hiſtoriae ſuae emendavit in editione quam Roberti Stephani diligentiae commiſerat. Et quamquam is ſuam editionem non niſi anno 1618 vulgaverit, nempe poſt annum a Thuani morte, conſtat nihilominus priores libros vivente auctore fuiſſe cuſos, ac propterea in primo libro locum hunc ab ipſomet fuiſſe caſtigatum. Tum imminentem ſibi mortem ſentiens, operum ſuorum curam Puteano et Rigaltio amicis optimis teſtamento reliquit, qui prioribus editis libris et a ſe emendatis ceteros adhuc ineditos adjungendo emendatiorem plenioremque editionem promoverent. Quod cum hi exequi nequiſſent, effectum eſt a Lingelſhemio, cui Thuanus ante mortem caſtigatum integrumque exemplum miſerat: is itaque anno 1620 integrae amicitiae legi ſatisfaciens celebrem illam et accuratam Aurelianenſem ſeu verius Genevenſem editionem curavit, quae ab omnibus atque ab ipſo Harduino perfectior emendatiorque habita eſt, ex qua deinde altera Francofurti 1625 prodiit, et in ambabus ablatum eſt verbum *Neapoli*, et adjunctus titulus *Franc. Regnique Neap. Rex.* et loco Neapolis ac Siciliae inſignium *inſignia Franciae* exhibentur, perinde ac in aureis nummis, quos in multis muſaeis videre eſt, et in editis a Petavio, Luckio, Le Blanc, Harduino, Deylingio atque aliis; ita enim in hiſce editionibus legitur: “ Eo uſque provectus *&c.* cuſo etiam aureo nummo, qui titulos regis Franciae, regnique Neap. cum effigie ſua ex una parte et inſignia Franciae ex altera parte referebat, cum hoc elogio, *Perdam &c.*” ex quo factum eſt, ut omnes deinceps ſcriptores, nedum in hoc, ſed omnibus aliis in locis, ſpretis antiquioribus Thuani editionibus, Aurelianenſi tanquam optima uſi ſunt. Ac omnes deinde auctores, qui poſt Thua-

num tam Galli quam exteri ſcripſere, non aliis temporibus epocham illius nummi aſſignarunt, nec alienum a majorum ſententia ſenſum dederunt. Ita Luckius loc. cit. Le Blanc pag. 263. Struvius diſſert. de nummo *Perdam Babyl.* inſert. Bibl. antiq. 1706. Menſe Febr. p. 73. Ita porro ceteri ſcriptores Germanici tanquam imaginariam Harduini interpretationem improbarunt; veluti Cornelius Dieter. Koch. Strictura Theol. in Jo. Harduini Oper. Select. p. 26. Deylingius Obſer. Sacr. part. 3. obſ. 50. § 10. Sigiſmundus Liebe, et alii plurimi.

Altera falſa Harduini hypotheſis, qua probare nititur nummum hunc haud cudi potuiſſe a Ludovico, niſi cum tardiſſime anno 1503, ac proinde nullo pacto reſpicere potuiſſe contentiones cum Julio II, ea eſt, qua ait, *Poſt annum certe* 1503 *nunquam inſcripſit ſe Ludovicus* XII *regem Neapoleos.* Si itaque evidenter demonſtretur, Ludovicum etiam poſt exactos e regno Gallos, quod illo contigit anno, retinuiſſe quoad vixit titulum regis Neapolis, concidet quidquid ſuper tam ruinoſo fundamento extructum eſt.

Namque ex publicis pacis foederibus initis ſequenti tempore Ludovicum inter ac Ferdinandum Catholicum, Gallum, licet regno Neapoli et ea parte quae ipſi obtigerat exutum, ſemper titulum illum retinuiſſe; ad pacem certe Bloeſenſem, quae ſancita eſt iv Non. Octob. 1505 uſurpaſſe conſtat; quando, cum hos duos inter reges conveniret "ut Ferdinandus uxorem duceret Germanam Foxiam ſororis Galli regis filiam, eique dotis nomine jus in ea regni Neapolitani parte, quae in diviſione Ludovico obvenerat, Germanae ab avunculo cederetur," inter conditiones expreſſe appoſitum eſt, ut poſt contractum matrimonium rex Galliae titulum regni Hieroſolymitani ac Neapolitani deponeret. In alio articulo etiam conventum eſt, "uti ſi Germana regina ante Ferdinandum moreretur, ea pars marito accreſceret; ſin marito ante ſine liberis mortuo decederet, ad Ludovicum rediret." Quae conventiones nedum a Guicciardino lib. 6. a Jovio lib. 3. in vita Conſalvi, et ab ipſo Thuano lib. 1. referuntur, ſed etiam leguntur in tabulis hujus foederis exſcriptis a Federico Leonardo in *collectione Tractatuum Pacis, &c.* tom. 2. fol. 35. Ex quo evidentiſſime apparet, Ludovicum illam regni partem ſemper pro ſua habuiſſe, quamvis non poſſideret, atque ideo dotis nomine deſpondere et Germanae ſororis F. cedere ac Ferdinando potuiſſe; ac proinde convenit etiam, ut poſtea titulo *Regis Hieroſolymitani* ac Neapolitani abſtineret. Quod ſi titulum illum deponere deberet, evincitur ad ea uſque tempora minime abjeciſſe, ſed tam in monumentis quam nummis uſurpaſſe. Atqui dicet quis, ſaltem igitur Ludovicus hoc inito matrimonio depoſuit, ac proinde is de quo agitur nummus minime cudi poterat tempore contentionum cum Julio, quae quidem juxta omnes ſcriptores, ac praeſertim Blaſium Bonaccurſium coaevum auctorem ad annum 1509 ſuae ephemeridis, Guicciardinum ac Jovium, haud coepere niſi ineunte anno 1510. Ita profecto exiſtimandum, niſi Ferdinandus ipſe prior foederis pacta violaſſet: etenim vix Germana regina ducta, ne forte, ea ſibi ſuperſtite ſine liberis decedente, dotalis regni pars Ludovico reddi ex contractu deberetur, palam profeſſus eſt ſe totum regnum poſſidere ex Alphonſi I ſucceſſione, hereditario quidem, ut non egeat dotali uxoris jure, quod ad Neapolim, Campaniam, et Samnium: Quin imo proprio, excluſo prorſus ab omnibus actis reginae uxoris nomine, fidem ſacramentumque a baronibus et civitatibus Neapoli exegit; quemadmodum iidem hiſtorici ac Thuanus narrant, cujus haec ſunt verba ex lib. 1. *Nec certior in eo foedere conſervando quam in reliquis Ferdinandi fides fuit, nam contra dotales tabulas ipſe mox ſe totum regnum ex ſucceſſione Alphonſi* I, *excluſo Germanae uxoris jure, poſſidere palam profeſſus eſt.* Qua de re merito Ludovicus rex offenſus, ut jura ſua in eo regno ſervaret, quoniam Ferdinandus rex conditiones in eo foedere ſtatutas poſthabebat, ipſe regis Neapolitani titulo ut ante utebatur, et quidem intentius, poſt detectum in ſe Julii odium, ex eo quod ſenſit hunc pontificem omnem operam conſumpſiſſe, quo omnes Europae principes ſecum in Ludovicum conciret, ſed fruſtra, omnibus ſcilicet ejus ſocietatem renuentibus, uno Ferdinando excepto, qui ut erat aſtutus occaſione ſimultatum Julii uti minime neglexit. Is itaque, quemadmodum Bonaccurſius coaevus ſcriptor in ſuo Diario An. 1510 refert, *Fece una lega ſeco à difeſa degli ſtati communi, con obligo di ſervire ogni anno S. S. in quello che gli occoreſſe di* 300 *uomini d'arme gratis con altre condizioni, le quali andarono tra loro molto ſegrete; et S. Maeſtà ebbe all' incontro l' Inveſtitura del Regno di Napoli, la quale deſiderava aſſai.* Id eſt, *cum eo foedus iniit pro tutandis utriuſque imperiis, hac lege, ut ipſe quotannis pontifici ad quodcunque opus ter centum cataphractos equites praeſtare, deque ſuo ſtipendia pendere teneretur, praeter haec alias ſecreto pactus conditiones; ac ipſe contra, quod maxime cupiebat, fiduciariam regni Neapolitani poſſeſſionem (quam vulgo* inveſtituram *vocant) ex formula a pontifice obtineret.* Quam inveſtituram nunquam antea Ferdinandus a pontifice obtinere potuerat, eo quod contra foedus Bloeſenſe peteret eam hoc anno 1510, quo jam exaſperatae erant Ludovicum inter ac Julium contentiones, ex animi ſententia obtinuit, et quidem totius regni ſuo nomine, tanquam Alphonſi I ſucceſſor, non quod ad partem, nempe Neapolis, Campaniae, et Samnii, quae dotis nomine Germanae reginae uxori pacta fuerat.

Hinc facile quis intelligit, quam maxime Ludovici animus exacerbaretur, qui ea de cauſa hoc tempore potiori jure et contentione regis Neapolitani titulo inſigniretur, quo jura ſua in illud regnum firmiora foveret, et adverſum Catholici regis artes illo pacto ea infirmare nitentis iret; Bloeſenſi enim pace non obſervata, ipſe ea firma ſibi et illaeſa ſervaret.

Sed manifeſtius id apparet ex altero Bloeſenſi foedere deinde icto Cal. Dec. A. 1513 hos inter reges Ludovicum et Ferdinandum, poſtquam aliis ductu temporis enatis circumſtantiis, uterque ſibi ſuas ob ſimultates et diffidia timere, et ſuſpectam Auſtriacae domus potentiam habere: itaque inter alias hujus pacis conditiones Ludovicus denuo ſuis juribus et titulis ſuper Neapolitano regno ſe abdicavit, quemadmodum legitur tomo II actorum pacis, Amſtelodami ſub hoc titulo editorum, *Recueil des Traités de Paix*, pag. 35. Patet igitur ideo Ferdinandum in hoc novo foedere curaſſe, ut Ludovicus rurſus ſuis juribus ac titulis cederet, quia, fracto priori, ipſe ut antea ſua retinuerat jura, et quidem merito, ne ſibi ullum crearet praejudicium, quod iis omiſſis contigiſſet: adeo ut poſita hujus nummi epocha ad an. 1512, minime abſonum videri debet, Ludovicum quamvis Neapolis poſſeſſione exutum hoc titulo uſum eſſe, et cum regis Franciae titulo conjunxiſſe.

Profecto Harduinus hiſtoriae ac hujuſmodi moris apud omnes principes vigentis rudem ſe probat; ii namque et in nummis et in actis hoſce titulos uſurpant, ut ſuas rationes ac jura in eas quas non poſſident regiones ſervent; quo, quandocumque eveniat ac temporum ratio ſuadeat, ea exercere et aſſerere valeant. Ac ne per alia regna regioneſque, ex quibus infinita ſuperſunt exempla, divagemur; ad idem ſolummodo Neapolitanum regnum regeſque Galliarum animi mentem contrahere ſatis erit. Hi namque, antequam Ludovicus eam regni partem ſibi ex pacta cum Ferdinando diviſione tributam poſſideret, jura Renati Andegavenſis, ultimi Neapolitanorum ex ea gente regis, ſibi aſſerentes, titulum regis Neapolis et Hieruſalem uſurparunt, atque ex hoc fonte Galliae reges ſua jura deſumunt. Unde alterum Harduini in hiſtoria erratum detegitur, qui Galliarum regis jura in Hieroſolymitanum regnum ab imperatore Friderico II deducit: quando Aragonenſes quidem et Auſtrii ab *Iole* dotis nomine Friderico quaeſita deſumere poſſunt; at Andegavenſes trahunt a Carolo I Andegavenſi, cui Maria principis Antiochiae filia ea ceſſerat, uti clariſſime demonſtratur in *Hiſt. Civili regni Neap.* lib. 20. cap. 2. n. 1. Is igitur Renatus Andegavenſis regno pulſus et exutus, Johanne filio ſuo praemortuo, Carolum Andegavenſem comitis Meduanenſis fratris ſui filium heredem fecit, qui mox ſine liberis moriens Ludovico XI Galliae regi ex Renati ſorore genito hereditatem ſuam teſtamento reliquit. Teſtamentum hocce a Carolo factum Maſſiliae IV Idus Decembris A. 1481 refert Fridericus Leonardus, in *collectione Tractatuum Pacis* edita Pariſiis 1697: eo inſtituitur heres univerſalis Ludovicus, cui ſubſtituitur Carolus Franciae Delphinus Ludovici filius, qui, patre mortuo, ut erat juvenis gloriae avidus, hiſce juribus, regni Neapolitani expeditionem molitur, potitur, et ſex tantum menſibus obtinet. Cui per infortunium in flore aetatis ac ſine liberis Ambaciae mortuo, dux Aurelianenſis Ludovicus XII appellatus, qui gradu eum proximiore contingebat, in Galliarum regno ſucceſſit. Atque is nihil ardentius concupivit quam Neapolitanum regnum, utpote hereditarium, recuperare. Itaque paucos poſt dies quam rex Carolus obierat, non modo Galliae regis, ſed etiam ex ſui ſenatus conſilio, regni Neapolitani ratione, regis Hieruſalem et utriuſque Siciliae titulum ſumpſit; in quo non recenſiti tantum ſcriptores omnes conveniunt, ſed etiam nummi a Ludovico cuſi, in quorum aliquibus a Blanco relatis, praeter regis Franciae, Hieruſalem adhuc ac Siciliae tituli leguntur ſub hac inſcriptione, *Rex Franc. Sicil. HIL.* ex quo deinde factum eſt, ut in pacta Ludovicum inter et Ferdinandum regni diviſione conveniret, ut Ludovicus regis *Siciliae* titulum deponeret ac ſolum appellaretur *rex Neapolis et Hieruſalem*, et contra Ferdinandus, eo quod ei cederet Calabria et Apulia, ipſe dux Calabriae et Apuliae diceretur. En igitur Ludovicum ante annum 1501 ex antiquis tantum in eum regnum juribus titulos utriuſque Siciliae et Hieruſalem uſurpaſſe; qui minus id, quaeſo, faceret ſequentibus annis, poſtquam Ferdinandus, pacis Bloeſenſis pactionibus ruptis ac violatis, foedus cum Julio II ſaevo et infenſo ejus hoſte iniverat? Sed abſque eo, quod ab eodem Neapolitano regno divertamur, eumdem plane morem in Lotharingiae ducibus advertemus, qui aeque ac Galliae reges et ſcripto et nummis ejus regni reges et Calabriae duces nominabantur, ſuis ſtemmatibus inſignia Neapolis et Hieruſalem adjungentes ex iiſdem juribus, quae a Renato Andegavenſi ultimo Neapolitanorum ex ea gente rege ad ſe tranſmiſſa contendebant. Conſtat ex hiſtoria Renato nullum filium, ſed tantum *Violantam* filiam ſuperſtitem fuiſſe, Friderico II Valdemontii comiti nuptam, ex quo matrimonio prognatus eſt Renatus II dux Lotharingiae. Is adverſum Carolum VIII contendebat a Renato avo minime relinqui potuiſſe Neapolitanum regnum Carolo Meduanenſi comiti, ſed ſeſe, utpote ex filia natum, praeferri debuiſſe Carolo, qui fratris modo filius Renato Andegavenſi erat; ac proinde ſibi vendicabat non ſolum Andegavenſem ducatum et Provinciae

ciae comitatum, ſed potiori jure Neapolitanum regnum, ad cujus ſucceſſionem foeminae admittuntur, ita ut ipſae recta linea ex defuncto deſcendentes excludant laterales etiam mares; praeſertim cum ipſe mas eſſet, quamvis ex foemina natus. Quod ſi juri, votis, et invitationi Innocentii VIII pontificis, et Neapolitanorum Aragonenſes aegre ferentium vires ad regnum ſibi aſſerendum acceſſiſſent, profecto pontificis et baronum conſilia ipſum regno inaugurandi felicem ſortita eſſent exitum. Sed quamvis omnes conatus fruſtra ceſſiſſent omniſque ſpes conquirendi abjecta eſſet, non ideo Lotharingiae duces, ut ſua jura foverent, iis titulis inſigniri deſierunt. Ex hoc Friderici cum Violanta conjugio ſua repetunt jura Lotharingii in Neapolim et Hieruſalem; ac poſt id temporis, non ante, in ipſorum ſtemmatibus inſignia Neapolis et Hieruſalem cernuntur, quemadmodum Baleicourt verum ſectatus obſervavit in exponendo Indice nummorum Lotharingicorum pag. 28. quem inſeruit in ſuo *Traité Hiſtorique & Critique ſur l'Origine & Genealogie de la maiſon de Lorain*. In quo ſane plures horum ducum nummos cum eorumdem regnorum inſignibus, et plerumque titulo ducis Calabriae, videre eſt. Cuſo igitur eo nummo in Gallia per Ludovicum, qui eo titulo uti poterat, et quo tempore cum maxime ejus animus a Julio eſſet exaſperatus, quid illa epigraphes "*Perdam Babillonis nomen*" interpretatione, qua rex elatae jactantiae Julianiſque eum perdendi minis appoſite reſponderet, quid, inquam, ſenſui rationique convenientius? Quid inſcriptione ipſa illius audaciae ferociaeque retundendis accommodatius? Verba quidem ex Iſaia ſumpſerat, et belle Romae aptaverat, cui ob morum illius aulae eo maxime tempore foeditatem, eo quod poſt Alexandri VI pontificatum improbiores facti eſſent, aptius quadrabat quam olim Babillonis nomen. Id quippe nomen variis ſemper rationibus Roma ſibi vendicaverat. Joannes enim, Apocalypſeos cap. XVIII. 4. juxta communem antiquiorum eccleſiae patrum interpretationem, non aliam intellexit Babylon quam Romam idolis addictam; ac noſtri theologi paſſim, quo probent divum Petrum Romae fuiſſe, eo utuntur ipſius epiſt. 1. loco "*Salutat vos eccleſia,* "*quae eſt in Babylone coëlecta*" ethnicam Romam ita iis temporibus appellatam eſſe docentes. Videſis *Natalem Alexandrum Saec.* 1. *diſſert.* 13. *tom.* 2. *Hiſt. Eccl.* qui totis viribus id ſtatuere conatur adverſus eos, qui ſcripſerunt divum Petrum intellexiſſe non quidem de Roma, ſed de Babylone Aſſyriorum aut Aegyptiorum. Idem etiam nomen ipſi deinde, licet Chriſtianam fidem amplexae, tributum, non ob eccleſiam, ſed corruptos ob mores, qui depoſitis etiam idololatriae erroribus ea in civitate permanſerunt. Ita Hieronymus execranda ejus vitia improbitateſque deplorans epiſt. 7. ad Marcellam ait; *Lege Apocalypſim Joannis, et quid de muliere purpurata, et ſcripta in fronte ejus blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis et Babylonis cantetur exitu contuere.* Ac in praefatione ad libros Didymi Alexandrini de *Spiritu Sancto* aperte Romam Babylonem appellat; *cum*, inquit, *in Babylone verſarer et purpuratae meretricis eſſem colonus et jure Quiritium viverem, volui garrire aliquid de Spiritu Sancto, et coeptum opuſculum ejuſdem urbis pontifici dicare.* Sed potiori deinde ratione tale nomen a ſequentium ſaeculorum ſcriptoribus inditum, quando plures per Romanos pontifices, praeſertim poſt Gregorii VII tempora, ea in urbe conſtituta videbatur aula ambitione, luxuria, avaritia, et rerum maxime ſacratarum commercio diffluens: tunc certe communi appellatione vulgo Roma Babylonis nomine deſignari; ita epiſcopi totuſque Leodicenſis dioeceſeos ordo Romam appellare; ita aperte conſueverunt in literis ad Paſchalem II, quae leguntur in 2do Conciliorum tomo, et apud Aventinum lib. 5. Ita Petrus Bloeſenſis epiſt. 44. ita Eberhardus Saliſburgenſis apud Aventinum lib. 7. pag. 420 et 421, et eos inter doctores qui in Italia Fraticellorum nomine claruerunt propria jam appellatione denominabatur. Hinc ſaeculo XIV Franciſcus Petrarcha, Parmenſis eccleſiae archidiaconus ac deinde Patavinae canonicus, dum in Romanae curiae corruptos ſuo tempore mores invehitur, aeque in lyricis ac in epiſtolis (epiſt. 5, 14, 17, 18, 19.) Romam ſaepe avaram Babylonem dicit, interque increpationes canit, *Pia Roma, hor Babilonia falſa, e ria.* Ac temporibus Ludovico huic proximioribus Theodericus Nyhemius, Nicolaus Clemangius, et alii, quos inter Joannes Gerardus in *Confeſſione Catholica*, et Heideggerus in *Hiſtoria Papatus*, § 20, 93, 120, 135, et 147, ſemper tali nomine appellarunt. An igitur congruentius unquam illa Iſaiae verba aptari huic nummo potuerunt, quem juxta Gallicorum omnium ſcriptorum ſententiam cudi in Gallia juſſit Ludovicus, ut compeſceret Julii II ſuperbiam protervamque ferociam? Imo contra animadvertamus, quam inſulſa, quamque abſurda ex inſolenti Harduini interpretatione ſequantur.

PRIMO enim, ſi mens Ludovico regi fuiſſet interminari Cairi Sultano, eo quod putaretur Terram Sanctam Hieroſolymitani regni cauſa ad ſe attinentis occupare, profecto Ludovicus haud contentus fuiſſet in nummo exprimi ſolummodo titulum *Regis Neapolis*, ſed, quo intentiores firmioreſque ſuas proderet minas, illum *Regis Hieruſalem* expreſſe, non ſub regis Neapolis titulo abſconditum inſcripſiſſet; praeſertim cum in aliquot aliis ſuis nummis is titulus legatur, et in monogrammate tam brevi, quod modico ſpatio contineretur, facile ex altera parte inſcribi potuiſſet; ejus enim artifices tribus hiſce literis *HIL.* Hie-

ruſalem ſignificare ſolebant, quemadmodum in aliquibus a Blanco relatis cernitur hoc modo, *Franc. Sicil. HIL.* quos nummos Ludovicus cudi juſſerat ante regni cum Ferdinando pactam diviſionem, qua Ludovicus coactus eſt regis Siciliae titulum deponere, retento tamen Hieroſolymitano.

Deinde, nec porro eodem tempore in mentem cadere Ludovico poterant tam elatae et heroicae cogitationes, tantum abeſt ut ſuis in nummis exprimi juſſiſſet, qui nihil niſi deridendum vulgo, ac ex ſapiente prudentique, ut erat, principe vanum levemque prodidiſſent. Quinam, quaeſo, Ludovico moleſtiſſimas inter graveſque curas in mentem veniret inceptum Terrae Sanctae, ac nedum ab Aegypti Suldano ſubducere, ſed regiam ejus ſedem Cairum ſubvertere, ut nomen adeo Babillonis interiret? Inſtabant quippe ejus lateri infenſi duo ac moleſti hoſtes, a quibus etiam domi ſuae territabatur. Ferdinandi quippe regis Catholici potentia ac fortuna eo creverant, ut ne reſiſtere quidem ei valuerit, quo tributam ſibi regni partem retineret; ſuoſque Gallos foede omnibus regni oppidis per injuriam aeque ac dolos abactos vidit. Tum Auſtriacae domus ingentes vires, ſub Carolo principe prout tunc erant, multoque magis prout deinceps minabantur, non modo a Gallis, ſed ab ipſo Ferdinando rege ſuſpiciebantur. Quinam igitur niſi Harduini audax ingenium tam ardua et heroica fingere auderet?

Tertio, rerum eo tempore ſtatus Chriſtianos omnes principes contra Turcam communem hoſtem urgebat, qui mirum in modum per Aſiam et Europam imperium ſuum bello extendebat, ac, niſi reprimeretur, omnibus ipſorum regnis exitium minabatur, adeo ut non quidem adverſus Aegypti Sultanum bellum gerendum eſſet, ſed adverſus Bajazetum II, qui geſta Maometi II patris ingenti cumulo ſuis augebat. Occupaverat jam Maometus duo imperia, duodecim regna ac ſupra bis centum Chriſtianorum urbes ceperat; unde primus Turcarum imperator ſalutatus eſt. Bajaſetus, qui huic in imperio ſucceſſit, aeque felici fortunae curſu ulterius progreſſus eſt; ſiquidem anno 1484 Valachiam, A. 1492 Ceraunia juga omnemque Albaniae regionem, A. 1499 Methonem et Aepeam in Peloponneſo, et ſequenti anno Peronem urbem a Venetis ablatam ſuo imperio ſubjecit. Qui horribiles progreſſus ſeriam pontifici aliiſque Chriſtianis principibus imminentium ſuis regnis malorum cogitationem immittebant; iiſque avertendis omnia quidem ipſorum foedera, ſtudia, conatuſque impendebantur; nulloque prorſus modo adverſus Aegypti regem, qui non minus eo tempore ac Europae principes timore trepidationeque percellebatur, imo majori imminentiorique periculo, ne a tam immani potentia abſumeretur, ut eventus mox docuit: nam paucis poſt annis Selimus I Bajaſeti filius proelio victum fugatumque A. 1516 mori adegit, eoque victoriae curſu ſequenti anno Cairum Alexandriamque cepit, totiuſque Aegypti potitus eſt. Non igitur in Aegypti regnum potiori praeſentiorique periculo preſſum minae intentari debuiſſent, ſed in Turcarum imperatorem, qui horribili ſuper aſpectu non minus Aſiae et Africae quam toti Europae inſtabat.

Falsi denique et abſurdi omnino convincemus Harduini commentum, ſi advertamus Terram Sanctam eo tempore non Aegypti, ſed Damaſci (regiae tunc Syriae ſedis) Sultano paruiſſe. Habemus quippe ex hiſtoria, Babyloniae ſive Cairi Alexandrini regem antiquioribus temporibus Syriam ſimul, uti Saladinus, qui Damaſci et Babyloniae rex vulgo Soldanus dicebatur, tenuiſſe; at defuncto ſine liberis Saladino ſucceſſit ejus frater Sephadinus. Is plures filios ſuperſtites habuit, praeſertim Melahadinum natu majorem et Corradinum, inter quos imperium diviſum eſt; ac Corradino quidem natu minori Syria obtigit, ac ideo titulus Damaſci regis, ſive Soldani; ad cujus regnum Terra Sancta et Hieruſalem, quae tum forte Chriſtianorum erant in manu, cum pertinerent, is aeque ac pater omnem expertus eſt conatum quo ſibi vindicaret: Quemadmodum patet ex chronico Richardi a S. Germano ad A. 1214, ubi ſtatum earum regionum ſuo tempore, nempe ſub Friderico II, refert his verbis, " *Mortuo Saladino —— regnavit Sephadinus* —— Sephadinus vero habuit " filios quindecim, de quibus hereditaverunt ſeptem, ſcilicet Melkekemme, qui primus " eſt et major natu omnibus. Hic tenet Alexandriam, Babyloniam, Cairum, et totam " terram Aegypti in meridie ac ſeptentrione, qui poſt mortem patris ſui Sephadini de ge" nerali conſtitutione patris et fratrum debet eſſe dominus omnium et totius terrae. Se" cundus filius eſt nomine Corradinus, qui habet Damaſcum, ſanctam Jeruſalem, et to" tam terram quae fuit Chriſtianorum, praeter modicam quam adhuc tenent Chriſtiani." Qua de re, cum Fridericus II imperator expeditionem in Terram Sanctam ſuſcepiſſet inque Syriam perveniſſet, certior factus a Gregorio IX ſuum Neapolitanum regnum armis invadi, coactus eſt cum Aegypti Sultano foedus inire, ac meliori quo poterat modo cum eo paciſci, quo poſſet Apuliam remeare, regnum a pontifice invaſum recuperaturus. Inter alia, qui Fridericum de ſubitariis geſtis incuſabant, id vitio dabant, nempe injurioſum Chriſtianis foedus iniiſſe, eo quod convenerit Chriſti ſepulchrum Saracenorum praeſidio relinqui, eaſque inducias cum Aegypti tantum rege, non aeque cum Damaſceno, in cujus poteſtate et jure illud erat regnum, pepigiſſet: qua de re Gregorius IX in epiſtola ad ar-

chiepiſcopum Mediolanenſem, quae ab Oderico Raynaldo tomo XIII ad an. 1229. n. 2: refertur, ita de Friderico queritur, "Fridericus cum Soldano Babyloniae, qui Hieruſalem "vel circumpoſitam regionem nec de facto nec de jure tenebat, irrequiſito Soldano Da-"maſci, qui terram detinebat, eandem iniit pactionem." Ita quoque Geraldus Hieroſolymitanus patriarcha Friderico exprobrabat, foedus illud neque tutum fore, neque durabile, eo quod non ſimul cum Damaſci rege eſſet ſancitum. Hujus patriarchae querimoniae a multis referuntur, epiſt. XXXIV. regeſti Gregoriani lib. 3. et apud Raynaldum ad A. 1229, ac ad verbum a Simone Han ſub Friderico II in hiſtoria recens edita. Duos ergo Sultanos diſtinguere oportebat, Aegyptium ſcilicet, cui princeps erat ſedes in urbe Cairo, et Damaſcenum, ad quem Hieroſolyma cum Terra Sancta pertinebat, qui Damaſcum caput ſedemque regni Syriae incolebat.

Ludovici XII Galliarum regis tempore Aegypti Sultanus erat Camſo Gaurus; Damaſci vero rex erat alter, qui Syriam Hieruſalemque tenebat, uti ex hiſtoria conſtat: qua de re nihil Ludovico agendum cum Camſone, fruſtraque in eum fuiſſent minae Hieruſalem ergo, quae cum Terra Sancta a Damaſci rege poſſidebatur. Falſi hinc etiam arguuntur illae duae literae Ludovicum inter et Camſonem a Joanne le Maire relatae de Chriſti ſepulchro aliiſque locis ſanctis, quae ultro legatis Galliae reddere promittebat, cum ea Damaſci Sultanus poſſideret. Ambo hi reges mox perditi ſunt a Selimo I Bajaſeti filio: eodem quippe tempore, quo Camſoni vita regnumque ademptum eſt, in Damaſci regem majores injuriae immanitateſque a Selimo I illatae ſunt: proelio enim ſuperatum, captum, carceribus vexatum, tandem palo miſere transfigi juſſit, ablato Damaſco, Terra Sancta totoque Syriae regno. Quod inter alios recenſet Scipio Ammiratus octavo Miſcellanearum ſermone, qui tamen laqueo ſtrangulatum aſſerit.

Satis igitur ſuperque manifeſtum eſt Ludovici minas nequaquam Aegypti Sultanum reſpicere potuiſſe, ſed apte Romam ipſam, cui aptius poſt Alexandri VI et Julii II pontificatum Babyloniae nomen congruebat, quam priorum pontificum temporibus, quibus Romana curia nunquam tantam in improbitatem corruptionemque pervenerat, in quantam hi duo pontifices perduxerunt.

Inter Phil. Bonanni ſocietatis Jeſu Numiſmata pontificum Romanorum explicata, Romae 1699 in folio, cum facultate ſuperiorum excuſa, numiſma illud Gregorii XIII, *quod tomo* III *noſtro praefigitur, ſic explicatur.*

Hugonottorum Strages. *Bonanni, tom.* I. *p.* 336.

Buſſieres lib. XX. Hiſt. Franc.

Haec eſt rebellium Calvinianorum ſtrages, quos Hugonottos vocant, tam multis Haereticorum ſcriptis impetita et Catholicorum apologiis propugnata; quae ut Romae atque in Hiſpania plauſu excepta, ita in Germania, Anglia, atque Helvetiae parte querelis et accuſationibus tam laceſſita quam lamentis flebilibus deplorata.

Petavius Rat. temp. lib. 12. ab an. 1547 ad 1589.

Multis proeliis victi potius quam domiti fuerant, ut vidimus, tempore Pii V, ſectae Calvinianae fautores, quorum tria fuerunt praecipua: primum ad oppidum Drocas, in quo princeps Condaeus a Franciſco Guiſio Catholicarum partium duce captus eſt, anno 1561: ſecundum ad Jarnacum in Santonibus, quo, ducente Catholicos Henrico Caroli fratre, idem Condaeus occubuit, anno 1569: tertia in Pictonibus ad Moncontorium pugna eodem et anno et imperatore facta. Caeſi magno numero perduelles, quos conſtat (ait Buſſieres) ſex millia pugnantium fuiſſe, praeter calonum et lixarum turbam. Refert Catharinus Avila in praedam Catholicorum ceſſiſſe nongentos currus annona onuſtos, undecim majora aerea tormenta, et ducenta bellica vexilla, quorum duodecim, ut diximus, Pius V in baſilica Lateranenſi juſſit appendi.

Lib. 19.

Majore ſtrage poſt biennium Lutetiae et aliis locis trucidati ſunt, cum ad celebrandas Henrici Borbonii Navarrae regis, qui tum illarum partium erat, cum Margharita ſorore Caroli nuptias eò frequentes advenifſent. Quippe Carolus generoſa indole puer, non plus undecim natus annos, poſt triennalem matris ac procerum tutelam, protinus ad Haereticos tollendos incubuit, atque uno die, qui fuit S. Bartholomaeo ſacer, pluribus in locis ingentem ipſorum numerum e medio ſuſtulit.

Ea caedes IX Kal. Septembris anni 1572 inchoata eſt Lutetiae, pulſata palatii publici majore campana, ut caedes patraretur. Et vero per dies tres continuatos noctibus lanienam horribilem tota urbe ſexaginta hominum millia in perduelles iterumque nova molientes Haereticos perpetrarunt. Uno verbo ſexcentae domus qua direptae ſunt, qua incenſae, et quater mille homines interfecti. Sed non una Pariſienſium ſtrage concluſa eſt; per plurimas urbes graſſata eſt: ſicque per ſimiles in provinciis caedes ſublata ſunt viginti quinque hominum millia.

Insperata Galliae commutatio Gregorium pontificem et Italiam eo majore gaudio perfudit, quo gravior fuerat metus ex relatione cardinalis Alexandrini, ne perduelles ab avita religione deſciſcentes Italiam inundarent. Accepto nuncio ſtatim pontifex ab aede ſancti Marci ad ſancti Ludovici templum ſolemni ſupplicatione ſe contulit, indictoque jubilaeo Chriſtiani orbis populos provocavit ad Galliae religionem et regem ſupremo numini commendandos. Colinii et ſociorum caedem in Vaticana aula deſcribi coloribus juſſit a Georgio Vaſaro, religionis vindicatae monumentum et de profligata haereſi trophaeum. Solicitus inde quam ſalubris aegro regni corpori tam copioſa depravati ſanguinis e miſſio eſſet profutura, Flavium cardinalem Urſinum legatum a latere in Galliam deſtinat, qui Carolum regem admoneat ut coeptis inſiſtat fortiter, neque curam, aſperis remediis inchoatam proſpere, perdat leniora miſcendo. Bomphanus, Pag. 38. Joan. Palatius, p. 342.

Quanquam haec fuerint tam praeclara Caroli pietatis atque ſincerae in Catholicam eccleſiam fidei documenta, nec non pontificiae ſolicitudinis, non defuere qui ſecus interpretarentur. Attamen non ſine Dei ope divinoque conſilio eam ſtragem perpetratam eſſe in numiſmate percuſſo docuit Gregorius, in quo Angelus gladio et cruce armatus contra rebelles invehitur; qua etiam expreſſione in mentem revocat Haereticorum domus alba cruce obſignatas fuiſſe, ut eas milites regii inter ceteros dignoſcerent, ſicuti pariter ab ipſis crux alba in pileis geſtabatur. Caterinus Avilae.

Angelos autem ſaepe in divinis Scripturis deſignare divinam inſpirationem docet Riccardus a Sancto Victore, ſicut etiam miniſtros divinae vindictae addit Hieronymus, quae regiis armis uſa fuit. In 4 Regum cap. XIX. et Iſaiae cap. LVII. legimus angelum Domini centum octoginta quinque millia Aſſyriorum una nocte percuſſiſſe, qui ante Hieruſalem caſtrametati fuerant. Ceterum antiquiſſimum eſſe angelorum imagines exprimere quis neſcit? In lege Deus ipſe juſſit ſanctorum angelorum imagines fieri, et in ipſo templi ſacrario aſſervari: *Duos* (inquit) *cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi, reſpicientque ſe mutuo, &c.* De arca myſtica cap. 5. ſuper Pſal. XXXIV. Exod. XXV.

Remarques critiques *ſur l'*Histoire de M. de Thou, *tirées du* Dictionaire de M. Bayle, *edition d'Amſterdam* 1730.

J'AY differé juſques à cette heure à vous eſcrire, attendant de voir plus clair en cette negotiation: maintenant que les choſes ſont ſur le point, ou de rompre du tout ſans eſperance de les pouvoir renouër à l'advenir, pour les raiſons qui vous ſeront repreſentées par Meſſieurs de Schomberg & Revol, ou de produire le fruit deſiré de tous les bons; j'ay pris la hardieſſe de vous faire la preſente, & vous ſupplier, ſelon voſtre prudence accouſtumée, conſiderer l'eſtat auquel ſont les affaires, & ne perdre l'occaſion d'embraſſer les volontés du general qui eſt fort diſpoſé à reconnoiſtre ſa Majeſté, & y ſemble porté d'une bienveillance extraordinaire, ne requerant rien en elle que la qualité tant agitée en nos temps, laquelle a ſervi de pretexte à ceux qui ont voulu troubler l'Eſtat, mais en verité a touché au cœur des peuples, à pluſieurs des moins prudents de la Nobleſſe. Il eſt à craindre que ſi ceux qui ſont ſi bien affectionés envers S. M. ſe voyent à ce coup deſcheus de cette eſperance, ne tournent cette bienveillance en haine, & ſoient contraints, comme ils en ſont fort ſollicités, de faire par deſeſpoir ce qu'ils ne pourront puis aprés amender par raiſon. Je ne vous eſcrirois ceсy ſi hardiment, ſi je l'avois appris ſeulement deſdicts, ou de ceux qui traittent leurs affaires, leſquels eſpouſent volontiers les intereſts de leurs maiſtres, & donnent bien ſouvent des eſperances palliées de belles couleurs & en apparence avantageuſes pour nous, en quoy vous pourriés penſer que j'aurois pû eſtre aiſement trompé; mais j'ay pris cette aſſeurance par la communication d'infinies perſonnes que je connois de longue main affectionnées au bien & à la paix de l'Egliſe, leſquelles j'ay veu depuis que je ſuis icy, la ſurſeance des armes nous ayant donné ceſte liberté; & vous ſupplie de croire que les choſes ſont en tel eſtat, que ſi nous ſçavons prendre le temps, & le meſnager bien à propos, il y a lieu d'eſperer en ce deſeſpoir. Je ſçay que la Religion ne ſe commande point, & n'entre en traité ny condition; mais en cela il y a difference entre les perſonnes privées, & les Princes deſquels le bien & le mal touche au public, & leſquels pour le repos de leurs peuples ſont obligés de ſe contraindre en beaucoup de choſes; quoy faiſant tant s'en fault que j'eſtime qu'ils bleſſent leurs conſciences, qu'au contraire je crois qu'ils font acte agreable à Dieu & plein de pieté, donnant à leurs ſubjets le contentement neceſſaire pour parvenir à la paix, par le moyen de laquelle l'honneur de Dieu eſt conſervé, qui autrement eſt foulé aux pieds par la continuation des guerres civiles. Dieu qui eſt ſcrutateur de nos penſées, & en la main duquel ſont les cœurs des Rois, prend pour ſacrifice d'eux ce qu'ils font pour le bien & repos de leurs peuples: les moyens de ce faire en ſeront faciles, s'il plaiſt à ſa Majeſté de les entendre lorſque Meſſieurs de Schomberg & Revol les luy repreſenteront; & ce qui depend en cela de ſa perſonne ſe fera entre les eveſques ſes ſerviteurs, avec tel temperament & moderation que ſa qualité & l'affection des ſiens le requiert; le reſte ſe fera par Ambaſſadeurs & perſonnes tierces. Je ſçay que ſa Majeſté, pour luy avoir ouy dire pluſieurs fois, deſire ſur toutes choſes d'eſtre moyen de mettre la paix en la maiſon de Dieu; le chemin par là luy en eſt ouvert, & ſemble comme Dieu miraculeuſement l'a mené par la main à cette couronne. Auſſy les vœux publics de

de ceux qui juſqu'icy l'avoient rejetté du tout, ſe convient à rentrer dans noſtre Egliſe, pour eſtre en icelle inſtrument de ſa gloire, & en oſter les abus qui ont eſté cauſe que pluſieurs ſe ſont ſeparés de nous. A ces raiſons pleines de religion & de pieté, vous pouvés adjouter les conſiderations du temps, & ſemences ſecrettes de diviſion qui ſe coulent parmy nous, leſquelles nous menacent d'une nouvelle ſubdiviſion, & qui pourront neantmoins eſtre aſſoupies tout d'un coup par ce moyen. Je laiſſe à examiner le tout à voſtre prudence, pour vous en ſervir ainſy que verrés eſtre à propos; vous ſuppliant de prendre ce que je vous en eſcrits, comme de celuy qui ne deſire rien tant que de voir ce Royaume en paix, & par cette paix les moyens ouverts à la paix de l'Egliſe, à quoy j'eſtime que la concluſion de cette negotiation pourroit donner acheminement, ſi les choſes eſtoient conduites avec la prudence & ſincerité que l'affaire le merite. Je vous baiſe tres humblement les mains, & ſuis,

Monſieur,

Voſtre tres humble Serviteur,

De Sureſne ce
11 Avril 1593.

DE THOU.

Ex MS.

JAC. AUG. THUANUS JOANNI [a] THUMERIO *ſuo S. D.*

NUNQUAM quenquam conſilii tui poenituit. Ego ſane plus tibi in rebus meis, quam mihi, ſemper tribui, et quamdiu vivam tribuam. Eſt enim inſita radicitus in te generoſa probitas, cum recto judicio conjuncta, et ab omni fuco aliena, quae cogitationes omneis ſuas ad honeſtatem et commune bonum dirigens errare te in conſiliis dandis non ſinit. Igitur tuo ſuaſu iter [b] Burdigalenſe ſuſcepi, infirma valetudine et animo plane, ut ille ait, omiſſo atque proſtrato, in quo jam totos novem menſeis conſumpſimus. Etſi autem per id tempus minime intermiſſum inter nos literarum fuit officium; cum tamen non ſolum ad itineris finem, ſed etiam ad immanium motuum, qui per omne regnum interim ſunt graſſati, ventum ſit exitum; placuit repetita a principio narratione rem retexere, et pleniorem abſentiae noſtrae rationem tibi reddere.

CONSILII de matrimonio, quod turbis poſtea ſemel atque iterum exortis cauſam dedit, quis auctor et architectus fuerit, noſti; et exarato ad te carmine ante biennium amplius perſcripſi. Is praeter animi ſententiam, videns quod ad regni tranquillitatem, et religionis in regno conſtituendae, ut exiſtimabat, rationem procuraverat, ad ejus periculum et perturbationem vergere, rei inchoatae poenitentia ſubeunte, cum eam emendare minime integrum eſſet, protelare inſtiterat; inde in aula calumnioſe a malevolis traductus, ad ſcopulos impegerat, ad quos ne bis naufragium facere cogeretur, non jam inhibere curſum, ſicuti occeperat, ſed ventorum, qui tunc miſere aulam perflabant, arbitrio, navem ferendam aulica diſſimulatione permiſit; interim hoc unum ſatagens, ut tam foedam tempeſtatem per pacem, cujus, quia conſilii ſecum bellum trahentis ab initio cauſa exſtiterat, ſe debitorem ſentiebat, occaſione data ſedaret: quod et ſtrenue poſtea fecit. Eum propterea deinceps [c] *Debitorem* appellabimus; ſicuti et veterem ejus ante diſſolutam adfinitatem amicum, [d] *Vulpem*, quo nomine eum ab optimo et integerrimi judicii pontifice Clemente VIII indigitatum eſſe ii ſciunt, qui cum ille oratoris regii munere fungeretur, Romae cum eo verſabantur. At turbarum in aula incentores, concepto ſemel in Condaeum odio et contemptu, cum legatione ab [e] Autolyco in Hiſpaniam ſuſcepta rei decus et gratiam debitori praeripere cuperent, profectionem regi regnoque damnoſam, verbis ad adulationem compoſitis,

INTERPR. [a] *de Thumery, ſieur de Boiſſiſe.* [b] *de Bourdeaux.* [c] *M. de Villeroy.* [d] *le chancelier de Sillery.* [e] *le commandeur de Sillery.*

compoſitis, quantum in ipſis erat urgebant. Quid enim interea moliturum Condaeum, nec amicis nec opibus propriis ſatis firmum? is ad Pictavium injuria gravi accepta, ut aiebant, in regni comitiis poſtea exiſtimationem omnem decoxerat, vixque turpi fuga cum [a] Bullionio equitum tribuno carcerem paratum anteverterat. Addebant, nullum magnae molis motum in Gallia excitari poſſe, niſi conciliata religioſorum noſtrorum factione; optime autem conſultum (qua de re triumphabat [b] Echinus Aulicus tanquam a ſe ingenioſe adornata) ut [c] Gratianopoli conventus eorum tunc temporis haberetur, ubi [d] Diguierius regiis partibus addictus pollebat, et ne quid illi in regni perniciem novare poſſent, impediturus erat. Id autem agebat Echinus per ſtrigem appoſitam, quam regia largitate corruperat, cui, ne quid diſſimulem, et ipſe inſigni plagio participare dicebatur. Ob id inſoleſcenti et inutileis Condaei conatus fore affirmanti, dum adhuc Lutetiae eſſemus, ego contradicebam; et ex levibus ſcintillis graſſanti incendio mature obviam eundum eſſe, multis rationibus, quas tute ipſe melius noſti, demonſtrabam. Sic autem diſſerebam, ſi quidem res, cujus cauſa tantopere profectio urgebatur, ita decreta eſſet, ut differri ſine contractae adfinitatis periculo non poſſet, at conficeri minori periculo poſſe, ſi ſponſa in Hiſpaniam deſtinata cum valido et honorifico ad limitem comitatu deducatur, qui reginam tradita illa ex pacto acceptam, nobilitate ex ſingulis provinciis, per quas incedendum erat, in itinere adjuncta, in aulam adduceret; alioquin [e] Aquitaniam, quae nunc quieſceret, adventu regis proculdubio turbaturam, et abſentia regis res in [f] Belgico limite et Campania, quae jam calebant, majore incendio exarſuras; utrique incommodo optime conſultum iri, ſi rex ad urbem maneret, neque profectione ſua longinquas provincias ac ſuſpectas commoveret, et proximas praeſentia ſua in officia contineret. Ad extremum indignabundo animo ſubjeceram, quod de Diguierio tanta aſſeveratione ſpondebat, non ſolido fundamento niti, quippe muliebri ingenio nihil mutabilius; proinde non facere prudenter et e publica re, qui per regnum hos rumuſculos ſpargerent, et prurienteis aureis hujuſmodi ſermonibus implerent: id ex eventu conſtiturum; nec homines gratiae aulicae pro tempore ſervientes qui tanti negotii periculum in ſe reciperent, ſatis idoneos promiſſae ſecuritatis fidejuſſores fore. Tandem poſt [g] Debitorem ſumma malignitate ab incendiariis [h] Cuciaco, quo ad incundas conciliationis rationes miſſus fuerat, revocatum, omnis ſpes praeciſa; et majore impudentia ipſe Debitor, cui poſt reditum de profectione jam captum inter ipſos conſilium, tanquam res integrae adhuc eſſent, propoſitum fuerat, ad probandum illud adactus eſt. Ita confuſis rebus nos in viam malis avibus dedimus, & [i] Caeſarodunum Turonum venimus, ubi et religioſorum noſtrorum qui Gratianopoli convenerant delegati ſunt auditi. Perſuaſum in aula fuerat, iis, quos dixi, auctoribus, illos, quanquam a Condaeo ſolicitarentur, minime ſe commoturos. Cum contrarium appareret, et petitionibus ipſorum, ut Condaei ſupplicationum ratio haberetur, inter alia comprehenſum eſſet, impoſtores ad artes ſuas revoluti, id paucorum ſeditioſorum aſtu factum dicere, qui injuſſu regis ex [k] Allobrogibus migraverint, et [l] Nemauſum in Septimania ſedem tranſtulerint; id irrita eorum decreta facere, nec proinde Condaeum cum illis ſocietatem inire poſſe, qui jam nullam conveniendi poteſtatem habeant, et pleroſque, qui majorem partem efficiant, ab iis diſſenſuros et diſceſſuros. Quod propter Diguierium dicebatur, a quo ſtrigis illius inſtigatu et ſuggeſtione literae et crebri nuntii in aulam quotidie veniebant, qui ab [m] Echino prius inſtructi mira afferebant, et ad perniciem currenteis incitabant.

His animis et conſiliis [n] Pictavium venimus, quo ſequi juſſi delegati. Ibi prima de petitionibus ipſorum conſultatio fuit. Cum iniqua in pleriſque peterent, vix aequa tulerunt, ſuſpecto et rejecto ab iis Echino, qui tandem, qua fronte erat, conventui in aedibus meis habito, interfuit. Tandem me referente poſtulata eorum coram rege reginaque diſcuſſa ſunt, et eodem die recitatum diploma contra eos, qui in armis eſſe dicebantur; in quo cum nominatim, propter conſanguinitatis regiae reverentiam, ab initio Condaei mentio expreſſa non eſſet, annitentibus

INTERPR. [a] *Henry de la Tour duc de Bouillon.* [b] *le ſieur de Bullion.* [c] *Grenoble.* [d] *le duc & mareſchal de Leſdiguieres.* [e] *Guienne.* [f] *Picardie & Champagne.* [g] *le ſieur de Villeroy.* [h] *Coucy.* [i] *Tours.* [k] *Dauphiné.* [l] *Niſmes en Languedoc.* [m] *le ſieur de Bullion.* [n] *Poictiers.*

annitentibus, qui res ad extrema conſilia adducere cupiebant, et bellum quam pacem ut rebus ſuis exitioſam malebant, denuo res in arcano deliberata et in eo expreſſum Condaci nomen; mandatumque Moncaſſino datum, homini Condaco infeſto, ut illud ſine mora aut ulla exceptione in ſenatu publicandum curaret.

QUID deinde in eo negotio actum ſit, tu melius noſti, qui Lutetiae remanſiſti: hoc certe actum conſtat, ut ſimul et majeſtas regia et ſenatus auctoritas publico ludibrio non ſine ſcelere ſit expoſita; cum fungus et blennus ille qui deliberationi praefuerat, contra decretum magno ſententiarum aeſtu jactatum, ad publicationem ſine exceptione ſubſcribendam Curtinum relatorem minis a Moncaſſino territum adegiſſet, et ſuppoſitum S. C. cum literis quibus ſenatus ſe a publicatione propter regiae conſanguinitatis, quam dixi, reverentiam excuſabat, eodem faſciculo per ſummam imprudentiam in aulam miſiſſet. Laudatus tamen in aula tunc factionibus ſciſſa, quod vel cum impudentiſſimo plagio ſenatui illudere, et ut aulicis mancipiis turpiter ancillaretur, in legem Corneliam committere minime dubitaſſet. Quod nos anxios poſtea diu tenuit, cum ſcelerate factum ex neceſſitate retractandum eſſet, et ad tegendam turpitudinem velamentum fruſtra quaereretur.

HAEC cum animo providerem, antequam delegati dimitterentur, petita venia in [a] Petrocorios diſceſſi ad viſendum ſororium meum [b] Burdeliae vicecomitem provinciae illius praeſidem, ut me quantum poſſem a turbidis conſiliis removerem. Ibi dum eſſem multa inciderunt quae profectionis tanta contentione inſtitutae curſum paene interruperunt; morbus ſponſae ita in aula deploratus, ut jam de Chriſtiana ſorore in locum ejus ſubſtituendae cogitaretur; [c] Sanpauli comitis, qui paulo ante in [d] Aquitaniam venerat, ſuſpectae cum [e] Roano et aliis illarum partium ducibus coitiones. Is, communicato cum [f] Longavillano familiae ſuae principe, atque adeo cum Condaeo, conſilio, ſine impedimento, quod ſumma imprudentia ab incendiariis aulicis factum arguebatur, [g] Fronſacum, et inde Caumontium ſuae ditionis arces munitiſſimas, quibus [h] Duranium et Garumnam quaſi compedibus tenere creditur, acceſſerat; et [i] Montiſpano, Lauzunio, Grammontano primariis provinciae regulis ſibi adjunctis, per [k] Forcaeum Benearni proregem uxoris ſuae gentilem cum Roano pactis etiam ſubſcriptis egerat, ut tranſitum regis conjunctis viribus impedirent. Renudatae et eodem tempore [l] filii cum [m] parente ſimultates et ſecretae molitiones. Tandem ſponſa convaluit et Sanpaulus mutavit, et filius dimiſſa nobilitate, quam ad regem excipiendum per [n] Santones et Engoliſmenſem principatum numeroſam coëgerat, cum patre reconciliatus. Audacis de profectione conſilii, cujus praecipuus incentor fuerat, periculum, quandiu ad rempublicam pertinuit, obfirmato animo contempſerat parens; quod ſimul atque ad ſe privatum ſpectare animadvertit, ad animum cum acerrimo ſenſu revocavit, et cum [o] Debitore noſtro, cum adhuc rex Pictavii eſſet, egit; non ulterius progrediendum, in eaque urbe eo uſque manendum dum ſponſa ad limitem cum idoneis copiis deduceretur, et regina per eaſdem copias et majores, ſi opus eſſet, ad regem abduceretur; alioqui providere, ut rex in Aquitania ſummis difficultatibus conflictaretur. Cum autem hoc rerum ſtatu ſibi non integrum eſſe quod rogaretur facere oſtenderet Debitor, et ad regiam exiſtimationem pertinere diceret, ut ultra pergeretur, ille ſpe fruſtratus tantum animo pavorem concepit, ut cum rex Engoliſma quo interim venerat diſcederet, in morbum inauditum inciderit, ſine febre, et animi et corporis viribus repente collapſus, ita ut nec loqui, nec cibum capere poſſet, aut velle videretur. Itaque tota Aquitania ſub id ſparſus rumor, quaſi ille in vivis eſſe deſiiſſet: qua ex re multi gaudio exultare; plerique contriſtari, quaſi eo ſublato majorum religio, cujus ſe vindicem apud Patres Jeſuitas praecipue profitebatur, ſummopere periclitaretur; plures judicium ſuſpendere, ex rerum ſucceſſu augurium capturi.

ANTEQUAM [p] Pictavio diſcederem, conſulto Debitore, poſt varios ultro citroque de

INTERPR. [a] *Perigort.* [b] *Bourdeilles.* [c] *de S. Pol.* [d] *Guienne.* [e] *le duc de Rohan.* [f] *Henry d'Orleans II, duc de Longueville.* [g] *Fronſac & Caumont.* [h] *la Dordogne & la Garonne.* [i] *les ſieurs de Monteſpan, Lauzun, & Grammont.* [k] *Jacques Nompar de Caumont, ſieur de la Force, gouverneur de Bearn.* [l] *le ſieur de Candale.* [m] *le duc d'Eſpernon.* [n] *Saintonge & l'Angoûmois.* [o] *M. de Villeroy.* [p] *Poictiers.*

de republica ſermones, ille cui animum renudare ſumma ſemper fuit religio, poſtremo prenſata manu cum eum urgerem, me in occulto monere; durarem et ſponſarum utrinque traditionem, cujus cauſa profectio inſtituta fuerat, patienter expectarem. Nam hoc facto, quam belli periculum nunc contemneretur, tam pacis praecipuum tunc ſtudium in aula futurum: quod pro excuſatione cum pro tempore acciperem, ex eventu ſerio dictum animadverti.

JAMQUE [a] Burdigalam tota aula convenerat, ſontico adhuc morbo [b] patre oppreſſo, quem ſemper ego ex pavore illo conceptum credidi, plures affectatum putabant, ut, ſi rei eventus non reſponderet, ab ingentibus promiſſis, quae profectionem ſuadens Lutetiae fecerat, per eum abſolveretur. Sponſalitiis fiducialiter peractis, decimo quarto poſtquam Burdigalam ventum eſt die, ſponſa, Guiſio cum armato comitatu deducente, ad limitem profecta eſt, et traditio IX Nov. utrinque facta ac regina ad regem adducta XI Kal. Dec. Denuo celebratis nuptiis cum rege urbem quarto poſt die triumphali pompa ingreſſa eſt: quo die nuptiae in ſpeciem conſummatae ſunt; quo et [c] Nivernius, qui jam multoties poſt tranſitum a Condaeo [d] Ligerim de pace ad reginam ſcripſerat, in aulam venit, et [e] Britannicus legatus ante eum; qui ſtatim poſt regis ex urbe Pariſienſi diſceſſum, ea de re mandata ſe a rege ſuo habere ad [f] Debitorem noſtrum ſcripſerat, et profectionem ſuam ad aulam ut praematuram ex Debitoris conſilio huc uſque ſuſpenderat. Ibi cum circum jam cuncta bello arderent, poſt crebras altercationes, quia nondum negotii per tot difficultates fatali caecitate praecipitati poenitentia nos ſerio ceperat, vix tandem permiſſum Britannico legato, et Nivernio, ut Condaeum adirent, et ſupplicationes ejus regi non ingratas fore confirmarent. Is [g] Pontium in Santonibus, cum aliis principibus et primariis viris ac belli ducibus cum ipſo conjunctis, venerat, in eoque conſeſſu ſupplicationes perſcriptae, et ad regem poſtea perlatae.

INTER haec dum adhuc Burdigalae eſſemus, poſt tranſitum Condaei, ego quiritare, et cum emiſſariis nocturnis, atque [h] Echino praecipue, de turbulentis conſiliis palam et aperte expoſtulare: nam publica calamitas mihi omnem aulicae diſſimulationis fucum ex animo excuſſerat, ita ut ab amicis ſaepius admonerer, conſultius me facturum ſi parcius de pace verba injicerem. Cum pacem tanta contentione urgerem, et condicta die et hora in hortos ſub aedibus meis ſatis ſpatioſos Echinum ſeduxiſſem, hac cum eo praecipue ratione me agere memini; quod niſi quamprimum reconciliationis rationes proponerentur, providerem fore, ut Condaeus tranſito Ligeri cum Proteſtantibus foedus iceret: quo facto ſpiſſius futurum negotium tot capitum corpore adjuncto: hoc autem facturum Condaeum proculdubio eſſe, quippe qui ut ſe a contemptu vindicet, nullam potentiae firmandae conditionem ſit omiſſurus: jam eos ſolicitatos pro illo partes ſuas interpoſuiſſe: cum vero ipſum nunc videant tot copiis in Aquitania bellicoſiſſima provincia ſubnixum, eequem dubitare, quin cum eo non ſolum conſilia ſed et vireis conjungant? Proinde, antequam foedus iciatur mature cum Condaeo agendum eſſe. Sub id ab homine ignoto breves literae [i] Bullionii ipſius manu ſcriptae ex caſtris ad Gervaſii fanum mihi redditae ſunt, quibus ſe ſummo pacis deſiderio teneri ſignificabat; quas e veſtigio ad Debitorem, qui in contiguis aedibus hoſpitium habebat, detuli, veritus ne id aliunde emanaret, et inde mihi in aula periculum conflaretur; nam, ut ſcis, jampridem heic ad calumnias expoſitus ſum. Ille eas poſtridie, cum ex febricula in lecto decumberem, obſignatas per amanuenſem ad me remiſit, neque de iis, cum me poſtea vidit, praeterea verbum ullum fecit; tantum P. [k] Janinus, cui literas oſtenderat, eas ſe vidiſſe mihi dixit, et occaſionem non negligendam ſibi videri oſtendit.

INTER haec lemures illi nocturni quos dixi paſſim jactabant, multos imprudentiſſime de pace quaſi Condaei rem gerenteis loqui, cum Condaeus ipſe eam minime peteret; atqui probroſum regi eſſe pacem petere, quam petentibus dare debeat. Itaque ſilere omnes metu defixi; ego ſolus morae omnis ut damnoſae impatiens,

INTERPR. [a] *Bourdeaux.* [b] *le duc d'Eſpernon.* [c] *Charles de Gonzague-Cleves duc de Nevers.* [d] *la Loire.* [e] *le chevalier Edmonds, ambaſſadeur d'Angleterre.* [f] *M. de Villeroy.* [g] *Pons en Saintonge.* [h] *le ſieur de Bullion.* [i] *le duc de Bouillon.* [k] *M. de Jeannin.*

impatiens, ut prius, quiritare, eas horum, qui in publica calamitate ſalutis ſuae arcem ponant, artes eſſe; tantum convenire inter omneis debere, pacem regi regnoque non ſolum utilem ſed neceſſarium eſſe; hoc conſtituto non defuturos, qui videant, ne quid regiae majeſtatis decus in hoc pacis negotio detrimenti accipiat.

Hoc reſcito, ſuſpecti [a] filii [b] parens me in reginae aedibus familiariter a tergo prenſat, et paci, a qua alienus vulgo putabatur, aequum ſe fore mihi ſignificat; adductis in eam rem multis ſpecioſis argumentis, et adjuncto ad finem carmine ſolemni, modo ne quid religioni et regiae dignitati in ea tractanda praejudicetur. Ad quae ego, qui quid ipſe vellet intelligerem, ſtatim reſpondi, memorem me dictorum in tempore futurum, et de egregia ejus erga publicam tranquillitatem voluntate quando et ubi opus eſſet fidem facturum. Jamque omnia ad diſceſſum parabantur, confuſis in Aquitania rebus, et frememte nobilitate, quae adventu regis bellum in provincia antea quieta excitatum, et diſceſſione ejuſdem cunctos ad praedam et internecionem miſere expoſitos querebatur: regem, quando eo uſque incolumis veniſſet, tanta gratulatione a populis ubique exceptum, hoc illis viciſſim debere, ut antequam inde diſcedat, bellum aut armis aut pace finiatur. Et ego ita ſentiebam, et a cunctis urbis ordinibus in eam rem preces cum obteſtationibus nequicquam adjunctae. Quidam etiam addebant, rege tam alieno tempore provinciam deſerente, actum de ea eſſe, et urbem ipſam omni ope deſtitutam Condaeo advenienti proculdubio portas aperituram. Parum haec apud animos ſeu metu ſeu taedio praeoccupatos valuerunt, et tam feſtinanter [c] Burdigala diſceſſum, quam imprudenter Lutetia profectum fuerat, paucis ante natalem diebus, quem ſaltem vel religionis cauſa expectandum eſſe plerique clamitabant.

A Non. Octobr. quo rex ad urbem venit, ad XIII Kal. Jan. quo inde diſceſſum, quid inter turbas, ſtrepitus, et aulica nugamenta ſit actum, ſi quaeris, dicam. Moncaſſino ob operam Lutetiae navatam inſigni illo falſi decreti plagio, attributam diplomate auctoritatem, ut ſupra ſuccinctos quaeſitores eſſet, et per Aquitaniam, quod antea ſemel irrito conatu tentatum fuerat, ſummam ejus praefecturam exerceret. [d] Aquitania ad duas primarias ſecundum Pariſienſem [e] curias pertinet, Toloſanam et Burdigalenſem. In hac, ubi rex erat, intercedentibus provinciae praefectis, id illi praefracte negatum; quod in Toloſana eidem benigne conceſſum fuit, annitente Maſurerio nuper primario praeſide creato, qui quicquid contra Condaeum quocunque modo factum eſſet, tanquam contra perduellem et Religionariis (ſic Proteſtantes noſtri paſſim vocabantur) faventem, recte factum exiſtimabat. Id in [f] Conſeranis, Auxitanis, Convenis locum necne ſit deinceps habiturum, exitus declarabit: tunc vero turbatis rebus et animis praefectorum alio intentis diploma Toloſae recitatum eſt, et ad triennium ut obtineret, a ſenatu illo decretum fuit.

Incidit et res inauditae audaciae ac temeritatis Burdigalae in regis conſpectu patrata. Contra [g] quendam ex infima nobilitate ſceleribus coopertum, qui diu protelata per gratiam cauſa in carceribus deſederat, acta tandem probatoria examinata ſunt. Cumque in eo eſſet, ut ſententia mortis contra ipſum ferretur, cardinalis [h] Surdiſius a [i] Theminio rogatus, ut aiebat, apud regem partes ſuas interpoſuit, ut vitae gratia ei fieret. Id cum ſibi a rege conceſſum gloriaretur, ſenatus interceſſit, et ad regem reginamque ſupplex adivit, reque expoſita impetravit, ut lege in reum ageretur; qui cum poſtridie damnatus eſſet, ac, ne in civitate tumultus interveniret, in carcere ſupplicio eum afficiendum ſenatus decreviſſet, Surdiſius nihil regis reginaeque mandata contraria moratus, aſſumptis quos in via nanciſci potuit e nobilitate amicis, pleriſque eorum ignaris, praelata cruce ad carcerem venit, et juſſo aperire [k] commentarienſi homine probo et ipſi familiari, cum cunctaretur, portae vi refractae et ipſe commentarienſis ad primum occurſum ante Surdiſii pedes interfectus eſt, et tot criminum peractus reus debitam legibus poenam effugit. Id cum ad auctoritatem regiam, quae paſſim ab iis, qui in

INTERPR. [a] *le ſieur de Candole.* [b] *le duc d'Espernon.* [c] *Bourdeaux.* [d] *Guienne.* [e] *parlemens de Toulouſe & de Bourdeaux.* [f] *les pays de Conſerans, Auſch, & Comminges.* [g] nommé *Hautecaſtel.* [h] *de Sourdis.* [i] *le ſieur de Themines depuis mareſchal de France.* [k] *le Concierge Caſtets.*

in armis erant, lacerabatur, ſummopere pertineret, initio in aula frementibus cunctis, et vindictam de tam audaci facinore ſumendam per urbem clamitantibus, [a] Vulpes more ſuo primus et ipſe inclamare et nihil regia majeſtate et ſua dignitate in ea re indignum ſe facturum aſſeveranter dicere. Itaque Surdiſius coactus urbe excedere. Dein poſt paucos dies cum ſenatus contra ipſum tanquam contra contumacem decretum feciſſet, intercedente pontificio legato primus impetus repreſſus, cautumque ne trinundino, ſicuti in uſu eſt, ad tubae clangorem publico praeconio per urbem citaretur, ſed ad valvas aedium epiſcopalium per curiae apparitorem ſine ſtrepitu denunciatio fieret. Cum pergeret ſenatus, et contra legatus inſtaret, Vulpes contra quam jactaverat ulteriorem rei cognitionem ſenatui interdixit; et legato a ſtrenuis regiae majeſtatis antagoniſtis humiliter ſignificatum fuit, id reverentiae pontificis a rege dari, qui tam neceſſario tempore, cum exemplo maxime opus erat, injuriam diſſimulare maluerit, quam committere ut potiorem ſuae dignitatis quam pontificii nominis rationem habuiſſe videatur. Igitur pontifex cognitionem rei ſibi ſumpſit, et ad aliquot menſeis ſeveritatem induit, interdicta primum Surdiſio ſacrorum celebratione; quam mulctam temporariam ex plenitudine poteſtatis mox remiſit, et nunc ille de rege et magiſtratibus regiis triumphans in eo eſt, cum haec ſcribo, ut urbem ſuam ovans ingrediatur, paratus, ſi occaſio ſe offerat, pari facinore pontificiam auctoritatem aſſerere, regiam pedibus conculcare.

Quid ultra quaeris? nihil recti, nihil ſinceri, nihil ordinati. Heic inter nos, tanquam in nocturna pugna hoſtem petituri in amicos incurrebamus, cuncta perverſe per diſſimulationem et per tumultum agebantur; Vulpes ad familiareis ſibi artes confugiens, quicquid regi regnoque per ludificationes ſuas peribat, id ſe lucri feciſſe arbitrabatur. Crebra interim [b] Debitoris cum [c] Canidia etiam intempeſtivis horis colloquia mutationem voluntatum mox ſecuturam praeſagiebant, et verbis mihi ab ipſo [d] Pictavii datis, quae pro excuſatione tunc acceperam, jam fidem faciebant. Id curioſi obſervabant. Ego minime omnium, ut ſcis, curioſus, quanquam in proximis Debitoris aedibus diverſarer, raro et non niſi ex occaſione ad ipſum itabam; verum amici in illo taedio, potius quam otio, ad me domi ſedentem frequentes ventitabant, et nolenti et aureis paene ad illos rumores, quos prae faſtidio inſuper habebam, claudenti haec in horas narrabant. Surdiſius ipſe cardinalis me crebro inviſebat, et quanquam longe diverſos ad rempublicam ſenſus afferret, multa libertate et familiaritate propter adfinitatem noſtram mecum confabulabatur. Is auctor fuerat ut [e] Benearnum mitteretur, et [f] Grammontano, abrogata [g] Forcaeo auctoritate, ſummum imperium in provincia attribueretur. Id [h] Faber Caumartinus negotii avide ſibi ſumpſit, tanquam rem aulae gratam facturus, ob id a Surdiſio rogato ad reginam introductus. Cum is diſceſſurus ad me officioſe veniſſet, et, quid ipſi imperatum eſſet, aperuiſſet, ſententiamque ſuper ea re meam rogaſſet, ego, qui ſcirem re deliberata ſerum fore conſilium, non multum contra pugnavi, tantum praedixi, irritam fore profectionem; nam plus odii Grammontano cum Forcaeo, qui favore apud populares polleat, quam eidem Grammontano cum popularibus benevolentiae ad expellendum Benearno Forcaeum intercedere.

Nec felicior [i] Vici ad [k] Montalbanum in Cadurcis profectio fuit, ut urbem illam inter Proteſtantes praepotentem a factione [l] Nemauſenſium ſepararet: et utrique ſaepius praedixi, tempeſtivam magis eſſe de pace mentionem, et caput petendum, atque adeo cum Condaeo nulla mora agendum, antequam cum Nemauſenſibus foedere perſcripto conveniat. Id ego aiebam integris adhuc Condaei cum illis rebus. Nam a [m] Ligeris tranſitu uſque ad capita [n] Sanſaei in Pictonibus perſcripta menſis interceſſit, et medio tempore hoc dicebam, et [o] Echino poſt primum, quod dixi, cum illo de ea re colloquium in aula forte obvio, ad omnia momenta inculcabam; ſed ſurdo fabula narrabatur.

Actum

INTERPR. [a] *le chancelier de Sillery.* [b] *le ſieur de Villeroy.* [c] *la marêchale d'Ancre.* [d] *Poictiers.* [e] *Bearn.* [f] *le comte de Grammont.* [g] *le ſieur de la Force.* [h] *le Fevre, ſieur de Caumartin.* [i] *le ſieur de Vic.* [k] *Montauban en Quercy.* [l] *deputés des Proteſtans aſſemblés à Niſmes.* [m] *la Loire.* [n] *Sanſay en Poictou.* [o] *le ſieur de Bulion.*

Actum et de primario praeſide in Burdigalenſi ſenatu conſtituendo, conclamata Andreae [a] Nemondi, qui eam dignitatem obtinebat, ſalute; et ad famam jam tum facta tui a [b] Vulpe mentio, ut virtutis in ſummis deligendis magiſtratibus rationem in aula aliquam haberi conſtaret; dein Ollerii, et [c] illius poſtremo, in quem favoris ſors cecidit. Verum id ad ſcenam. Nam tunc Nemondus adhuc in vivis erat: cujus de morte poſtquam allatum eſt, (interim rex [d] Pictavium venerat,) ſcrupulus de religione tui ratione per calumniam ſtatim injectus, interrogatuſque ea de re Vicus excanduit, et has malevolorum eſſe artes reſpondit: nihilominus gratuita benignitate, ſic enim jactatur, te praeterito, is, quem dixi, ea dignitate ornatus eſt, Vulpe [e] Canidiae voluntati, cujus ſuggeſtione id fieri dicebatur, minime reſiſtere ac contradicere auſo.

Haec ergo interim Burdigalae agebantur: ex diverticulo jam in viam redeo. Natalem rex ac regina ad [f] Albaterram celebrarunt, et inde [g] Fulcauldi-rupem venerunt, quo legatum et [h] Nivernium obvios habuerunt, et cum iis Franciſcum [i] Damaſum Tiangium, qui Condaei et principum ac procerum aliorum, qui cum eo erant, nomine, ſumpta arma excuſaret, et ab rege ſuppliciter pacem peteret. Quod non facturum Condaeum lemures ſibi perſuaſerant, quippe qui pacis petitionem metus et infirmitatis confeſſionem maligne interpretabantur, eaque ratione aulam quantum in ipſis erat ad bellum perſequendum magis incendebant: nec deerant qui potentiae avidi per arma illius augendae occaſionem captabant. Sed temeritatis feſtinatae jam poenitentia ſubire coeperat; et poſt crebra [k] Debitoris noſtri et Canidiae aulicae colloquia, minus pronis auribus turbida conſilia accipiebantur. Itaque remiſſus Tiangius cum multa bene affecti erga pacis negotium animi ſignificatione, ſpe facta, ut cum rex Pictavium veniſſet, ſerio de ea conſultaret.

Ego Burdigala triduo poſt regem profectus, non eodem itinere, quo alii, copiis armatis et anguſtia hoſpitiorum infeſto, ſed per [l] Santones magna fiducia et ſecuritate, cum iis qui ſe mihi comites addiderant, in [m] Pictones deſcendi. Luſſano duce [n] Blavium primo die venimus, ab eo biduum laute et peramanter in arce excepti; a cujus ingreſſu ante aliquot dies Nivernius excluſus fuerat a praeſidiariis, quenquam ſine expreſſo ipſius Luſſani mandato admittere vetitis; quod poſtea ille per me apud Nivernium excuſavit, ſibi dolere dictitans, quod a Nivernio Burdigalae de profectione ſua ac conſilio admonitus non eſſet. Inde acceptis a [o] Jarnacio et Montio literis, [p] Pontium profunda jam nocte acceſſi, et cum omnibus meis admiſſus ſum, ac poſtridie [q] Mediolanum Santonum veni in natalis pervigilio. Ibi primum de foedere inter Condaeum et Proteſtantes ante menſem [r] Sanſaei inito, quod in aula diſſimulabatur, et per aſtum a lemuribus eludebatur, cognovi, traditis a Perna urbis praefecto, quae jam paſſim volitabant ſcripto comprehenſa, capitibus.

Celebrato apud epiſcopum natali, [s] Joannis Angeriaci fanum acceſſi, diffugientibus paſſim per pagos ruſticis, et effuſis ad portas urbium oppidanis, quaſi a rege miſſus, et de pace acturus venirem, neque petitis ſalvi commeatus, quas a Nivernio habebam, literis. Heic ſtipatores a [t] Bullionio praemiſſos nactus in viam ſtatim poſtridie cum toto comitatu me dedi, et per [u] Fortium facto itinere (nam corruptis pluvia itineribus eodem die non potui) [w] Niortium v Kal. Jan. veni, a Parabero urbis praefecto viro ſtrenuo et cordato obviis ulnis exceptus. Is ſe ad paucos, qui foederi [x] Diguierii exemplo minime ſubſcripſerant, ſicuti [y] Pleſſius Salmuriae, [z] Braſſacus [aa] Eraldi-caſtri, Conſtantius Maranae arcis praefecti, aggregaverat, et regias partes aperte tuebatur.

Eo Bullionius confeſtim ex caſtris ad Symphoriani fanum advolavit, tanquam Paraberi amicus, non quod urbs, a cujus ingreſſu Condaeus ſemper excluſus fuit, alioqui illi pareret, ad quam regii ſumma fiducia veniebant, Condaeani nonnulli tanquam

INTERPR. [a] *de Neſmond, ſieur de Cheſſac.* [b] *le chancelier de Sillery.* [c] *le preſident de Geurgues.* [d] *Poictiers.* [e] *la marêchale d'Ancre.* [f] *Aubeterre.* [g] *la Rochefoucaud.* [h] *le duc de Nevers.* [i] *Damas, ſieur de Thianges.* [k] *le ſieur de Villeroy.* [l] *Saintonge.* [m] *Poictou.* [n] *Blaye.* [o] *Jarnac & Mont.* [p] *Pont.* [q] *Saintes.* [r] *Sanſay en Poictou.* [s] *S. Jean d'Angely.* [t] *le duc de Bouillon.* [u] *Fors.* [w] *Niort.* [x] *le mareſchal de Leſdiguieres.* [y] *Philippe de Mornay ſieur du Pleſſis.* [z] *Marly ſieur de Braſſac.* [aa] *Chatelleraut.*

tanquam amici admittebantur. Inter nos ſerii et varii de aula noſtra et republica ſermones ultro citroque per bihorium fuere, quorum haec ſumma fuit; pacem regno et Condaeo neceſſariam eſſe, magnaque invidia et publico odio conflagraturum apud cunctos ordines, quiſquis eam detrectaverit. Coena nos in arce excepit Paraberus, cui [a] Subizius Roani frater cum [b] Bolaio, Rainvilla, et aliis legionum tribunis interfuerunt. Poſtridie et prandium apud eundem ſumpſimus. Commeatum ab hoſpite petentibus nobis, ex Bullionii verbis capta occaſio expeditionis a Guiſio ſuſceptae, de qua fama apud vos uſque pervolavit, in aula certe magnam concitaverat expectationem. Cum igitur ab hoſpite noſtro, quicum ſecretos ad reginam perferendos ſermones habueram, poſt prandium diſcederem, amice ab eo rogatus ſum, ut poſtridie in arcem ſuam ad [c] Eligii fanum diverterem; in ea me paratum commode hoſpitium reperturum, et quid ad eam inſtaurandam et hortis praeſertim ornandam feciſſet, non aegre inſpecturum. Libenter aſſentiente me intervenit Bullionius, et ſibi quoque hoſpitium parari in ea juſſit; nam hortos amoeniſſimos viſendi ſe deſiderio teneri. Id cum alta voce dixiſſet, ut a nobili quodam a Guiſio ad Paraberum miſſo exaudiretur, re per eum cognita, Guiſius copias ſumma celeritate ac ſilentio inſtruit. Ego interim eadem qua Bullionius rheda vectus [d] Maxentii fanum cum eo veni: varii et inter eundum de republica habiti ſermones, interdum non ſine aliqua altercatione, quod rebus, quae nondum tunc mutaverant, ſic ſtantibus, quemadmodum in pace utrique parti tam neceſſaria tractanda varias difficultates ſuborituras nemo noſtrum ambigeret, ita de ratione earum explicandarum non aeque inter nos conveniret. Ibi ſalutavi Condaeum, circa quem, ut erant tunc tempora, non minor frequentia erat quam in aula regia: et cum quaererent amici, ecquid frequentia iſta afficerer, placere mihi eam reſpondi; ſed placituram magis, ſi in comitatu regis eſſet, quod brevi futurum ſperarem. Salutavi et [e] Meduanium et Longovillanum, conventu Sueſſionenſi et ad [f] Menehildis fanum tibi mihique familiareis redditos: adivi et [g] Sullium, qui cum diu ante deliberaſſet, et in aula eluſus eſſet, ſub id ad partes Condaei ſe applicaverat et ipſum cum ſuis intra urbem admiſerat. Primo congreſſu Condaeus ex abrupto de revocanda annui tributi, quod magiſtratus ex nova ac regno detrimentoſa inſtitutione toto regno pendunt, penſatione mentionem injecit, quam ſe petiturum conſtanter aſſeverabat, et impetraturum pari fiducia aiebat. Cum hoc rerum ſtatu, in tanta regiorum vectigalium anguſtia et morum corruptione, rem alioqui optandam, et omnium ordinum votis expetitam, obtineri vix poſſe dicerem; ille nunquam niſi hac lege ſe de pace conventurum reſpondit. Et ſane inter capita generalia, quae vocant, id ab eo propoſitum fuit; quod quanta contentione initio ſpecioſe petitum, tanta praevaricatione poſtea impudenter omiſſum fuit.

Apud Sullium in arce cum pranſurus eſſem, Condaeus cum Bullionio, [h] Roano, Subizio intervenit, et menſae, quae mihi tantum parata erat, cum iiſdem aſſedit; moxque a [i] Nivernio Thenonus ab epiſtolis venit, cum omnes, quaſi jam de collatione cum regiis conveniſſet, ſecurius propterea agerent, qui Proteſtantium ratione conveniri non potuiſſe retulit, quod illi conventus legitimi et a rege adprobati nomen ſibi tribuerent, qui contra regis voluntatem [k] Gratianopoli in Septimaniam privata auctoritate tranſlatus fuerat, ac proinde legitimus haberi non poſſet, eoque minus quod plerique ſe ab eo ſeparaſſent. Verum is nodus a Joſia [l] Mercero Bordio viro in agendo admodum accurato ac ſolerti ſtatim ſolutus fuit, cum diceret, Proteſtanteis, qui cum Condaeo foedus iciſſent, contentos fore, ſi conventus [m] Nemauſenſis, qua in urbe tunc erat, nomine deſignaretur.

Dum deliberant, ab iis petito commeatu me ſine ſtrepitu ſubduxi, et Eligii fanum ſub noctem veni; idque in cauſa fuit, cur Bullionius eodem non venerit, quod collationis in aula recuſandae hunc colorem, pollentibus adhuc in ea, qui pacem

INTERPR. [a] *Benjamin de Rohan, ſieur de Soubize, frere de Henry duc de Rohan.* [b] *la Boulaye & de Rainville.* [c] *S. Eloy.* [d] *S. Maixent.* [e] *les ducs de Mayenne & de Longueville.* [f] *Ste Menehou.* [g] *le duc de Sully.* [h] *le duc de Rohan.* [i] *le duc de Nevers.* [k] *Grenoble.* [l] *Mercier des Bordes.* [m] *de Niſmes.*

pacem nolebant, quaeſitum crederet, ideoque contrario itinere ſtatim ad exercitum profectus eſt. Ea nocte Guiſius, Bullionium ad Eligii fanum veniſſe credens, et reſcito Condaeum cum aliis principibus ac proceribus ſecure agere, cum toto exercitu intenſis tenebris advolavit, praemiſſis inde qui ad Eligii fanum, quod in via occurrebat, de Bullionii adventu cognoſcerent, inde qui [a] Vallum pontem trans [b] Maxentii fanum, per quem Condaeo cum ſuis ad exercitum tendenti tranſeundum erat, a tergo circumducto milite occuparent. Quod ſi ſuccedebat, quod futurum ſibi Guiſius et per [c] Contiam ſororem in aula perſuaſerat, actum de hoſtibus putabatur, [d] Bullionio primario belli duce intercepto, et Condaeo cum ceteris principibus et proceribus ad Maxentii fanum minime loco firmum obſeſſo ſine ſpe auxiliorum, quippe intercluſo ad Vallum pontem tranſitu. Verum Bullionius jam omiſſo Eligii fano ad exercitum ſe contulerat, et Condaeus cognito regiorum adventu cum [e] Longavillano pontem medium in tempore ſuperaverat, et praeſidio firmaverat, ita ut Guiſii conatus irritus fuerit, cum totis quadraginta horis in equis armatus fuiſſet, et ſuos inedia et vigilia inutiliter in itu et reditu fatigaſſet. [f] Meduanius cum [g] Sullio in urbe remanſit, obſidionem, ſi Guiſius animum obfirmaret, ſuſtinere certus: ſed Bullionio, Condaeo et Longavillano elapſis, et auxiliareis copias e propinquo adducturis, incertam tentare obſidionem minime Guiſio viſum fuit.

Ego ad Eligii fanum inter haec ſomno oppreſſus ad armorum fragorem totis agris perſonantem non evigilavi, uxore, quae ſciret abſente Bullionio me minime peti, et Guiſium nihil contra nos moliturum, per arcem diſcurſante, et ne excitarer prohibente. Poſtridie cholico dolore vexatus, quem patientia mihi familiarem reddidi, dum quorſum Guiſii conata evaderent exploratur, in arce cum toto comitatu meo ſubſtiti; reſcitoque ipſum, eodem quo venerat itinere, re infecta reverti, Kal. Jan. per [h] Pamprolium veni [i] Luſinianum, et altero poſt die [k] Pictavium. Rex et regina cum tota aula non niſi biduo poſt diverſo itinere venerunt. Reginae ad primum occurſum percontanti, an ad Guiſianae expeditionis ſtrepitum ad Eligii fanum noctem inſomnem habuiſſem; cum de ea nihil niſi mane reſciviſſe me reſpondiſſem, de Parabero ſtatim injectus ſermo, et mandata ab eo accepta diligenter expoſui, ipſumque in regis fide permanſurum confirmavi.

Jamque feſtinatae profectionis poenitentia animum ſubibat, et in auctores renudatum odium, ex ſecretae factionis ſuſpicione auctum; cujus cauſa primum [l] Salvaterra cubicularius aula pulſus; dein et [m] Ulmus medicus filius, addita patibuli ignominioſa poena ni pareret. Denunciatio huic a Barbino mane facta homine [n] Canidiae addicto.

Britannicus legatus et [o] Nivernius ſub id ad Condaeum et foederatos calente jam negotio remiſſi: quibus reverſis [p] Debitor cum [q] Briſſaco equitum tribuno ad eundem ſtatim miſſi, de induciis et loco ac tempore conventus acturi: qui ad Eligii fanum cum Condaeum convenire ſperarent, inde Niortium, et Niortio [r] Fontenaium a Condaeo evocati ſunt, annitente Parabero, qui, de exitu veritus, alio quovis loco potius quam apud ſe conventum haberi malebat.

Dum abeſſet Debitor, ita inter Canidiam et ipſum convenerat, a Villaſerinio ſub veſperam [s] Autolyco denunciatum, ut aula quamprimum faceſſeret. Hiſpanienſis legationis alium quam rebatur exitum ſentiens, ille ultra quam dici poteſt improviſo caſu perculſus fuit, et colloquium enixis precibus popoſcit, quod ipſi praefracte negatum eſt; et qui eum, cum abiret, honorifico comitatu proſecuti fuerant, cum indignatione accepti, quidam etiam male mulctati, [t] Vulpe fratre nihilominus in aula manere, et munus ſuum tunc exercere juſſo; cujus gratia antea alternans, ſemper ab eo tempore labare coepit. [u] Echinus propter affinitatis et conſiliorum conjunctionem eodem frigore ictus, facta tamen ſpe honeſtioris miſſionis, quae cum tempore evanuit. Inde jactatum in aula a Gurono ſuſpectae factionis emiſſario dicterium, Deus nos a matutina Barbini, et ſerotina

Villaſerinii

INTERPR. [a] *Pont de Vaux.* [b] *S. Maixent.* [c] *Louiſe Marguerite de Lorraine, princeſſe de Conti.* [d] *le duc de Bouillon.* [e] *le duc de Longueville.* [f] *le duc de Mayenne.* [g] *le duc de Sully.* [h] *Pamproux.* [i] *Luſignan.* [k] *Poictiers.* [l] *de Sauveterre.* [m] *de l'Orme* [n] *la maréchale d'Ancre.* [o] *le duc de Nevers.* [p] *M. de Villeroy.* [q] *le mareſchal de Briſſac.* [r] *Fontenay le Comte.* [s] *le commandeur de Sillery.* [t] *le chancelier de Sillery.* [u] *le ſieur de Bullion.*

Villaſerinii ſalutatione ſervet. Cujus ipſe experimentum fecit, poſtridie, cum haec diceret, mane a Barbino ſalutatus et domum ſe conferre juſſus.

AULA ob tam repentinam mutationem paulum commota, et popularibus morbis ob exercitus viciniam in urbe paſſim graſſantibus, pronunciatum iter [a] Caeſarodunum, intendente ſe ſubito frigore, quod vehementia tanta ſaeviit, ut etiam ſarmenta vitium pleriſque locis depaſtum ſit, ſpe opimioris vindemiae jam tum praeciſa.

[b] DEBITOR [c] Fontenaio ad [d] Eraldi-caſtrum venienti regi occurrit; eorumque quae per abſentiam ſuam acciderant ignarus videri volens, idque ſumma aſſeveratione [e] Vulpi confirmavit, ſolita officia cum eo, ut antea, exercens; et ille aulica diſſimulatione ita credere prae ſe ferebat, ad famam pertinere arbitratus, ne inter ſe diffidere, et alter alteri perniciem machinari vulgo crederentur: verum, ob non obſcuras inter eos ſimultatum cauſas, vix cuiquam perſuaderi poterat, ipſos, dum amici videri volebant, bona fide inter ſe agere.

EGO die uno diſceſſurum regem cum comitatu, quem per [f] Santones adduxeram, anteverteram, in quatriduo illo plus moleſtiae expertus quam toto itinere feceram, ſemel atque iterum ſerotinum frigus ad profundam uſque noctem inter nives magno valetudinis incommodo perpeſſus; unde cholicus dolor jam aſſuetudine mitior, dein exaſperatus recruduit, ex quo, poſtquam Caeſarodunum veni, fere ſemper decubui.

JAMQUE conventus ad [g] Juliodunum indicti tempus inſtabat; eoque appetente ad [h] Briſſacum et Debitorem adjuncti qui cum Condaeo agerent, ego, [i] Mericus Vicus et [k] Poncaſtrinius; ego ad ſcenam, ne qui contumelioſe a Vulpe habitus toto illo itinere fueram, injuria nova per praeteritionem adficerer; Vicus, ne ſuſpectus eſſet prorſus [l] Eſpernonio conventus, in quo hominem amicum haberet; Poncaſtrinius, ut qui revocandi Debitoris et abrumpendae reconciliationis ad [m] Cuciacum adminiſter fuerat, ei ſarciendae nunc mutata aulae facie inſerviret. Id mihi domi in lecto decumbenti per hominem a Vulpe miſſum ſignificatum, in re minime ſui arbitrii gratiam ejus demerente, cui tam injurioſo contemptu hactenus illuſerat.

CUM diſceſſurus eſſem, mihi in arcano a regina mandatum, ut [n] Bullionium, quicum mihi neceſſitudinem familiarem intercedere ex Debitore reſciverat, ad pacis negotium, ad quod ſe propenſam oſtendebat, quantum poſſem inclinarem, eique de egregia regis reginaeque voluntate ac benevolentia plenam fidem facerem: idem a [o] Canidia, quae in conclavi reginae proximo diverſabatur, et mihi horam par Barbinum ſuum condixerat, repetitum; et ipſa ſe vadem promiſſorum reginae erga Bullionium fore religioſe adfirmavit.

INTER ſermocinandum injecta [p] Dolaci mentio, quem illa a ſuſpicione conſilii de Condaeo et Bullionio in cuſtodiam mittendis, quantum poterat, purgabat, invidia in eos, qui rem Condaeo retulerant, rejecta. Id agitatum fuerat ſub tempus, quo ſenatus ſolemnem de republica conſultationem inſtituerat, et [q] Autolycus, ſicuti ſupra demonſtratum, in Hiſpaniam profectus aberat. Audax et juxta turbidum illud coram regina habitum conſilium ad motus, qui mox ſecuti ſunt, ſummum incentivum fuit, cum Condaeus aliique principes et proceres, qui cum eo ſentiebant, in aula ſe minime tutos exiſtimarent, et aula abeſſe perinde acciperent, ac ſi regno exulare juberentur. Hujus conſilii quis auctor fuiſſet etſi non dicebat Canidia, tamen cum maritum, Dolacum, et [r] Echinum numero eximebat, alios qui aderant deſignare videbatur, quos feſtinato indicio gratiam Condaei captaſſe, et odium, quo digni erant, in inſontes transferre voluiſſe aiebat. Poſtremo ab ea additum, omnino velle et intelligere reginam, ut Dolaci inter poſtulata Condaci mentio omitteretur, iſque ſibi plene ſatis putaret factum, quod Autolycus et Echinus domum eſſent relegati; idque ut Bullionio inſinuarem, quippe ita reginam jubere, me enixe rogavit. Sed ſecuta ſtatim miſeri et utrique parti

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *le ſieur de Villeroy.* [c] *Fontenay le Comte.* [d] *Châtelleraut.* [e] *le chancelier de Sillery.* [f] *Saintonge.* [g] *Loudun.* [h] *le mareſchal de Briſſac.* [i] *Mery, ſieur de Vic.* [k] *le comte de Pontchartrain.* [l] *le duc d'Eſpernon.* [m] *Coucy.* [n] *le duc de Bouillon.* [o] *la maréchale d'Ancre.* [p] *le ſieur de Dolé.* [q] *le commandeur de Sillery.* [r] *le ſieur de Bullion.*

parti ob ingenii violentiam et ruſticitatem hominis inviſi mors, contentioni inde proculdubio exoriturae finem impoſuit.

JAMQUE [a] Juliodunum cuncti veneramus, intenſo admodum frigore, nemine obviam prodeunte, quod vel regis a quo mittebamur reſpectu fieri oportuit; quod Condaeus, qui tunc forte urbe aberat, excuſavit, et culpam in [b] Sullium ſummum provinciae praeſidem, qui aderat, rejecit. Sullius vero pro excuſatione ſe minime monitum dicebat, alioqui non defuturum officio; addebatque, cum metatores regii ad urbem ante nos veniſſent, ut hoſpitia regis delegatis ſumerent, Condaeum interceſſiſſe, idque per ſuos metatores fieri debere contendiſſe, quippe urbem in ſua poteſtate eſſe. Sane ea re factum ut hoſpitia nobis valde incommoda ſint ſparſim aſſignata, et anguſtis adeo vicis ad [c] Briſſacum et Debitorem, quo fere conveniebamus, longiore circuitu per aſperam hyemem pedibus ire cogeremur.

POST aliquot dierum moram plerumque adfectatam, ut per inducias graſſari in agro militi et coactoribus nuper impoſitis impunitius liceret, tandem principium collationi in aedibus [d] comitiſſae Sueſſionis factum. Ea a rege Lutetia evocata fuerat, ſicuti et Longovillani [e] parens, ut conventui intereſſent; et illa quidem ut Condaeum, qui ejus evocandae auctor fuerat, ad pacis conſilia inflecteret; haec ut filii ingenium moderaretur. Id honoris toto eo tempore habitum fuit comitiſſae a Condaeo, ut ab utraque parte de pace delegati in ipſius aedibus convenirent.

OMITTO heic de diplomatis regii, quod ante omnia lectum eſt, defectu acrem contentionem, quod ampliari tandem placuit. Propoſita proxima ſeſſione capita, quae ſingula antequam ſcriptis mandarentur inter delegatos diſcuti petebant Condacani: nos vero contra dicebamus, ac tandem poſt acerbam contentionem, ut ea ſimul ſcripto proponerentur et ad ea poſt diſceptationem ſcripto reſponderetur, impetravimus. XXIX omnino propoſita, quae ad pauciora poſtea contracta ſunt.

ANTE omnia petitum, ut in eos, qui facto et conſcientia Henrici Magni parricidio participaverant, denuo anquireretur, eaque de re diploma ad curiam dirigeretur. Idem antea Proteſtantes [f] Pictavii petierant: eoque Condaei petitio odioſior viſa. Multa ex ea occaſione hinc acerbe dicta, et acerbius a nobis accepta, quod ea petitione tam enixa eorum qui circa regem erant negligentia et ſegnities, atque adeo praevaricatio, ſugillari videretur: et paulo antea literae procuratoris regii ad [g] Vulpem interceptae fuerant, quibus fidem fieri aiebant, diſſimulanter in eo negotio agi, in accuſatione [h] Comanae illius foeminae, quam ſcis, a regina Margarita in jus deductae. Qui diſerte nominabantur reginae perſuaſerant ipſam per illorum latus artificioſe peti; idque in cauſa fuerat, ut propterea minus ſedulo procurator regius judicium obierit, et ſimiles delationes ab eo tempore aut perfunctorie acceptae ſunt, aut Vulpis aſtu omnino eluſae; qua de re Condaeus graviter conquerebatur, et proceres qui cum eo erant, ac praeſertim Sullius ſtomachoſe expoſtulabat. Tandem convenit, multum ſe excruciante Debitore, ut id omitteretur, et ea de re articulus vice diplomatis edicto inſereretur; qui ita conceptus eſt, ut ſegnities illa, cujus invidiam quiſque a ſe deprecabatur, in judices ipſos minime culpae affineis rejiceretur: quod animo jam provideo protelandi per interceſſionem negotii materiam in ſenatu praebebit.

EODEM capite petebatur, ut quod ſenatus valde opportune decreverat, cum de deteſtando parricida ſumptum eſt ſupplicium, ut decretum concilii Conſtantienſis in eos, qui contra principum ſacroſanctas perſonas ſaeviunt, factum denuo ſanciretur, et Sorbonici collegii ibidem de eo renovando decretum publicaretur; idque regni epiſcopis, ut per ſuas quiſque dioeceſes diligenter curarent, injungeretur. Id cum ſenatus ab initio decreviſſet epiſcopus Pariſienſis interceſſerat, quod ſenatum et Sorbonam in epiſcopos nihil juris habere diceret, et praepotenteis in aula adſtipulatores habuerat. Itaque, quamvis recenti tam diri caſus ſenſu, et ardentibus

INTERPR. [a] *Loudun.* [b] *le duc de Sully.* [c] *le mareſchal de Briſſac, & le ſieur de Villeroy.* [d] *Anne comteſſe douairiere de Soiſſons.* [e] *Catherine de Gonzague Cleves ducheſſe douairiere de Longueville.* [f] *Poictiers.* [g] *le chancelier de Sillery.* [h] *Jacqueline le Voyer femme d'Iſaac de Varennes, ſieur d'Eſcouman.*

ardentibus ultione animis, ab eo tempore per totum ſexennium decreta ſenatus et Sorbonae irrita fuerunt, quae tunc renovari petiit Condaeus, a bene adſectis ac ſolicitis de regia ſalute hominibus monitus: quod quanquam aegre, ut caetera, quae ad rempublicam ſpectabant, conceſſum, nunquam tamen Debitor adduci potuit, ut rex in edicto loquens *injungendi* verbo, quod uſurpari ſemper antea conſueverat, uteretur; ſed pertinaciter ſufficere debere dixit, ut rex ſe ad epiſcopos ea de re ſcripturum declararet: et ita factum, non ſine melius ſentientium murmure, qui auctoritatem regis ſenſim per ignaviam et praepoſteram diſſimulationem deteri indignabantur.

MAJOR in primo articulo petitionum popularis ordinis ab aula rejecto, et a Condaeo repoſito, contentio fuit, in eoque toto conventus tempore praecipue laboravimus. Dum de eo altercamur non ſolum cum Condaeanis ſed intra privatos parietes in Briſſaci aedibus, ego, qui viderem factionum aeſtu praeoccupatos animos, tacitus aeſtuabam, quicum ea de re tuto conferre poſſem, quoquo me verterem neſcius. Siquidem res mihi cum quatuor collegis erat, quorum tres concorditer articulum oppugnabant, quartus flagitioſo ſilentio rem tranſigebat: ac Debitor quidem id aſtu Proteſtantium fieri aiebat, qui regem non ſolum cum pontifice, ſed et cum ſacro ordine ac nobilitate, qui primarii ordines ambo ſe articulo tam generoſe oppoſuerint, vellent committere, in eoque multa eſſe, quae ſalva conſcientia ferri non poſſint. Addebat Briſſacus, Anglia advectum articulum et in gratiam regis Anglicani fabricatum eſſe, nihil regem Galliamque ipſo indigere. Id cum toties inculcari audiebam, etſi initio diſſimulabam, quam me intus commotum cenſes? Tandem prae indignatione taciturnitatem abrupi, et de articulo ipſo me minime pugnare velle dixi, ſed operae pretium ducere, ut de eo, ubi et a quibus factus et propoſitus ſit, et poſtea examinatus, cuncti cognoſcant; ſic enim fore, ut depoſito omni pravo affectu ac praejudicio citra odium ac invidiam ſincerius ſententia feratur. Igitur ſcire omneis debere, non Anglia allatum illum ſed in Gallia atque adeo in ipſa urbe natum, atque ab hominibus minime ſuſpectis conditum, cum comitiorum cauſa in publicis aedibus poſtulata conficerentur. Conventui interfuiſſe Gulielmum [a] Landum, Gaſtonem Griaecum et Claudium Preſtreum, ſenatores Pariſienſes integrae famae; et Preſtreum tandem articulum de quo agitur, ita ut legitur, concepiſſe, in arcano coram regina cum Vulpe et ipſo, qui aderat, Debitore, ac Petro [b] Janino poſtea recitatum et adprobatum. Id necne verum eſſet a Debitore coram Briſſaco cum quaeſiviſſem, et ille non abnueret, verum id magno errore factum diceret; ego ſermonem perſequens, ergo non is ab Anglis et in Anglorum gratiam excogitatus, inquam, ſicuti ad invidiam jactatur, verum apud nos natus et diſcuſſus atque adprobatus fuit. Quod cum vero verius ſit, ſupereſt ut videamus, an quod a talibus viris extra omnem ſuſpicionem in religionis cauſa poſitis factum eſt, tanto conſenſu explodi debeat. Nam quod dicitur popularem ordinem adverſus duos primarios praeponderare, debere merito dubitari, an vere dici poſſit, quippe conſtare nobilitatem per prenſationes factioſas in eam opinionem vix tandem ad extremum raptam fuiſſe, cum initio major et melior pars regis qui de eo ſtatueret arbitrio integrum negotium relinquendum cenſuiſſet: cum vero plerique ex iis qui ita cenſuerant abeſſent, captata occaſione a praeſide illud denuo in deliberationem adductum, ac tandem ambitioſe decretum fuiſſe, ut ea in re, tanquam ad religionem ſpectante, ſe ſacro ordini adjungerent: atqui inter viros graveis et bene de religione ac republica ſentienteis merito ambigi, annon id potius ad rempublicam quam ad religionem pertineat: proinde etiam atque etiam videndum eſſe, cum ſemel in medium articulus propoſitus ſit et adprobatus, quod nollem factum, et poſtea praevalente factionum aeſtu tot adverſarios habuerit, nunc autem a Condaeo regis gentili reponatur, publicae ſecuritatis ac regiae dignitatis magis interſit, eum potius tanquam erroneum et religioni detrimentoſum injurioſe rejici, quam tanquam a viris bonis profectum, ut regiae incolumitati proſpiceretur, amplius conſiderari. Id, ut de facto conſtet, me dicere, alioqui de articulo ipſo nolle pugnare, ſicut antea praedixi; ac

INTERPR. [a] *des Landes, Griſ, & le Preſtre.* [b] *le preſident de Jeanin.*

ac optaſſe ſaepius, quando tam animoſe a multis improbatur, (jurene an injuria, aliorum et poſteritatis judicium erit,) ut nunquam is propoſitus fuiſſet, quippe cum ad ejus mentionem tot turbae ſint exortae, et ſi nunc rejiciatur, manifeſto periculo ſacroſancta Regis perſona exponatur. Haec dicentem me collegae reſpicere, et primum obmuteſcere; et poſt longum ſilentium tandem a Debitore additum, Quemadmodum nihil quod ad ſecuritatem vitae Regis faciat, omitti debet, ita non temere committendum, ut vinculum illud cum Pontifice amicitiae, quod non ſolum ad religionem ſed etiam ad regni tranquillitatem pertineat, ex ulla occaſione ſolvatur. Id diverſis vicibus inter nos agitatum, et ſemel praeſente [a] Nivernio, qui praeoccupatum domo animum ad rem attulerat, nam ſibi ſcrupulum a theologis injectum palam dicebat, ac tandem perſuaſum, multa in articulo contineri quae ad religionem potius quam ad rempublicam ſpectarent, in quibus ipſorum judicio ſtandum ſit. Haec inter Debitor ſemel atque iterum in aulam cum Nivernio et Briſſaco profectus eſt, ut ſecretis petitionibus Condaei, ac principum et procerum qui cum eo erant, reſponſa a Rege commoda afferret, ac praecipue ut cum bona Pontificii legati gratia, quo inconſulto nihil in eo negotio agebatur, de reſponſo ad articulum apponendo conveniret. Nam id conſilii [b] Debitori erat, ut cum aut temperamento verborum atque adhibitis circumlocutionum ambagibus diluceret, qua in re, ut ipſe jactat, mire ingenio valet, aut remittentibus cum tempore animis omnino eluderet: quod et felici quo pollet aſtu apud obnoxios et jam privatis emolumentis large promiſſis diſtributiſque ineſcatos ac corruptos obtinuerat, regis cauſa interim per turpiſſimam diſſimulationem deſerta. Cum ea de re cum [c] Vico me ex cholico dolore inde aucto decumbentem inviſente cum ſtomacho expoſtulavi, et invitum me facere dixi, ut adfectatis de religione ſcrupulis in Regis cauſa tam diſſimulanter praevaricarer, inde ſiquidem Regi periculum creari, idque nobis aliquando exprobratum iri, maluiſſe ab initio ut mentio ejus facta non fuiſſet; nunc, cum facta ſit, reſtare ut totum id ad Regem remittatur, ne dum de Regis jure diſceptamus per importunas diſceptationes noſtras et cavillationes jus Regi ſuum pereat. Sermonem ad ſe delatum avide arripuit Debitor, et rem gratam Regi aulaeque univerſae me facturum ſignificavit, ſi id a Condaeo et conſiliariis ea in re ſuis impetrarem. Itaque ſedulo cum [d] Jaucurio Roboreo et Joſia Mercero Bordio, qui inter Proteſtanteis auctoritate pollebant, ſedulo egi; commonſtrato, ſi ultra pertenderent, periculo. Illi, qui me noſſent a parente et tradita a majoribus domeſtica diſciplina ita inſtitutum, ut regia dignitate nihil antiquius haberem, quod ab altero vix aequis auribus nec citra ſuſpicionem accepiſſent, a me tanquam ex animo et ſerio dictum in bonam partem interpretati ſunt; perſuaderi ſibi facile paſſi, camarinam, quam expurgare non poterant, minime movendam, et rem integram in meliora tempora ſervandam. Et ita poſtridie coram Condaeo rogati ſententiam ambo cenſuerunt, alioſque in ſuam ſententiam pertraxerunt: qua re triumphabundus Debitor exultavit, et me poſtea coram regina et Ubaldino cardinali laudavit, quod in re perdifficili explicanda gnavam admodum operam navaſſem.

IDEM et in articulo proxime ſequenti, de tollenda decretorum ea de re in ſenatu ſuperioribus annis factorum ſuſpenſione, dici oportuit et potuit: ſed Debitor, qui verborum ambagibus more ſuo illum jam obſcuraverat, ſtare ſcripto maluit, quam regis voluntati articulum relinquere, quem reſponſo ſuo eluſum putabat.

QUARTO quintoque articulis, qui ad jura eccleſiae Gallicanae ſpectant, quae ſic ut a majoribus accepta ſunt, illibata ſervari petebat Condaeus, et revocationem publicationis concilii Tridentini in conſeſſu paucorum ex ſacro ordine ſpreta regis auctoritate et ſine expreſſo ipſius mandato factae, utcunque ſatisfactum; cum et ſarta ea ſe ſervaturum rex promitteret, et publicationem injuſſu ſuo factam ſibi abunde diſplicuiſſe teſtaretur, neque proinde locum habuiſſe, aut habituram eam, donec de re tota ſtatuiſſet, reſponſo declaraſſet.

CONFIRMATA item edicta et conceſſiones in gratiam Proteſtantium a regibus deceſſoribus factae; eoque articulo mentio breviculorum in eam rem addita,

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *M. de Villeroy.* [c] *Mery de Vic.* [d] *Gaucour de Rouveray & des Bordes Mercier.*

addita, quae ſine diplomate regio ſigillo privato ac promulgatione conceſſa, cum ad promulgationem ventum erit, proculdubio dubitandi et intercedendi occaſionem praebebunt.

QUOD poſtea ſequitur, de praefecturis, muneribus publicis, dignitatibus, honoribus, et quae vocant officiis unicuique conſervandis, ac, ſi qui iis expulſi fuerint, reſtituendis; quanquam ambitioſe adjunctum a Sullio jactabatur, quia per ſe aequum juſtumque videbatur, dubitationi locum minime reliquit.

[a] CURTINÆORUM poſtulatum, quod ordine octavum eſt, toties ut ſcis Henrico magno ſuperſtite in regis conſiſtorio atque adeo ex occaſione in ſenatu agitatum, ad extremum ſine reſponſo eluſum fuit, quod adverſarios ipſos haberet, qui illud propter unius ex illa familia, qui Condaeo aderat, reverentiam propoſuerant; quippe nemo erat, excepto Condaeo, qui non prava ſpe imminutum conſanguineorum principum, potius quam nova agnatione auctum, numerum cuperet.

AD nonum caput de auctoritate curiarum ſupremarum inſtauranda contemptim a noſtro [b] Debitore reſponſum, quem ſcis nihil magis ſedulo cavere, quam ne illae priſtinam dignitatem recipiant, et jacentem regis majeſtatem erigant, et contra externas artes in aula noſtra quotidie invaleſcenteis tueantur: quantum enim illis auctoritatis accedit, tantum ſibi decedere et perverſis conſiliis jamdudum procedentibus tantum ex eo impedimenti et remorae afferri arbitratur.

PRIVATUM odium in cauſa fuit, cur Nicolaus [c] Gracchus praeſes vi militari Lutetiae in domo ſua injurioſe captus et [d] Amboſiae ſub cuſtodia relictus, quem Condaeus libertati reſtitui ante omnia poſcebat, minime liberatus ſit; nam alioqui inſigni peccatum imprudentia a malevolis, cum hominem tali dignitate, qui libertatem regi nec alii debere cupiebat, eam debere Condaeo coegerunt; et ita Janinus a me perſuaſus ſentiebat: ſed rationi aulicas aureis, cum id repetitis vicibus urgeret, ſemper occluſas reperit. Id eodem articulo petitum nec conceſſum.

IN revocando, quod proxime petebatur, conſiſtorii decreto, quo poſtulata curiae injurioſe non rejecta tantum, ſed irrita et nulla verbis etiam contumelioſis additis pronunciata ſunt, ex actis item curiae extrahi, ac ſupprimi, et, paulum aberat, lacerari et incendio aboleri juſſa, aeſtuatum a Debitore, qui in parte ei ſuffragatus fuerat: nam ab iis id factum, qui poſtulatis deſignabantur, ut eos in propria cauſa judices ſediſſe nemo ignoraret. Tu vero qui aderas, cum temperatioribus verbis utendum cenſeres, et tamen tempori et irae magnatum, qui pro tempore pollebant, cedendum, ſcis non omneis proceres, qui praeſentes erant, ſententiam rogatos, Guiſium dico, [e] Vindocinum, Briſſacum et Sovreum E. T. alios; et aſtu Vulpis poſt dictam a Debitore in aurem ſententiam, ut a nemine exaudiretur, omneis per tumultum ſurrexiſſe; [f] Echinum vero et Dolaeum, qui petebantur, condendi decreti auctores fuiſſe, Janino initio reſtitante, qui more ſuo ſtatim mutavit, et ipſe illorum ſuggeſtione decretum perſcripſit. Cum vero iidem urgerent, ut ſchedam ex actis curiae extractam in poteſtate haberent, et [g] Tilius curiae protonotarius jam inde ablatam ſecum domum tuliſſet, interceſſit ſenatus, et ſchedam a Tilio repraeſentari et rurſum in ſcrinium inferri juſſit, et tumultuarii illius decreti, quod actis curiae inſerere jubebatur, executionem deliberatione protelata generoſe eluſit. Id ita habere omnes memineramus, et Briſſacus in ſententia dicenda cum aliis praeteritus, minime oblitus fuerat: itaque aegre audiente Debitore, minime invitum ſe facere dixit, ut non obſtante decreto ambitioſo, quando illud nec recte nec rite factum eſſet, poſtulatorum curiae rationem habendam cenſeret. Ad ea, quae in jure partibus dicendo verſantur, poſtulata reſtringi initio petebat Debitor, ut, quantum in ipſo eſſet, ſenatus auctoritatem in arctum cogeret. Heic me non continui, et ſenatus auctoritatem non ſolum ad jus privatum, ſed etiam ad publicum porrigi oſtendi; qua in re, ſi, quod adverſarii clamabant, ille ea abuteretur, clauſulam addi poſſe, qua curiae juriſdictio ad ea quae ex antiqua ipſius ordinatione et conſtitutionibus regiis ei competebant, prout

INTERPR. [a] *les ſieurs de Courtenay.* [b] *M. de Villeroy.* [c] *le preſident le Jay.* [d] *Amboiſe.* [e] *le duc de Vendoſme, & les mareſchaux de Briſſac & de Souvré.* [f] *les ſieurs de Bullion & Dolé.* [g] *du Tillet greffier du parlement.*

prout rite ac recte ea uſus eſſet, nec ultra porrigeretur: in quo tamen verbis, quamdiu coram Condaeo, cum reſponſum legeretur, altercatum fuit.

AD caput quod ſequitur XI, de tempore praefiniendo quo ad trium regni Ordinum poſtulata reſponderetur, et pragmatica ſuper iis a rege confecta ad regni curias mitteretur, reſponſum; non ſtetiſſe per regem ac ipſius conſiliarios, quo minus maturius ea in re publicae expectationi ſit ſatisfactum: tumultus exortos, et regis neceſſariam in [a] Aquitaniam profectionem, morae cauſam dediſſe; et tamen ante profectionem in parte de iis decretum, et intra quatuor proximos menſeis, quod reſtat, plene confectum iri.

AD duodecimum, ut ſoli natione et origine Franci ad praefecturas, dignitates, ac praecipue munitionum in limite cuſtodiam, excluſis extraneis admittantur, quod ex [b] Bloeſenſium comitiorum conſtitutione, quae ſuperiores eadem de re factas confirmat, petitum eſt, reſponſum; id quidem ita conſtitutum eſſe, et in poſterum locum haberi, neque tamen ita ſervatum, ut non extraneis propter inſignia merita, magno regni bono et ornamento, ad primarias regni dignitates ac praefecturas aditus patuerit: quod quare a Condaeo petitum, et a nobis reſponſum ſit, minime ignoras, et capite ſequenti ſatis oſtenditur: quo poſtulatum an munitiones arcis [c] Ambianenſis ab ea parte, quae urbem ſpectat, ad majorem regni et civium ſecuritatem ſolo aequentur. Id magnarum turbarum materiam praebuit et praebebit, quippe cum praepoſtero aſtu, cujuſnam non dicam, ne tollat rubra ſupercilia, totum id remanſerit, etiam poſt ſolutum conventum, indeciſum. Poſtulatum illud praefracte, a nobis praefracte rejectum; eaque in re nos ſapientiſſimi regis, qui arcem conſtruxerat, judicio et auctoritate tuebamur: et cum jam ſinguli conditionibus [d] Debitori in aulam proficiſcenti in arcano propoſitis ſibi proſpexiſſent, a Condaeo et comitiſſa rei componendae ratio inita fuerat, a qua ſe Longovillani [e] parens minime alienam oſtendebat, ut nimirum filius e Picardia decedens [f] Neuſtriam duplo ampliorem provinciam compenſationis titulo acciperet, adjunctis ad firmandam in ea potentiam, qui mos pravus hodie viget, arce [g] Cadomenſi, [h] Ponte-arcuenſi, et Diepa, quae non niſi immani aere lui poterant, ad avaritiam praefectorum, qui ea loca tenebant, ſatiandam nullo ſufficiente pretio. Haec ita primum acta cum Longovillana, ad quae patenteis aureis habuit filius, caeterum minime unquam aſſenſus eſt; quippe qui ad decus, quod illi vita ſemper charius fuit, pertinere duceret, ne ex provincia, in qua pater et avus tam ſanctum ſui memoriam in animis popularium impreſſam reliquiſſent, ab eo expelleretur, quem turbarum auctorem nominaverat, et cui cedere turpe exiſtimaverat: itaque conſtantiam in prima petitione ad extremum ſervavit, ad voluntatem regis ſive reginae enixam de arce integra retinenda non nihil mitigata, ſed addito ſemper ne e provincia exire cogeretur. Nobilitas in ea totius regni praecipua eſt, quae per hos motus aulicam gratiam Longovillani benevolentiae poſthabuerat; eoque magis generoſus adoleſcens ſibi elaborandum putabat, ne eam ad injurias et ultionem expoſitam deſerere videretur. Inſtantibus primariis amicis, qui in arcano jam cum [i] Canidiae viro convenerant, ut conditionem acciperet, cum ille ſemper honeſtatem et decus ſuum reponeret, unus ex iis honeſtatem ibi reſidere dixit, unde majus emolumentum reportaretur: ad quae verba ille ſubito, "Atqui "tempus nuper vidi, inquit, quo te, qui tantopere mihi emolumentum honeſtate "poſthabita amplectendum ſuades, eo fortuna redegerat, ut utroque paene amiſſo "in ſummis anguſtiis conflictareris. Ego, qui alterum ſemper contempſi, alterum "mihi eripi nunquam patiar." Quibus verbis aliiſque non ſine acerbitate prolatis, eos, qui mediam viam inſiſtebant, et inter arma gratiam in aula captabant, ita a ſe alienavit, ut prae aemulatione alios, qui cum primis non ſentiebant, ad ſe protinus traxerit, et jam tum in duas partes ſe foederatorum factio ſciderit; quod negotio inchoato novas difficultates ſubinde attulit, quamvis ipſe nihil minus in animo haberet, quam ut in longum extraheretur, dolere ſibi dictitans, quod ruſtici a militis ſaevitia ac licentia tot incommoda ac vexationes acciperent. Inter

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Eſtats de Blois.* [c] *d'Amiens.* [d] *M. de Villeroy.* [e] *la ducheſſe doüairiere de Longueville.* [f] *Normandie.* [g] *de Caen.* [h] *Pont de l'Arche & Dieppe.* [i] *la maréchale d'Ancre.*

haec Canidia ex aula Lutetiam ſe contulit, et comperto maritum, dum in [a] Ambianenſi arce retinenda animum obſirmat, magna ſe regemque ac reginam invidia onerare, ad artes ſuas confugit; et literis in aulam a viro per [b] Nereſtanum miſſis, paſſim in urbe primum, dein et in aula ac poſtremo [c] Julioduni, ſub oppidi moenia miſſo Nereſtano, diſſeminandum curavit, virum arce et vicaria poteſtate omni cedere, et per eum non ſtare quo minus cum [d] Longovillano convenire poſſit. Id cum ad nos retuliſſet [e] Debitor, manus in coelum tollens Vicus, Deum ſe laudare dixit, quod conſilium tam regi utile et ſibi honorificum Canidiae vir cepiſſet: cui ego, qui prope aſtabam, aurem vellens, ſuſpende quaeſo, inquam, judicium, quo uſque exitus plenam verbis tam magnificis fidem fecerit. Dubitationem meam poſtridie mutata conditio firmavit, et de [f] Neuſtria rurſus injecta mentio, Diepa exempta, pro qua centum aureorum millia in ſumma aerarii inopia promiſſa. Ita illuſum pro tempore regi et nobis, minime omnium Longovillano, qui in veſtigio manens, cum ab omnibus deſereretur, nunquam ſe ipſe deſeruit. Vafritie illum graſſari aiebant adverſarii, qui ex ingenio ſuo alios metiri conſueverunt, aliudque in ore habere, aliud in pectore, atque adeo nihil minus velle quam quod diceret: quod cum ille per amicos reſciviſſet, "Atqui facile eſt, inquit, iis, qui hoc dicunt, me vanitatis arguere, quippe conceſſo quod palam atque ab iis ipſis qui me inſimulant, inter publica poſtulata fuit repoſitum; id ab eo, cum quo clandeſtinum foedus me inconſulto inierunt, poſſunt impetrare, magnoque me beneficio obſtringent, ſi impetrabunt: et quia contraria regis voluntas de arce opponitur, de arce integra ſervanda aſſentior, modo ea fido ac minime ſuſpecto tradatur, et ille, qui ſe provincia excedere paratum oſtendit, nullam in ea munitionem retineat: quod ſi vicariam adminiſtrationem cum arce retinere cupit, et hoc illi per me licebit, modo [g] Perona cedat, quam peculiari titulo cum [h] Deſiderii-monte et Roia in provincia tenet; ad id nullo ſumptu, nulla pecunia, aut compenſatione opus eſſe, cum ea quae petuntur, aequitate ſumma petantur, et in ejus poteſtate ſint, cum quo agitur." Inter has exprobrationes et altercationum aeſtus extracta res. Ad extremum conventum, nullas conditiones admittente Longovillano. Sic autem exiſtimabant adverſarii, juvenem diſſimulatione, ut aiebant, graſſantem, cum quiſque rebus ſuis conſuluiſſet, et res in eo eſſent, ut publicis pacis conditionibus ſubſcribendum eſſet, antequam ſubſcriberet, conditiones antea rejectas tandem accepturum, et quod conſilio non fecerat, neceſſitate facturum. Qua in re homines, qui ſe alios aſtutia ſuperare credebant, ab aſtutia ſua mire ſunt decepti: nam Longovillanus toto conventus ſpatio ſumma ſecuritate tempus elabi ſivit; et cum rebus compoſitis ſubſcribendum fuit, contra ſpem illorum ultro ſine tergiverſatione ſe obtulit, niſi reverentia Condaeo debita cum retinuiſſet, ante alios omneis ſubſcribere paratus, nunquam futurum dictitans, ut privati ſui emolumenti ratione publicae pacificationis negotium retardaretur; ſubjecitque publicam ſuam querimoniam, quam propterea illi inter publica poſtulata proponendam cenſuerant, ex eventu ad privatam ſe deſerto redactam eſſe: verum abunde ſibi virium et amicorum ſupereſſe, ut contra hominem conditione imparem, ac ſolo favore nixum, jus ſuum tueri poſſit. Haec ita inter eos jactabantur: verum ad reliqua capita redeo.

PROXIME actum de turmis cataphractorum equitum, quod praecipuum militiae robur ſemper apud nos fuit, ad morem antiquum inſtaurandis, et peculiari tributo ad id deſtinato in alios uſus minime intervertendo. Item de praetorianis additum in [i] Eſpernonii odium, ut legionis tribuni inſtituendi et primariorum legionum ducum jus ſit penes regem ſolum, membrorum cujuſque cohortis ordinatione penes ſingulos legionis duces remanente.

MAJOR in conciliis ordinandis, quod XVI capite proponebatur, difficultas fuit; quae ſemper agitabitur et nunquam terminabitur, quippe cum ad ea tempora deventum ſit, in quibus plus ſingulorum offenſae, quam publicae gratiae tribuitur. Id

INTERPR. [a] *d'Amiens.* [b] *le ſieur de Nereſtan.* [c] *Loudun.* [d] *le duc de Longueville.* [e] *M. de Villeroy.* [f] *Normandie.* [g] *Peronne.* [h] *Montdidier & Roie.* [i] *le duc d'Epernon colonel general de l'infanterie.*

Id antea, cum [a] Debitor [b] Cuciacum ad Condaeum miſſus fuerat, agitatum fuit, ac jam tum praeſcriptae leges; ſed calentibus animis et alio intentis omiſſa conſultatio, quanquam de ea conveniſſet, uno excepto, quod Condaeus peteret, ut decretis ipſis ſubſcriberet, et per ipſius abſentiam tres antiquiores togati conſiliarii, quod praeciſe negatum tunc fuerat, et poſtea tamen, cum denuo id in conventu petitum, a Debitore conceſſum eſt, remanente in caeteris integro negotio, de quo poſt pacificationem ex Condaei et aliorum principum ac regni procerum ſententia in aula ſtatueretur.

De delectu eorum qui ad legationes ordinarias ad reges ac principes externos obeundas mitterentur, quod additum eſt, ad oſtentationem factum cuncti interpretati ſunt, ne quod publicam rem ac regis regnique dignitatem ſpectabat omnino neglectum fuiſſe videretur. Sicuti quod de penſionibus immodicis, ac iis praeſertim quae vel indignis, vel omnino incognitis perſonis in fraudem emendicato nomine attributae fuerant, revocandis aut moderandis adjunctum eſt. Nam in tanta tamque inſatiabili furentis avaritiae improbitate nemo erat, ne quidem Condaeus ipſe, qui ſe ſuſtinendae invidiae adverſus flagitatores importunos parem arbitraretur: et is qui ſolus poterat, utrique parti inviſus, neutros in aula et in conventu aſtipulatores habebat.

Quod proxime ſequitur, de venalitate omni tollenda, atque adeo de annua penſitatione pro muneribus publicis et officiis omnino abroganda, tam quae ordinem judiciarium, quam quae aerarium reſpiciunt, quod jam Condaeo ad [c] Maxentii fanum praedixeram, in parte pro iis pro quibus annuatim penſio ſolvitur, ſtatim convenit, ut locum non haberet, quamdiu contractus ea de re factus duraret: in reliquis, hoc eſt provinciarum et locorum munitorum praefecturis, in militaribus et palatinis officiis, a rege [d] Caeſaroduni reſponſum fuerat, ut locum haberet; qui contra feciſſet indignus omni dignitate et honore in poſterum atque adeo infamis haberetur. Cum tamen edictum conditum fuit, qui utrumque initio tam enixe petebant, cum alterum locum habere non poſſe cernerent, pro altero non admodum pugnabant: vixque tandem precibus et pudore ab illis ipſis impetrare potui, ut ſaltem in dignitatibus, praefecturis et officiis, quae penſitationi annuae minime ſunt ſubjecta, et quae nihilominus magno regis regnique dehoneſtamento ac periculo quotidie promercalia proſtant, prohibitio valeret; quae verbis admodum languidis concepta eſt, dempta, quam Caeſaroduni appoſitam dixi, ſanctione.

Revocatae item gratiae exſpectativae, quas in curia Romana vocant, et quae inde originem habuerunt, et conceſſiones quae votum captandae mortis inducunt. Additum erat, ut nemini liceret dignitates et officia ejerare; quod durius viſum, et regis beneficentiae derogare, ac proinde rejectum eſt. Quod autem de populi levamento ob damna his motibus accepta, et parte praeſtationis annuae remittenda, proximo peculiari articulo adjectum erat, pro ludibrio habitum fuit; quippe ab iis propoſitum, qui pauperiem ipſi fecerant, et cauſam calamitati publicae dederant; et qui cum hoc tam magnifice ad oſtentationem petebant, eadem charta immaneis ſummas ad privata commoda a nobis exigebant, quae, exhauſto regis aerario, non aliunde quam ex populi oppreſſione corradi poterant: itaque id riſu exceptum et expunctum.

Quod de foederibus cum principibus exteris et rebus-publicis ad decus ac tutamen regni a felicis recordationis parente regis renovatis, poſtea ſequitur, tanquam a Proteſtantibus additum, contemplatione regis Magnae Britanniae, Ordinum Belgii foederatorum, et Germaniae principum ac civitatum, in malam partem acceptum eſt: nam id curae regi ſemper fuiſſe, et eſſe nunc, ac deinceps fore reſponſum eſt, proindeque ſuperfluum videri, ut id inter edicti publicandi capita reponatur. Sane Debitor noſter magnopere ob eam cauſam in occulto ringebatur, fidem ſuam ſugillari putans, quaſi in alienam partem, quam ſcis, nimis propenderet, et aequilibrium ad regni majeſtatem et praerogativam tuendam neceſſarium, ob recentem adfinitatem tanto ſtudio et animi contentione ab ſe procuratam obnoxius, minime ſervaret.

Eandem

INTERPR. [a] *M. de Villeroy.* [b] *Coucy.* [c] *S. Maixent.* [d] *Tours.*

Eandem ob cauſam capite ſequenti petitum, ut rex auctoritatem ſuam interponeret, quo pacificationis [a] Aſtenſis inter Hiſpanos et Sabaudum per oratores ſuos initae conditiones bona fide implerentur et executioni demandarentur, ſicuti Sabaudo rex ſe facturum receperat. Ad quod reſponſum, Philippum [b] Betunium [c] Sullii fratrem ea de cauſa propediem in Italiam cum plenis regis mandatis profecturum eſſe.

Petitum et ut cum Helvetiorum civitate antiqua foederatio non minus honeſta quam utilis religioſe ſervaretur, et annua ad id deſtinata pecunia non interverteretur, dareturque opera ut aequa ejus inter bene meritos diſpenſatio eſſet, et [d] Bernatum primario totius civitatis ſecundum [e] Tigurinos pago ea in re, quod antea factum non fuerat, deinceps ſatisfieret. Id, ut ſcis, antequam Lutetia diſcederetur, agitatum fuerat, culpa in eos, qui nunc in aula non ſunt, contumelioſe et arroganter a Bernatum delegatis jam tunc rejecta.

Ad [f] Sedani et Raucuriae principatum, qui in patrocinio regio a Franciſci I temporibus fuit, tuendum quod mox petebatur, byſſinis verbis reſponſum fuit, non ſine occulta aemulorum invidia; et ſeorſim renovatum, quod articulo non continebatur, de praerogativa in ſedendi ordine jam tunc ab ipſo Franciſco conceſſum privilegium.

Quatuor quae ſuperſunt ultima capita aut publicam Condaei perſonam, aut privatim ipſum ſpectant; ut ſenatus-conſultum Burdigalae ante biennium tunc odio in aula ardente contra ipſum factum ut injurioſum ex archivis curiae extractum aboleatur; quod ſine contradictione conceſſum. Magis in declaratione [g] Pictavii Septembri ultimo regis nomine ad cunctas regni curias directa laboratum fuit, ſicuti jam ſupra demonſtratum eſt. Nam petebatur, ut illa revocaretur tanquam calumnioſa et falſitatis plena et contra leges et ritus in regno antea ſervatos ſine exemplo facta, necnon decreta juxta eam condita ex curiarum archivis aliiſque tribunalibus ubique extraherentur et abolerentur: ſpeciatim ut de decreti XVIII Septembr. ſub nomine curiae Pariſienſis contra curiae ipſius mentem publicati falſitate et ſuppoſitione inquireretur, et in auctores tanti criminis legibus ageretur. Qui his verbis deſignaretur, nemo ignorabat: nec tanti erat, ſi res tantum ex ejus perſona aeſtimaretur, quin juſtae Condaei irae ad noxam protinus dedi potuerit; ſed quoniam quod in eo peccatum erat, publica auctoritate nitebatur, ad regis decus et exemplum pertinere viſum, ne rex eos, qui rei operam navaverunt, vel in manifeſto crimine deſereret. Itaque vix tandem poſt longas ac ſaepius protelatas altercationes via inita, qua ſimul et Condaei ac conſanguineorum principum dignitati conſultum fuit, effectumque ne eos qui falſi arceſſebantur, rex deſerere dici poſſet; quod ex edicto videre licet.

Prospectum item uti Condaeo de injurioſa ad Pictavium ante biennium repulſa ab epiſcopo, qui turbis cauſam dediſſe arguebatur, honorifice ſatisfieret: quod ſeorſim promiſſum, nec edicto comprehenſum.

Postremo additum, ut qui ob eam cauſam urbe ignominioſe pulſi fuerant, famae, honoribus, ac dignitati, bonis, laribus, (ii, ut ſcis, praecipui magiſtratus erant) ſine mora reſtituerentur; acta judiciaria contra eos facta abolerentur; quicquid ad decus et dignitatem Condaei labefactandam in iis ſpectare poſſet, ex praeſidialis curiae et publicarum aedium archivis eximeretur. Secundum haec conditum edictum quinquaginta tribus capitibus abſolutum, quod ultima [h] Debitoris in aulam profectione varie mutatum et interpolatum eſt.

Dum abeſſet Condaeus inde cum principibus ac proceribus, nos diverſi alio excurrimus; Sullius [i] Rupellam, ut diſſidenteis, ſicuti aiebat, delegatorum animos componeret, et eodem legatus Anglicanus profectus eſt, ita ſuadente [k] Bullionio, qui Sullio contradictorem quaerebat, multum fremente me, qui licet legato amicus, tamen exemplum metuebam, et id olim nobis exprobrari poſſe animo jam tum providebam. Itaque cum id conceſſione Debitoris fieri viderem, in conſeſſu noſtro privato proteſtatus ſum, me nequaquam conſentiente aut adprobante Anglicani profectionem ſuſceptam, et ut collegae mei id meminiſſent rogavi; nec factum improbavit Briſſacus. JAM

INTERPR. [a] *d'Aſt.* [b] *de Bethune.* [c] *le duc de Sully.* [d] *canton de Berne.* [e] *canton de Zurich.* [f] *Sedan & Raucour.* [g] *Poictiers.* [h] *M. de Villeroy.* [i] *la Rochelle.* [k] *le duc de Bouillon.*

JAM tum aeſtus intendebat: et cum Condaeus natura vehemens parum ſibi temperaret, [a] Rupefortio in Andibus, quo interim excurrerat, rediens maligna febre correptus eſt, quae nos anxios diu tenuit, uſque ad XIII diem, quo remittere coepit morbus. Nec de nihilo interim laborabatur; nam ſciſſis animis, ſi quid humanitus contigiſſet, quicquid actum erat, irritum remanebat, et pars illo ſuperſtite firmior multum debilitabatur, et altera ſuperior evadebat. Tandem cum convaluiſſet, poſtquam de privatis cujuſque principum et procerum, qui cum Condaeo erant, petitionibus et gratiis a rege promiſſis idonee a nobis cautum eſt, ipſe in lecto nondum bene confirmata valetudine ſubſcripſit: nec [b] Longovillanus, cujus negotium indeciſum remanebat, propterea ſubſcribere detrectavit, ſed eodem die ſchedulam ſuam miſit. Nam ſeorſim principes qui aderant, ut ſcis, ob dignitatum praerogativas ſubſcripſere, ſicuti ad [c] Menehildis fanum factum meminiſti. Id actum V Non. Maias, qui dies inventioni S. Crucis ſacer eſt, et [d] Nivernio natalis: itaque et is, qui negotio quaſi ſequeſter ſemper intervenerat, nos lautiſſimo excepit convivio, cum adhuc incertum eſſet, an eo die edicto ſubſcriberetur. Nam multi adhuc haerebant, et Condaeus non niſi poſt prandium ſubſcripſit. Quo facto cuncti ab eo commeatum petiimus. Ipſe, quo liberiore ac puriore aëre frueretur, ex conſilio medicorum [e] Chinonem cogitat. Ego [f] Debitorem ſequi et in viam me dare certus, has obſigno. Quid autem de negotii ſucceſſu, exploratis ac pertentatis eorum, ex quibus fortunae noſtrae pendent, ingeniis et voluntatibus, augurii faciam, ſi quaeris, id vero chartae illini periculoſum duco, et in illud tempus differendum cenſeo, cum te coram complecti dabitur. Interim vale.

[g] Julioduni pridie Non. Maias, quo die Chinonem
petebamus, CIↃIↃCXVI.

Ex parte ſecunda Elog. Jo. Pap. Maſſonis. Pariſ. 1638. 8vo.

PAPIRII MASSONIS *Vita. Auctore* JAC. AUG. THUANO.

MERUIT et qui tot bello, pace, literis clarorum virorum non ſolum memoriam ab interitu vindicavit, ſed etiam laudes oratione celebravit, ut ipſe, qui ſatis per ſe ſcriptis ſuis orbi univerſo Chriſtiano notus, ex privata vita a poſteritate noſcatur. Natus eſt in Seguſianis, ſive Foreſiani comitatus oppido, cui Germani fano in valle nomen, III Non. Maias, qui B. Joanni evangeliſtae in porta Latina ſacer eſt, anno ſalutis CIↃIↃXLIV, honeſtis et vitae innocentia claris parentibus. Ii fuere Natalis Maſſo, qui locupletem mercaturam domi exercuit, et Antonia Gírineta municipio S. Juſti vicino oriunda. Patre praemature mortuo, relictis ex eo matrimonio tribus liberis, Catharina, Papirio et Joanne, cum mater juvencula ad ſecunda vota convolaſſet, non tamen, quod fere fit, primas charitates novo ſuccedente adfectu deſeruit; ſed Papirium octennem ſtatim ad avunculos Lugdunum deducendum curavit, ac Philiberto Girineto fratri S. Stephani collegii primicerio multum commendavit. Is porro eum Villam-francam in Belliſiocenſi pago miſit ad ſtudia literarum, quae pro captu loci tunc temporis ſub Petro Godofredo Tricaſſino in eo oppido florebant. Inde jam provectior Billomum in Arvernis conceſſit, ubi Jeſuitae patres auſpiciis Gul. Pratenſis epiſcopi Claromontani nuper magnae celebritatis ludum aperuerant. In eo totum quadriennium ſerio literis operam dedit, et philoſophicum curſum ſecunda inter ſodaleis ingenii ac diligentiae fama peregit; Lugdunumque avunculo revocante reverſus, cum in eo eſſet, ut Toloſam Tectoſagum civilis prudentiae profeſſoribus celebrem urbem proficiſceretur, incidere ea tempora, quibus ob religionem ubique toto regno tumultuabatur, et Toloſa ipſa parum a periculo abfuit. Itaque mutato conſilio Billomum, ubi Joannem fratrem reliquerat, redit, et ſtudia humanitatis ac philoſophiae aliquandiu intermiſſa repetit. Sub id eodem venit Antonius
Challonius

INTERPR. [a] *Rochefort en Anjou.* [b] *le duc de Longueville.* [c] *S. Meneboud.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *Chinon.* [f] *M. de Villeroy.* [g] *Loudun.*

Challonius et ipſe Seguſianus cum Petro fratre, qui mox arctam ex ſtudiorum et voluntatum conſenſione cum Papirio amicitiam coluerunt, et conſuetudine loci et hominum cum quibus degebant allecti, conſilium una ceperunt ſe ſocietati tunc ubique et maxime in Italia percelebri aggregandi, juvenili ardore validis pietatis adfectibus faces ſubdente. Itaque eodem fervore, quo conſilium initum fuerat, in Italiam ſimul profecti ſunt, et Romae primum, ubi Papirius coram cardinalibus orationem in funere cardinalis magno circumſtantium cum plauſu habuit, aliquandiu commorati ſunt. Dein et Neapolim cum excurriſſent, inibi in ſchola Jeſuitica per biennium fere docuit Papirius. Inde ſicuti ſimul profecti fuerant, ſimul in patriam redierunt; et Antonius, ut itineris, ſic triennii diviſo tam amabili conſortio, primus conſilium una captum abjecit; poſtea ſacris initiatus et trium archiepiſcoporum Lugdunenſium ordine ſucceſſivo magna ſeveritatis et ſinceritatis laude vicarias partes geſſit. Papirius adhuc ſocietati adhaerens Turnonium in Vivarienſi pago divertit, et in ſchola patrum ea in urbe perquam famoſa menſeis aliquot docuit, ac poſtremo Lutetiam petiit, ubi in Claromontana ſchola, a qua ſocietati tunc apud nos nomen, humaniores literas et poſtremo philoſophiam magno concurſu profeſſus eſt. Dein exemplo Antonii conſilium priſtinum et ipſe abjecit, et in Pleſſiacam ſcholam migravit, ubi et publice docuit, et praelectionibus ſuis praefatus relictae a ſe ſocietatis rationem ea moderatione reddidit, ut et conſilium ſuum auditoribus adprobaret, nec eorum, a quibus diſceſſerat, dicto factove exiſtimationem, quod animoſe tunc faciebant plerique, laederet. Jamque vigeſimum ſextum annum egreſſus, ſcholaſtici pulveris taedio ſubeunte, vir ad potiora natus, cum, rumore nuptiarum Caroli IX cum Eliſabetha Maximiliani Caeſaris filia contrahendarum percrebeſcente, Mezeriam ad Moſam in comitatu nobiliſſimi cujuſdam viri ire perrexiſſet, impetum cepit eam celebritatem eleganti libello deſcribendi, quod ei deinceps majora audendi felix initium fuit; et Franciſcum Balduinum, quem familiariter Lutetiae coluerat, Andegavum, ubi jus profitebatur, ſecutus biennium integrum civili prudentiae operam dedit; et fama jam per primitias illas quaeſita in viri ampliſſimi Philippi Huralti Chevernii Andium ducis cancellarii, qui inter negotia aulica impenſo in literatos amore bibliothecam libris undiquaque collectis inſtruebat, familiam aſcitus eſt; in qua per ſex annos tanti patroni ſeu familiaritate, ſive gratia adeo profecit, ut publicarum rerum notitiam ad privata ſtudia adjecerit, et ope librorum exoticorum, quos in illo otio ſibi comparaverat, multa eruerit, multa ſit commentatus. Interim in ſenatum Pariſienſem advocatus, productus eſt anno CIƆIƆLXXVI; ſed fecit ut Virgilius eximius poëta, qui apud judices egit cauſam unam omnino nec amplius quam ſemel; ſic Papirius unicam tantum controverſiam agitandam ſuſcepit; eo exitu, ut id decretum ſenatus ſuper collatione bonorum, ſolemni more rituque pronunciari in purpura juberetur, non ſine aliqua diſceptantis gloria; aliter enim fieri non potuit, cum ad Papirium victoria redierit. Nec interim a foro abſtinuit; nam et in triumvirorum regiorum auditorio aſſeſſor, et in Nomophylacio Palatino fuit Referendarius. Per id tempus cum poſt Pariſienſem intemperiem, quae VIII Kal. Sept. anni CIƆIƆLXXII accidit, Franciſcus Hotomanus J C. librum in Germania Franco-Galliae nomine publicaſſet, ad recentis caſus, ut creditur, ultionem, quo regum noſtrorum poteſtas in arctum cogebatur, qui volitanti paſſim libro reſponderet repertus eſt Antonius Matharellus Catharinae reginae matris procurator; qui, ut majorem ſibi dignitatem conciliaret, Papirii judicium libri fronti praeſcripſerat. Inde res ſeria in jocum vertit, vulgato joculari ſcripto, cum Hotomanus Matharellum ſecum compoſitum contemneret, nec ſerio reſponſo dignum duceret, addita interim contra Papirium adhuc ſibi ignotum Strigili; in qua inter alia nominis apud Chriſtianos nuſquam uſurpati inſolentiam cum ei objeciſſet, Papirius ſcripto contrario id diluit, et innocenti mutationem nominis minime periculoſam eſſe oſtendit; ſed in reo majeſtatis exilio, carcere, proſcriptione, incendio, et graviori, ſi qua excogitari poteſt, poena dignam. Id autem fecerat exemplo Challonii contubernalis ſui, ſicuti dicere ſolebat, qui ut ad Antonii, quod initio ſolum habuerat, Emmanuelis nomen adjecerat; ita ipſe ad Joannis, quod commune cum fratre habebat, nomen Papirii ad ambiguitatem tollendam aſſumere ſibi liberum

fuiſſe aiebat. Demum compoſitis poſt tam foedam tempeſtatem in Gallia moribus, de vitae pacatiore ſtatu cogitare coepit, uxore ducta Dionyſia Franciſci Godardi accuratae diligentiae ſenatoris ſorore, cum qua conjunctiſſime totos XXXIV annos vixit, quo tempore iisdem in aedibus fere habitavit, quae ad fragores continuos oppoſitae, et undique fabris aerariis, et lignariis, ac ſeplaſiariorum tabernis cinctae, importunis malleorum ictibus perſonabant; ad quos vir in opere defixus ita conſuetudine obſurduerat, ut nihilo propterea minus lectioni et lucubrationi attenderet. In hoc otio aut ſtrepitu potius hiſtorias Francorum libris IV diſtinctas anno praeteriti ſaeculi CIↃIↃLXXVII, et de epiſcopis urbis VI libros novennio poſt edidit; et eadem opera totidem repetitae lectionis libris cumulavit, publico propediem donandis, in quibus omnia nova ad illas hiſtorias adduntur; ita tamen ut nihil prioribus derogetur. Scripſit alia multa et veterum, ut Agobardi epiſcopi Lugdunenſis opera et Dugalli adverſus Claudium Taurinenſem, Fulberti Carnutum epiſcopi et Lupi Ferrarienſis abbatis, et acta collationis Carthaginenſis nunquam edita publicavit, et pleraque hujuſmodi Joanni fratri Baiocaſſium majoris collegii ſodali, quod jam de quibuſdam fecit, edenda teſtamento legavit. Poſtremo et notitiam Galliae edidit, et in fluviorum regni, qui aeterni fere locorum limites ſunt et incommutabiles, deſcriptione multum deſudavit, in eoque opere nondum evulgato deſiit. Fuit hilari et expedito ingenio ac candido et ſupra conditionem liberali, ut qui opera ſua principibus ac ſummae dignitatis viris ad decus potius quam ſpe praemii nuncupare conſueviſſet. Amicos ſecundum magnates, quibus elogiis ſcribendis innotuerat, praecipuos coluit Petrum et Franciſcum Pithoeos nobiliſſimam fratrum literatorum bigam, Nicolaum Fabrum ſanctimonia morum et recondita eruditione virum incomparabilem; Joannem Savaronem Claromontanum praetorem, de quo, quia in vivis degit, ne aliquid gratiae dare videar, plura dicere ſuperſedebo. Me quoque familiariſſime viſebat, praeſertim poſt vulgatas hiſtorias, quas diligenter notaverat, et de veris locorum in Gallia nominibus ex poſtrema antiquitate ſubinde me admonebat; cumque nonnullos me ob ingenuam libertatem maligne carpere indignaretur, perinde eos facere aiebat, ac ſi propinatum vinum ob generoſitatem rejicerent; libertatem quippe hiſtoriae quaſi animam eſſe; eaque ſublata effici, ne ad poſteritatem, cui ſcribatur, perannet. Scribebat et crebro ad exteros, inter alios ad virum ampliſſimum Marcum Velſerum, literatorum hodie in Germania antiſtitem, et illuſtriſſimum Baronium ante et poſtquam in cardinalium collegium cooptatus eſt; et cum literas ab iis acciperet, ad me ſedulo afferebat. Vidi Baronii literas ad eum ſcriptas cum cenſura librorum de epiſcopis urbis, minime ab indicis conſeſſu profecta; juxta quam tamen, ſi opus alioquin luculentum et eruditum recuderetur, fore dicebat, ut Romae et ab omnibus in orbe Catholico ſine offenſione legeretur; quod judicium Papirius tanquam benevoli amici conſilium interpretabatur, et aliis amicis diſcutiendum proponebat; de cetero poſteritati, quae recte ſecuſque dictis decus aut infamiam incorrupto judicio olim repenſura eſſet, integrum negotium relinquebat. Fuit et in vita ſobrius, et vini cibique parcus; aſſidua lectione oculorum rubedinem contraxerat, de cetero validus et modicis deambulationibus, cum ſudum erat, corpus exercebat. Prima ſenii incommoda ex crurum infirmitate ſenſit; quippe quae grave et obeſum corpus vix ſuſtinerent, accedente deſidis vitae, qualis ſolet eſſe ſtudioſorum, pigritia, cum animus interim ſemper incederet. Dein climacterico anno coepit lenta febre afflictari, quae modo intendebat, modo remittebat; denique emaciato ſenſim corpore crurum illi uſum omnino abſtulit. Tandem ingraveſcenti febri, cum qua fere quinquennium luctatus fuerat, impar, ineunte anno CIↃIↃCXI, V Eid. Jan. pie in Domino obdormivit nullis relictis liberis. Corpus honorifice elatum et in coenobio Charitatis S. Mariae, vulgo nuncupato LES BILLETTES, (nunc autem tranſlato ad patres Carmelitas reformatos provinciae Turoniae) in B. Joannis Paroecia ſepultum eſt, ubi conſpicitur illud epitaphium.

Malleolo

Malleolo et celte inciſum marmor ait,

SI SEPULCHRA SUNT DOMUS MORTUORUM, PAPIRIUS MASSONUS ANNALIUM SCRIPTOR IN HAC DOMO QUIESCIT; DE QUO ALII FORTASSE ALIQUID, IPSE DE SE NIHIL, NISI QUOD OLIM QUI HAEC LEGERIT, ILLUM VIDISSE CUPIET.

Hoc epitaphium Jo. Maſſonus eccleſiae Baiocenſis, in Lugdunenſi ſecunda archidiaconus et canonicus, ex autographo fratris, poni curavit.

Obiit autem Dominica infra octavam Epiphaniae v Idus Jan. CIƆIƆCXI, hora fere tertia ante auroram, ſacris pie ſumptis, anno aetatis ſexageſimo ſeptimo, demptis quatuor menſibus, et tribus diebus.

Beata requie fruatur. Amen.

In area vero ſacelli B. Annae haec verba inſculpta in marmore leguntur :

PAPIRIUS MASSONUS FORESIUS IN SENATU PARISIENSIS ADVOCATUS HOC IN LOCO JACET, QUEM SIBI LONGE ANTE OBITUM ELEGERAT.

DECESSIT IX JANUARII MDCXI.

Requieſcat in pace. Amen.

Ad ſequentis epiſtolae ſcopum plane percipiendum, utile erit conſulere acta Mercurialis conventus, in ſenatu Pariſienſi anno 1559 *habiti coram rege Henrico* II, *quae narrantur a Thuano, tom.* I. *lib.* XXII. *p.* 757. *et lib.* XXIII. *p.* 782. *hujus editionis.*

Carolo [a] Principi et Cardinali maximo Vidus Faber S. D.

ET ſaepe alias et nunc nuper in Arnoldi Ferrerii, civis mei, boni viri et eruditi, cauſa, facile animadverti quae tua eſſet non modo humanitas, verum etiam prudentia atque ſapientia ſingularis. Nam quod tam cito ad lenitatem te dediſti, quodque offenſiunculam animi tui, ſi qua erat, reipublicae ultro condonaſti, iſtud profecto fuit ſummae cujuſdam bonitatis tuae et humanitatis. Quod autem niſi cauſa cognita, et principibus viris optime per te probata, doctiſſimum quidem et innocentiſſimum hominem, ſed graviſſimi criminis ſuſpicione confixum, dignitati ampliſſimae reſtituere nolueris, in eo laus mihi videtur eſſe virtutum omnium reliquarum; atque utinam hujus pulcherrimi facti memoriam anni conſequentes retineant. Sed vide quaeſo quale nunc tibi onus impoſueris. Jam non amplius calamitoſorum hominum preces et poſtulata potes rejicere. Licebit poſthac queri apud te, licebit te interpellare : nec cuiquam noſtrum vitio dederis, ſi triſtiſſimis et turbulentiſſimis noſtris temporibus praeſidia petamus et auxilia a virtute tua ; ſi te, Carole, tuumque nomen appellemus ; ſi tibi denique vota noſtra continenter nuncupemus. Qua velut defenſione ideo hanc epiſtolam praetexui, ut cum Lodoici Fabri fratris mei negotium tibi nunc commendare cupiam per literas, temeritatem in eo meam non tam poſſis reprehendere, quam tibi ipſi gratulari, quod, cum ad bene merendum de hominibus facultatem maximam et voluntatem

[a] Lotharingo.

voluntatem a natura haberes, ejus quoque rei neceſſitatem quandam ex diuturna conſuetudine tibi injunxeris, ut nec ſi velis, aliter nunc queas agere. Adde quod noſtra omnino cauſa Ferrerii cauſae conjuncta eſt; ut, ſi beneficium tuum plane conſtare vis, et integrum munus tuum eſſe cupias, quam in alterius periculo aequitatem animi et moderationem adhibuiſti, eandem in cognoſcenda et dijudicanda fratris mei cauſa uſurpare tibi ſit neceſſe. At in illo homine multae erant et maximae virtutes; in nobis nihil eſt, quod tuam aut alicujus benevolentiam poſſit elicere. Eo magis tibi fortaſſe propterea laborandum, ne, ſi aliter agas, non tam cauſae faviſſe, quam reo, nec tam vere et religioſe ſententiam dixiſſe, quam laudem tibi ex Ferrerii perſona et commendationem beneficio tuo quaeſiviſſe, videare. Nota mihi plane ſunt quae in fratrem conferuntur. Dixit rogatus in ſenatu, labentis et inclinatae religionis incommoda ferro et flammis farciri non poſſe: aptiora his malis quaerenda eſſe remedia; putare ſe conventus maximo bono publico agendos eſſe, et quamprimum agendos: ex quo potuit intelligi non ſatis rata et fixa in perpetuum ei videri, quae de rebus ſacris hactenus apud nos credita ſunt. Adde quod intempeſtiva tota illa oratio fuit, neque ſecundum ea quae proponebantur. Equidem purgare me prius volo quam ingredior in eam defenſionem, quae hujus loci propria eſt. Ego, cardinalis venerande, qui me tecum nec ingenii magnitudine, nec doctrinae copia, nec ſacrarum rerum intelligentia, nec dicendi facultate, nec vitae ſanctimonia ne comparem quidem, idem ut tu, homo priſcae et incorruptae religionis amantiſſimus, amantior ſis ejus rei quam ego ſum, tibi non concedo. Quod cum ita ſit, aperiam tibi nunc moerorem meum nec timide nec diffidenter. Doleo judicantium verba captari a nobis ipſis, hoc eſt, ab iis a quibus minime oportebat. Nam qui ita colligunt, quibus hominibus coetus et conventus pro re Chriſtiana indici placuerit, iis receptas de ſanctiſſimis eccleſiae myſteriis ſententias diſplicere, novam inde eos ſibi quaerere religionem, veterem aſpernari; hoc amplius, miſcere omnia cupere, et auguſtiſſimi regis noſtri majeſtatem imminutam velle; num, quaeſo, qui ſic colligunt, videntur tibi quae ab optimo animo profecta erant male interpretando depravare? Nihil jam ſum pridem admiratus magis. Itane eſt, ut quod amicitiae vinculum majus et ſanctius majores noſtri eſſe voluerunt, conjunctio muneris in republica, eo tam impudenter ad omnem malevolentiae et invidiae libidinem abutamur! Nolo equidem iſtos homines ad priſca collegiorum jura revocare, quae neſciunt, quae non intelligunt. Patiar non eſſe tam eruditos homines; peto ut ſint, et praeter formam atque ſimilitudinem hominis habeant aliquid popularis intelligentiae. Quid afferunt ut iſtam ſuam nobis interpretationem probent? Verba, an loquentis mentem? Ab utroque deſtituuntur; ſed in altero inſcitiam ſuam produnt, quod verba non intelligunt; in altero malignitatem, ut, quae impia ipſi eſſe arbitrantur, aliis in mentem veniſſe exiſtiment. Jam id ipſum, quaeſo, quantae divinationis eſt ſcire quid alter putet? quantae temeritatis juratum aſſerere? Quis unquam ita egit in judiciis? quis ita quaeſivit? Voluiſti dicere, cogitabas, in animo erat. Nego voluiſſe, nego cogitaſſe, nego in animo fuiſſe. Utrum aequius, vel tibi de mente mea, vel mihi de meipſo credere? Dices fortaſſe, non omnino imperite colligunt; fruſtra enim hujuſmodi conventus optaveris, niſi falſa eſſe putes quibus utimur, et diſputationibus immutari poſſe confidas. Ad haec ego tibi, ampliſſime et illuſtriſſime cardinalis, dupliciter reſpondeo; et non inde effici quod volunt; et noſtra patrumque memoria ſummos viros et ſingulares, quos a te plurimi fieri ſcio propter virtutem et doctrinam, palam idem cenſuiſſe, bonis omnibus approbantibus, et ſcripto quoque teſtatum reliquiſſe. Me puero Reginaldus Polus vir doctiſſimus et eloquentiſſimus, idemque et cardinalis et a pontifice legatus, totam iſtam rem de loco ſuperiore luculenta oratione complexus eſt; atque addidit, ſi bene memini, poſtquam haberi et convocari concilia deſierunt, tum illico irrepſiſſe in Chriſtianam rempublicam peſſimos mores, tum ſe in mentes multorum impietatem inſinuaſſe, et falſos illos errores, quibus Chriſtianus orbis paulatim paene concidit. Neque vero temporis illa Poli oratio fuit potius quam judicii et auctoritatis. Idem quoque, ſcio, videbatur Jacobo Sadoleto cardinali, cujus de ea re opiniones in orationibus atque in epiſtolis conſignatas habemus:

habemus : quem ego virum, et rerum ſacrarum auctorem non indiſertum et religioſum, non male laudavero. Extat etiam Germani cujuſdam Viennenſis epiſcopi ad Paulum III pontificem maximum liber ſub iſta praeſcriptione, *De Neceſſitate Concilii*; in quo ut dicendi puritatem et elegantiam requiras, ita incorruptam illam diſciplinae Romanae caſtitatem facile poſſis recognoſcere : oſor quippe ille fuit maximus Lutherani nominis. Et memini, cum Patavii eſſem, ad Germaniae principes pro pontifice Romano de ea quoque re M. Flaminii epiſtolam circumferri, Latine bene ſcriptam, ni fallor, in qua erat totus ille Flaminii ſine ullo fuco veritatis calor. Omitto ſciens pleroſque alios itidem magnos viros, ſive quod eorum aetas cum moribus noſtris non poteſt convenire, ſive quod vereor ne tibi aliquatenus de religione ſuſpecti ſint. Quos nominavi, ii omni exceptione majores ſunt, acerrimi aſſertores et vindices pontificiae cauſae. Nam quid Polus ſentiret, (ut praeteream alios, de quorum perſuaſione nemo unquam dubitavit) ſuum de religione ſenſum Polus tribus libris adverſus Henricum, et viginti annorum exilio, et ſuo in Britanniam reditu uſque ad crudelitatis famam comprobavit. Horum igitur auctoritatem et judicium aſpernari poſſumus, quorum ſingularem pietatem, et excellentem in omni virtutis genere laudem, tot literarum monumentis teſtatam habemus? Equidem (concludam enim hunc locum oportet) cum omnium noſtrum ea mens eſſe debeat atque animus, ut non modo propinquos, familiares, amicos, cives ac populares, verum etiam omnes, qui uſpiam ſunt, Chriſtianos, ſtudio atque arcta amicitia complectamur, eorumque malis atque incommodis occurramus, neque noſtram ab illorum ſalute cauſam ſubducamus, conſequens eſt, ni fallor, eos, qui concilium advocari et univerſos de re omnium maxima conventus peragi debere cenſuerint, nihil impium cenſuiſſe, nihil contra officium, nihil non ad Chriſti praeceptiones accommodatum. Poſſit Franciſcus rex, et tua et tui ſimilium (ſi quos habes) virtute, motus omnes Gallicos componere. Difficile quidem, ſed proſit tamen. Num propterea ſatisfactum officio putas, et quibus finibus imperia continentur, iiſdem Chriſtianiſſimi regis charitatem claudi oportere? Non ita eſt profecto : pateat meis votis latius ; comprehendat Britanniam, Germaniam, Pannonias, et hoc quicquid eſt tota Europa Chriſtianitatis. Atque cum hac una conventuum ratio ſeſe ſola oſtendat, quae omnibus prodeſſe poſſit, et perculſam atque proſtratam religionem ubique excitare, teneat eam, ejuſque omnes, te adminiſtro, urgeat occaſiones, ut aliquando florentibus illis veterum patrum nominibus nomen tuum, Carole, inferas : quod ipſum, neſcio qua permotus animi divinatione, non deſpero. Alterum erat in ſententia fratris, corruptae religionis convictos reos ſervandos eſſe, docendos, cuſtodia publica detinendos, ultimo nunquam ſupplicio afficiendos eſſe. Hic exclamant omnes qui nos oppugnant, Turpe eſſe ſenatori neſcire jus in quo verſetur ; turpius, poſtquam ſciverit, non ſequi. Quid, audere contra diſſerere? Quid, ſedente principe edictorum regiorum auctoritatem dicendo elevare conari? Scelus eſt, inquiunt, et nefas. Scio, illuſtriſſime cardinalis, horum hominum qui ita loquuntur animis jejunis et malevolentia quadam ſuffuſis ſatisfacere me nunquam poſſe, quorum crudelitatem cum facultatum noſtrarum et exiſtimationis interitu explere nequeam ; tibi certe, cui in moderatione animi, prudentia, atque omni humanitate percipienda plurimum a pueritia ſtudii fuit et gloriae, quique innocentium cauſae ultro adeſſe ſoles, ſatisfacere me poſſe confido. Capitalem ſententiam dicere, ex profeſſione ſua, frater meus non potuit : quippe religione ſacrorum impediebatur, et ſacerdotii voto peccaſſet adverſus leges ſuas, et improbe peccaſſet : vetus enim ille mos fuit, et ſanctiſſima diſciplina pontificum atque ſacerdotum, ut ſanguinariis ſententiis non modo non aſſentiri poſſint, ſed intercedere ex officio debeant. Cujus rei cauſas commemorare, quid mihi nunc neceſſe eſt? praeſertim apud te, cui omnis nota eſt hiſtoria, omnis antiquitas. Hoc tantum dicam, quod legendo ſaepe ſum admiratus : in pontificum collegium cooptari Titus Veſpaſianus voluit, inquit Suetonius, ut puras ſervaret manus : et fidem praeſtitit ; ne auctor poſtea cujuſquam necis, nec conſcius in judicio fuit. Jam tum ergo illis temporibus qui rebus ſacris praeerant, fidem dabant, ſe nunquam acerbius in quenquam ſententiam dicturos. Et is quem modo nominavi, in

in affectati imperii convictos duos nihil amplius cenſuit, quam rogandos ut deſiſterent. Tanti videbatur datam ex voto fidem ſervare. Quid vos? Nonne Lutheranae impietatis reos, de quorum cauſa cognoviſtis, ita quotidie ſoletis ad nos deferre, ut obnixe petatis ne ſaeviamus, ne ſanguinem exhauriamus? Si non aequum eſt, ſi fieri exiſtimatis non oportere, cur petitis? Cur extare vultis hujus formulas? Quaenam haec eſſet prudentia, aliquid fieri rogare et contendere, quod fieri nolis, et, ſi fiat, aegre ſis laturus? Verum agam nunc magis ingenue: decedam de jure ſingulari; largiar obtrectatoribus noſtris quod petunt, graviorem et ſeveriorem ſententiam a fratre dici potuiſſe. Quaero nunc, quale ſit crimen non dixiſſe? Proferant mihi locum unum ex libris noſtris, aſſentiar illico, neque profecto ſubtili aliqua interpretatione eludam. Nihil habent, nihil afferunt, ſcio; neque quicquam ejuſmodi eſſe poteſt in diſciplina prudentium. Quod acerbius et ſeverius, quam res ipſa poſtulabat, in aliquem animadverſum eſſet, ejus rei actionem adverſus judicem datam memini me legiſſe: quod autem mitius et humanius quam decebat judex ſtatuerit, id omne ei extra noxam eſſe ſaepiſſime traditur. Qua de re ſi unum exemplum attulero, nihil addam. De iis qui in necem principis impie conjurarant rogati ſummi viri et praeſtantes, Soranus et Thracias Paetus, cenſuerunt relegandos eſſe. Et erat tamen lex Julia, et ſedebat princeps, et ſalutem ſuam ſenatui coram commendabat. Vicit ſeverior aliorum ſententia; vicit quidem, et recte, ni fallor; non ſic tamen ut iis qui aliter exiſtimaſſent capitis periculum crearetur. Poſtremo, utar hac defenſione. Senatus-conſultum nondum fixum erat, diſceſſio nondum facta; ſententiam mutare potuit, in aliam tranſire. Quam multa nos fallunt in judiciis quotidie? quam ſaepe erramus? quam ſaepe hallucinamur? quam nos ſaepe aeſtus quidem animi praecipites trahit in longam et ſtultam orationem? quam denique ſaepe ab errore nos revocat alterius cujuſdam, et interdum non valde eruditi hominis, vocula quaedam? Errorem noſtrum lubet agnoſcere; fatemur ultro, miramur etiam; tabellam poſcimus ut commutemus, nec eam inducere aut incidere turpe putamus: quando enim hoc, quaeſo, non licuit in judiciis? Noſti, credo, veteres illas plenas pudoris et modeſtiae formulas cenſendi: Ita mihi videtur, Quirites: Si ſciens vos fallo: Ex animi mei ſententia. Nunquam aliquid quenquam certo aſſerere, ne judicem quidem aut teſtem, voluerunt; ſibi tantum ita videri ut diceret, voluerunt; neque praeſtare aliud quam ſi ſciens falleret, propter inſcientiam quae in vita humana verſatur. Erraſſe itaque fratrem ſi concedam, in errato perſeveraſſe qui potes vincere? Item quaero num princeps et auctor ſententiae frater meus fuit; et, ſi fuit, num alii ſunt aſſenſi? De utroque ſic compertum habeo, nec illum auctorem ſententiae fuiſſe, et multos etiam idem ante cenſuiſſe, quos tamen nemo durius appellavit. Cujus eſt moris aut diſciplinae ejicere alios de ſenatu, alios retinere; et ſtatuere ut qui in eadem culpa ſit, non eadem poena afficiatur? Aut certe nullus de ea re citari reus debuerat, aut omnes: nam in multorum peccato, ut ait ille, carpi paucos ad ignominiam ac turpitudinem, non oportet. Quae omnis querela mea ad eos tantum ſpectat, a quibus totius hujus et inventa et adornata comparatio criminis eſt: genus hercle hominum publico exitio natum, quod non niſi alterius damno et injuria paſcitur. Vin' dicam? His nulla recti cura, nullus aequi amor, nulla ex honeſto ſpes unquam fuit: Aliena mala in occaſionem gratiae trahunt; et quem in republica nunc locum tenent, ex alterius damno et injuria ſibi partum habent. Quos tamen ſic admonitos velim, mala ſemper exempla in auctores ſuos recidiſſe. Habes, cardinalis ampliſſime, quae ad fratris cauſam mihi viſa ſunt pertinere: nec ſane non grata tibi haec eſſe poterit, quae pro fratre ſcribitur, epiſtola. Noſti vim naturae, vim amoris; et qui tuos tam diligas, meam in hoc officii genere ſedulitatem non improbabis. Non ſoli Atridae, ut quidam ſcribit, uxores ſuas amant: et nos quoque propinquorum noſtrorum periculis et caſibus commovemur: ſic ego nunc fratris mei infortunio et recenti calamitate paene contabui miſer. Equidem multa mihi ſaepe P. Faber parens meus de maximis tuis virtutibus narravit aliquando, quibus commemorandis et celebrandis expleri nunquam ſenex ille poterat. Et memini cum diceret hanc laudum tuarum ſummam eſſe, quod princeps probitatem et pietatem cum

cum omnium artium ſcientia atque doctrina conjunxiſſes; eloquentiam autem et incredibilem illam tuam dicendi facultatem tanto rerum humanarum uſu tantaque prudentia locupletaſſes, ut jam unus cum veteribus Romanis illis et Graecis, quorum praeclarae actiones ad exemplum magis quam ad veritatem poſteritati tradita ſunt, omni ex parte conferri et comparari poſſes. Commemorabat quoque apud nos lubenter ſe abs te beneficium accepiſſe, nullo ſuo merito; cujus beneficii teſtem nobis citabat Joannem Monlucium Valenciae antiſtitem, tui in primis tuorumque omnium obſervantiſſimum. Adjiciebat item, velle ſe et jubere, ut quando per ſenectutem gratum et memorem ſe tibi probare non potuiſſet, reliquam nobis in te colendo obſervandoque conſtitueremus aetatem: dolere quidem quod ab optimis praeceptoribus inſtituti, ad nullum doctrinae aut ſapientiae gradum perveniſſemus: confidere tamen plurimum humanitati tuae; et certo ſcire, tibi, qui tenuiſſimorum hominum voluntates aſpernari nunquam ſoleas, non ingratum quoque futurum quicquid a nobis in te proficiſceretur. Videbat, credo, jam ſenex ille, (eſt enim in hujuſmodi hominibus certa quaedam veluti divinandi ratio) videbat, inquam, futurum, ut non modo dignitatis ornamenta a te ipſo petere nobis neceſſe eſſet, verum etiam ſalutem ipſam. Rogaret te ille ſupplex, ſi viveret, et obſecraret pro filio. Extinctus eſt magis ſuo quam ſuorum tempore; neque quenquam nunc ad te allegare poſſumus, qui cauſam noſtram tueatur, qui familiae noſtrae, non omnino obſcurae et ignobilis, exiſtimationem, quae famoſo fratris mei judicio prorſus exhaurietur, commendare tibi velit. Ex quo mihi omnino neceſſe fuit hanc tam longam et tam inelegantem epiſtolam ad te mittere; quam cum legeris, ab homine valde quidem illiterato, non immodeſto tamen et tui obſervantiſſimo, ſcriptam eſſe intelliges. Cujus nunquam profecto poeniteat me, ſi unum a te impetravero, in quo fratris mei ſalus incluſa eſſe videtur: illud ſcilicet, ut tu, vel ſolus, vel cum nonnullis, quos tibi adjungi volueris, de cauſa noſtra cognoſcas. Te judicem reus poſcit: Quid enim ille meruerit, quid peccaverit, tu unus omnium optime potes ſtatuere, qui Henrico regi aſſidens in curia ſermoni interfuiſti, ex quo nata eſt omnis offenſio principis. Mihi quidem et noſtris omnibus gratius multo fuerit, (Deum conteſtans dico) Lodoicum Fabrum a te dignitate ſua et fortunis exui, quam a ſelectis illis neſcio quibus judicibus abſolvi: in utramvis enim partem judicent, nunquam ſe bene judicaſſe probare bonis viris poterunt. Irati praeterea ſunt et vehementer commoti, ex quodam libello, quo Andream praeſidem rerum turpiſſimarum, ut aiunt, frater inſimulavit. Quamobrem peto a te per humanitatem tuam, per aequitatem tuam, per eam ſpem, quam omnes de te habere voluiſti, per eam denique laudem, quam nuper ex tua in Ferrerium clementia maximam es conſecutus, ut te nobis judicem et cognitorem praebeas. Decet ea res principem, decet et cardinalem; Carolum autem, et principem et cardinalem, decet maxime. Quod ſi precibus meis nullus apud te locus erit, feram id quoque ut potero; conſolabiturque hoc unum, quod nullius periculi terroribus ab officio deſcivi. Ego, ampliſſime et illuſtriſſime cardinalis, conſcius mihi ſum nullam mihi cum improbis communionem unquam fuiſſe, neque quicquam a me commiſſum, quod boni cujuſquam offendat animum. Eo minus a te, multis et maximis virtutibus ornato, timendum mihi puto, praeſertim cum mea ſemper in tui obſervantiam voluntas inclinarit. Bene vale.

Ex MS. BONAVENTURA VULCANIUS JACOBO AUGUSTO THUANO Viro ampliſſimo S. P. D.

CAUSA mihi ad te, nobiliſſime ampliſſimeque vir, ſcribendi duplex: prior, ut (quod jamdudum factum oportuerat) tibi gratias agam pro adeo benigne nobis communicato Procopio MS; altera, ut moram, quam in illo recognoſcendo et de integro vertendo facio, excuſem. Ingratus vero merito cenſear, niſi me iſto beneficio ſummopere tibi devinctum profitear: quod quidem uti libens agnoſco, gratiaſque tibi eo nomine, quantas animus meus concipere poteſt, ago maximas;

maximas; ita non committam quin beneficentiae tuae ſummique erga rem literariam ſtudii memoriam poſteritati commendem. Morae cauſa haec eſt, quod non magnum in nova hujus auctoris verſione editioneque operae pretium facturus mihi ſim viſus, niſi alterius alicujus *ἀντιγράφου* ope juvarer; tanta eſt in eo quo utor exemplari mendarum pariter et lacunarum vis. Qua de re ſcripſi non ſemel Paduam ad illuſtriſſimum virum Jo. Vincentium Pinellum, quem veteribus codicibus Graecis abundare intellexeram, et de loco quodam valde corrupto et mutilo, qui eſt in praefatione lib. de bello Perſico, conſului, qui ſic habet: *ὀ γάρ τις πώποτε αὐτοῖς ἔννοια γέγενεν, ὅτι δὴ τοῖς τέχνης ὀνομαζομένης ξυνέβαινεν.* Quem quidem locum cum ex collatione cum veteri verſione Volaterrani facile animadverterem luxatum eſſe et depravatum, ita ex illius verſionis veſtigiis et ductu conatus ſum corrigere; *ὀ γάρ τις πώποτε αὐτοῖς ἔννοια γέγονεν, ὅτι δὴ τὰς παρ' Ὁμήρῳ τοξότας τῆς τέχνης ὀνομαζομένης στοχαστικῆς ἀπείρους ὄντας τοῦ σκόπου ἀποτυχεῖν συνέβαινεν.* Quae quidem correctio mihi initio valde arridebat, atque adeo *εὐστόχως ἔχειν* videbatur, quod nimirum *τὴν στοχαστικὴν τέχνην* deſcribere poſtea videatur Procopius his verbis; *ἕλκονται δὲ αὐτοῖς κατὰ τὸ μέτωπον ἡ νευρά*, &c. At Pinellus mihi e ſchedis ſuis tranſmiſit exemplum hujuſce praefationis Procopianae, in quo locus hic ita legitur; *ὀ γάρ τις πώποτε αὐτοῖς ἔννοια ὅτι δὴ τοῖς μὲν παρ' Ὁμήρῳ τοξεύουσιν (οἵπερ καὶ ὑβρίζεσθαι ἀπὸ τῆς τέχνης ὀνομαζομένοις συνέβαινεν) οὐχ ἵππος*, &c. Ad cujus loci lectionem libuit mihi exclamare, O inanes criticorum conjecturas! Porro in hac praefatione locus etiam ille, *οἱ δὲ γαρ τανῦν τοξόται*, &c. multo rectius legitur, *οἱ δὲ γέται τὸ νῦν τοξόται.* Sub finem etiam locus ille mirum in modum lacer, *παρ' αὐτὸ μάλιστα τῶν ἐμπίπτοντα κτείνειν*, ita legitur, *παρ' αὐτὸ μάλιστα τῶν ὤτων τὸ δέξιον τοσαύτης ἀλκῆς ἐπιπλᾶτα τὸ βέλος, ὥστε τὸν ἀεὶ περιπίπτοντα κτείνειν.* E quibus locis facilis eſt de totius illius veteris exemplaris, unde tranſcripta erat haec praefatio quam ad me mittit Pinellus, probitate integritateque conjectura. Scribit vero ille ad me, extare Procopii exemplaria MSS complura in variis Italiae bibliothecis; et, quae illius viri eſt ſingularis humanitas, operam mihi ſuam offert, ſi exemplum aliquod Procopii ad eum mittam, curaturum ſe ut cum aliis *ἀντιγράφοις* accurate conferatur: quod quidem mihi omnino faciendum erit, et labor tranſcribendi ſubeundus, ſi *ἀξιόλογον* aliquid praeſtare voluerim. Ego vero ſummas tibi, ut antea dixi, pro ſingulari benevolentia tua erga me ſtudiaque mea, quae tibi cordi eſſe non ſemel cum ſumma voluptate e Scaligero noſtro cognovi, gratias ago, atque eam porro conſerves etiam atque etiam rogo. Complecteris certe ea hominem nominis dignitatiſque tuae ſtudioſiſſimum, et ad praeſtanda omnia officia, quae a mea tenuitate proficiſci poſſunt, ſine ulla exceptione laboris aut temporis, paratiſſimum: neque fallam expectationem tuam. Theophylacti Simocatae *ἀπορίας φυσικὰς*, quas diutius in bibliotheca mea latere non ſum paſſus, cum iis quae adjuncta ſunt, boni quaeſo conſule: utinam illius etiam hiſtoriam haberemus. Miſſurus eram una Jornandem meum, niſi veritus fuiſſem ne bono huic viro, per quem haec mitto, oneri eſſem. Curabo autem per Raphelengios ut Beitſius tibi meo nomine exemplar det, ſimulque alterum viro clariſſimo Franciſco Pithoeo amico veteri, cui multam ſalutem precor. De conſilio meo edendi epiſtolas Graecorum hac ipſa forma, atque inter illas etiam Philoſtrati, auctiores, ſcribo ad D. Groulartium. Paro etiam editionem bibliothecae Graecae, hoc eſt, auctorum Graecorum, quorum libri MSS in variis tam publicis quam privatis bibliothecis aſſervantur. Ea de re cum ad alios atque alios viros doctos ſcripſerim, nolui committere quin te certiorem facerem, ſimulque obnixe rogarem, ut inſtitutum meum, qua potes, juves. Velim etiam magnopere, ut (quod commodo tuo fiet) mihi ſignificare digneris, an in regia vel alia ulla bibliotheca exſtet Onoſander de optimo imperatore Gr. MS. Deus te, nobiliſſime ampliſſimeque vir, quam diutiſſime ſervet incolumem. Lugd. Bat. anno 1597. Septemb. 18.

Ex

Ex MS.

JAC. AUG. THUANO BONAVENTURA VULCANIUS S. D.

TAMETSI vereor, vir ampliſſime doctiſſimeque, ne in publica commoda peccem, qui te graviſſimis negotiis diſtrictum inanibus literis meis interpellem, vitiis tamen ſum vehementer officio meo defuturus, niſi amiciſſimis literis tuis, quibus me pro ſingulari humanitate tua es dignatus, breviter reſponderem. Paucis itaque ſic habe. Ad difficultates, quae in Procopio mihi non exiguae ſe offerunt, ſi non ſuperandas, certe fortiter aggrediendas, magno mihi amicum calcar tuum incitamento fuerit. Et ſunt apud nos alioquin non pauci primarii viri qui auctorem hunc avidiſſime expectant, quorum deſiderio, tuaeque inprimis voluntati, dabo operam ut prolixe, quoad ejus a me fieri poſſit, ſatisfiat. Jo. Vin. Pinellus quidnam habeat Procopii τῶν ἀνεκδότων, ſi tibi certo conſtat, velim me certiorem facias. Putarim vero non aliud eſſe quam juſtum fere librum, qui in tuo codice MS. cum ſeptimo hiſtoriae Procopianae libro in unum coaluit; in quo tractantur ea quae vigente bello Gothico aliis in locis ſunt geſta; cujus narrationis initium facit a deſcriptione Lazices, ubi et περὶ ἀγγίλων ϗ Βρεττίων multa lectu digna: quae omnia a veteribus Procopii interpretibus vel non viſa, vel temere, ne dicam maligne, ſunt omiſſa. Procopius de fabricis ſive ſtructuris Juſtiniani, olim Graece editus Baſileae, epitome tantum eſt illius quem habeo MS. De Graecorum epiſtolis edendis non muto conſilium, ſi Raphelengii eo adduci poſſunt, qui alioquin difficiliores ſeſe ad excudendos Graecos auctores praebent: nam alteri illi typographo indocto, cujus opera ἑκὼν ἄκων ad Simocatae ἀπορίας φυσικὰς edendas ſum uſus, niſi doctum aliquem ſibi adſciſcat ἀναγνώςτην, οἰμώζειν λέξω. Onoſander ſit tibi, quaeſo, curae, vetus et accuratus meo quidem judicio auctor. Joſephum audio uſpiam apud vos extare MS. utinam mihi aliquando iſtuc excurrere liceat, ut illum cum excuſo exemplari conferre poſſim, in quo multa eſſe depravata, multa lacunoſa, facile ex veteri editione Ruffini animadverto, in qua nonnullos inſignes locos reperio, qui in excuſis Gr. et Lat. exemplaribus non extant. Sed ego hoc optare magis poſſum quam ſperare: neque enim vel profeſſionis meae ratio, vel munus ſecretarii academici, quo jam annos XVII functus ſum, longiorem abſentiam meam ab academia ferunt. Sed jam, ne in id, quod initio teſtatus ſum, peccem, finem facio; et alioquin ad cl. virum Fran. Pithocum de aliis rebus ad communia ſtudia pertinentibus prolixius ſcribo, quas ex eo, ſi placebit, cognoſces. Vale, vir clariſſime, et me, quod facis, amare perge. Lugd. Bat. anno ſalutis 1597, IIX Kal. Decembris.

Johannem Panhuſium, qui haſce tibi reddet, juvenem multis animi et fortunae dotibus inſtructum, mihique amiciſſimum, perluſtrata Germania in Gallias ſtudiorum cauſa proficiſcentem, ut benevolentia tua complecti, et conſilio tuo, ſi qua in re opus fuerit, juvare digneris, etiam atque etiam rogo. Iterum vale, vir clariſſime.

Ex MS.

JAC. AUG. THUANO.

OPUS illud de Sibyllis, Opſopoei opera et ſtudio collectum, tandem in lucem prodiiſſe gaudeo mehercle plurimum. Per hoſce annos ab obitu Opſopoei diu multumque ſolicitus fui, quid eo fieret, donec ante ſemeſtre mihi id videre contigerit. Quod autem nunc ad te ſcribo, Thuane clariſſime, eo fit, ut expiſcer num ii qui ſumptus fecerunt in excudendum opus, exemplaria aliquot daturi ſint heredibus, praeſertim Joannis Opſopoei fratri Simoni, artium et philoſophiae magiſtro, in academia noſtra commoranti, ad quem devoluta eſt tota bibliotheca fratris defuncti. Rogo igitur, quandoquidem praefatio ipſa nominis tui inſcriptionem continet, cum conſortio ita agas, ut promotioni tuae morem gerant, et exemplaria nonnulla ad nundinas Francof. vernas ſequentis anni bene compacta et obſignata mittant, ut inde huc perferantur. Qua tu re nobis nihil gratius, nihil acceptius, facere poteris; tum propter illam familiaritatem, qua tibi

conjunctus fuit Opſopoeus, dum iſtic viveret, tum etiam ob notitiam quae mihi tecum et aliis viris doctiſſimis, ante annos XV, cum ſecundo in Gallias veniſſem, interceſſit. Itaque facies, certo ſcio, (iniquum enim non petitur) ut pro moleſtia et labore ab auctore exhauſtis nonnihil emolumenti ad Simonem Opſopoeum redeat. Ceterum, Thuane eruditiſſime, ſcire aveo quid hactenus in lucem edideris; et ſi quid porro nobis expectandum ſit, id nos docueris, avida accipiemus aure. Injungas velim librariis Pariſienſibus, ut lucubrationes tuas Francofurtum perferendas curent, nam a pleriſque ſummopere deſiderantur, ut et Paſſeratii poematia, quae hactenus certe nanciſci non potuimus. Caſus, qui te ſuperioribus annis, et complures alios patriae amantiſſimos, adflixit, nobis gratiſſimus juxta ac moleſtiſſimus accidit. Eluctati eſtis tandem Dei optimi maximi nutu. Conſtantia tua et tolerantia in adverſis ſummam profecto meretur laudem, cui et ego particulam ſingularem in meis aliquando opuſculis attexam, ſi vivo. Si quid interea ad me ſcribere voles, mittito cl. viro Dionyſio Lebeo Batillio praeſidi regio in urbe Mediomatricum. Is ad me recta perferendum curabit; nam ſaepius huc ad me literas mittit. Procuravi enim quanta maxima potui diligentia ut illius emblemata apud nos typis excuderentur; quae te vidiſſe arbitror. Etiam haſce meas ad illum incluſi. Tu bene vale, et me, quod facis, amare perge.

Datum Heidelbergae die 25 Octob. vet. anno 1600. PAULUS MELISSUS Franc. electoris Palatini, et Joannis Caſimiri, dum viveret, conſiliarius et bibliothecarius.

Ex MS. JAC. AUG. THUANO, SCIPIO GENTILIS.

AMpliſſime vir. Cum Jacobo Bongarſio, regis veſtri legato, vetuſtiſſima mihi notitia eſt, in Anglia primum coepta, poſtea in Germania multis ejus in me beneficiis et conſuetudine conglutinata. Is, cum de inſtituto meo certior a me eſſet factus, dedicandi regi libri, quem de conjurationibus contexueram, non eſt ille quidem ne id facerem refragatus; conſuluit tamen ac ſuaſit ut librum ad te mitterem, qui et ampliſſimum dignitatis locum apud regem teneres, et humanitate inſigni ~~eſſes, et bibliothecae regiae praeeſſes.~~ Gaviſus ſum, ut ingenue fatear, occaſionem mihi iſtam oblatam ad te ſcribendi, quem jampridem veneror tacitus. Nihil enim clarius virtute et nomine, etiam apud nos, tuo. De libro meo nihil eſt quod quicquam te rogem; neque enim a me ea ſpe generatus eſt aut editus, ut vel tanto principi offerretur, vel in ullo etiam ejus bibliothecae angulo reciperetur: longe a me haec audacia, imo impudentia. Nomen ejus, non minus quam lucem, quam ſolem, publicum exiſtimavi; inde adcuſandus fortaſſe non ſum, ſi aliquid libello meo comparari volui vel luminis vel gratiae. Quod ſi culpa eſt admiſſa, delegabo eam amicis, qui ſuaſerunt, etiamque ipſi Bongarſio, qui me, cum facillime poſſet, ab hac infamia non revocavit: tametſi, tanta ſunt ejus viri erga me beneficia, meritaque perpetui temporis, ut potius, ſi qua ejus culpa eſſet, in me reciperem, quam ut partem aliquam in eum conferrem meae. Humanitas mihi ipſa e Germania migrare nunc videtur illius diſceſſu: adeo literatorum omnium bonum, etiam ſatis literatorum, erat. Nemo eſt paulo doctior aut clarior, qui non ſe ejus beneficiis adjutum glorietur et praedicet. Sed quid ago? et an non graviſſimis occupationibus tuis intercedo? Ignoſce, quaeſo, vir nobiliſſime, et vale. Altorphio ex academia Norimbergenſi 1602.

DANIELIS HEINSII EPISTOLAE QUAEDAM JAC. AUG. THUANO.

Ex MS.

TRanſmiſi his diebus Heſiodum meum; quem cum denuo publico datura eſſet officina Plantiniana, pro parte mea deeſſe nolui, quo minus ſcriptor tantus, omnis fere ſapientiae auctor antiquiſſimus, cum Homero, emendatus prodiret. Hac occaſione, interpretes Graecos, quorum familiam Proclus ducit, adjunxi; quos emendavi, ſupplevi, et, ubi opus erat, errare docui, ne incautae juventuti fraus fiat poſthac auctoritate τῶν τοιούτων χολυδρίων, quae interdum aevo illi danda ſunt.

Adjunxeramus

Adjunxeramus et oratiunculam unam et alteram noſtram; non quod oſtentationi ea ſcribamus, ſed quia e literis magni Caſauboni intellexeram amplitudinem tuam hoc velle. Quae omnia, ſi, ut ſpero, accepta ſint, vel unius tuo judicio immortalem me putabo. Vale, nobiliſſime et ampliſſime vir, et clienti huic tuo favere perge. Lugd. Bat. 26° Aprilis 1603.

EX MS. EIDEM.

NULLAM ab aliquo tempore epiſtolam tuam vidi, quae non aliquam mentionem noſtri faceret: quae res quam grata evenerit nobis nec dubitare tu potes, nec nos diſſimulare, quibus ſatis eſt aliquo apud te loco haerere. Hac benevolentia adductus ſum, ut quiſquilias noſtras ϗ χελιδόνων μουσεῖα denuo hic recuſa amplitudini tuae offerrem. Accedebat occaſio horum juvenum quos ab illuſtri Scaligero vobis commendatos eſſe ſciebam: et idem me ut facerem impellebat cum amor illorum, tum benigniſſimi favoris tui fiducia certiſſima. Optimo loco nati ſunt, eximiaeque indolis; et ſatis ſibi ad felicitatem vel conſpectum amplitudinis tuae eſſe putabunt. Nuncio praeterea illuſtriſſimi Scaligeri Chronicon Euſebianum jam ſpectare foras, imo verius dicam jam abſolutum eſſe; ſola enim pars dedicationis reſtat, et verſus aliquot, (ſic enim volebat ipſe) quos nos praemiſimus. Scio dupliciter id tibi gratum fore, tum privatim, quod auguſtiſſimum tuum nomen praeferat, tum publice, quod literas literatoſque homines ex animo complectaris. Vale, ampliſſime vir, et nos amare perge. Lugd. Bat. 1606. 16 Junii.

Ex MS. EIDEM.

EST hoc inter reliqua naturae meae ἐλαττώματα, Jacobe Auguſte Thuane, vir maxime, ut quos ſupra ceteros admiror, eorum cum veneratione quadam, ſed quae intra ſilentium conſiſtit, nomen atque exiſtimationem colam, niſi ſi quando admirationem iſtam ore libero apud familiares effundam; qua in re nemo animi candore, nemo integritate me vincit. Ceterum, ut hic dignitatem tuam et ingentia in rempublicam merita omittam, inter eos qui ad aliquam hoc tempore celebritatem nominis pervenerint, vere affirmare poſſum, quem magis quam te ab ineunte aetate coluerim, omnino eſſe neminem. Confirmabat hoc judicium noſtrum magnus Scaliger, qui heroicam ac generoſam illam mentis indolem, quae ab omni alieni obtrectatione nominis alieniſſima erat, ad praeconia virtutis tuae ſemper conferebat; et cum ſemel de te loqui incepiſſet, ne cum maxima dixiſſet quidem ſibi videbatur ſatisfacere. Cujus ego juſſu olim aliquoties ſcripſiſſe ad te memini, verum infelici adeo ſucceſſu, ut ne hoc quidem unquam certo intellexerim, an in manus tuas pervenerint quae ſcripſi. Porro cum non ita multo ante hoc tempus plurima de tua erga nos benevolentia, partim ex ampliſſimo et ſummae cujuſdam humanitatis viro D. Maurerio, qui legatum regis apud nos jam agit, partim ex Rutgerſio intellexiſſem, qui ſuperioribus diebus ſalvus et incolumis ad nos pervenit, mirus quidam denuo ad te ſcribendi impetus me cepit, et quidem iſta lege, ut, ſi hoc officii genus gratum tibi eſſe perſpexero, nullam ſcribendi ſim occaſionem praetermiſſurus. Accedebat cauſa altera; quippe is qui haſce tibi tradet, juvenis et eruditus et modeſtus, et praeclaro loco hic natus, Johannes Voſbergius; is ergo cum diſcendi juris cauſa aliquandiu haeſerit in Gallia, et jam ſummos in hac diſciplina fecerit progreſſus, nihilque ad ſummam illi deſit laudem niſi maximorum conſuetudo virorum, ut quae didicit hactenus feliciter expromere ac ſuo applicare loco diſcat, quod non poſſunt niſi qui ineptam verecundiam et ſcholaſticum pudorem exuerunt, vehementer ejus frater, vir et eruditione, et judicio, et ſanctitate morum in ſupremo hoc ſenatu nemini ſecundus, tibi ut eum commendarem, ut, ſi quando rerum aliarum te ſatietas invadit, ad otia et ſecundas horas tuas aditum habere poſſit, vehementer, inquam, ac in primis ſerio a me contendit. Quod ſi ejus viri nomine a te hoc impetraverim, qui hactenus cum omnibus, ſi quiſquam inter omnes, obſervavi te ac colui,

privatim

privatim maximo me tibi beneficio obſtrictum putabo. Orationem quandam de civili prudentia a nobis conſcriptam edunt jam operae. Id genus noſtra ſi tibi grata eſſe ſciam, dabo operam ut ante omnes ea in poſterum videas et judices. Vale, maxime virorum, et una aut altera literula, ſi tanti tibi ſumus, reſponde. Lugd. Bat. 1613. 13 Oct.

Ex MS. EIDEM.

VIR illuſtriſſime. Cum intellexiſſem graviſſimos patriae veſtrae motus, teque iis componendis auctoritate publica praefectum eſſe, non dubitabam praepoſterum ac parum tibi gratam ſedulitatem fore, ſi de rebus eo tempore privatis ad te ſcriberem. Suſtinui itaque aliquamdiu hoc officium, donec partim ex ampliſſimo viro D. Maurerio, regis Chriſtianiſſimi ad illuſtres Ordines legato, partim ex aliis, jam nobis conſtaret ſalutem publicam in vado eſſe, teque ſalvis rebus de minoribus adiri jam poſſe. Evenit autem eodem fere tempore ex Grotio ut intelligerem noſtro, qui huc Haga advenerat, eſſe qui in Gallia hoc agant, ut Georgii Caſſandri, Flandri noſtratis, hominis doctiſſimi et ſi quiſquam optime, niſi mens pleriſque laeva eſſet, de religionis controverſiis, quae univerſam nunc accendunt Europam, et ut natam rem video diſputando ac ſcribendo magis exardeſcent, meriti, ſcripta omnia Lutetiae eodem excudantur volumine, tibique eam rem in primis cordi eſſe. Quare cum omnino vivat nemo qui auctoritatem tuam pluris faciat quam ego, Caſſandri quoque moderationem pariter ac eruditionem ſemper fecerim plurimi, ſcirem autem virum illum intima familiaritate cum Vulcanio noſtro fuiſſe conjunctum, multoſque ſimul annos in Germania, quo, cum deſperaret de ſuorum ingeniis, exulatum ſe contulerat, vixiſſe, petii, ut ſi quid illius nondum editum haberet, hac occaſione cum tot ſtudioſis veritatis et antiquitatis Chriſtianae lectoribus communicaret. Facturum ſe recepit, cum praeſertim id tibi gratum fore adjeciſſem. Extat autem apud eum neſcio quis liber, in quo de eccleſiaſticis antiquitatibus (ipſum enim ſcriptum non vidi) accurate diſſerit. Ceterum cum optimus doctiſſimuſque vir cum multis conflictetur calamitatibus, et in talibus nonnunquam per ſe quoque diem ducere de die et cunctari ſoleat, operae futurum puto, ſi a tua, cui omnia deferre ſolet, amplitudine per literas de hac re moneatur. Statim enim impetrabimus quod volumus, ſi iſta quoque auctoritas accedat. Et omnino eſt periculum ne, ſi quid humanitus eveniat, quicquam cum heredibus agamus. Nihil autem illo eſt miſerius: ante annos enim plurimos et claudus eſſe coepit et ſurdus; pridem autem oculo utroque captus eſt. Itaque ut truncus aut ſtatua loco non diſcedit; ſed ſuperſtes ſibi, inutilis amicis, vitae exitum expectat. Quare feſtinandum eſt, et potiſſimum hac via poſſe tranſigi negotium videtur, ne, ut moroſa eſt ſenectus et plerumque ſuſpicaces ſunt miſeri, noſtram rem agi ſuſpicetur. Vale, illuſtriſſime vir, et Maximum Tyrium noſtrum expecta, quem poſt triduum aut quatriduum ex ſecunda editione ad te mittam. Lugd. Bat. 1614. pridie Cal. Jun.

Ex MS. EIDEM.

MISI ante menſes ad vos Caſſandriana quaedam, quae non eſſe edita certo confidebam. Poſt illud tempus vitam cum morte commutavit Vulcanius, Graecarum olim literarum in hac academia profeſſor, qui nonnulla manu exarata, et quae lucem nondum viderant, cum illius viri, ſi quis unquam, *ἱερμηκαδάτυ*, tum vero aliorum, reliquit. Dedi ergo in mandatis noſtro Elzevirio, ut indicem librorum et praecipue inſcriptiones *τῦ ἱερμίνυ* tecum communicet, ſi quid ibi forte ſit quod aut non vidiſti hactenus, aut quod inſervire poſſit inſtituto veſtro: de quo ante tempus aliquod nos convenerunt viri ampliſſimi Maurerius et Mylius, alter regis veſtri orator, alter hujus academiae curator, uterque tui nominis obſervantiſſimus. Quod quidem ego nomen tanta veneratione ſemper proſecutus ſum, ut *ἄβιον τὸν βίον τῦτον* mihi arbitrer, quod hactenus conſpectu tuo, *μάλα ἄκων*, carere fuerim coactus. Nec deſpero tamen proxima aeſtate aliquid futurum eſſe, modo

modo Deus votis noſtris faveat. Interim amiſimus divinum et incomparabilem virum Caſaubonum noſtrum, qui paulo ante obitum huc ſe ſcripſerat venturum eſſe, ut filium nobis ſuum commendaret. Fateor me ejus viri exceſſu ita fuiſſe conſternatum, ut aliquamdiu mei impos fuerim, ac ne nunc quidem delere ex animo poſſum ſuaviſſimam illius recordationem. Videtur hoc fatale eſſe veſtro regno, ut maximos aetatis hujus viros ſolum ferat et ejiciat. Neminem autem hactenus in Anglia fuiſſe qui καταλογάδην ἢ ποιητικῶς tanti viri obitum defleverit, mirari ſatis non poſſum; niſi quod hoc quoque argumentum eſt, fuiſſe literas. De qua publica calamitate et infelicitate hujus ſaeculi totos dies cogitamus, neque aliter quam ἐμβρόντητοι et ſidere contacti ſtupemus; quum praeſertim videamus ne coeleſtes quidem hac aetate virtutes, qualis eſt divina illa tua φιλαλήθεια, a contagione noſtri temporis et infandis improborum diris eſſe immunes: quam nos ita admiramur, ut petamus ſaepenumero a Deo, ne qui tibi uni prope hac tempeſtate ac ſoli ineffabilem illam et inimitabilem indulſit παῤῥησίαν, animum deeſſe velit, quo adverſus impudentiae calumnias et venenatos ictus eam tuearis. Vale, illuſtriſſime Domine, et verbo nos dignare: tum huic feſtinationi noſtrae ignoſce. Lugd. Bat. 1615. 16 Mart. In paraphraſi Politicorum Ariſtotelis jam toti ſumus.

Ex MS. EIDEM.

VIR illuſtriſſime. Nuper Caſſandriana quaedam ad te miſi, quae recte curata eſſe plane mihi perſuadeo. Nunc orationes omnes adjungo; quas ut aequi conſulas ac boni vehementer peto. Propempticon honori Rutgerſiano deſtinatum accepiſſe te confido. Dedimus hoc totum juveni eximio, et ejus virtuti: quam promovit ſummus vir Jacobus Dyckius, Succorum regi a conſiliis et ad Generales Ordines legatus; qui unicus fortunae illius faber eſt et architectus. Is vir, quemadmodum ingentes animae ſimilium amore ſemper aeſtuant, petiit ut ſtudium ac admirationem, qua jamdudum te atque admiranda tua opera proſequitur, ſignificarem tibi: neque exiſtimat tuliſſe ſe fructum actionum ſuarum, quas omnes ad tranquillitatem ejus regni, cujus cauſas hic agit, et reipublicae noſtrae direxit, niſi illis viris eo nomine innoteſcat, qui integritate morum et judicii hodie inter omnes principatum obtinent, et ſuo merito totam olim antiquitatem poſſidebant. Vale, vir maxime. Hagae Comitis, in aedibus ampliſſimi Succorum legati, 1615. Aug. 9. Libellum de re nummaria magni Scaligeri hic edit noſter Snellius; quanquam, ſi ita videtur, mittam eum ad vos, quem in veſtram gratiam deſcripſit Rutgerſius.

Ex MS. EIDEM.

VIR illuſtriſſime. Ex quo primum intellexi inſtitutum tuum de Caſſandrianis, ſedulo amicos omnes conveni, ut ſi quid illius viri, quo εἰρηνικώτερον non tulit aetas ulla, et qui melius perſpexerit deploratam eſſe veritatis cauſam, ubi quiſque ad inveſtigationem ejus perturbationes ſuas et opiniones adfert, penes ſe haberent, mecum candide communicarent. Verum nihil impetravi hactenus ab iis praeter unam illam de Brugarum laudibus orationem; quam nunc eſſe ad vos miſſam, imo perveniſſe, non dubito. Itaque cum ibi operam luſiſſem, ad propria me contuli. Nam cum curatores noſtri omnia, quae in Vulcanii τοῦ μακαρίτου bibliotheca manu exarata erant, in publicum emiſſent uſum, memineram ibi me nonnulla Caſſandriana vidiſſe. Ceterum res una fraudi nobis fuit: inveni enim ibi quaedam ſine inſcriptione ulla aut titulo, aliena quoque manu deſcripta, quae illius eſſe non aliud quam ſuſpicari poteram, quanquam ea ſane ſunt pauciſſima. Inveni praeter illa quaſdam epiſtolas illius, rudi primum manu, ab auctore, et, ut ſolet fieri, in memoriae ſubſidium delineatas; quas non eſſe eaſdem cum ſuperioribus, quas ante miſi, auguror. Inveni et in Pſalmos annotationes aliquot, et inſtitutionis Chriſtianae, ſive κατηχήσεως, breviſſimam ἐπιτομήν. E quibus puto, ſi non omnia (quod fieri non poteſt, nam ἀκέφαλα ſunt quaedam, quaedam ἀτελῆ) conferri ad inſtitutum tuum poterunt, nonnulla poſſe

excerpi, ideoque ea miſi; ut et quaeſtiones quaſdam, quas Colonienſi clero, quod ſubindicat inſcriptio, propoſuit. Invenies et unam alteramque τῦ φιλαληθεςάτυ ϗ θεολογωτάτυ ἀνδρὸς cum Anabaptiſtis collationem, quas me inveniſſe vehementer ſum gaviſus. Conſultationem, quanquam editam, adjunxi, tum ut conferatur cum excuſa, tum quod nuſquam legerim praefationem quam praefixam hic video. Scio me vidiſſe olim inter ſchedas τῦ προμεμνημένυ breve eccleſiaſticarum rerum compendiolum, quod nunc invenire non potui; ſed non deſinam evolvere omnia, donec aut obtineam quod volo, aut ſublatum eſſe a manu mala certius comperero: nam ut primum ὁ κλησάμενος extinctus eſt, omnia in faſces quoſdam ſubita opera ab heredibus conjecta ſunt. Quod ſupereſt, cum his diebus Brugas ipſe, ut ſpero, profecturus ſim, in qua urbe multi adhuc latent, qui non peſſime de illo ſentiunt, dabo operam ut aliquid eruam, quod ex uſu nobis eſſe poſſit, et quod, ſi non huic, proximae editioni ſaltem accedat: nullis enim verbis, oratione nulla poteſt exprimi, quantopere illud inſtitutum mihi placeat. Neque dubito futurum aliquando ſaeculum quod ſine aemulatione et livore illam φιλαλήθειαν exoſculetur; quod excelſas et erectas animas, quas nulla ſui temporis infecit contagio, quaeque adulationis praemia, totius judicio poſteritatis, et aeternitati, ad quam magno impetu contendunt, poſthabere didicerunt, aeſtimabit ut oportet, reliquos aut deteſtabitur aut neſciet. Erit aetas, ſine dubio, quae libere ſententiam de noſtra feret; quae in ſcripta omnium ex aequo inquiret; quae hoc totum dabit veritati, quod hominibus nunc datur. Ad hanc provocare, eſt eorum tantum qui nunc cum invidia luctantur, quae nec animas vulgares deprimit, neque ultra vitam hanc eximias afflare ſolet. Equidem de te et magno illo tuo animo cum cogito, quem, non ſecus quam in peplo Attico, in praeclaro illo monumento tuo, tua, inquam, hiſtoria, intextum legent poſteri, omnium illorum qui nunc veritatem oderunt invidiam mihi opto cum centeſima illius laudis parte quam illius ſtudioſi debent et debebunt tibi, quamdiu cura ejus aliqua aut ratio in terris erit. Si non penitus humanum genus odit Deus immortalis, aut ſceleribus offenſus noſtris penitus delere parat, ſemper erunt, mihi crede, qui putabunt, intereſſe ſua, ne in tempore anteacto fallantur, qui ad aliorum impoſturas, qui nunc corpus pariter et animum utilitati propriae emanciparunt, nauſeabunt, et, quo magis corruptelam noſtri aevi ex illorum mendaciis et fraudibus perdiſcent, eo magis fidem in te incorruptam mirabuntur; cui non diſſidium religionis univerſum, non praejudicata ſingulorum de ea opinio, in qua naſcimur aut educamur, onus grave ac jugum, et quod vix milleſimus quiſque excutit, tantiſper ſaltem, ut de alio, quemadmodum oportet, judicet; non ulla principum auctoritas aut caliginem objecit oculis, quin videres veritatem, aut metum intentavit ac timorem, quin liberrime profiterere quod ſentires. Me quidem ejus rei admiratio ſic totum poſſedit, ut nihil magis optem, quam ut reverentiam ac cultum tui publice teſtari poſſim, non vulgari monumento, ſed quod tam diu ab omnibus legatur, donec erunt qui e ſcriptis tuis diſcent optime me judicare.

Vale, vir maxime. Hagae Comitis, 6 Sept. 1615. In aedibus ampliſſimi legati regii; cui viro mirum in modum doleo quod nimium obſtrictus ſum, nam ut ſingulari ejus in me ſtudio reſpondeam nulla ſpes eſt.

Ex MS. EIDEM.

ILluſtriſſime vir. Speraveram futurum hac hyeme, ut, ſimul ac regni veſtri tempeſtates aliquantulum remitterent, cum ampliſſimo regis veſtri legato Galliam illam veſtram, elegantiarum ac eruditionis matrem, luſtrarem; ac inprimis animum hunc, divinarum tuarum, ſi quis eſt hodie, virtutum admiratorem, conſpectu ejus viri explerem, cujus ſcripta ab aetate prima propter magnanimitatem et heroicum candorem atque integritatem partim admiratus eram, partim apud omnes praedicaram. Invidit tam ſublimi voto temporum calamitas, per quam factum eſt ut ſtatione ſibi hic a rege demandata non exceſſerit Maurerius, neque magna etiam nunc de illius in patriam reditu appareat ſpes aut occaſio. Quare, quod coram, ſi felix nobis illuxiſſet dies, potiſſimum facturus eram, id quin literis

literis praeſtarem praetermittendum non putavi. Cum non ita pridem ex clariſſimo collega noſtro Petro Bertio intellexiſſem agi apud vos de dignitate ac munere geographi regii in eundem virum praeſtantiſſimum conferendo, quanquam non neſcirem eum eſſe te, ampliſſime Thuane, qui virtuti ponas pretium, ſolus prope de virtute judicare poſſis, quae *laudatur nunc et alget*, ut poeta loquitur, amico tamen tali, cum praeſertim poſſe aliquid nos apud te exiſtimaret, deeſſe non potui; cujus rarae eruditioni (nihil enim hic vulgare aut χυδαῖον commendamus) tantum ſoleo deferre, ut, cum academia haec noſtra multos ſane ſingulari praeditos doctrina viros habeat, vix quemquam eſſe putem cui iſte ſit ſecundus: qui cum omnes verae ſolidaeque partes ſapientiae, non ut juventus noſtra, quae barbariem optimam philoſophiae matrem putat, ſed ex magno Ariſtotele, ab ineunte aetate hauſerit, ac poſtea provectior aetate in alios transfuderit, ut nihil de theologia veteri nunc dicam, tamen in praeclaram hanc ſcientiam praecipue a puero incubuit; ut nihil illi praeter liberalitatem et favorem principis nunc deſit, quo praeclara et eximia in ea arte monumenta cum aeterna ſua ac illius laude edat, cujus magnitudinem, quae totum univerſum hoc complectitur, jampridem animo complexus eſt. Qua in re cum quantum poſſis non ignorem, peto a te et contendo, ut quod potes ſerio efficias: nobis ſane nihil gratius effeceris. Vale, vir maxime, et amare nos perge. Lugd. Bat. 1616. 12 Feb.

EX MS. EIDEM.

ILluſtriſſime vir. Quas de vulnere domeſtico et triſtiſſima calamitate tua fuſe ad te ſcripſi, ante dies aliquot ampliſſimus legatus ad vos miſit: quod ut ex me ſcires operae putavi. De praefatione viri maximi Georgii Caſſandri opuſculis praefigenda ſaepe hic mecum Milius ὁ πάνυ egit. Ceterum ex aliis intelligo, et editionem hanc, exceptis paucis exemplaribus, diſtractam eſſe, et nonnulla ejus viri ἀνώνυμα apud amicum in Geldria noſtrum aſſervari, olim quidem edita, ſed quae aegre comparari nunc poſſint. Lucianum prodiiſſe apud vos audio: quid in eo ſit praeſtitum, quia nullum hic jam ſupereſt exemplar, ſcire needum potui. Multa nobis in auctorem illum olim cogitata erant; ſed in primis nova interpretatione opus eſſe putabamus. Habemus et nonnulla Leopardi needum edita εἰς τὸν ἐκλογιστήν, Demonactis vitam, et nonnullos alios dialogos, quae non acceſſiſſe maceror. Sed haec οὐδὲν πρὸς ἔπος. Literas a te, vir maxime, et quidem conſtantiae teſtes, expectamus, qui tam ſupra fortunam es quam ſupra ſaeculum. Vale, vir illuſtriſſime, et amare nos perge. Hagae Comitis 1616. Aug. 24.

Ex MS. JAC. AUG. THUANO.

ILluſtriſſime Domine. Non dubito quin graviſſimis verbis temeritatem meam incuſaturus ſis, qui tempora tua importuno ſermone morari auſim, quae publicis commodis deſtinaſti. Ego, illuſtris Domine, ut graviſſimae culpae reum eſſe me non diffitebor, ita quicquid commiſſum eſt ſanctiſſimis Joſ. Scaligeri manibus ignoſcas rogo, quorum cauſa te interpello. Scripſimus ante paucos menſes ad clariſſimum Caſaubonum noſtrum de editione vitae Scaligeri quam adornamus. Eam ingens epiſtolarum theſaurus ſequetur. In quibus omnibus quantum ab illuſtri dignitate tua juvari poſſim, non ignoro. Cum enim meliorem vitae partem in Galliis ὁ μακαρίτης, et quidem tecum, egerit, plurima a te habere poſſum, quae fruſtra ab aliis expectarem. Sed ut tantum beneficium vix ſperare auſim, ita timidiſſimis votis nonnunquam optare ſoleo, ut tam felix dies eluceſcat, quae nos tanti muneris compotes faciat. Hiſce, illuſtriſſime Domine, te Deo optimo maximo commendo, et ut audaciae meae ignoſcas rogo. Quod ſi vel tribus verbis reſpondere non gravaberis, ſublimi feriam ſidera vertice. Nobiliſſimus cognatus noſter Mylius ſalutem officioſiſſimam adſcribi juſſit. Lugd. Bat. 27 Aug. 1610.

Tibi ad omnia paratiſſimus

JANUS RUTGERSIUS.

praedito, quo facilius in notitiam veſtrae gentis medicorum celebrium perveniat: nam diſcendi ſummo accenſus ſtudio hanc ad vos profectionem ſuſcepit. Bene mereberis de homine gratiſſimo. Quod reliquum eſt, ne diutius morer tua tempora, hoc eſt, ne publica impediam commoda, rogo te ut quem ſemel, nullo quidem ſuo merito, diligendum ſuſcepiſti Ritterſhuſium, hunc vel ideo etiam in poſterum diligere pergas, quia ipſe te colit ac veneratur inter prima ſaeculi noſtri lumina, vel conſtantiae tuae cauſa. Vale, et ſalve iterum atque iterum, ab eo qui manum tibi per literas interpretes adit venerabundus, CONRADO RITTERSHUSIO. Scriptum Altorfii in academia Norimbergenſi, 9 Martii 1607.

Ex MS. JAC. AUG. THUANO.

Ampliſſime Domine, mihique omni obſervantia colende. Poſt intervallum aliquod audebo denuo tua nobiliſſima et pro republica perpetuo excubantia ſtudia meis literis interpellare, quandoquidem priores meas tanta comitate abs te exceptas recordor, ut non ſolum affatu mutuo, ſed etiam munere luculento me dignareris. Adhuc enim oſtentat bibliotheca mea tuarum hiſtoriarum tomum alterum, quo tunc me donabas liberaliſſime, cum ego ſemiſſem alterum minorum prophetarum auguſto nomini tuo iviſſem inſcriptum. Cum ergo te aſſidue et in oculis feram et in animo, creberrimiſque tuum nomen ſermonibus ad amicos uſurpem, qui in tuo illo ſingularis exempli opere lectitando multi ac propemodum quotidiani ſunt, quis mihi vertet vitio, ſi ex intervallo nonnunquam etiam per literas tibi ſe animus meus aperire geſtiat, eique manus iſta ſubſerviat? Hoc vero tempore tanto magis id mihi faciendum arbitratus ſum, poſteaquam editioni Salviani, mea impenſa atque induſtria procuratae, Chriſtianiſſimi regis veſtri nomen praeſcripſi, eas ob cauſas, quas in προσφωνήσει ipſa expreſſi, neque hic repetere debeo. Mirabuntur proculdubio non pauci factum meum, et nimiam interpretabuntur audaciam. Sed mihi ſatis erit, ſi tibi, ſi clariſſimo viro Iſ. Caſaubono, ſi aliis ſemonibus factum probabo. Dedi autem in mandatis amico cuidam, ut Francofurto exemplar operis unum atque alterum ad te perferendum curet; quorum altero tibi retento, ſi alterum bibliothecae regiae inferendum curaveris, operamque dederis ut majeſtati regiae ſubjectiſſime mea dedicatio innoteſcat, ſummo beneficio me affeceris. Cuperem ſcire, poſſimne a majeſtate ejus impetrare privilegium libris quibuſdam, quorum editionem paro novam. Nomina ſeu titulos eorum librorum conjeci in calcem hujus epiſtolae. Te vero, ampliſſime Domine Thuane praeſes, majorem in modum rogo, velis mihi viam comiter monſtrare, qua graſſandum ſit ad id quod deſidero obtinendum. Neque enim dubito quin multum in negotio adjuvare me gratia et auctoritate tua poſſis, et vero pro tua erga me benevolentia, proque ſtudio promovendi boni publici, non parum etiam velis. Expectabo igitur hac de re ſententiam tuam, quam, ut par eſt, ſequar. Vale, decus aevi, aeternae illuſtris conditor hiſtoriae; mihique, ſi mereri videbor, favere perge. Altorfii, die 4 Sept. 1611.

CONRADUS RITTERSHUSIUS D.

Libri, quibus a ſe edendis Conradus Ritterſhuſius privilegium deſiderat a Chriſtianiſſ. Reg. Majeſtate, ſunt iſti.

Novellarum Imp. Juſtiniani expoſitio methodica; cui praemittitur textus Graecus cum duplici verſione Latina, vet. interpretis et Greg. Haloandri, et epitome Juliani, ut fiat quaſi diateſſaron.

Nemeſii liber de natura hominis, Graece et Latine, cum annotationibus C. R.

Corippi de imp. Juſtino II libri IV, cum commentariolo C. R.

M. Antonini imp. libri XII de vita ſua, Graece et Latine, cum annotationibus.

Malchi ſeu Porphyrii libellus de vita Pythagorae, Graece, cum Latina interpretatione, et commentario C. R. recognito et aucto.

Commentarii in inſtitutiones juris; De contractibus; De ultimis voluntatibus; Ad leges XII tabularum; De differentiis utriuſque juris.

Oppianus

Oppianus de venatione et piſcatione, cum commentario C. R. recognito; cui recens accedunt ſcholia Graeca ex Hiſp. cod. et aliis MS. collecta.

Ex MS. JAC. AUG. THUANO.

ILluſtriſſime Domine noſter, ſemper ſervandiſſime. Poſtquam excellentiſſimus Dominus de Breves Conſtantinopolitanam legationem expleſſet, patriam remeare cupiens, omnes fere Aſiae Africaeque partes luſtravit, ubi multas gentes Chriſtianae quidem fidei addictas, ſed haereſum imperitiaeque caligine miſere oppreſſas atque obrutas deprehendit. Quocirca magna miſeratione commotus, nullam viam, quae ad eorum auxilium apta ſibi videretur, intentatam reliquit. Tandem pio magnoque animo decrevit ſe totum omniaque bona ſua in earum gentium beneficium addicare; animoque ſemper pervolvens quanam ratione iſtis earum egeſtatibus ſuccurrere poſſet, duplex illi via ſeſe obtulit; videlicet viros morum probitate doctrinaeque ſoliditate munitos ad eos populos legare, et libros externis quidem characteribus conſcriptos, ſed veram ſanamque fidei Catholicae doctrinam continentes, inter illos diſſeminare: ut ſic doctorum virorum praeſentia imperitiae caliginem, et approbatorum librorum doctrinae denſas errorum tenebras expellant. Itaque cum jam mandaverit (quamvis multum pecuniae in ea re impendatur) externos characteres incidi, nobis ad ſe convocatis, inque domeſticorum ſuorum numerum adſcriptis, impoſuit hoc tantum opus; cujus exordium ad illuſtriſſimam dominationem tuam de ejus mandato miſimus; ut hoc eſſet tam religioſi conſilii quoddam quaſi initium atque fundamentum. At vero cum vitae noſtrae curriculus brevis ſit valde atque incertus, ne tam praeclarum conſilium inexpletum remaneat, decrevit viros ad illud exequendum accommodatos perquirere, qui deinceps tanto ac tam arduo operi praeeſſent et ad optatum finem perducerent. Nos optimam illius mentem, ut officii noſtri eſt, juvare cupientes, propoſuimus illi optimum fore, ſi ſua apud magnates auctoritate et reliquorum virorum ope obtineret, ut erigatur Pariſiis collegium, ubi aliquot nationis noſtrae Maronitarum adoleſcentes, iiſdem quibus nos idiomatibus praediti, degentes, non modo ejus conſilium explere poſſunt, ſed etiam poſt virtutem ac ſcientiarum adeptionem Catholicam Maronitarum gentem confirmarent, Latinis mercatoribus ſacra myſteria miniſtrarent, omnes orientis nationes, variis erroribus implicatas, ad verae fidei cognitionem reducerent, Galliamque diverſarum linguarum cognitione illuſtrarent. Ipſe libenter annuit, et hunc animum illuſtriſſimo reverendiſſimoque domino cardinali de Joioſa exponens, unus idemque fuit in eo approbando conſenſus. Quinimo excellentiſſimus hic patronus noſter, ut nobis pertulit, ad illuſtriſſimam dominationem tuam de hoc perſcripſit, affirmavitque nobis illuſtriſſimam dominationem tuam cum illuſtriſſimo ac reverendiſſimo domino cardinali Perronio aliiſque urbis primatibus rem tractaſſe, neminemque fuiſſe, qui tali conſilio non annueret. Nos quoque igitur preces noſtras, eaſque quam maximas, (ſi tamen ullius apud dominationem tuam pretii erunt) adjungimus; tuumque religioſiſſimum animum etiam atque etiam rogamus ut operi faveas, et pro poſſe commendes. Optime enim novimus ejus te eſſe apud Chriſtianiſſimi Francorum regis majeſtatem et illuſtres viros auctoritatis, ut, uno te in hoc negotio intercedente, optimum ac certiſſimum ſit res exitum habitura. Vale. Datum Romae 14 die Febr. anno ab incarn. Domini 1612. Illuſtriſſimae dominationi tuae humillimi et addictiſſimi famuli

VICTORIUS SCIALAC, et GABRIEL SIONITA, Maronitae.

EIDEM.

Ex MS. EIDEM.

ILluſtriſſime Domine. Excellentiſſimus Dominus de Breves Chriſtianiſſimi Regis orator epiſtolam noſtram illuſtriſſimae dominationi tuae redditam eſſe ſignificavit, quodque per literas tuas de nobis ad illum ſcripſeras oſtendit, unde optimum tuum erga nos ac gentem noſtram Maronitarum animum percepimus: omni enim diligentia atque amore in eo noſtro negotio peragendo geſturum te polliceris. Certe ex religioſiſſimo et humaniſſimo tuo pectore, non niſi pium illud ac tam benignum prodire poterat reſponſum. Age igitur, et quod ore tuo tam liberaliter ſpondes, cura diligenter ut reipſa compleas; quoniam labores, quos in re iſta impendes, in ſummum Divinae Majeſtatis honorem, regii nominis et Pariſiorum urbis gloriam, tuique ipſius aeternam apud homines memoriam et copioſiſſimam apud Deum mercedem, redundabunt. De hoc ipſo ſcribimus ad illuſtriſſimum dominum cardinalem Perronium priſtinum ac praecipuum noſtrae gentis patronum; idem illi ex corde commendamus. Sed quoniam veremur ne epiſtola noſtra ejus loci apud ipſum futura ſit, ut animum ipſius, alioquin humaniſſimum, flectere queat; idcirco illam ad te miſimus, rogantes illuſtriſſimam dominationem tuam, ut id, in quo noſtra imbecillitas et imperitia deficit, tua prudentia et auctoritas ſuppleat. Quod vero de Agromiae tranſlatione nobis praecepiſti libentiſſime quamprimum conficiemus; et, ceteris omnibus negotiis, quibus valde complicamur, omiſſis, curabimus ut tuam juſſionem exequamur. Unum te monemus, quod ex iſto libello de verbo ad verbum tranſlato, vix ullum poteſt quis conſequi emolumentum, niſi aliqua adjungatur expoſitio: quod nos, divino freti auxilio, facere conabimur: quamvis nec iſta adhuc adhibita diligentia, plena et optata Grammaticae Arabicae intelligentia haberi poterit. Sed quoniam de his longius ad te ſcripſit excellentiſſimus Dominus de Breves, quanam ſcilicet ratione perfecta iſtiuſmodi idiomatis ſcientia in has Latinorum regiones introduci debeat, idcirco has noſtras literas concludimus, ſummum bonum illuſtriſſimae dominationi tuae a Deo poſtulantes. Vale. Illuſtriſſimae dominationi tuae humillimi et addictiſſimi ſervi

VICTORIUS ACCURENSIS et GABRIEL SIONITA Maronitae.

Ex MS. *Illuſtriſſimo ac reverendiſſimo cardinali* PERRONIO.

ILluſtriſſime ac reverendiſſime princeps. Cum omnem ſtudiorum collegiorumque Pariſienſium adminiſtrationem et tutelam tibi, ut virorum doctrinam profitentium principi et anteſignano, commiſſam eſſe magna animi noſtri laetitia ad nos devenerit, non conſentaneum modo, verum etiam noſtrarum eſſe partium duximus, quiddam ad eandem curam pertinens altae religioſaeque menti tuae cogitandum proponere. Ad quod munus praeſtandum eo nos vehementius impelli ſentimus, quo certiores ſumus fore, ut officium noſtrum multo ante tibi debitum ſi minus tibi retribuamus, at aliquantum levemus; quoque apertius videmus fore ut in magnam gentis noſtrae Maronitarum utilitatem, regiae majeſtatis et publicorum Pariſienſis urbis ſtudiorum ſplendorem, et, quod magis eſt, in ſingulare divini cultus atque honoris redundet augmentum. Illud vero eſt, ut tam ſplendidae Chriſtianiſſimi Regis munificentiae in tot ac talibus collegiis ac gymnaſiis extruendis vel parvum quid inſumeretur in collegio pro natione Maronitarum erigendo, ubi duodecim vel quindecim circiter ejuſdem nationis adoleſcentuli Chriſtianis moribus, et diſciplinis, doctrinaeque Catholicae operam navarent: qui poſtea adoleſcentes virtutibus imbuti, non modo nationi ſuae, et omnibus orientis partibus, ſed Galliae quoque ipſi non parum prodeſſent. Eo namque orientalium partium calamitas devenit, ut eae regiones, unde antea ſcientiarum fontes peritiaeque flumina manarunt, nunc, proh dolor! vel parvo rectae eruditionis rivulo ardentem imperitiae ſitim extinguere cupiant, et quae primae ardentiſſimos verae fidei radios in orbem univerſum emiſere, nunc vel remiſſum veri luminis fulgorem cogantur

cogantur emendicare. Ejuſmodi vero egeſtates, aliqua ſaltem ex parte, dicti adoleſcentes explerent. Praeterea non eſt in dubium vertendum, quin collegium hoc de quo ſermonem inſtituimus, ſummi ornamenti, et cujuſdam quaſi complementi, florentiſſimis Pariſiorum ſtudiis eſſet futurum. In illo enim praeter Latinum idioma, vigerent etiam Chaldaicum, Arabicum, Graecum, Turcicum: quae omnia idiomata viri virtutum amatores facili negotio ab ejuſdem collegii alumnis, nec quidem leviter, ſed plene ediſcere poſſent. Iidem quoque alumni optimos ſane ac perſpicuos ſacrarum literarum textus, Chaldaicos videlicet atque Arabicos, Latine redderent; et ſic Biblia regia, Chriſtianiſſimo Regi dicata, integra in primis, et iis Bibliis regiis, quae modo extant, multa emendatiora, conficerentur: quod et majeſtatis regiae nomen plurimum augeret, et noſtrae aetatis haereticorum calumnias retunderet. In iis enim quae modo extant, Novum et Vetus Teſtamentum, ex Arabicis et Chaldaicis totum Vetus, et nonnulla ex Novo deſiderantur, et pauca quae habentur non ſunt fideliter reddita. Iidem alumni multum ipſi regi inſervirent, ſi quando, ut hic Romae ſaepe ſaepius accideret, ullas alicujus principis orientalis epiſtolas praedictis idiomatibus exaratas transferre, aut certe ad aliquem orientalem principem literas vel legationem mittere, contingeret. Iidem denique, ut reliqua praetermittamus, maximo forent adminiculo mercatoribus Latinis, ac praeſertim Gallis, in orientali plaga, tum in rebus ad animarum ſalutem pertinentibus, tum in iis quae ad ſaecularia negotia pertinebunt. Longos frequenteſque hac de re ſermones habuimus cum illuſtriſſimo Domino cardinali de Joioſa, et cum excellentiſſimo Domino de Breves Chriſtianiſſimi Regis oratore; ut idem fuit animus utrique in ea approbanda. Et vero praedictus excellentiſſimus Dominus de Breves mirum in modum eſt propenſus in auxilium illarum gentium orientalium: quippe qui cum e Conſtantinopolitana legatione reverteretur, omnes fere eas regiones perluſtrans, et ſummam earum calamitatem, ac praecipue magnam ſpiritualium rerum inopiam deprehendens, ea captus eſt commiſeratione, ut religioſo et Chriſtiano animo decreverit optimam bonorum ſuorum partem in orientalium ſubſidium impendere. Quocirca domi nos ſuae recepit, inque domeſticos ſuos aſcripſit, et impoſuit ut luculentum linguae Arabicae et Chaldaicae ſive Syriacae Dictionarium ſcriberemus, ut deinde ex hoc Dictionario, quaſi e fonte, alia praeſtantiora opera, favente Deo optimo maximo, permanare poſſint. Ipſe interea excellentiſſimus Dominus de Breves, animi pietate ductus, egregium ſane et grandis impenſae opus inchoavit, ſcilicet inciſionem variorum typorum Arabici, Chaldaici, ac Perſici characteris, ea mente, ut orientalium libros erroribus expurgatos imprimeret, et his libris, veluti facibus, denſas expelleret haereſium tenebras, quibus obrutae jacent miſerae illae nationes: conſilium profecto optimum, et digniſſimum ut ab omnibus viris religione et divino cultui ſtudentibus commendetur atque promoveatur. Idem ergo Dominus de Breves valde favet iſti rei; et illuſtriſſimae dominationis tuae prudentia et auctoritate (prout ſaepe nobis innuit) magnopere fretus, felicem et quaſi certum rei exitum expectat. Age igitur, illuſtriſſime ac reverendiſſime princeps; et, quando iſta ſe offert occaſio, perfice priſtinam tuam in noſtram Maronitarum gentem humanitatem. Te enim gens noſtra ut amantiſſimum patrem ac patronum veneratur propter ſingulare illud beneficium quod in eam contuliſti, cum opera tua declaratum fuit a ſanctiſſimo Domino noſtro Paulo pontifice maximo, beatum Maronem, abbatem, praecipuum totius nationis patronum, a quo appellationem trahunt Maronitae, indubitanter eſſe in ſanctorum numerum adſcriptum; unde factum eſt ut multorum adverſariorum calumniae reprimerentur. Nunc quoque tempus opportunum videtur implendi pium illud conſilium tuum, quo ab urbe Roma profecturus nonnullos ex collegii noſtri Maronitarum alumnis Pariſios ducere decreveras. Nunc demum opportuna tibi ſeſe offert occaſio acquirendi perpetuum nominis monumentum apud omnem noſtram nationem, et ſummam apud Deum mercedem pro opere adeo ſibi accepto. Et vero ea noſtra eſt in te fides, ut pro certo habeamus, rem hanc, te uno protegente ac favente, optimum et certiſſimum finem eſſe conſecuturam. Vale. Datum Romae die 11 Aprilis, anno ab

incarnatione Domini 1612. Illuſtriſſimae ac reverendiſſimae dominationis tuae humillimi et addictiſſimi famuli

VICTORIUS ACCURENSIS et GABRIEL SIONITA Maronitae.

Ex MS. *Illuſtriſſimo Domino* D. JACOBO THUANO, *Conſiliario atque Theſaurario Regio,* GABRIEL SIONITA *et* JOANNES HERRONITA MARONITAE, S. P. DD.

NON mediocre gaudium laetitiamque percepimus e gratiſſimo nuncio quem de optima tua valetudine ab honeſtiſſimis viris dominis Rigaltio et Puteano nuper accepimus: quippe qui te veluti praecipuum noſtris in rebus patronum protectoremque jure habemus, uniceque diligimus ac veremur. Si vero quid iſthic a nobis agatur ſcire cupias, noſtra modo opera in excudendis Arabicis inſtitutionibus deſudat, uti ex alligatis foliis videre licebit, reliqua deinceps accepturus, cum primum typis mandabuntur. Duximus autem fore non minus opportunum quam aequum, ſi opuſculum hoc noſtrum, multis quidem tuis meritis atque innumeris obligationibus noſtris valde impar, tuo nomini dicaremus, ut hac ratione debitum ergà te noſtrum, ſi certe non ſolvatur, (neque enim id unquam fieri poterit) ſaltem perenni cunctis pateſiat monimento. Eoque opportunius, imo felicius, nobis viſum eſt conſilium hocce noſtrum, cum ab illuſtriſſimo Domino de Breves accepimus gratum ſibi fore ſi illuſtriſſimo Domino cardinali Perronio praedictae inſtitutiones dicarentur. Etenim maximam aeſtimamus felicitatem, opus hoc noſtrum geminorum hujuſce urbis luminum ſplendore illuſtrandum, et Pariſienſis academiae parentum optime meritorum nomine cohoneſtandum. Summum igitur in nos beneficium collaturum te noveris, vir illuſtriſſime, ſi nobis per literas tuas innueris te votis noſtris benigne, ut conſueſti, annuere, et aequi bonique ferre libellum iſtum, humilem ſane humique jacentem, nomine tuo, doctrinae atque virtutum alis ſublimato, eo attolli, ut mereri aſpectum valeat eruditorum. Iidem praefati domini indicarunt nobis ſingularem tuam humanitatem, qua certam pecuniae ſummam nobis impetraſti. Qua de re immortales tibi grates rependimus; nec aliud quidquam ſupereſt dicendum, quam novis beneficiis erga nos tuis, in dies magis magiſque nos tibi devinciri. Quodque ad ejus pecuniae exactionem attinet, nullum agnoſcimus aut aptius aut potentius medium te ipſo, qui tanta polles apud omnes proceres auctoritate, ut ſi quid ibi agendum reſtet, facili negotio ſuperare illud valeas. Quod ſi hic etiam induſtria aliqua adhibenda ſit, te etiam atque etiam rogamus, ut alterutrius praedictorum nobilium virorum curae atque benignitati committere digneris. Vale. Datum Pariſiis IX Kal. Febr. A. S. N. 1616.

Extrait des Epiſtres Françoiſes à M. Joſ. de la Scala. Harderwyck, in 8°, 1624. p. 520.

M. Vertunien à M. de la Scala.

UTOR adhuc (ſi tamen hoc potius abuti non eſt) tuo Celſo; de quo nuper quum verba facerem magno Thuano, eſſemuſque in ejus bibliotheca, ille ſtatim e forulis ſuae illius opulentiſſimae bibliothecae librum Capellani Archiatri prompſit, et mihi oſtendit. Inſpexi obiter, et inveni multa quae in tuo legeram. Omnino comparandi ſunt hi duo libri, et concinnanda editio cujus neminem jure poeniteat. Verum de his in urbem reverſi σὺν τῷ Θεῷ plura. Haec volui neſcius ne eſſes, vir clariſſime, *& croy que vous ne trouverez mauvais la communication que je luy ay faict de vos notes ſur ledict Celſe. Le deſir que j'ay de voir ce bel aucteur nettoyé par l'un de vous deux qui ſeuls le pouvez, me le faict faire. A Poictiers ce 7 Novembre,* 1606.

Ex

Ex Thuani Hiſt. lib. XLI, *tom.* II. *p.* 571. *hujus noſtrae editionis.*

ANNO 1567 Joannes Langus, Freiſtadii in principatu Teſchinenſi in Quadis natus, VII Kal. Sept. annum LXIV ſupergreſſus, Suidnicii in Sileſia obiit: vel fideli Nicephori eccleſiaſticae hiſtoriae tranſlatione ad poſteritatem commendandus, quam ex veteri pulcherrimoque ac tota Europa unico exemplari Ferdinandi Caeſaris juſſu fecit; quod vix tandem ac diu poſt, mea cura ac diligentia, ne periret, commodatum, heic apud nos ſua lingua excudetur.

Ex Petri Lambecii commentariis de bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, tom. I. *Vindobonae* 1665, *in folio, p.* 152.

CUM Gallia, quicquid gloriae prima editione Graeco-Latina hiſtoriae eccleſiaſticae Nicephori Calliſti ſibi acquiſivit praecipue debet V. CL. Sebaſtiano Tengnagelio, [qui praefecturam bibliothecae Caeſareae et praefecturam ſenatus Vindobonenſis adminiſtravit] quippe cujus ſingulari beneficio pretioſiſſimus ille codex [membranaceus] manuſcriptus, qui editioni illi ſerviit pro autographo, ex auguſtiſſima bibliotheca Caeſarea Lutetiam miſſus ſit; haud ingratum poſteritati futurum arbitror, ſi principis hiſtoricorum noſtri aevi, viri illuſtriſſimi Jacobi Auguſti Thuani, et duorum doctiſſimorum patrum ſocietatis Jeſu, Frontonis Ducaei et Jacobi Sirmondi, nec non reverendiſſimi eruditiſſimique viri, Domini Roberti Scheilderi, canonici Atrebatenſis et Cameracenſis, ea de cauſa ad Tengnagelium miſſas literas hic ſuperaddidero, una cum ſuccincta totius rei geſtae hiſtoria; quae quidem ita ſe habet. Gratificaturus vir clariſſimus Sebaſtianus Tengnagelius illuſtriſſimo praeſidi Jacobo Auguſto Thuano de jam memorato codice manuſcripto hiſtoriae eccleſiaſticae Nicephori Calliſti impreſſionis cauſa Lutetiam mittendo, cum clementiſſimam ejus rei licentiam a ſacratiſſimo Romanorum imperatore Matthia anno 1614 impetraſſet, opera potiſſimum in hoc negotio deinceps uſus eſt Roberti Scheilderi, Atrebatenſis primum, deinde autem Cameracenſis canonici, viri, ut ipſe Tengnagelius eum appellat, rarae eruditionis et eximiae fidei, qui tunc in Auſtria degens, apud excellentiſſimum potentiſſimi Hiſpaniarum regis legatum D. Balthaſarem de Zuniga commoratus eſt. Ad hunc itaque Scheilderum miſit Tengnagelius jam dicto anno 1614, Nicephorum illum manuſcriptum Vindobona Lentiam, ſeu, ut vulgo loquuntur, Linzium, ut is porro eum curaret tuto perferri in Galliam. Literae ipſius Scheilderi ad Tengnagelium, d. 6 Septembris A. 1614 datae, quibus ſe iſtum codicem accepiſſe nunciat, et peculiarem ipſi hoc nomine mittit ſyngrapham, ſunt hae:

“ JAMPRIDEM reſciviſti, ni fallor, clariſſime et amiciſſime Domine, ex relatu
“ D. Riqueſenſii, librum illum tuto ad me perlatum. Diſtuli id ſcripto teſtari,
“ donec fierem certior de conſilio et mente Thuani, cujus literae tandem mihi
“ fuerunt redditae, quas una cum ſyngrapha mea hic includendas duxi, ut tibi
“ idoneae cautionis inſtar ſint. Non tamen acquieſcam, donec et aliam a typo-
“ grapho, cui codex concredetur, expreſſero. Indiculum librorum, quos petis
“ ex Hiſpania, ad amicos, qui iſtic, miſi: adnitar et alia via deſiderio tuo facere
“ ſatis; quaeſivi enim ex familiaribus meis, num ullibi extent in bibliothecis ſe-
“ lectis Belgii. Si quid literarum pares ad ampliſſimum Thuanum et P. Fronto-
“ nem, utere mea opera. Non facile reperies proxenetam magis idoneum ad
“ utriuſque amicitiam tibi conciliandam. Erit mihi curae, ut utriuſque noſtrum
“ beneficium in [1] editione Nicephori publica ſignetur tabella. De morte Freheri
“ aliunde inaudiveram: puto et te ſcire Caſaubonum animam exhalaſſe. Aiunt
“ poſt editas exercitationes gravi dolore confectum, quod illas minus probari vi-
“ derit; alii aſſerunt, ex abſceſſu in renibus exorto, contracta febre continua de-
“ bilitatum, vitam cum morte commutaſſe. Dolebunt multi materiam triumphi
“ ſibi ereptam, qui ſtylum in eum jam ſtrinxerant. Abſque dubio melius famae
“ ſuae

[1] *Summo quidem jure; ſed fruſtra hoc ſperavit* Scheilderus. *Nam nec ipſius, nec* Tengnagelii in iſta Nicephori Pariſina editione ulla fit mentio. LAMB.

" ſuae et literis conſuluiſſet, ſi tempus ſuum impendiſſet illuſtrando Polybio. " Non licuit per occupationes deſcribere Frontonis literas. Autographum ſervabo diligenter in congreſſum noſtrum, quem inſtare ſpero et voveo. Vale, " vir amiciſſime, et me ama. Linzii raptim, VI Septembris CIƆIƆCXIV.

Exemplum Syngraphae.

" Fateor accepiſſe me per manus Arnoldi Wilhelmi codicem Nicephori in pergameno manuſcriptum, quem Lutetiam ſecure prima opportunitate tranſmiſſurum me polliceor, atque abſoluta editione, integre et eodem modo, quo mihi " traditus eſt, reſtitui curaturum. In cujus rei teſtimonium hanc ſchedulam ſubſcripſi. Datum Lintzii Auſtriae VI die Septembris CIƆIƆCXIV.

Robertus Scheilderus canonicus Atrebatenſis.

HUCUSQUE epiſtola Scheilderi cum incluſa ſyngrapha. Literae autem illuſtriſſimi praeſidis Jacobi Auguſti Thuani, Lutetiae, d. 22 Julii anno 1614 datae, quarum expectatione Scheilderus dilationem reſponſionis ſuae Tengnagelio excuſat, ſunt hae :

" Monſieur,

" J'AI receu la voſtre du XXI du paſſé de Lintz, par laquelle j'ai conneu la diligence, dont avez uſé pour l'exemplaire du Nicephore, auƈteur de l'Hiſtoire " Eccleſiaſtique, duquel j'ai parlé incontinent à nos libraires. S'il eſt porté à la " foire prochaine de Francfort, Cramoiſi que je croi que connoiſsés, d'ailleurs " aſsés conneu pour bon marchand & bon catholique, le recevra, & s'obligera " de le rendre, aprés qu'il aura eſté imprimé, à quoi l'on travaillera inceſſament, " ſi-toſt qu'il aura eſté conſigné, & dés la fin de la preſente année, & ſans diſcontinuation juſques à la conſommation de l'œuvre, que l'on eſpere qui pourra " eſtre dans quinze ou ſeize mois aprés, dont je vous donne ma parole par la " preſente, avec aſſeurance que dans ce temps le livre s'imprimera ; & aprés, l'exemplaire ſera ~~rendu ſain & entier, & tel~~ qu'il aura eſté conſigné és mains du " S. Cramoiſi. Cette lettre vous ſervira, s'il vous plaiſt, d'obligation & d'aſſeurance, & la garderez, ou celui auquel vous la baillerez à ceſt effeƈt. S'il eſt " beſoing de plus grande, me le faiſant ſçavoir j'y ſatisferai, mais ſupplie, que " cela ne retarde un ſi bon œuvre. J'ai ja oui parler de l'Hiſtoire du Pays-bas " eſcrite par le Conneſtagio, duquel j'avois ja veu & eſtimé celle qu'il a eſcrit de " l'Union du Royaume de Portugal à la couronne de Caſtille. J'en ai veu l'auƈteur " à Genes. Il a les qualitez par vous remarquées, & pour leſquelles l'on exagite " aujourd'hui ceux qui entreprennent tels œuvres : mais [1] quiconque travaille " pour le public, il faut, s'il veut bien s'acquitter de ce qu'il a entrepris, qu'il " oublie ſon particulier, & prefere le jugement de la poſterité à la haine & l'envie " du preſent. Je ſçai à quoi m'en tenir : mais Dieu & le temps m'en feront la " raiſon. Cependant je ſuis reſolu à la patience, ſans me beaucoup empeſcher " ni ſoucier de tout ce que l'on diƈt & eſcrit contre moi ; mais recours à Dieu " & à ma conſcience. Je n'ai pû, ni meſmes voulu voir le dernier livre injurieux, " qui a eſté faiƈt contre moi pour ce ſubjeƈt, ni voulu ſçavoir ce qu'il contient, " ne l'ayant jugé digne d'eſtre veu ni leu de moi, & n'en deſirant autre vengeance " que le meſpris : auſſi que je n'ai le loiſir de m'occuper en ſi mauvaiſe leƈture, " & que plus grandes affaires me divertiſſent aſsés, ſans perdre mes meilleures " heures en ſi miſerables eſcrits. Je croi que puiſque le livre du Conneſtagio " eſt imprimé, il ſe pourra recouvrer par deça, ſans qu'il ſoit beſoing que je vous incommode

[1] *Locus vere aureus, cujus ſenſus*; quicumque utilitati publicae recte ſtudet inſervire, eum oportet oblivisci privati commodi, et praeferre incorruptum poſteritatis judicium odio et invidiae praeſentis ſaeculi. *Ad eundem fere modum Seneca epiſtola* 79 : Nulla virtus latet ; et latuiſſe non ipſius eſt damnum. Veniet, qui conditam et ſaeculi ſui malignitate compreſſam dies publicet. Paucis natus eſt, qui populum aetatis ſuae cogitat. Multa annorum millia, multa populorum ſupervenient ; ad illa reſpice. Etiamſi omnibus tecum viventibus ſilentium livor indixerit, venient, qui ſine offenſa, ſine gratia judicent. LAMB.

" incommode du voſtre, ſi ce n'eſt que ſa liberté lui euſt concité des ennemis,
" & euſt empeſché la publication; auquel cas je ne refuſe voſtre courtoiſie.
" Aimez moi, & me conſervez en vos bonnes graces. En ceſt endroit je ſupplie
" tres humblement N. S., Monſieur, vous donner en ſanté ſa grace. De Paris
" ce XXII Juillet, 1614."

Hucusque illuſtriſſimi praeſidis Jacobi Auguſti Thuani ad Robertum Scheilderum epiſtola. Ceterum cum, ut ſupra memoravi, Scheilderus codicem illum manuſcriptum Nicephori anno 1614 Lintzii accepiſſet, ſummo deinceps ſtudio in eam curam incubuit, ut is in manus praeſidis Thuani quamprimum ſecure perveniret. Imprimis autem R. P. Fronto Ducaeus e ſoc. Jeſu, quem ſtudium linguae Graecae prae ceteris celebrem tunc in Gallia reddiderat, cum a Scheildero, tum ab ipſo Tengnagelio ea de re factus fuit certior, ut ex ſubjunctis ipſius literis, anno 1615, d. 24 Februarii ad Tengnagelium datis, videre eſt.

Fronto Ducaeus Sebaſtiano Tengnagelio juris utriuſque doctori, et Caeſareo Bibliothecario, viro clariſſimo, S. D.

" Quod a [1] poeta dictum eſt neſcio quo, non defuturos Marones, ſi fuerint
" Maecenates, id mihi libet immutatum ad tuam laudem traducere, clariſſime
" Tengnageli, ut aſſeram, incaſſum Ptolemaeos nobis ſuppetere Philadelphos,
" niſi Demetrios etiam habeant Phalaraeos. Etſi enim pauci ſint principes, qui
" locupletiſſimas inſtruant bibliothecas, et ad extorquendos e barbarorum manibus
" codices calamo exaratos pecunias impendant, tamen illi ipſi, niſi liberales et
" doctos illis cuſtodes apponant, multo magis libris rarioribus carebimus, quos
" etiam cum dolore, imo luctu, ſervari ſciemus, ſed ab iis, qui per ſummam in-
" vidiam eorum uſum doctis aut ſtudioſis hominibus non permittunt. Quo nos
" aequius eſt probitatem atque humanitatem tuam ſuſpicere ac praedicare, qui,
" etſi a nobis [2] non rogatus, bene de nobis mereri ſponte voluiſti; ſtatimque
" atque amicorum opera tibi innotuit, nos hiſtoriam Nicephori Graecam avide
" expetere, ut, quod unum ſupereſt in orbe Chriſtiano illius exemplar, formis
" expreſſum aereis in lucem exeat, perlibenter ad nos mittendum illud tradidiſti.
" Ac nos quidem non mediocriter anxios ac ſolicitos habuit ejus expectatio,
" cum literae quidem tuae Septembri menſe datae jam in itinere eſſe ſignifica-
" rent, cui commiſſum erat; ipſae vero Francofurti ſine libro Pariſienſi biblio-
" polae Morello fuiſſent redditae. Sed admoniti poſtea ſumus a doctiſſimo
" noſtrique amantiſſimo Scheildero, fidem datam feſelliſſe, qui ſe illud laturum
" receperat; itaque κατὰ δεύτερον πλοῦν, alterius geruli fidelioris opera, eſſe perfe-
" rendum. Cum igitur advenerit, quam diligentiſſime curabimus exſcribi, ſta-
" timque remittemus; et antequam praelo ſubjiciatur, cum Graeco textu Langi
" verſio conferetur, ne qua forte loca, ut fit, interpres omiſerit, vel ſubleſta fide
" corruperit: cujus enim fuerit communionis, illo ſuo grandi in Juſtinum com-
" mentario ſatis indicavit.—Sunt in hac urbe duo Maronitae, quorum opera ſe
" uſurum profitetur Dn. Breveſius, regius ad pontificem exlegatus, ad Bibliorum
" paraphraſin Arabicam et Chaldaicam excudendam.—Salutat te doctiſſimus Ri-
" galtius, qui in cura bibliothecae regiae Caſaubono ſucceſſit, aucto etiam ſti-
" pendio ad ſexcentos uſque florenos Brabanticos ſive libras Turonicas totidem.
" —Vale. Lutetiae Pariſiorum VI Kal. Martias CIϽIϽCXV.

Manuscriptus Nicephori codex Caeſareus Lutetiam tandem pervenit die 29 Aprilis, an. CIϽIϽCXV. Unde ſumpta occaſione ad Tengnagelium, die 4 Maii ejuſdem anni CIϽIϽCXV, illuſtriſſimus praeſes Thuanus, non tantum gratiarum actionis, ſed et ſyngraphae loco, has miſit literas.

[1] Martial. *lib. 8. epigram. 56. ad Flaccum:* Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones. Lamb.

[2] *At ab illuſtriſſimo praeſide Thuano vehementiſſime rogatus fuerat, ut ex ejuſdem gratiarum actione paulo poſt apparebit.* Lamb.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS *viro clariſſimo* SEBASTIANO TENGNAGELIO S. D.

" Ad tuas Viennae Pannonicae ante octo menſes datas, vir clariſſime, reſpondeo. " Expectatione Nicephori tui, quem, diu in Italia et Lotharinga prius jactatum, " tandem recepi, reſponſionem diſtuli. Sciebam tota Europa hoc unicum ex-" emplar extare; quippe qui per oratores noſtros Conſtantinopoli jam a multo " tempore ſedulo egiſſem, ut ſi ejuſdem aliud nanciſci poſſent, illud quovis pre-" tio redemptum ad nos mitterent: quod illi, veſtigatione diligenti facta, cum " fruſtra fuiſſent, nimis verum eſſe confirmarunt. Quo mihi diligentius eniten-" dum putavi, ut habendi veſtri et edendi occaſionem quaererem, ne, ſi caſu " illud amitteretur, cum eo nunquam ſarciendae jacturae amiſſio fieret. Nunc " cum tua benignitate, et commendatione Domini Scheilderi, id meae fidei com-" miſſum ſit, ut tantae expectationis liber publicetur, dabo operam, ne te be-" nignitatis tuae aut Scheilderum officii poeniteat. Habebis interim et ſervabis " has a me literas, fidei jam datae teſtes alteras; ac ſpero, ut intra annum majore " ex parte perfecto opere, eam ſi non omnino liberare, diligentiam ſaltem in eo " edendo adhibitam miſſis foliis jam cuſis tibi approbare poſſim. R. P. Fronto " Ducaeus erit operis inſpector et curator, et, ſi me audiet, [1] ſereniſſimo Matthiae " Caeſari, ex cujus inſtructiſſima bibliotheca illud ad publicam utilitatem nunc " ſua lingua, ut olim Ferdinandi avi auſpiciis Latina, prodit, denuo inſcribet, et " beneficii auctorem laudabit. Inter occupationes aulicas hoc etiam curae mihi " erit. Mora illa octimeſtris, quae a datis tuis literis ad exemplar receptum " effluxit, in cauſa fuit, quo minus deſideriis tuis in reliquis pro tempore ſatiſ-" factum fuerit. Paratam habebam noſtrarum hiſtoriarum editionem, multis par-" tibus et rebus, praecipue Britannicis et Hibernicis, auctiorem: et ſpem fecerant " librarii, ut ad eam ſe ſerio accingerent. Quod cum non fecerint, dabo operam, " ut exemplar forma duodecima, quae aliis, ut noviſſima, melior eſt et locuple-" tior, ad te mittatur. Nam marginalibus illis notis, quae minus tibi gratae, " ego pariter offendor non mediocriter; et graviſſime tuli, me ſuperſtite, qui " multa addere, detrahere, etiam quaedam emendare et meliora facere in iis ſpe-" rem, et jure meo poſſum, praepoſtera nundinalium librariorum ſedulitate, ſeu " potius attentiore ad quaeſtum diligentia, mihi plenam de re mea ſtatuendi li-" bertatem et arbitrium ademptum eſſe. De Marmolia in Hiſpaniam ad oratorem " regium, proxima mecum cognatione conjunctum, jampridem ſcripſi, necdum " tamen commodum ab eo reſponſum tuli, raritatem libri cauſante, utpote di-" ſtractis, quae apud typographos proſtabant, cunctis exemplaribus. Nam quod " habebam, et quo uſus ſum, cum viro mihi amiciſſimo commodaſſem, mortuo " eo heredes reſtitutionem procraſtinantes hactenus cluſerunt. D. Scheilderus " habet amicos in Hiſpania, quorum ope non dubito, quin jam nunc tibi rem " confectam dederit. Si interim ex Hiſpania aliud nanciſci, aut meum recuperare " potero, illud quamprimum ad te curabo. Saracenica ſeu Muhamedica, quam " moliris, hiſtoria fac per tuam diligentiam, ut, quam cito fieri poterit, fruamur. " Juvabit tam potentis imperii prima incunabula vix ſatis Chriſtiano orbi huc uſ-" que perſpecta plenius cognoſcere, et imperſcrutabilia Dei judicia, qui imperio-" rum auctor eſt, in eo admirari. Librarii noſtri novam Bibliorum editionem " parant, cui poſt Hiſpanam et ultimam Antuerpianam, meliorem paraphraſin " Chaldaicam ſive Syriacam et Arabicam verſionem in Vetus et Novum Teſta-" mentum addent cum interpretatione Latina peculiari. Illuſtriſſimus cardinalis " Perronus opus urget, et vicaria opera noſtra ad eam rem utitur."

Hucusque illuſtriſſimus praeſes Thuanus. De ejuſdem manuſcripti codicis Lutetiam adventu ſcripſit etiam ad D. Scheilderum R. P. Fronto Ducaeus, integris poſtea decem diebus, nempe XV Maii an. CIƆIƆCXV, ut videre eſt ex epiſtola ſequenti.

Monsieur,

[1] *Juſtiſſimum hoc fuiſſet, ſed cujus neſcio culpa Caeſari praelatus fuit Cardinalis Richelius.* Lamb.

Monsieur,

“ Le Nicephore eſt arrivé à Paris ſain & ſauve, Dieu mercy, le 29 d'Avril avec “ une lettre du Pere Gueret, Recteur de noſtre Noviciat de Nancy, qui m'eſcri- “ voit du 18 d'Avril, qu'un gentilhomme Eſpagnol, nommé Navarra, le lui avoit “ delivré pour me le faire' tenir. Ledict Eſpagnol l'avoit receu d'un grand “ Seigneur Portugais, & l'a faict porter juſques à Nancy ſortant de Vienne, où il “ eſtoit à la ſuite de l'Empereur. Six heures aprés que je l'eus receu, ayant payé “ le port à deux ſols pour livre, il en peſoit 20, je l'ay porté à Monſ. le Preſident “ de Thou, qui a eſté fort aiſe de le recevoir, & en a faict ſi grande eſtime, “ qu'il penſe qu'il pourroit eſtre l'autographe, ou la copie preſentée par l'auteur, “ l'Empereur luy en ayant laiſſé l'entiere diſpoſition comme par courtoiſie. Il “ diſoit s'en remettre à moy. Il m'a faict dire depuis par Monſieur Rigault, que “ pour ſon contentement il ſeroit bon qu'on le fiſt tranſcrire par maiſtre Henry “ Eſtienne, fils de Charles Eſtienne, frere de Robert, qui eſt Catholique, & a “ ſon imprimerie en l'ancienne maiſon des Eſtiennes prés les Eſcholes du Decret: “ mais à cauſe qu'eſtant Threſorier des baſtiments du Roy il a eſté incommodé “ en ſes affaires, *redit ad majorum artificium*. C'eſt celuy à qui Monſ. Caſaubon “ a dedié ſes Notes ſur Dion Chryſoſtome. Les fraix de l'impreſſion ſeront faicts “ par Drouart le libraire, qui debite & a faict imprimer l'Hiſtoire dudict Sr. “ Preſident, *et hoc inconſultis nobis*: dequoy Claude Morel faiſant ſes plaintes, “ comme ayant eu eſperance de l'avoir pour ſoy, il adjouſta, que ledict Sr. “ ne vouloit point qu'on reviſt la traduction Latine, & qu'il ny avoit rien à “ corriger. Je ne ſçay ce qu'en ſera; mais je crains que ce ſera choſe difficile “ de contenter ledict Sr. Preſident, & le Sr. Bibliothecaire de l'Empereur, qui “ veut qu'on renvoye la traduction. J'ay beſoing de m'entretenir en paix avec “ le Bibliothecaire du Roy, & meſme leur authorité m'eſt neceſſaire eſtant à Paris. “ Je ne luy ay point delivré voſtre lettre à cauſe qu'elle fait mention de la Dedi- “ cace. Je vous prie de m'en envoyer avis, de peur d'eſtre engagé & de deplaire, ſi “ on le monſtre moins enclin à leur honneur. [1] A la verité puiſque la traduction “ eſt dediée à un Empereur, il ne ſemble pas ſeant que l'edition double ſoit “ donnée à un moins grand Seigneur, que celuy à qui eſt la ſimple. Je ſeroy “ bien aiſe d'en eſtre entierement delivré. On n'a encores vuidé le different “ des libraires à raiſon du privilege des Breviaires, pour lequel on les veut “ charger d'imprimer les Auteurs & Peres Grecs, & le Preſident de Thou eſt un “ des deputez pour la ſurintendance de ces labeurs royaux, avec le ſieur Cardinal “ du Perron, Mr. de Marillac, & le lieutenant civil Henry de Meſmes. De “ Paris, ce 15 de May, 1615.

Illustrissimus praeſes Jac. Aug. Thuanus ſua ad Tengnagelium epiſtola, ob acceptum hiſtoriae eccleſiaſticae Nicephori Calliſti codicem manuſcriptum Graecum fidem ſuam obligavit loco Syngraphae; caeterum quantae molis fuerit, Nicephorum illum peregrinantem ex Gallia revocare domum, ſatis patet ex ſubjuncta epiſtola R. P. Frontonis Ducaei, quam poſt mortem Thuani, d. 13 Januarii an. 1621, miſit ad Tengnagelium.

Clariſſimo viro Dn. SEBASTIANO TENGNAGELIO *J. V. D. et Caeſareo Bibliothecario* FRONTO DUCAEUS *S. P. D.*

“ Ex literis communis amici noſtri D. Scheilderi canonici Atrebatenſis, jam “ diu, tibi, opinor, innotuit, per me non ſtetiſſe, quo minus citius Nicephorus “ tuus et Caeſareae bibliothecae reſtitueretur, et in lucem utraque lingua editus “ prodiret, praeſertim cum non ita pridem ipſe praeſens Lutetiae ſuis oculis et “ auribus, quo in loco negotium iſtud verſaretur, et quo in ſtatu eſſet, percipere “ potuiſſet. Quod ſi mihi ſcirem agendum cum homine, qui ignoraret, quam “ difficile

[1] *Locus notabilis de dedicanda Imperatori editione Graeco-Latina Nicephori. Juſtiſſimum enim profecto hoc fuiſſet, ſed cujus neſcio culpa praelatus fuit S. Caeſareae Majeſtati* cardinalis Richelius. Lamb.

" difficile fuerit hactenus ordini noſtro, jus ſuum apud judices Pariſienſis iſtius
" ſenatus obtinere, exponerem pluribus, et per longas ſermonum ambages totam
" hiſtoriam deducerem; ſed quoniam ſocietatis noſtrae veteri amico rem narro,
" non pudebit me viciſſim tecum expoſtulare, quod nunquam ad praeſidis Thuani
" filiorum tutores curatoreſve ſcribere dignatus ſis, neque per legatos ordinarios
" vel extraordinarios Imperatoris egeris, ut tam rarus tantique pretii liber re-
" poſceretur. Cum enim ad me ſolum eum non miſeris, ſed regii bibliothecarii
" committendum fidei volueris, eique per me traditus fuerit, qui potui ego pri-
" vatus et religioſus profeſſus ei litem intendere, qui eum tot annos detinuit?
" Urgere tantum, et precibus quereliſque ſolicitare tutores illos potui, quod et
" praeſtiti; nec ipſi recuſarunt apud praetorem Pariſienſem illum in jus vocatum
" perſequi, donec ad ſupremam curiam provocavit. Henricus Stephanus is erat,
" cui affinis ejus Iſaacus Caſaubonus ſuas in Dionem Chryſoſtomum notas προσ-
" φώνησι; qui cum amicorum potius vitio, quam ſuo, paene decoxiſſet, et quaeſtura
" ſua ſe abdicare, atque ad priſtinam paternamque typographi artem redire co-
" actus eſſet, gratificari voluit ei praeſes, atque ejus fidei Nicephorum exſcriben-
" dum et imprimendum commiſit. Cum igitur diutius editionem illam differret,
" quouſque ſuis creditoribus ſatisfacere potuiſſet, librum a ſe repoſcentibus re-
" ſpondebat, aequum non eſſe, ut ſui laboris fructu privaretur, cum tot menſium
" vigiliis apographum illud exaraſſet fideliter ex autographo expreſſum. Objicie-
" batur illi, praeſto eſſe bibliopolas, quorum ſumptibus liber edendus eſſet, qui
" non ſolum manupretium illi numerarent, ſed et auctario inſigni mercedem il-
" lam cumularent. Tandem tamen cum ad editionem ſe accingeret regio in-
" ſtructus privilegio, quod a ſenatu confirmari cupiebat, ad regium procuratorem
" venit. Ille vero, a me rogatus, aſſenſum ſe praebiturum negavit, niſi prius
" codicem Caeſareum reſtitueret, quem etiam in ſuum muſaeum mihi tradendum
" perferri curavit: poſtea tamen ſenis afflicti lachrymis victus, illum ei reſtituit,
" et paciſci cum bibliopola permiſit; a quo et pro manupretio apographi et pro
" ipſius privilegii communicatione ſponſionem quingentorum aureorum extorſit,
" poſt ſex menſes numerandorum. Itaque niſi velit grandi foenore gravari Se-
" baſtianus Cramoiſius, Sebaſtiani Nivellii ex filia nepos, neceſſe eſt, ut primo
" quoque tempore Nicephorum praelo ſubjiciat; jamque duodecim aureorum
" ſummam Viennam miſit ad ſecretarium Domini Bethunii, ut ejus opera privi-
" legium Caeſareum poſſit obtinere. Coepimus interim Joannis Langi Latinam
" interpretationem cum textu Graeco diligentius conferre, comperique hominem
" alioqui doctum non paucis in locis erraſſe, neque dignatum cum Euſebio, So-
" crate, et Sozomeno ſuam verſionem conferre, aut eos auctores adire, quorum
" ex libris Nicephorus ſuas hiſtorias excerpſiſſet. Exempli cauſa, lib. 2. cap. 13.
" angelum ſcribit conſpectum ab Herode funiculo cuidam inſidentem, ſtatimque
" cognoviſſe ex malis illis eſſe, qui aliquando boni fuiſſent. At hoc non dicit
" Nicephorus, vel certe Joſephus, ex quo illud eſt, ſed bubonem ab Herode vi-
" ſum, qui, ut olim, Romae cum eſſet, nuncius boni fuit, ſic nunc propinquae
" mortis nuncius futurus advenerat. Id enim praedictum Herodi fuerat a Ger-
" mano vate, ut ſcribit Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 8. Sunt etiam loca non-
" nulla apud Euſebium ex conjectura correcta ab interprete Chriſtophorſono, quo-
" rum lectio reſtitui Nicephori auxilio poteſt, et mutuam operam ipſe ex aliorum
" collatione ſibi utilem experiri. Nonnunquam enim in compendium redegit,
" quae alii pluribus expoſuere; nonnunquam etiam fuſius narrat, et lucem aliis
" affundit. Hanc vero collationem non poteſt quis ſtans pede in uno et raptim
" praeſtare; itaque temporis aliquid concedi neceſſe eſt, ut ad hiſtoriarum capita
" fonteſque perveniamus. Atqui multo erit illud honorificentius imperatoriae
" bibliothecae, ſi accurate recognitus cum interpretatione prodeat ex illa Nice-
" phorus, quam ſi accelerata diligentia cum tot naevis et maculis ſuſpecta Catho-
" licis eicatur editio ab homine Lutherano elaborata; licet Catholicum eum fuiſſe
" Philippus Mornaeus aliquando contenderit, eo nomine ab illuſtriſſimo cardinale
" Perronio caſtigatus. Neque metuere debes, quin elogium dedicationis ei liceat
" inſcribere, cui debetur; quod ita poteris, Deo favente, pertexere, ut ſimul

" Νικηφόρου

“ Νικηφόρον [1] τῷ νικηφόρῳ et triumphatori ſemper Auguſto te dicas offerre: ita nunc omnia proſpere cedunt magnanimo principi et de religione Catholica optime merito.—Maronitae duo linguam Arabicam profitentur, et illis tanquam regiis profeſſoribus quadringentorum aureorum ſtipendium aſſignatum eſt. Nuper etiam ab univerſo Franciae clero munere non exiguo ſunt adjuti, ut inchoatam Veteris Teſtamenti paraphraſin Arabicam in lucem edere poſſint, una cum ſua interpretatione Latina, quam ſuis ſumptibus iidem epiſcopi in lucem exire curabunt. Thomas Erpenius Lutetiae fuit, ſed ex ea jam diu diſceſſit in Belgium, ubi editionem illam Arabicam dicitur praelo adornare, Catholicis ſuſpectam futuram.—Lutetiae Pariſiorum Idibus Januariis CIↃIↃCXXI.

Hucusque R. P. Frontonis Ducaei ad Tengnagelium epiſtola de difficultate remiſſionis Nicephori manuſcripti in auguſtiſſimam bibliothecam Caeſaream. Poſt mortem autem jam memorati P. Ducaei devenit codex ille manuſcriptus Nicephori Calliſti in manus R. P. Jacobi Sirmondi, e ſocietate Jeſu, viri ſanctiſſimae vitae, ſummae eruditionis et accuratiſſimi judicii.—Literae ipſius ad Tengnagelium, quibus eum de codice manuſcripto Nicephori Calliſti, poſt mortem R. P. Frontonis Ducaei in manus ſuas devoluto, certiorem facit, ſunt hae:

Clariſſime et doctiſſime Domine, mihi plurimum obſervande.

“ Nicephori vetus exemplar Caeſareum, quod ego poſt P. Frontonis Ducaei obitum in fidem meam receperam, ſalvum ad te D. Werdemanni Reſidentis opera perveniſſe ſpero. Quid vero ejus editionem tamdiu antehac retardarit, non facile dixerim; ſed video nunc tandem a Cramoiſio noſtro typos Graecos comparari, ut eam proximo, ut ait, Decembri menſe aggrediatur. Quod ſi fiet, multorum expectationi ſatisfaciet; tibi autem in primis gratiam habebunt, qui tuo id ſe potiſſimum beneficio conſecutos intelligent.—P. Fronto ante obitum ſuum Nicephorum plane abſolverat; itaque cum Graeco textu Latina verſio, ut ab eo recognita fuerat, conjungetur.—Quod ad Biblia Syriaca et Arabica ſpectat, quae Maronitae pollicebantur, nihil hactenus apparuit.—Pariſiis 3 Nonas Septembres CIↃIↃCXXVI.

Hucusque R. P. Sirmondi de Nicephori Calliſti codice manuſcripto Caeſareo Vindobonam remittendo epiſtola ad Tengnagelium. Verum enimvero ne tunc quidem, ut Sirmondus ſperarat, Nicephori illud exemplar manuſcriptum Tengnagelio fuit redditum, ſed anni demum ſequentis CIↃIↃCXXVII Kalendis Februarii; ubi illuſtriſſimus atque excellentiſſimus comes de Furſtenberg, qui ex legatione Gallica in aulam imperialem redierat, eximium iſtud antiquitatis eccleſiaſticae monumentum, quod integros fere duodecim annos, nempe a menſe Aprili anni 1615, in Gallia haeſerat, auguſtiſſimae bibliothecae Caeſareae feliciter reſtituit. Hoc enim ipſe Tengnagelius ſupra inſertae illuſtriſſ. praeſidis Thuani ad Scheilderum epiſtolae Gallicae externa pagina teſtatur his verbis: *Nicephori hiſtoria mihi ab excellentiſſimo domino comite de Furſtenberg eſt reddita* 1 *Februarii* 1627.

[1] *Nempe glorioſiſſimo Romanorum imperatori Ferdinando* II, *qui hac periphraſi ſignificatur.* Lamb.

Avant *que de quitter cet article de l'affection que M. de Thou portoit a la literature & aux ſçavans, nous obſerverons, que lorsqu'il fut pourveu de la charge de Maitre de la Bibliotheque Royale, ce fut à ſa recommandation que M. Caſaubon, & apres luy M. Rigault, eurent l'office de Gardes de cette Bibliotheque. La conduite de M. de Thou dans cette charge, eſt repreſentée par M. Perrault, en ſon Eloge, de cette maniere:*

" Le Roy luy donna la charge de * Garde de ſa Bibliotheque, vacante par " la mort du grand Amiot traducteur de Plutarque. Cette illuſtre Bibliotheque, " la plus belle du monde, aprés celle du Vatican, ne tomba pas en de moins " dignes mains & n'en receut pas moins d'honneur qu'elle luy en fit. Elle " devint plus que jamais le reduit de ce qu'il y avoit de plus ſçavans hommes " & de plus vertueux parmy les gens de lettres, & ç'a eſté particulierement ſous ſa " conduite qu'elle s'eſt renduë recommandable, tant par les hommes vivans qui y " conferoient de toutes ſortes de ſciences, que par les autheurs morts qu'on y " alloit conſulter."

Au ſujet encore de la Bibliotheque du Roy, il ſemble qu'il ne ſera pas hors de propos de mettre ici ce que le Pere Jacob *en dit dans ſon* Traicté des plus belles Bibliotheques, *imprimé a* Paris *in 8vo, 1644. p. 440. & ſuiv.*

Quoyque l'empereur Charlemagne, aye eſté le premier de nos Rois à dreſſer des Bibliotheques: toutefois nous ne treuvons point que ce fut à Paris, ains à Aix la Chapelle & à Lyon: c'eſt pourquoy je treuve que le Roy Charles V. a eſté le premier qui a donné le fondement à la tres-magnifique Bibliotheque Royale, qu'il erigea à Fontaine-bleau; car il fit rechercher avec un grand ſoin les meilleurs livres, qui ſe pouvoient treuver de ſon temps pour l'enrichir. Et jaçoit que ce Monarque n'euſt la cognoiſſance de la langue Latine: il eſtoit neantmoins naturellement enclin aux ſciences, & uſoit d'une eloquence merveilleuſe en ſes diſcours, comme le témoignent ceux qu'il fit pour appaiſer les ſeditions de Paris & reſpondre aux invectives de Charles Roy de Navarre, dit le Mauvais, ſelon la remarque qu'en fait Hilarion de Coſte Minime, *en ſes Eloges des Dauphins de France, pag. 223.* Ce ſage Roy portoit un grand amour aux gens de lettres; leſquels il emploioit à faire diverſes traductions. Il commanda à *Nicolas Oreſme* Docteur de la Faculté, grand Maiſtre du College de Navarre, Chanoine de la ſaincte Chapelle, puis Eveſque 28 de Liſieux, qui eſtoit fort intelligent en la Theologie & Philoſophie, de faire les verſions *de la Bible, des Ethiques, Politiques, & des livres du Ciel & du monde* d'Ariſtote, avec *les Dialogues* de François Petrarque de l'une & de l'autre fortune. Par le commandement du meſme, *Jean Golain* docteur de Paris & provincial des Carmes, de la province de France, traduiſit *le Rational des divins Offices,* ou *Ceremonies de l'Egliſe,* & *les Collations des ſaincts Peres,* traduites de Grec en Latin par Caſſiodore; *Jean Corbichon* Docteur de l'Ordre des Auguſtins, travailla auſſi ſur *le grand Proprietaire de toutes choſes,* de Barthelemy Langlois; *Simon de Heſdein,* pareillement Docteur, donna la verſion *de Valere le Grand*; *Rodolphe de Preſles* eut le meſme employ pour les livres de S. Auguſtin *de la Cité de Dieu.* Pluſieurs autres ſçavans perſonnages luy preſenterent divers ouvrages qu'il recevoit tres volontiers, en témoignage de l'inclination qu'il avoit pour les lettres.

" devoir, coupe moi mes cheveux." Ce qu'il commença de faire, mais comme il eſtoit maladroit, le Pere lui oſta les ciſeaux, & les fit couper par ſon compagnon. Pendant quoi il regardoit d'un viſage aſſeuré & riant ceux qui eſtoient les plus proches, & s'eſtant teu peu de temps il profera ceſte ſentence de St. Paul: *Non contemplantibus nobis quae videntur, ſed quae non videntur; quae enim videntur temporalia ſunt, quae autem non videntur aeterna.* Ses cheveux coupez il ſe mit à genoux ſur le bloc, & fit une ofrande de ſoi-meſme à Dieu avec des paroles & des ſentimens tres-grands: il s'advoua le plus grand pecheur & le plus criminel de tous les hommes, mais que Dieu lui donnoit une ſi grande confiance en ſa bonté, qu'il craignoit qu'il n'y euſt de l'excés; teſmoigna un grand regret de ſa vie paſſée, diſant que ſi on lui euſt laiſſé la vie, il croyoit qu'il l'euſt employée tout autrement qu'il n'avoit pas faict; demanda à tous un *Pater* & un *Ave Maria* avec des paroles qui perçoient le cœur de ceux qui l'entendoient; baiſa le Crucifix avec grand ſentiment d'amour & de joye. Puis il dit, " Mon Pere ne me veult on point bander?" & comme le Pere lui euſt reſpondu que cela dependoit de lui, il dit, " Oui, mon Pere,
" il

" il me faut bander," & en ſouſriant & regardant ceux qui eſtoient proches de lui, dit, " Meſſieurs, je l'advouë, je ſuis poltron, je crains de mourir. Quand je penſe à la " mort, je tremble, je fremis, les cheveux me heriſſent, & ſi vous voyez quelque peu " de conſtance en moi, attribuez cela à noſtre Seigneur qui faict un miracle pour me " ſauver; car effectivement pour bien mourir en l'eſtat où je ſuis, il faut de la reſolu-" tion, je n'en ay point, mais Dieu m'en donne & me fortifie puiſſamment."

Puis il chercha ſon mouchoir pour ſe bander, pria ceux qui eſtoient prés de l'eſchaffaut de lui en jetter un: auſſi-toſt on lui en jetta deux ou trois; il en prit un, & fit grande civilité à ceux qui lui avoient jetté, les remerciant, & promettant de prier Dieu pour eux au ciel, n'eſtant pas en ſon pouvoir de leur rendre ce ſervice en ce monde. L'executeur enfin le banda.

Aprés il mit ſon col ſur le poteau, demanda s'il eſtoit bien. L'executeur voyant que les cordons de ſa chemiſe eſtoient nouez, lui porta la main au col pour les denouer; ce qu'ayant ſenti, il demanda, " Qu'y a-t-il, faut il encores oſter la chemiſe," & ſe diſpoſoit à l'oſter. On lui dit que non, qu'il falloit ſeulement denouer les cordons, ce qui fut faict; & ayant mis ſa teſte ſur le poteau, il prononça ſes dernieres paroles, qui furent, *Maria mater gratiae, mater miſericordiae, tu nos ab hoſte protege et hora mortis ſuſcipe.* Puis *in manus tuas*, &c. & lors ſes mains commencerent à tremblotter en attendant le coup, qui lui fut donné tout au haut du col trop prés de la teſte, duquel coup ſon col n'eſtant coupé qu'à demy, le corps tomba à coſté gauche du poteau à la renverſe, le viſage contre le ciel, remuant les jambes & les pieds, & hauſſant foiblement les mains. Le bourreau le voulut renverſer pour achever: mais effrayé des cris du peuple, il lui donna trois ou quatre coups ſur la gorge, & ainſi lui coupa la teſta qui demeura ſur l'eſchaffaut.

L'executeur l'ayant deſpouillé, porta ſon corps couvert d'un drap dans le carroſſe qui les avoit amenez. Puis il y mit auſſi celui de M. de Cinq Mars, & leurs teſtes qui avoient encores les yeux ouverts, particulierement celle de M. de Thou, qui ſembloit vivante. De là ils furent portez aux Feuillans, où M. de Cinq Mars fut enterré devant le Maiſtre Autel. M. de Thou fut oſté des Feuillans, & porté aux Carmelites de Lion, où il fut embaumé & mis dans un cercueil de plomb où il eſt encores. Pour ſon cœur il a eſté porté à Paris, & mis en la ſepulture de ſes Anceſtres dans l'Egliſe St. André.

Trois Lettres de Mr. de Thou à M. Dupuy, écrites aprés ſon empriſonnement.

Copiées ſur les Originaux écrits de la propre main de Mr de Thou.

A Monſieur Dupuy.

De Terault prés de Montpellier ce Lundy 16 Juin. 1642.

Monsieur,

Encores que j'eſtois une perſonne aſſez peu conſiderable dans l'Eſtat, ſi ne doute-je pas que le bruit commun ne vous ait deſja appris mon malheur, qui eſt le plus grand qui me pût jamais arriver. Tous ceux qui ont eu un pareil accident, n'ont jamais manqué d'alleguer d'abord leur innocence. Pour moi je prens un ſtile tout contraire, me jugeant coupable puiſque j'ay eſté ſi malheureux que d'avoir depleu au Roy; mais aprés cette faute qui n'eſt pas petite, je vous jure que ma conſcience ne m'en reproche aucune autre, & j'oſe me promettre que mes amis n'auront point de honte d'avoir eu quelque bonté pour moi. Vous devez croire que je vous mets un des premiers en ce nombre, & que j'attens de voſtre generoſité que vous ne m'abandonnerez point dans mon malheur. Ce que j'en deſire eſt la continuation de vos ſoins pour mes petites affaires domeſtiques, tous les autres eſtant à preſent inutiles. J'ai receu juſques ici toutes les civilitez que l'on peut faire à un priſonnier. Pour l'avenir, Dieu ſeul le ſçait. Je viens d'avoir tout preſentement des nouvelles de M. de Toulon. Il a receu la nouvelle de la mort de ſon fils, & la permiſſion que je lui ay envoyée d'aller à Paris, en meſme temps; ce qui lui donnera quelque conſolation. Je vous ſupplie de faire part de ma Lettre à mon frere, & au voſtre; & de dire au mien qu'il ne s'afflige point, ni ne ſonge pas à venir ici. Toutes ces lamentations-là ne

ſervent

ſervent de rien; qu'il me conſerve ſeulement ſon amitié. Je vous demande la meſme grace, & que vous croyez qu'en quelque eſtat que je ſoye, je ſerai au tousjours autant que vous m'y avez obligé.

Si vous voulez prendre la peine de m'eſcrire, il faudra mettre un lettre ouverte dans un pacquet fermé que vous pendrez la peine d'addreſſer à M. de Charroſt; auſſi bien eſt-ce par ſon ordre que je ſuis gardé. J'ay receu la Lettre de M. de St. Sauveur aujourd'hui par les mains de M. de Charroſt. Deſormais il ne prendra plus la peine de me mander des nouvelles, s'il lui plaiſt.

MONSIEUR,

Voſtre tres humble & affectionné

Serviteur & parent

DE THOU.

Au Même.

Du Chaſteau de Taraſcon ce 21 Juin. 1642.

MONSIEUR,

JE vous ay deſja eſcrit une fois depuis ma priſon. Nous avons eſté transferez aujourd'hui en ce lieu: ce qui me donne ſubjet de renvoyer ce peu de gens que j'ay avec moi, qui me ſeroient inutiles, puiſque je n'en puis garder qu'un auprés de moi. J'ay choiſi petit Jean, parce que Mignoneau eſt marié, & que j'ay creu qu'il ſeroit bien aiſe de revoir ſa femme. Je deſire pourtant qu'il demeure à mon ſervice. Pour tous mes autres domeſtiques, je penſe qu'il eſt à propos de les licencier, en leur donnant quelque recompenſe ſelon le temps qu'ils m'ont ſervi; ce que je laiſſe à voſtre diſcretion. Vous ferez mettre, s'ils vous plaiſt, le Baſque chez Prudhomme, & faictes ce en lui faiſant donner ce qu'il faudra pour apprendre. Je deſire que les chevaux de carroſſe qui ſont à Celles demeurent à M. le Comte de Bethune: pour le Cocher il pourra prendre parti, mais vous lui continuerez, s'il vous plaiſt, ſes gages en quelque lieu qu'il ſoit, parce qu'il m'a bien ſervi. Je deſire auſſi que toutes mes debtes ſe payent, & que de celles qui portent intereſt, ſi l'on ne les peut amortir, (je ſçai bien que l'eſtat de mes affaires preſentement ne le permet pas) que l'on en paye ponctuellement l'intereſt. Enfin, je vous recommande les miens, autant qu'il m'eſt poſſible; & que ma mauvaiſe fortune ne vous faſſe point changer les ſentimens que vous avez eus pour moi, puiſque aſſurement je ne ſuis que malheureux, & point du tout coupable, & abſolument

MONSIEUR,

Voſtre tres humble ſerviteur

DE THOU.

Vous recevrez une Lettre devant celle-cy par la voye de M. de Charroſt, où je vous entretiendray plus au long. Je ſaluë M. mon frere, & le voſtre.

Au Même.

MONSIEUR *mon cher couſin,*

JE vous faits ce mot avant que de mourir, pour vous conjurer de vous ſouvenir de moi. Je vous promets la meſme choſe en l'autre monde, où j'eſpere que Dieu me recevra en la gloire de ſes eſleus. Je vous recommande mon frere, & M. de Toulon. Ma ſœur de Pontac eſt icy, que je pleins extremement. Je vous prie d'employer nos amis pour faire donner ma confiſcation à mon frere. L'intereſt que je ſuis capable d'y prendre eſt pour le payement de mes debtes; outre que j'ay fait un vœu pendant ma priſon, dont le P. Gardien des Cordeliers de Taraſcon eſt teſmoin. C'eſt de fonder une Meſſe à leur Egliſe de cent eſcus de rente. Je vous recommande petit Jean mon Valet, & meurs Voſtre Serviteur

Ce 12 Septembre à Lyon 1642.

DE THOU.

F I N.

LAISSONS

LAISSONS ces Memoires ſe perpetuer, par le bon ſens, la force, & l'eloquence qui y regnent, comme un Monument eternel conſacré à l'Amitié & à la Pieté: & paſſons au Cardinal de Richelieu. On ſait que ce Miniſtre étoit ſi jaloux de ſa gloire, qu'il ne pardonnoit jamais à ceux qu'il croyoit l'avoir en aucune maniere ternie: & il en donna un exemple terrible en la perſonne d'Urbain Grandier [a]. Cette humeur vindicative fit juger à pluſieurs perſonnes de ce tems-là, que le Cardinal piqué de ce que notre Hiſtorien avoit dit au ſujet d'Antoine du Pleſſis Richelieu ſon grand Oncle, voulut s'en vanger ſur le fils, en le pourſuivant avec toute la rigueur & la violence que Mr du Puy lui reproche dans ces Memoires.

IL court même une eſpece de tradition, laquelle porte qu'il échapa au Cardinal de parler du jeune de Thou en ces termes, *ton Pere a mis mon grand oncle dans ſon hiſtoire, tu ſeras dans la mienne.* Mais il nous ſemble que c'eſt une ſuppoſition imaginaire plûtôt qu'un fait réel, puiſque M. Patin dans une Lettre du 2 Mars 1643 (environ 5 mois aprés la mort de François de Thou) s'exprime de cette maniere, (qui peut avoir donné lieu à ce bruit) " *le Cardinal* qui tunc regnabat *avoit reſolu & dit* en ſon eſprit, *ton pere a* " *mis mon grand oncle dans ſon hiſtoire, tu ſeras dans la mienne.*

QUOI qu'il en ſoit, les endroits de l'Hiſtoire de Mr de Thou qu'on ſuppoſe avoir tant offenſé le Cardinal, ſont dans la premiere partie de cet Ouvrage: & comme on voit par les Lettres de Patin que l'Epitaphe ſuivante de M. de Thou le fils couroit de main en main bien-tôt aprés ſa mort; on ne ſauroit douter, vû la liaiſon qu'il y a entre cette Epitaphe & ces endroits de l'Hiſtoire du pere, qu'on ne les fit auſſi courir dans ce tems-là joints enſemble. En effect, on les trouve imprimez enſemble à la fin des Pieces ajoutées au Journal du Cardinal de Richelieu, edition de Paris en 1665 in 12°. Les voici.

Epitaphe de Monſieur François de Thou.

Hiſtoriam quiſquis vult ſcribere, ſcribere veram
  Nunc vetat exitium, magne Thuane, tuum.
Richeliæ ſtirpis proavos læſiſſe, Paterni
  Crimen erat calami, quo tibi vita perit.
Sanguine delentur Nati monumenta Parentis;
  Quæ nomen dederant ſcripta, dedêre necem.
Tanti morte viri ſic eſt ſancita Tyrannis:
  Vera loqui ſi vis, diſce cruenta pati.

EXTRAIT du 17 Livre de l'Hiſtoire de Monſieur le Preſident de Thou, de l'Impreſſion de Patiſſon l'an 1604, ſervant à l'intelligence de l'Epitaphe precedente:

Ad Annum 1560. *p.* 633. (*vid. p.* 830. *Edit. Lond. Tom.* I.)

INSTITUTA et nova equitum ſcloppetariorum cuſtodia, quibus praepoſitus eſt Antonius Pleſſiacus Richelius, vulgo dictus Monachus, quod eam vitam olim profeſſus fuiſſet, dein, voto ejerato, omni ſe licentiae ac libidinis genere contaminaſſet. Hoc a Guiſianis tanquam ſalutis regiae ſtudioſis factum, plures quo privatae ſecuritati conſulerent excogitatum interpretabantur.

Et paulo poſt. pag. 639. (*p.* 7. *Edit. Lond. Tom.* II.)

PRAEMISSUS Antonius Pleſſius Richelius, homo perditae vitae, cum ſcloppetariis equitibus plane ſui ſimilibus, ad cuſtodiam regis, ſicuti diximus, deſtinatis. Is motus excitandi, ex eoque urbis diripiendae occaſionem circumſpiciens, cum nullo injuriae genere ſibi temperaſſet, praeter ſpem tamen cives obſirmato ad patientiam contra adfectatas injurias et irritamenta animo expertus eſt: quippe qui de conſilio ejus cognoviſſent, et regis adventum ſine offenſione opperiri ſtatuiſſent.

Item poſt pauca pag. 640. (*p.* 7. *Edit. Lond. Tom.* II.)

RICHELIUS, qui, nullo operae pretio facto, inde diſcedere, unde opimae praedae ſpes affulſerat, aegre ferebat, ad finem hoc commento uſus eſt, ut oppidanos aut in fraudem traheret, aut fraudis alienae reos faceret: Pſalmis vernaculis alta voce, ut paſſim

[a] *Voyez le Dictionaire de Mr. Bayle à l'Article Grandier.*

exaudiretur, decantandis intentus, cum profunda jam nocte per urbem diu diſcurriſſet, nec ullus, quod ille ſperaverat, ad eum ſe aggregaret, tandem ad cantiones ludicras, et injurioſos in Regem, Catharinam, ac Guiſianos verſus, pulſatis per laſciviam obviis, et feneſtris lapidum ictibus confractis, noctem cum ſuis exegit; quod tanquam a ſeditioſis, quos ille tumultus Amboſiani reliquias vocabat, factum, poſtridie ad Regem et Catharinam detulit, eo conſilio ut Regem ad poenas de Caeſaroduneſibus jam ſibi ſuſpectis ſumendas praecipiti ira accenderet, et antequam de veritate conſtaret, urbs ſibi ac militi in praedam permitteretur; et ſane urbs prope a periculo abſuit, exulcerato Regis animo, vixque Praetor et Aediles apud eum precibus pervicerunt, ut inquiſitione diligenti facta, rei veritas indagaretur. Tandem pudendae calumniae probrum in auctores recidit, et civium innocentia Regi approbata eſt.

M. de Thou a fait incidemment une reflexion dans le ſecond Tome de ſon Hiſtoire, Livre XXXV p. 352 de cette edition de Londres, que nous jugeons meriter l'attention de nos Lecteurs; c'eſt pourquoy nous l'ajouterons ici. Aprés avoir dit " qu'au ſiege du " Havre de Grace en 1563, la place étant alors defenduë par les Anglois, un ouvrage " fut emporté d'aſſaut par les François; il ajoute, *non citra periculum ac multorum perniciem,* " *nam N. Pleſſius Richelius legionis dux,* prudentia ac moderatione *inſignis, atque ad patrui* " *differentiam* ſapiens *cognominatus, in eo impetu ſcloppeto in humero ictus eſt, ex quo vulnere* " *aliquanto poſt deceſſit.*" N'eſt ce pas-là une preuve que M. de Thou diſtinguoit dans les hommes ce qu'ils avoient de bon ou de mauvais, & les repreſentoit ſelon leur propre caractere? Mais agir ainſi, eſt-ce commettre le crime irremiſſible d'avoir noirci le nom & la race des Richelieus? Que les autres diſputent ſi le Cardinal étoit cruel ou non au Fils, à ce compte nous tenons pour aſſuré qu'il étoit fort injuſte envers le Pere.

METTONS ici un paſſage tiré des Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de France par M. de l'Eſtoile, Tom. I. p. 61. de l'Edition de Cologne (ou plûtôt de Bruxelles) 1719 en 2 Vol. in 8°.

" 1576. le 19 Janvier le * Capitaine *Richelieu*, dit le Moine *Richelieu*, qui avoit charge " de 20 Enſeignes de pied, homme mal famé pour ſes voleries & blaſphemes, fut tué à " Paris en la ruë des Lavandieres par des ruffiens comme luy, qu'il vouloit chaſſer d'une " maiſon prochaine à la ſienne.

* On a mis en marge, *Antoine du Pleſſis de Richelieu, Capitaine des Arquebuſiers de la garde du Roy, Chevalier de ſon ordre, Gouverneur de Tours, grand oncle du Cardinal de Richelieu. M. de Thou en parle peu avantageuſement liv. 17. de ſon Hiſtoire, ce qui a couté la vie à ſon fils.*

MAIS revenons à M. François de Thou. M. Menage louë le Diſtique ſuivant de Conſtantin Huygens ſur la mort de ce Gentilhomme, qui perit (pourſuit M. Menage) pour n'avoir pas voulu trahir ſon ami M. de Cinq Mars, en revelant la Conſpiration qu'il faiſoit contre M. le Cardinal de Richelieu:

O Legum ſubtile nefas, quibus inter amicos
Nolle fidem fruſtra prodere, proditio eſt.

D'AUTRES Ecrivains François parlent avec eloge de ce que fit Madame de Pontac, ſœur de François de Thou, " lors qu'allant en la Chapelle de la Sorbonne jetter de l'eau " benite à ſon Eminence le Cardinal de Richelieu, elle luy dit ce que la ſœur de Lazare " dit à N. S. *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.*" Penſée qui ſe pouvoit preſenter fort naturellement, ſur ce que le Cardinal ne ſurvecut Mr de Thou que de trois mois.

Ex Hugonis Grotii Epiſtolis Amſtelodami 1687 in Folio.

* *Hugo Grotius Adriano Hoogerbeets. p. 711. Ep. 1581.*

LAUDO etiam pium affectum tuum pro, heu, quondam noſtro Thuano, quem amavi ſemper, amatus ſumme a viro ſummo ejus patre; reveritus ſemper et patris et avi nomen ut virorum quibus vix ullos Gallia pares tulit. Vides quae ſint in rebus humanis [illegible]. Experti nos ſumus, experientur alii. Solatium unicum in bona conſcientia, quam Deus adſpicit. Lutetiae, 29 Novembris, 1642.

Hugo Grotius Gulielmo Grotio Fratri ſuo. p. 942. Ep. 620.

MI Frater. Eſt ita ut dicis. Exitum Thuani noſſe triſte eſt nobis. Et tamen melius id quam ignorare ea quae ad famam ejus purgandam pertinent: τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Voverat cum

* *Tunc temporis Sueciae apud Regem Chriſtianiſſimum Legatus.*

cum Taraſcone libertatem ſperaret ſacellum. Id ſolvit morti jam addictus, juſſa ponî hac inſcriptione. *Votum in carcere pro libertate ſuſceptum Franciſcus Auguſtus Thuanus corporis carcere liberandus merito ſolvit, Chriſto liberatori.* Nos etiam noſtra cogitata ad eum finem dirigamus; ſerviamus Deo, proſimus quam plurimis. Lutetiae, 2 Oct. 1642.

Eidem, p. 943. *Ep.* 621.

Mi Frater. Cinqmarcius damnatus ob foedus arcanum cum Hiſpanis factum menſe Martio: Thuanus ideo quod id ſciſſet, quanquam improbaverat. Non aperuerat autem Regi, quia et mutata erant conſilia: et ſi aperuiſſet cum documenta non haberet, potuerat ut calumniator et turbator amicitiae inter Regem et Fratrem ejus torqueri et puniri. 3 Oct.

Eidem. Ibid. Ep. 622.

Mi Frater. Videmus plane propoſitum fuiſſe potentibus perdere Thuanum. Nihil ei objici potuit, niſi quod foederis cum Hiſpano initi notitiam habuerit: idque in ipſum ut diceret Cinqmarcius adductus fuit arcano cancellarii colloquio, tormenta ei minantis ni agnoſceret, et ſi agnoſceret ſpem dantis vitae, ſed inanem. Intellexerat autem hoc Thuanus aliquo poſt tempore, cum jam mutata eſſent conſilia. Ipſe vehementer id improbavit. Quod ſi ad regem pertuliſſet indicium, nulla habens documenta, periclitaturus fuerat haberi pro falſo delatore. Statim atque hoc Cinqmarcius dixit, et ipſe coram eo faſſus eſt, ivere judices ad ſententiam: quae eodem die ſcripta, pronunciata, et exſecutioni mandata eſt. Magnus ubique eſt moeror ex hac morte. Lutetiae, 10 Oct. 1642.

Eidem. p. 944. *Ep.* 627.

Pro memoria boni Thuani ſuppeditat mihi Labbaeus amicus noſter locum Hieronymi Gigantis qui ſcripſit de crimine laeſae majeſtatis; qui circa finem libri quaeſtione prima variarum quas ad opus ſuum adjecit quaeſtionum, quaeſtione 11 ait, ſcientiam quae probari poteſt in crimine laeſae majeſtatis non eſſe punibilem. Oſtendit idem mihi Chaſtelli, qui regem Henricum IV occidere voluit, patrem, qui hoc peſſimum conſilium, ut regis caput tangens, ſciverat & improbaverat, non ultra quam exilio punitum. Haec, quia ad noſtram artem pertinent, te ſcire volui. —Addam et hoc notatu dignum, ſententia in Thuanum bis poſt mortem ejus mutata, et cum mutatione edita eſt. Lutetiae 22 Novembris 1642.

Eidem. p. 945. *Ep.* 630.

Pro Thuano incipient liberiores eſſe voces, mortuo jam cardinali Riceliaco; quanquam regnant adhuc ejus clientelae. 13 Decembris, 1642.

Eidem. p. 948. *Ep.* 639.

Rex negat ſe volente affectos morte Cinqmarcium aut Thuanum; et ſpes aliqua futurum, ut in hunc quae lata eſt ſententia aliquando reſcindatur. 14 Febr. 1643.

Ex Pet. Burmanni ſylloge Epiſtolarum Gudii, Sarravii, &c. in 4° Ultraj. 1697. *p.* 47. *Ep. Sarravii.*

Claudius Sarravius, Senator Pariſienſis, Friderico Gronovio.

Quod illuſtriſſimi Thuani necem defles, facis quod boni viri eſt et literarum amantis. Tam atrocis ſaevitiae autori non diu fuit impune. Poſt innumera de ſacerrimo capite dira elogia uno verbo ei parentatus ero, ſi mihi dictus ſit

Vir ferus et Francos cupienti perdere fato
Sufficiens.

Quod olim una voce mutata de Mario Lucanus dixerat. Supereſt in Thuana domo unus Jacobus Auguſtus brevi cooptandus in Senatum noſtrum; in quo Pater, Avus, Atavus primas ſedes ſummo cum honore et pari dignitate tenuere: polletque hic ſuperſtes iis dotibus, quibus ſe tanti nominis dignum heredem probet. Bibliothecae nihil deperiit, quae cum omni defuncti patrimonio, poſt Cardinalis demum obitum, fratri a Rege donata eſt. Lut. Par. Idib. Mart. 1643.

Ex

Ex Hugonis Grotii Epiſtolis, Amſtelodami 1687. Folio.

Hug. Grotius Fratri ſuo Gulielmo Grotio. p. 959. Ep. 676.

EDIDIT paulo antequam Mazarini potentia in hoc faſtigium creſceret Iſmael Bullialdus, in literis et mathematis bene verſatus, Theonem Smyrnaeum Platonicum. Dedicavit Auguſto Thuano conſiliario Parlamenti. In epiſtola dedicatoria haec ſunt verba. " Tu unus illuſtris generis ſtirps relictus es: In te uno domus tuae fata volvun-" tur, poſt lugendum caſum fratris tui τοῦ μακαρίτου illius Franciſci Auguſti, quem dira ac " duriſſima tempora, in bonorum perniciem ſaeviſſime decurrentia, Europae, patriae, " bonis omnibus, ac ſuis abripuerunt. Tam lachrimabilis caſus memoria, etſi omnem " vel acerbiſſimum dolorem ſuperet, meminiſſe tamen juvat viri patriae ſuae bono nati, " praecipiti (ne quid aſperius dicam) judicio oppreſſi; dum obviam ire contendit Tyranno " legum patriarum everſionem molienti, et convellere familiam regiam meditanti. Kal. Nov. 1643.

FINISSONS ce ſujet, en faiſant ſavoir au Lecteur que la Requête au Roy, qu'on voit au commencement des Memoires cy-deſſus, n'eut point d'effet; comme nous l'apprend un celebre Avocat au Parlement de Paris, que l'on a conſulté là-deſſus. Voici ſa Réponſe:

" LA memoire de François de Thou, qui fut decapité en 1642, n'a jamais été re-" habilitée, & il n'y a point eu de Lettres pour cela. Il y eut une Requête, mais elle " ne fut point pourſuivie, & la famille ſe contenta d'une rehabilitation bien enregiſtrée " dans tous les coeurs François.

XI.

XI.

De J. A. Thuani conjunctiſſimis et in ſcriptis ejus maxime celebratis amicis.

Ex Petri Pithoei *Vita, &c. accurante Joan. Boivin. Pariſiis,* 1716, *in* 4to.

PETRI PITHOEI Vitam literis mandaverunt clariſſimi Scriptores, Joſias Mercerus, Papyrius Maſſo, et Antonius Loiſellus, hic vulgari noſtro, illi latino ſermone. Ejuſdem viri laudes multi praeterea attigerunt, ac prae caeteris Thuanus. Itaque jam, ſi non omnia, pleraque certe ab aliis vulgata ; et quod attinet ad ipſam Pithoei vitam, nihil fere ego novi affero, praeter delectum quendam, et eorum quae ſparſa erant brevem complexionem. Nec ſane mihi in componendo ordine rerum narrandarum multum operae ponendum fuit, qui optimum ducem nactus ſum Antonium Loiſellum. Cujus me veſtigiis inſtitiſſe fateor ; ea tamen cautione, ut ſicubi ille, nimia fortaſſe diligentia, quia nihil praetermiſſum vellet, a propoſito egreſſus eſt, ego quae extra rem erant omnino praeciderim. Qua in re ſequutus ſum praecepta Viri Illuſtriſſimi Claudii PELETERII, Regni Adminiſtri : qui me, quando hortatus eſt ut Pithoei proavi ſui vitam ſcriberem, ſimul admonuit, ne ea quae aut inutilia eſſent, aut parum frugis in ſe haberent, curioſius conſectarer : rerum a Pithoeo geſtarum ſcriptores omnes legerem ; ſingulorum verba, quae ad inſtitutum facerent, appenderem magis quam adnumerarem lectoribus : ambitioſa ornamenta reciderem : res ipſas fide hiſtorica narrarem ſimpliciter ; pura tamen, ſi poſſem, et dilucida oratione. Haec Vir ſapientiſſimus : cui ego, quantum in me fuit, obſequutus ſum. Atque equidem gaudeo vehementer, datam mihi opportunitatem faciendi rem gratam ei Viro, cujus ego ſenectutem ſumma obſervantia colo et veneror, item ut ille adoleſcentiam meam paterna charitate complexus eſt. Cui me aequum eſt, quae ab eo accepi ſemina literarum, eorum aliquam partem nunc demum reddere, atque in ſinum velut refundere ; ne in hominem optime meritum ingratus fuiſſe videar, ſi nullum extet apud poſteros monumentum mei in illum animi ; in cujus domo ſanctiſſima adolevi puer ; qui parvum me, et vix tredecim annos natum, neque ullis tum meis, ſed fratris optimi meritis commendatum, menſa ſociavit ; liberis ſuis nobiliſſimis, quos generoſa indoles ad ſummas dignitates jam-tum vocabat, tantum non exaequavit ; iiſdem magiſtris inſtituendum tradidit ; idemque Altor, Educator, Patronus et quaſi Pater fuit. Gratulor, inquam, ipſemet mihi oblatam occaſionem ei gratificandi opella hac mea, quae non poteſt ei non placere vel ipſo Pithoei nomine quod praefixum eſt : cujus ille ſe ſummum ſemper admiratorem fuiſſe profitetur. Ac nos ſaepe illum audivimus haec verba uſurpantem : *Nullus eſt hominum quos novi, quos colui, et de quibus ſcripſi, cujus malim vitam et mores imitari, quam Petri Pithoei.* Praeclara ſane laus, et Pithoeo digna, habere aemulum et imitatorem eum ipſum, quem optimus ac praeſtantiſſimus quiſque imitari unum omnium maxime cupiat. ———

PITHOEAE gentis auctor memoratur Gulielmus Pithoeus Viromenſis. Eſt autem Viromus, ſeu Viria, oppidum Neuſtriae inferioris, ſitum in finibus Biducaſſium. Eum Gulielmum dicunt ſaeculo poſt Chriſtum natum XII°, nobilem jam tum Equitem, bello ſacro interfuiſſe, et ſub Crucis vexillo in Syriam militatum iviſſe. Hujus poſterorum unus e Neuſtria in Campaniam migravit, ſub initium ſaeculi XVI, et Tricaſſinis Pithoeis originem dedit. An MCXC.

[a] Savodiæ Dominus, *Sieur de Savoye ou Savois.*
[b] *Troyes en Champagne.*
[c] An. MDXXXIX. Nov. 1. die feſto omnium SS.
[d] *Trouvé.*

PETRUS PITHOEUS, [a] is de quo ſcribimus, [b] Auguſtobonae Tricaſſium [c] natus, Patrem habuit cognominem, Petrum Pithoeum, clariſſimum ſuo aevo Juris-conſultum. Vires puero debiles, et parum firma valetudo. At eidem tantus ardor, tanta mobilitas, ut ſaepe animi impetu praeceps corpus abriperetur: unde vulnus, et vulneris veſtigium cicatrix in fronte. Cum itaque eſſet educatu difficilis, datus ei cuſtos juvenis caſu oblatus; cui, eo quod mendicans repertus fuiſſet, [d] *Reperto* nomen impoſitum. Hunc et grandior ſecum retinuit, et eo famulo diu uſus eſt.

PRIMA literarum rudimenta Auguſtobonae poſuit. Ac legendi quidem magiſtrum habuit bonum virum ſacri ordinis, Franciſcum quendam Pilotum, qui et Latine et Graece legere docuit, atque etiam Hebraice. Traditus deinde in diſciplinam publicis praeceptoribus Auguſtobonenſis Gymnaſii. Tum aliquanto poſt Lutetiam miſſus.

Boncourt.

EMINEBAT in Academia Pariſienſi Collegium Becodianum; ubi et Petrus Gallandius Gymnaſiarcha, et lectiſſimi magiſtri, in quibus Turnebus. Hujus praeſertim conſuetudine et praeceptis Pithoeus plurimum brevi profecit. Optimos quoſque auctores legerat adoleſcens; nec quiſquam erat aequalium, qui ſeu ſtricta ſeu ſoluta oratione cum eo contenderet. Quoties igitur advenienti procerum alicui offerendum erat epigramma omnium nomine, toties fere uni Pithoeo id munus imponebatur.

Bourges.

HUMANIORIBUS literis Lutetiae Pariſiorum abunde inſtructus, juri civili operam dedit Avarici Biturigum. Ac Patrem ferunt, cum filium eo mitteret, nunquam poſtea viſurus, imprimis monuiſſe, ut Juriſprudentiam e fontibus puram hauriret; hoc eſt legum ſenſum, non ex recentiorum interpretum commentationibus, ſed ex ipſiſmet legibus quoad poſſet erueret. Tum eidem juris Romani ab Haloandro editi, quae tunc probatiſſima erat editio, exemplar dediſſe, cum vetuſtis Codd. collatum, et ſua ipſius manu caſtigatum. Filium autem hoc ſubſidio adjutum, et ſaluberrimo Patris conſilio obſequutum, illud ipſum exemplar diurna et nocturna manu ex eo verſaviſſe, propriis notis illuſtraſſe in ſuos uſus, et ipſis legum verbis ſic facile aſſueviſſe, ut brevi pleraque familiaria ac velut in numerato haberet.

Anno MDLIII.

CIRCITER illud tempus Pandectae Florentini in lucem prodierunt: editio longe optima, qua Pithoeus Pater caruerat. Ea re Filius felicior quam Pater; doctorem inſuper praeſtantiſſimum nactus eſt Jacobum Cujacium; omnium quotquot a Papiniano uſque floruerunt, Juriſprudentum facile principem. Hunc Pithoeus Avarici primum audiit; deinde et Valentiae.

Ab Anno MDLVII.

IN iis qui tum Juri ſub eodem magiſtro vacabant, erat Antonius Loiſellus Bellovacus, ille ipſe cujus beneficio vitam Pithoei Gallice ſcriptam habemus. Magna huic inde uſque cum Pithoeo et per annos totos quadraginta perpetua animi et ſtudiorum conjunctio. Incundae amicitiae occaſio prima haec fuit. Ambo in tabernam librariam convenerant. Ibi incidit quaeſtio de ſententia quadam Papiniani. Pithoeus ex tempore et e re nata ſic diſputavit, ut eorum qui audiebant ora et oculos in ſe converteret, eo majore admiratione, quod eſſet valde juvenis, ac vulgo non *Pithoeus*, ſed *Pithoeolus* vocaretur.

Annos natus XVII.
Le petit Pithou.

DE ejus diligentia plane ſingulari hoc memoriae proditum eſt; poſtquam coenaviſſet, et horam, aut partem horae, cum ſodalibus honeſtae animi relaxationi indulſiſſet, ſolenne ei fuiſſe includere ſe in muſeum, atque ibi chartis et libris incumbere; cubile autem demum petere poſt tertiam noctis vigiliam, qua fere hora alii expergiſcerentur. Itaque tantus ei honos habitus ab aequalibus, ut cum de grege juvenum unus male moratus temere in eum et petulanter aliquando inſurrexiſſet, multi, et ii quidem vix noti, propugnatores ſtatim advolarint.

EA fuit Pithoei apud aequales gratia: nec minor apud Magiſtrum extitit; qui, ſi Joſiae Mercero credimus, nec diſcere doctor a diſcipulo, nec quae didiciſſet profiteri publice erubuit. Certe ex illa ſchola Pithoeus tantus poſtmodum evaſit, ut de eo et de Cujacio ſcite illud ac vere a Nicolao Fabro dictum ſit, *hunc diſcipulo praeripuiſſe ne primus Juris-conſultus eſſet, illum praeceptori ne ſolus.*

DE Pithoeo adhuc tyrone, ſedulam juri operam navante, extat Cujacii teſtimonium hoc literis conſignatum: *Petrus Pithoeus Trecenſis, adoleſcens probus et doctus, et juris diſciplinae apprime ſtudioſus.* De eodem jam grandiore, ſed tamen

vix

vix adulto, multa idem et magnifica, praeſertim in Praefatione Codici Theodoſiano praefixa, ubi et Patrem Pithoei et Franciſcum fratrem laudat, et totam Pithoeorum familiam *Seminarium virorum doctorum* jure merito appellari poſſe exiſtimat.

Ab Schola in Forum venit, et ſtudia eo non cruda (ut multi) propulit, ſed matura produxit et bene digeſta. Placuit autem in eo foro verſari quod eſſet omnium auguſtiſſimum; atque idcirco ſedes conſtituta in ea urbe quae erat Regni caput. Factum id anno MDLX, qui annus Pithoeo aetatis fuit XXI[us]. MDLX.

Ex eo frequens fuit in Senatu Pariſienſi, non orator, ſed auditor. Contra enim quam uſu venit junioribus cauſidicis, quibus fere major eloquendi cura quam diſcendi, ſilentium ipſe ſibi quoddam veluti Pythagoricum indicebat; fori uſum et morem judiciorum notabat; Senatus decreta colligebat; in iis ſententias, verba, ſyllabas, minima quaeque penſitabat. Quippe hic, ſi quis unquam, formulas magni fecit. Inter haec Regum noſtrorum Conſtitutiones antiquas et novellas, acta Curiae, chartas et membranas veteres tabularii publici, regiarum rationum commentarios, ritus, jura, conſuetudines Provinciarum et municipiorum, ſtatuta denique omnia non hujus Regni ſolum, ſed et gentium exterarum, accurate et ſumma fide recenſebat. Ex iis univerſis pleraque excerpta ac deſcripta certo ordine in titulos et in locos communes digerebat. Itaque ille ita multa ejus generis parata et proviſa penes ſe habuit, ut nemo ante eum plura. Jam tum autem de Tricaſſium conſuetudine, ſeu uſu receptis legibus, Commentarium ſibi orſus eſt, quem eo mortuo Franciſcus frater auctum et recognitum Alleno amico foras proferendum permiſit.

Non defuiſſe ei vim eloquendi, argumento ſunt ea quae infra dicturi ſumus, ubi de Curia Aquitanica. At hic ſemel apud Judices cauſam oravit: et quanquam eam ipſam cauſam obtinuit, nunquam tamen poſtea adduci potuit ut iterum oraret; ſive ex illa unica actione pervidit, id quod verum putat Joſias Mercerus, [a] difficile eſſe utrumque, et Oratoris perſonam et viri boni officium tueri; ſive, ut Loiſello viſum, pudor eum quidam deterruit, conjunctus [b] cum eo metu quem tempora illa afferebant. At idem porro aſſiduus perrexit Oratores et Judices audire, conſulentibus reſpondere, ſcribendo opem ferre rogantibus, praeſertim amicis.

Jam vero quidquid ſcripſiſſet, id ſumma induſtria elaboratum e manibus ejus prodibat. Neque ille teſtimonio aut chirographo ſuo quicquam ab aliis ſcriptum comprobabat, quod non et recognitum et plane caſtigatum eſſet. Ita ille et exiſtimationi ſuae conſulebat, et hominum de ſe judicia verebatur.

Annos natus paulo plus viginti quatuor *adverſaria ſubſeciva*, Loiſello et Sennetono ſodalibus nuncupata, in lucem dedit; primum omnium operum ac velut tyrocinium, quod et veterani ſcriptores Turnebus, Lipſius, et alii, ut perfectiſſimum opus laudarunt.

Uxorem jam tum ut duceret ſuadentibus amicis aurem non praebuit; quippe animo praeſentiens tempora illa quae difficillima conſequuta ſunt, et illas ipſas anni MDLXVII. milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſeptimi turbas proſpiciens. Quibus demum excitatis, cum ageretur Pictavii celeberrimus conventus, noluit eo proficiſci, ſed in patriam et in alia loca conceſſit. *Les grands jours de Poitiers.*

Quarto poſt anno reverſus Lutetiam, commentarios publicos, chartas, tabulas veteres aliaque monumenta, curioſius quam antea coepit denuo inveſtigare: imprimis ſi quid eſſet quod ſpectaret regis jura et res fiſci proprias; item ſi qua ad Ducis Comitiſve titulo inſignes toparchias aut ad nobilium domos pertinerent, praeſertim eas quae eſſent in Comitatu Campaniae: de quibus librum ſcripſit, et Vido Pibracio dicatum in publicum emiſit. In quo libro multa antiqua, recondita, et ſingularia quae ſcriptores noſtros fugerant. Genealogiam ipſam Comitum Campaniae, ab eo libro ſeparatam, vulgavit, addito Epiſcoporum Trecenſium Catalogo. Tetraſtichorum Gnomicorum Authori.

His occupatum gravis repente terror invaſit, libroſque ei et chartas e manibus MDLXXII. excuſſit. Die S. Bartholomaei feſto ſaevitum in Calvinianos. Multi tota Urbe jugulati:

[a] Difficile eſſe utrumque, &c.] Injurium id Oratoribus, ac fortaſſe minus verum. Itaque Loiſellus, qui utrumque et orator et vir bonus fuit, alias rationes affert cur Pithoeus ab agendis cauſis abſtinuerit, pudorem et metum. Boivin *in annot. ſuis ad hanc Pithoei Vitam.*

[b] Cum eo metu quem tempora illa.] Jam tum ſe P. Pithoeus ad Calvini ſectatores aggregaverat. Boivin.

jugulati: parum abſuit quin [a] et Pithoeus inter caeteros. Quod mortem evaſerit, miraculum id fuit, et numen Dei manifeſtum. Diverſabatur in domo hominis orthodoxi, uxorem haereticam habentis. Ea muliere et aliis hominibus, qui ſub eodem tecto degebant, foediſſime interemptis, aufugit ille in domum viginam. Ibi obvia fit ancilla: quae ſtatim ut hunc videt, heram advocat. Haec quanquam et ipſa metu trepida et animo conſternata, Pithoeo tamen rogante, Fabrum Pariſienſis fori Oratorem illico certiorem facit. Is proximus habitabat. In hujus aedibus Pithoeus dies aliquos latuit. Inde ſe ad Antonium Loiſellum recepit. Apud quem quandiu fuit, non deſtitit aut precibus Deum venerari, aut ita ſtudiis animum intendere, ut ſi in conſueto et familiari muſeo tranquillus ut antea ſederet. Ibi et conſilium cepit, quod amici dabant, abjurandi novum dogma, et cum Catholicis ſentiendi. Requirenti Theologum aliquem doctum cum quo diſputaret, datus eſt is quem omnium maxime volebat, Rector Eccleſiae S. Pauli Simon Vigorius. Cum quo re communicata, ſic ambobus poſt paucos dies convenit, ut Vigorium ex eo multi audierint mira de illo narrantem. Ita Pithoeus vere et bona fide ad Romanam Eccleſiam rediit. Quamobrem Jacobus Sirmondus Jeſuita, cum Romae eſſet apud Baronium, et de Pithoei fide ambigeretur, hunc ipſum affirmavit viſum ſibi non ſemel omnia Catholicae Religionis officia cumulate implentem. Atque hoc teſtimonio factum ait Claudius Jolius, qui id quoque ex Sirmondo accepiſſe ſe ſignificat, [b] ne nota inureretur Praefationi, quam Pithoeus Pauli Diaconi libris praefixiſſet. Quod ut verum credam vix equidem adducor, cum eam Praefationem Pithoeus ſcripſerit nondum recte de Religione ſentiens, ſed novis opinionibus adhuc favens, quippe anno MDLXVIIII, idque Baſileae.

PAUCIS poſt diebus quam edita eſt ſtrages illa immanis, fragmenta veterum Juriſconſultorum, cum legibus Moſaicis collata, typis exprimi curavit. Item notas ad eam collationem; opus doctum, et labore multo limatum, quod mirum eſt potuiſſe perfici in tanto aeſtu rerum tantiſque Urbis tempeſtatibus. Eum librum Antonio Loiſello dicare decreverat. Sed hic mutandae ſententiae auctor fuit: et conſultius viſum eſt, nuncupari illud Christophoro Thuano. Extat etiamnum Epiſtola Pithoei ad Loiſellum nuncupatoria, data IV Nonas Septembres, decimo die poſt infeſtum illum S. Bartholomaei diem. Epiſtolae ſubſcriptum hoc Tetraſtichon:

Senatus Principi, Jacobi Auguſti Patri.

Et perii per vos, et vos periiſtis amores:
Una ſalus nobis, una ruina fuit.
Si qua tamen vitae ſpes eſt, hoc deprecor unum,
Vivite apud gratos, gratus ego inteream.

HIS verſibus Pithoeus libros queritur amiſſos, quod et initio Epiſtolae facit, ubi ſcrinia ſua praedae eſſe ſignificat. Quae haud dubium eſt quin deinde ei reſtituta ſint. In Epiſtola hoc magni animi et forti viro dignum: *Ego jam opportunitate non lentae mortis nihil felicius ſtatuo; quam non invitus, ſi Deus dederit, excipiam pro virili portione, Principi et Patriae innocentiam daturus.* Haec cum ſcriberet, praeſens adhuc animo obverſabatur imago diei illius nefaſti, quo tantum ſanguinis effuſum civilibus gladiis erat. Ac ne poſteri ignorarent librum inter haec elaboratum, exacto operi ſubjecta haec clauſula: *Petrus Pithoeus ſcribebam Lutetiae Pariſiorum, anno Dom.* MDLXXII *menſe Sept.*

AB eo uſque tempore forum repetiit, ſuumque ibi munus non perfunctorie, ſed bene et naviter implevit. In Angliam profectus cum Mommorantio, non diu abfuit.

[a] Et Pithoeus inter caeteros] Pithoei duo, Petrus et Franciſcus, a fide Catholica defeciverant, communi quodam et deplorando illius aetatis Eruditorum fato. Sed neuter in errore periſtitit: et mox uterque veram Eccleſiae doctrinam agnoverunt; Petrus, cum Vigorio collocutus, Franciſcus, veterum Patrum operibus inſpectis, praeſertim Vincentii Lirinenſis adverſus Haereſes libro perlecto. Quanquam in Pithoeanis, quae nondum edita extant in Bibliotheca Peleteriana, teſtatur idem Franciſcus, centurias (nempe opus illud vaegrande Centuriatorum Magdeburgi) multum contuliſſe ut Catholicus fieret. En ipſa ejus verba: *Les Centuries ont fort ſervi à me faire Catholique.* Caeteri fratres Romanam Religionem ſemper profeſſi. BOIVIN.

[b] Ne nota inureretur Praefationi] In qua Praefatione videbatur ille imaginum cultum voluiſſe elevare, praeſertim his verbis: *Nuper admodum noſtri homines imaginoſi eſſe coeperunt:* Imaginum cultui deditos *imaginoſos* vocans, detorta per jocum vocis ſignificatione, quae aliud omnino ſonat apud Catullum. BOIVIN.

fuit. Romam ire recuſavit Fuxio invitante, et ſenatoriam in Magni Concilii Curia *Paul de Foix.* dignitatem ſpondente. Qua modeſtia Patrem imitatus eſt, qui oblatum pariter a Dorignio Praeſidis munus accipere noluerat.

INTEREA Tornodori Urbis Judex primarius creatur. Anno demum Chriſti *Baillif de Tonnerre.* MDLXXIX aetatis XL°. uxorem duxit Catharinam Paludellam, Joannis Paludelli ſena- *De Paliau.* toris filiam, cum qua vixit conjunctiſſime. De ea et de liberis plura Loiſellus hoc loco. Nos infra opportunius.

FREQUENTIOR inde illi conſulentium turba; plura quotidie negotia, multis ad eum arbitrum euntibus ex compromiſſo; multis item ſuas ei cauſas committentibus ſcripto defendendas. Nonnunquam, foro praeſertim vacante, Tornodorum ibat, quo munus ſuum obiret, et quia rus illi oppido vicinum habebat. Ibi Praetoris officio fungebatur, cauſas audiebat, ſententias de tribunali pronunciabat. *Ac fuit*, inquit Loiſellus, *ea oppiduli felicitas, ut illius viri praeſcriptis ac decretis frueretur, quem vel Senatus Principem habere urbibus maximis honori fuiſſet.* Extant hodieque nonnulla ab eo Tornodori promulgata.

PER ea ipſa tempora, in maximis occupationibus, non intermittebat ſtudia literarum: nec ullus ei dies effluebat, quo non vel amoenioris doctrinae novos flores, vel bonae frugis aliquid in commune conferret. Itaque horis ſubſecivis libros complures, alios omnium primus, alios caſtigatiores quam ante eum quiſquam in publicum dedit; Petronium; Quintiliani declamationes; duodecim libros Codicis Viſigothorum, Chronicon Iſidori de rebus Gothorum et Vandalorum, aliaque anecdota; libros Salviani, cum Praefatione ad Fabrum; Phoebadii, et aliorum Theologorum opera; Concilia aliquot antiqua, non ante vulgata; quin et Catonis diſticha, cum Laberii, Auſonii, et aliorum quorundam ſelectis ſententiis, in uſum Antonii et Vidi Loiſellorum, Antonii amici liberorum, quibus et nuncupavit. Semper denique aliquid literatis impertiebatur novum; *imo*, inquit Loiſellus, *antiquum quidem, ſed renovatum.*

SUB haec in numerum vicariorum Regiae Procurationis, quos Subſtitutos vocant, cooptatus eſt, ipſo Gueſlaeo Procuratore generali rogante ne ſuas vices in Curia obire *La Gueſle.* dedignaretur. Pithoeus delatum ſibi munus accepit, non tam ſua ipſius ſponte quam ut amicis morem gereret. In eo munere quaecunque ſciri poſſent ac deberent, brevi omnia perdidicit.

ANNO MDLXXXI Henricus Rex, ejus nominis Tertius, Judices ita ut promiſerat *Une Chambre de* Aquitanis extra ordinem dedit. Delecti, qui eo mitterentur, viri idonei; quibus cum *Juſtice.* eſſet adjungendus Procurator generalis Regius, id quoque munus Pithoeo delegatum, omnibus qui in concilio aderant probantibus, et eo magiſtratu digniſſimum praedicantibus. Quem ipſum tamen detrectaturus erat, niſi ſocius ei datus fuiſſet Antonius Loiſellus, qui Regii Advocati partes ſimul ageret. Ita alter alterius gratia creditum ſibi munus accepit. Ubi ventum ad res ipſas, tum vero apparuit qui vir foret, quiſve idem futurus ſi ad majora vocaretur. Quippe eo agente libelli, commentarii, edicta, aliaque ad eam Curiam conſtituendam neceſſaria, digeſta omnia et confecta ſunt. Si qua pulcherrime decreta, ea rogante et requirente Pithoeo decreta fuerunt; ut unus clavum tenuiſſe et ratem rexiſſe videatur. Certe hanc ei laudem tribuit Loiſellus, minus fortaſſe aequus ſibi ipſi, qui poterat ejus gloriae partem aliquam in ſe derivare: at eo nomine laudandus, quod ſeu modeſtia, ſeu amore, ſolidum Pithoeo totius rei praeclare geſtae honorem conceſſit. Utcunque ſit, omnino ſane conſtat totum onus Regiae Procurationis incubuiſſe in unum Pithoeum, nihil in Subſtitutum; praeterquam quod ubi inſtabat commiſſum aliquod negotium, cui adeſſe ipſe praeſens haud poſſet, eo Subſtitutum legabat. Cetera per ſe exequebatur. De re qualibet, ſeu civili, ſeu capitali, quae cum eo communicari deberet, per ſe ipſe cognoſcebat. Ad ſupplices libellos ſua ipſius manu reſcribebat. Quidquid quoque die in Curia geſtum eſſet, maxima fide deſcribi et in diurna acta referri curabat. Amanuenſi ſalaria ita modica, ita anguſta decernebat, ut ei de ſuo ſaepiſſime largiretur, quo minus is quicquam a litigantibus exigeret. Regi ſaepe, et Villaregio, qui plurimum poterat apud regem, ea proponebat quae ad jus univerſum et ad publicam tranquillitatem conducerent. Curiam denique, ubi oportebat, ſuis aut alienis verbis admonebat officii.

NEC Procuratoris modo, ſed et Advocati Regii munus praeclare adminiſtravit; ut in utroque exemplum fuerit eximii Magiſtratus. Nam cum advocatus Regius Loiſellus

aliquandiu abſuiſſet, Pithoeus vicem abſentis ita ſupplevit, ut qui ſemel in foro cauſam dixerat, nihil unquam aliud niſi cauſas egiſſe videretur; illi ſimilis, qui in mare prolapſus nare ſtatim didicit, et ſalvus e fluctibus evaſit. Adeo ingenium et facultas ei ad omnia abunde ſuppetebant.

PERACTIS in Aquitania negotiis, non prius inde deceſſit, quam ea quae ſeu apud frequentem ſenatum ſeu in concilio acta erant, literis conſignata eſſent et in commentarios relata. Commentariorum triplex deſcriptio facta; atque e tribus exemplaribus unum apud ſcribam manſit; alterum in Pariſienſis Curiae tabularia illatum; tertium Burdegalam miſſum.

An. MDLXXXIV. EX Magiſtratu privatus, atque ex Procuratore generali in Subſtitutorum ordinem redactus, eundem quem antea obtinuerat gradum aequo animo tenuit; eadem Jurisconſulti officia in Pariſienſi Curia obiit, ac ſi pedem inde nunquam extuliſſet. Sed Subſtituti quidem munus, ſtatim atque vaenale eſſe coepit, mox abdicavit. Quanquam gratuitum ei et collegis offerebatur, ſi vellent exemplo ſuo praeire aliis, et accipere diplomata, per quae id ipſum munus proprium et perpetuum habituri eſſent, quod hactenus delegatum habuerant. E tribus collegis unus accepit. Ceteri cum Pithoeo repudiarunt. Nec tamen Regii Magiſtratus idcirco deſierunt ejus conſilio uti. Imprimis autem Regius Procurator Gueſlaeus, qui in defuncti patris locum recens ſucceſſerat, eum ſemper honorem Pithoeo habuit, ut hoc inconſulto nihil unquam aggrederetur quod alicujus momenti eſſet. Quin et ſummi Judices, et ſenatores, et aliorum togatorum primi quique eundem in conſilium adhibebant, etiam ubi de Regno aut de re publica ageretur. Nam et harum rerum peritus fuit, ut his quoque tractandis inſenuiſſe eum crederes.

ATQUE hoc illi initium fuit majoris in foro celebritatis; qua factum eſt, ut ſi qua ibi illuſtris, ſi qua opima eſſet et quaeſtuoſa conſultatio, ad Pithoeum ſemper iretur. Et uſque eo nomen increbuit, ut exteri quoque per literas conſilium ab eo peterent; cujuſmodi eſt illud *de confiſcatione bonorum ex cauſa perduellionis*, datum in negotio Ducis Florentini. Nec dubitat Loiſellus, quin et alia multa ejuſdemmodi in Pithoei ſcriniis reperiantur, quae et inveſtigari et publicari operae ſit. Illud non omittendum, quod cum viri doctiſſimi Cujacius et Hotomannus diſſentirent in quaeſtione perdifficili, Pithoeos ſibi judices ultro optarit Hotomannus. Etiam Poetica facultate valuiſſe eum argumento eſt illa ad Auguſtum Thuanum, Thuano patruo ſucceſſorem in praeſidis munus deſignatum, morum et temporum inſectatio, in qua multa praeclara, et Juvenalem, ut mihi videtur, ſpirantia.

CIRCITER illud tempus capitularia Karoli Magni, Ludovici Pii, et Karoli Calvi Regum Francorum, [a] Henrico Regi dicata, ſuo ipſius nomine celato, auctiora et emendatiora quam antea, publica luce donavit: item Hiſtorias et annales Regum noſtrorum ſecundae ſtirpis. Quae autem ad tertiam ſtirpem pertinebant, ea, quia nemo Lutetiae erat qui editionem aggredi vellet, [b] in Germaniam miſit.

MDLXXXIX. *La ſainte Union. La Ligue.* SEQUUTA eſt procerum et civium in Regem conſpiratio. Sanctum id foedus dictum a factioſis. Lutetia, ut Regni ita tunc perduellionis ſedes, Regem moenibus excluſit: atque hic mox caeſus manu ſicarii. Pithoeus illo tempore uxorem in Urbe, et liberos, et bibliothecam omni librorum genere inſtructam habebat. Iis vinculis conſtrictus, manſit apud ſeditioſos, homo minime ſeditioſus. Nec vero eum quiſquam putavit perduellibus favere. Imo rex ipſe, indicto apud Catalaunos judicum *En la Chambre de Chaalons.* delegatorum conventu, procurationem illic rei ſuae generalem committere ei tum voluit. At hic munus oblatum deprecatus eſt. Et maximo Dei in ſe et in collegas beneficio factum aiebat, quod Subſtituti, ſeu Regiae in foro Pariſienſi procurationis vicarii eſſe deſiſſent; qui ſi locum ſervaſſent, metuendum eſſet ne magiſtratuum abſentium (nam hi Lutetia exceſſerant) vicem obire, ac multa per vim injuſte et contra leges deſignare cogerentur. Quamobrem rarus per ea tempora exibat in publicum; nec fere in forum niſi palliatus veniebat. Reliquum omne tempus libris impendebat, muſeo incluſus. Aderat ſtudiorum ſocius Nicolaus Faber, qui ſe ad illum non ita pridem applicuerat. Magnum inde utrique emolumentum, cum et ſimul commentarentur,

Cujus vitam ſcripſit Franciſcus Balbus.

[a] Henrico Regi dicata.] In editione Pariſienſi an. MDLXXXVIII, nulla ad Henricum Regem Epiſtola nuncupatoria. Pithoei manu ſcriptam viderat fortaſſe Antonius Loiſellus, cujus verba hoc loco interpretatus ſum. BOIVIN.

[b] In Germaniam miſit.] Ubi et typis mandata ſunt apud Wechel. an. MDXCVI, opera M. Freheri. BOIVIN.

tarentur, et libros conferrent, et vetera exemplaria deſcriberent, praeſertim Conciliorum; quorum et multa ſuo ſumptu deſcribi curaverunt. Pithoeus in haec ſtudia incumbens, ut Theologiam et ſacras literas cum affini Canonum et Conciliorum doctrina conjungeret, libellos duos edidit; unum, *de Latinis ſacrorum Bibliorum interpretibus*; alterum, *de Proceſſione Spiritus Sancti*. Item ſelectas in ſuum uſum e ſacris ſcripturis preces excerpſit, ex quibus conſtatus Comes Theologus: tum alias praeterea in uſum uxoris et filiarum. Ac Mathematicis quoque interea ſtuduit, magiſtrum nactus Monantholium, Regium Lectorem, Fabro in his etiam aemulo ac ſocio. An. aet. L.

CAETERUM apud factioſos, qui eum a ſe alieniſſimum quidem ſciebant, at virtutem ejus reverebantur, tanta illi fuit auctoritas, ut ipſis primoribus eorum aperte aliquando dixerit, *neſcire eos quid agerent*. Itaque cum praecipui quique ambiebant et aſſectabantur: in quibus et Itali pontifices, de comitatu Cardinalis Cajetani, qui Legatum ſe aiebat. Hi Pithoeum, de quo Romae multa audierant, viſere avebant. Quem cum eorum unus conveniſſet, ſermo (ut inter juris peritos) facile ab iis rebus, quas primum dici humanitas et civilis uſus poſtulabat, ad quaeſtiones juris deflexit. Italus legem valde obſcuram, in qua erat ipſe multum verſatus, Pithoeo propoſuit, ut is lucem afferret. Pithoeus nihil praemeditatus, quaeſtionem perdifficilem ita ſolvit, ut antiſtes admiraretur cum acumen ingenii tum exquiſitam viri doctrinam. Hinc viſendi et colloquendi ſtudium majus quam antea. Quamobrem et Pithoeus officii ſui eſſe duxit ut ad Epiſcopum viciſſim adiret. Ea autem cum Italo conſuetudine et familiaritate ſua ſic dextere uſus eſt, ut per illum ſemper aliquid promoverit ad publicam ſalutem, et imprimis ad procurandam Regi ſolennem abſolutionem, quem ad Catholicam fidem converſum magnopere cupiebat. Et haec quidem Pithoeus per Italum antiſtitem. § ult. l. 3. ad L. Falcidiam. *Joly, p.* 288.

dextram manum, qua cultellum tenebat, oculo apprimit, ſimul et ferrum, eoque dexter oculus confoditur atque ita excutitur, ut quicquid eſt humoris in oculo in fratris, qui prope adſtabat, veſtem efflueret; inde non ſolum oculo orbatus, ſed gravi et diutino morbo non ſine vitae diſcrimine conflictatus, corpore impoſterum debiliore fuit, viſu tamen acri et firmo, uſus alterius oculi collectiore ac per hoc fortiore contuitu, ut non inconcinne de eo illud Senecae uſurpari potuerit: *Si quis oculum caſus excuſſerit ſapienti, reliquiae illi ſuae ſatisfacient, et erit diminuto corpore tam laetus quam integro fuit.* Luſit et in illud V. C. Antonius Oiſelus carmine: et ipſemet Faber verſibus quos in effigiem ſuam ſcripſit, caſum hunc ſuum teſtatus eſt, quo non ſolum non infractus ſed eo acriore ſtudio ad literas incenſus eſt ejus animus, quibus ſe deinceps totum indefeſſo labore noctes et dies mancipavit. Elato paulo poſt patre, curam educationis ſuſcipit mater ſpectatae virtutis matrona, quae, ut erat liberali et honeſto loco nata, nil eorum ſtudiorum quibus ingenui adoleſcentes erudiri ſolent praetermiſit: ac primum ut juri civili operam darent ambos fratres miſit Tholoſam, dein Patavium ac Muſis amicam Bononiam: inde, ne quid ingenuae educationi deeſſet, ulterius progreſſus Nicolaus totam fere perluſtravit Italiam, circa annum CIↃ IↃ LXIX, ac Romae per XVIII menſes commoratus eſt. Et cum in ea vix quiſquam veſtigium ponere poſſit quin monumentum aliquod premat antiquitatis venerandae, plurima in ea peregrinatione vidit, collegit, notavit, quae illi ad ejus ſtudia magno poſtea fuere uſui: didicit vero multa ex familiaritate praeſertim virorum doctrina praeſtantium qui tempeſtate illa paſſim in Italia florebant, cum quibus omnibus, imprimiſque Carolo Sigonio, ac M. Antonio Mureto, ſumma illi erat conſuetudo, quorum ope et gratia huc etiam aliquam manuſcr. librorum copiam advexit, ac praecipue Senecae Philoſphi, cui jam tum reſtituendo animum intendebat. Annos natus XXVIII cum ſe in patriam et domum maternam recepiſſet, totum ſe pietatis ac Philoſophiae ſtudiis dedit, quibus ut liberius et expeditiore animo vacaret, coelibem vitam agere inſtituit: et amico cuidam ad nobilis puellae nuptias ambiendas aliquando incitanti, reſpondit: Vellem, inquit, apud me aeque firma ac rata ſint omnia ac meum illud animi propoſitum et votum, quo ſemel ſtatui me nuſquam uxorem ducturum. Indeque ſibi ſummam illam et inoffenſam tota vita ſua mentis tranquillitatem comparavit, dum vix adulta aetate quo ſe animus dirigat inſtituit, nec haerens et anxius quid agat, certum ſibi iter quod metiatur, et metam qua conquieſcat proponit. Tanta contentione Muſis operatus, interea tamen a civilibus negotiis haud omnino abſtinuit. Nam cum per aliquot annos in foro verſatus eſſet, anno CIↃ IↃ LXXII ut matri morem gereret vir ampliſſimo magiſtratu digniſſimus in numerum Conſiliariorum Regiorum, qui aquis et ſylvis in Gallia praeſunt, allectus eſt: eoque nomine non ſemel in provincias miſſus eſt, ut in delicta quae ſuae notionis erant animadverteret, ac ſilvarum regiarum venditionibus et auctionibus praeeſſet, quo munere ſtrenue et integre defunctus eſt. Placide cum matre dulciſſima vixit ad annum CIↃ IↃ LXXXI; quo peſte apud Lutetiam graſſante, contagione illa mater correpta eſt, quam, nihil praeſenti vitae diſcrimine deterritus, licet plerique domeſtici aufugiſſent, nunquam ille deſeruit, ſed aegrotanti aſſidue miniſtrans ad extremum adſtitit, nullo pietatis officio praetermiſſo, donec in monumentum, in quo poſtea ipſemet ſepultus eſt, honorifice conderetur. Sub id tempus Aegidium quoque fratrem cum extuliſſet, magiſtratu ſe abdicavit, et luctuoſae ſolitudinis ſuae taedia, literarum et Chriſtianae pietatis, quam unice colebat, ſolatio levare conſtituit. Itaque arctiſſimam cum magno illo P. Pithoeo vitae ſocietatem iniit, ab eoque peramanter exceptus, gemini dein Muſarum ocelli quaſi fratres ſub eodem tecto complures annos tranſegerunt. Hoc in otio bibliothecam editis et manuſcriptis codicibus inſtructiſſimam ſibi paravit, ac pleraque omnia veterum ſcripta incredibili diligentia et labore contulit, notavit, recenſuit. Sed tunc temporis praecipua in Senecas cura, quos anno CIↃ IↃ LXXXVII primum edidit, eiſque praefationes, et Senecae Rhetori notas adtexuit eruditiſſimas: quod praeclarum bene collocatae in ſtudiis operae ſpecimen, quamvis potuiſſet illi non infelix eſſe apud exteros famae ſurgentis initium, eo tamen fuit pudore et modeſtia, ut nomen ſuum minime adſcripſerit, et ne adſcriberetur non ſolum in hac prima ſed et in omnibus quae non eo inſcio poſtea prodierunt editionibus ſedulo curaverit. Sed ecce caecus apud nos fanaticae plebis inceſſit furor, quo nuſquam tutus locus et bonis

et

et piis recte ſentientibus, ubi praeſertim facinoroſis ex infima plebis faece hominibus praecipua eſſet auctoritas: quia tamen obortae tempeſtatis tempore Lutetiae intercipitur, Athenas a ſexdecim tyrannis infeſſas noſter Socrates haud deſerit, librorum quos impenſe collegerat ſacra ſupellectile, ne illam prophanae manus violarent ac diriperent, et Pithoei ſui, Varii, Hollerii ac quorundam amicorum conſuetudine allectus et detentus, dum tempora deſaevirent. De quo rerum ſtatu et perturbatione quid vir ille patriae amantiſſimus ſentiret, liquet ex ejus ſcriptis ab eo olim et nunc primum a nobis editis, ac iis verſibus quos de decreto Senatus pro lege Salica tunc ſcripſit, cujus conficiendi boni illi viri authores et impulſores viro ampliſſ. Joanni Magiſtro, qui tunc praeſidis loco Lutetiae ſedebat, fuerunt. Ut et qua moderatione animi miſeram illorum temporum conditionem ſapiens et quietus animus tulerit, ex ea quam ad me vix dum adoleſcentem tunc temporis ſcripſit epiſtola, quam ſic concludit: Sed haec θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Nos interim θεοῖς ἕπεσθαι diſcamus, ϗ θέλειν τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς γίνεται. Et quamquam parum juvaret, ut eadem epiſtola fatetur, in tanta omnium rerum confuſione ac publica calamitate, aliquid animoſe in ſtudiis adgredi, vir tamen bono publico natus, ne tum quidem prodeſſe deſtitit, Muſaſque ex Gallia profugas, apud exteras nationes, qua ope et induſtria poteſt, excitat: ac pro more eruditos, qui librorum editiones parabant, non ſolum manuſcriptis ultro, ſed etiam obſervationibus tranſmiſſis, juvat: Baronium praeſertim, qui per id tempus Annales primum moliebatur, ad quem, frequentes inter ad eum miſſas literas, elegans extat de myrrhata potione diſputatio, cujus partem aliquam ſecundae Annalium editioni inſeruit. Interim magni illi viri, ut per civilia diſſidia tempus fallerent, ne ingentibus ingeniis quid deeſſet, operam dederunt Mathematicis diſciplinis. In quibus excolendis ea Faber animi acie fuit, ut doctiſſimi Scaligeri ingenioſum de circuli dimentione conatum, (cum ejus demonſtrationem coram Jac. Aug. Thuano, Guil. Vario, Petro Pithoeo, Ant. Oiſelio in ipſis Thuani aedibus Monantholius faceret, et finem ſuum feliciter aſſecutum Scaligerum contenderet,) errore non carere primus animadverterit, quod et ingenue poſtea Scaliger ipſe, quo erat candore, agnovit. Detumeſcentibus paulatim odiis ſimul ubi primum Henrici Magni virtute rerum meliorum ſpes coepit affulgere, optimus ille communis patriae parens et publicae quietis vindex, ne res ut olim in incerto vacillarent, de ſucceſſore cogitat. Proximus tunc huic Henricus Borbonius Princeps Condaeus, ad quem, velut ad indulta poſt tot ac tantas clades ſolatia, ex ingenito Gallis erga ſtirpem regiam amore, omnes omnium oculi convertuntur. Illum ergo Rex ſapientiſſimus puerum juventutis principem ex Joannis Engeriaci fano, ubi educabatur, ad ſe in aulam advocat, et ut erat ſagaci juxta ac perſpicaci ingenio, rectorem et formatorem aſciſcit Joan. Vivonium Piſanium fortiſſimum ac prudentiſſimum regiae utriuſque militiae equitem, priſca generis nobilitate, militari virtute, morum gravitate, totiuſque vitae ſplendore conſpicuum, et qui variis graviſſimiſque legationibus apud exteros principes ſumma cum laude et gloria perfunctus, magnum prudentiae ac moderationis ſuae experimentum fecerat. Piſanio tanti principis pueritiae moderandae cura commiſſa, ab eodem ſapientiſſimo rege delectus Faber qui teneram hanc aetatem religionis et doctrinae praeceptis informaret: verum aliis huc uſque moribus et ſtudiis aſſuetus, et, quod caput eſt, omnis ambitionis expers, vix primo perſuaderi potuit ut munus illud ſuſciperet. Datum negotium Achilli Harlaeo et Jac. Aug. Thuano ſupremi Senatus praeſidibus, quibuſcum ſumma illi intercedebat conſuetudo, qui, ut omnia in Henrico ſine exemplo magna, ita hoc ſingulare regis judicium et votum efferunt, temporis conditionem et regni ſtatum videat, pro virili parte ſuccurrat, monent, hortanturque ſe pro rege, pro optimae indolis principe, pro communi omnium ſalute devoveat, eique tandem ut ſe his rationibus vinci pateretur perſuadent. Abs ſuis ergo libris, amicis, et vero Pithoeo ſuo, quicum multos annos conjunctiſſime vixerat, divellitur anno CIↃ IↃ XCVI, et apud Sangermanam arcem, in qua tunc regii ſanguinis primarius princeps educabatur, proficiſcitur: benigne ab eo, ab illuſtriſſima principis matre, a Piſanio ipſo et omnibus exceptus et habitus, qui virum hunc pium, doctiſſimum, modeſtiſſimum, nil praeter munus ſuum anxie anquirentem, ac virtutibus omnibus cumulatiſſimum colunt, venerantur. Anno vertente Pithoeus Auguſtobonam Tricaſſium, unde erat oriundus, ob ſaevientem Lutetiae peſtem rebus prolatis, ſeceſſerat: et, ut nunquam a publico et literario bono animum

animum remittebat, editionem accurabat fragmentorum D. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi, quae rerum in Concilio Ariminenſi geſtarum ſeriem novo nec antea recte ſatis intellecto ordine continerent. Sed magnus ille vir in medio hoc conatu acerba morte intercipitur, ex qua vix dici poteſt quantum moeroris Faber contraxerit, ut etiamnum apud me extet epiſtola, qua ſe mea et amicorum conſolatione in gravi hoc caſu egere fateatur. Vir porro ille optimus, etiam in morte de literis ſolicitus, ſuo elogio inchoati operis abſolutionem Fabri ſui fidei commiſerat, qui ut pii amici ſupremae voluntati morem gereret, licet principis educationi et Spartae ſuae adornandae aſſidue incumberet, inceptam editionem ad exitum perduxit, et inſuper doctam et elegantem praefationem, Jacobo Auguſto Thuano, ſicuti a Pithoeo rogatus fuerat, inſcriptam, addidit, quae doctiſſimum Baronium in magnas ac perplexas difficultates poſtea induit, ut multa ex praecedentibus invertere, mutare, corrigere in ſequenti Annalium editione, rei veritate et blanda modeſtiſſimi amici admonitione urgente, ſit coactus. In illa vero praefatione adſuenda cum dies Paſchae anni a Chriſto CCC LIX, divique Ambroſii epiſtola ad Epiſcopos per Aemiliam cum remoraretur, ad me ſcripſit ut calculum ſubducerem; quod ſedulo feci, et notas ad illam epiſtolam addidi cum praefatione ſimul editas. Qua interim diligentia, quaque induſtria et ſtudio in curam ſibi commiſſam incumberet, tute ſcis (Princeps Illuſtriſſime) tuumque eſt praedicare ut facis. Ego certe, qui Fabro tibi praelegenti ſaepius aſtiti, et cum morbo praepeditus abeſſet ejus vices, licet impar, aliquoties ſupplevi, teſtari poſſum qua alacritate ac felicitate ingenii in literas incumberes, quanta dexteritate ac judicio aetati praeverteres, quam tenaci memoria quae ſemel audiveras retineres, et omnium gentium hiſtorias per temporum ſeriem, autorum ac librorum argumenta, ac praecipuas ſententias ſumma animi contentione recitares, ut ne plus ille in docendo quam tu in diſcendo laudis et gloriae reportaret, uterque certaſſe videretur. Anno interim CIↃ IↃC inſtituta regis juſſu apud Blaudi fontem celeberrima collatione, qua liber Philippi Mornaei equitis de inſtitutione Euchariſtiae diſcuteretur, inter VI viros ad id delegatus eſt Faber, cui tamen diſceptationi ad diem conſtitutum ob valetudinem adverſam intereſſe non potuit. Condaeo porro jam adulto et omni eruditione exculto, Faber aulicae vitae pertaeſus, ſtudiiſque ac vigiliis fractus ſenex receptui canere inſtituit: hoc unum habens in votis ut animo ſoluto ac libero, inter blanda Muſarum otia pure pieque Deum coleret, coeleſtia meditaretur, ac, ut ſaepe ipſe uſurpabat, futurae vitae viaticum quaereret. Vix a Rege, ſed aegerrime a principe, qui eum ſaepius domus ſuae tutelarem Genium indigitabat, miſſione impetrata, quo ſe conferret aliquantulum dubius et anceps fuit; et cum omnem rei familiaris curam, ut ſe indignam, a ſe abjicere firmum et ratum in animo haberet, benevolentiae et humanitatis memor qua a Pithoeo ſuo et tota ejus familia fuerat acceptus, ſe Catharinae Paludellae honeſtiſſimae Pithoei viduae curae et hoſpitio commiſit, in cujus domo et familia humaniſſime exceptus ſanctiſſimam et quae poſteris ſit exemplo vitam per aliquot annos exegit, quam, ubi ad maturam pervenerat aetatem, ſic incunte tempore inſtituerat. Media et concubia nocte, accenſo cereo, per duas horas orationi et piae lectioni vacabat, parato per hiemem cucullo canonicorum more, quo, perinde ut illi, caput obvolvebat: tum levi repetito ſomno, ſurgebat aeſtate ad primam auroram, hieme ſub gallicinium circa quintam et ſextam horam. Muſaeum ingreſſus, genibus proſtratus orationes et preces ad horam fere protrahebat: tum ſtudiis et libris intentus, ubi primum in ſacra aede vicina celebrandum Miſſae ſacrificium denunciabatur, eo ferebatur coelo quantumvis infeſto et ſaevo: hinc domum ſe referebat, ac ſolidum diem piis operibus, ſtudiis literarum, viſendis amicis, et privatis ac publicis, pro diverſa temporum ratione, officiis impendebat: pietati et ſanctimoniae adeo addictus, ut nullum tempus recte collocari exiſtimaret, niſi quod cultui divino impenderetur; nullam pecuniam recte expendi, niſi quae piis erogationibus abſumeretur. Jejunia ab Eccleſia indicta diligentiſſime ſervabat, ut erat cibi et potus parciſſimus: ſingulis Dominicis et aliis praecipuis feſtis diebus ſe ad ſacram menſam parabat, et licet in quibuſdam coenobiis id aliquando perageret, adeo tamen erat Eccleſiaſticae diſciplinae rigidus obſervator, ut iis diebus ſolemni parocciae ſacrificio ſi liceret intereſſet, aut certe ſuum ad altare munus offerendum mitteret. In templo orationi perpetuo intentus, et genibus flexis. Si quem in religione errantem agnoſceret, nil habebat antiquius

quam ut eum doceret et erroris admoneret : id in ea eſſe optimum quod antiquiſſimum ratus, nec fas ulli de ſua fide mentiri, nil in ea diſſimulandum, nil ἀδιάφορον, ſed vitandas inanes et curioſas quaeſtiunculas, et religionem moderata ratione ſuadendam potius quam ferro et armis imperandam, aut denique quaeſitis mendaciis aſtruendam: ejus vero rectam inſtructionem non aliunde petendam eſſe, quam ex aſſidua ſacrorum librorum lectione, et antiquis patribus fidis et unicis eorum interpretibus, tanquam ex vivo et jugi fonte, quos, ut erat melioris antiquitatis diligens ſcrutator et adſertor, ſummopere venerabatur : maxime D. Auguſtinum, cujus lectioni aſſidue inhaerebat, ut ex recentioribus divum Bernardum noſtratem, quem ultimum Patrum nominabat : minime interim iis aſſenſum praebens, qui, quovis praetextu, auctoritatem Eccleſiaſticam et Regiam invadere aut convellere niterentur : quae omnia ex opuſculis quae nunc emittimus perſpicua fient. Ea porro erat in egenos charitate, ut certam eamque maximam ſtipendiorum quae ipſi quotannis ab rege tribuebantur, imo et redituum annuorum portionem duodecim piis hujuſce urbis locis, aliiſque privatim indigentibus ſingulis menſibus diſtribueret, pauperibus quibuſcumque obviis ſtipem erogaret, et, quod certe eximium eſt, morbo aut aliqua ſortis acerbitate oppreſſos undique conquireret ut eos pia vereque Chriſtiana benignitate et charitate ſuſtentaret : adhibita cautione ne a quo beneficium acciperent, perinde ac ſi furtum commiſiſſet, vulgaretur ; idque tanta feſtinatione ac calore, ut nimis ſancte pius, quod ait ille, quo ſequentis trimeſtris ſtipendium et annonam expectaret plerumque non haberet, niſi amici ſuccurrerent et ab eis mutuum acciperet, quod tamen prima quaque occaſione diſſolvebat. Et quoniam perpetua ſua praeda haec erat ac propria quaſi venatio, ut de egenis bene mereretur, non ſatis eſſe exiſtimabat ea quae ad corporis valetudinem conferebant curare, ni quae ad animae ſalutem et cultum in Deum neceſſaria eſſent adminiſtrarentur : cumque nonnihil eorum deſiderari in magno et inſtructiſſimo alioqui hujus urbis Noſocomio cognoviſſet, anno CIↃ IↃ CX firma et ſolemni inter vivos donatione, quingentas ex annuis reditibus libras, delectis ſacerdotibus, ſingulis annis a ſacrae domus curatoribus diſtribuendas, reliquit, qui aſſidue aegrotis adſidentes ad Dei cultum, patientiam, veramque pietatem eos hortarentur, antequam cibum ſumerent menſis benedicerent, agerentque cibo ſumpto gratias, ſingulis Dominicis diebus concionarentur, et dum mortui nocte, ut moris eſt, efferrentur, ipſi funus ſequerentur juſtaque facerent. Secundum religionem, morum in eo praecipua cura erat, qualeis vera et ſolida cui toto vitae curſu ſerio operam dederat in nobis informat Philoſophia, cujus non auditor ſed factor, quamque factis quam verbis exercere mallet : ea demum conſtantia et pertinacia, ut animum in poteſtate habens, ſibi quam ſemel legem dixerat ubique ſervaret, non altitudine fortunae et dignitatis elatus, non caſu depreſſus, ſed quaſi cum virtute ſponſione facta, noxa ſolutus, omni ex parte ſecum ipſe conſentiret, nec unquam a vera ſinceraque ratione deflecteret. Prudens in eo ſimplicitas, vera religio, conſulta innocentia, innoxia libertas, ſumma caſtitas, incredibilis bonitas, et ſingularis in omni vitae actione moderatio. Amicis gratus et beneficus, domi temperans et ſobrius, ut qui omnes voluptates fugeret, verus et apertus ac nullius rei diſſimulator, ſed ea ſuavitate, candore et verecundia, ut cum in unoquoque virtutum genere paucos pares habuerit, cum ſola modeſtia ſuper omnes extulerit. Servis ut amicis ſumma humanitate uſus, amicis ut dominis, a quibus ſi aliquando gravius acciperetur, benigne interpretando rem elevabat ; et cum aliis ſemper parceret, ſibi vix ignoſcebat. Mitto quam excelſo et erecto adverſus divitias, et ab omni repulſa avaritiaeque labe alieno animo, magnus ille Senecae amator et ſcriptorum ejus admirator eſſet ; qui tamen, ſi cum illo contendatur, multis partibus, eaque ipſa qua minor erat, ſuperior reperietur. Facile fuit Senecae, dum ingentes divitiarum acervos et latos campos ſub ſuo cenſu et ditione teneret, rerum et opum contemptum verbis prae ſe ferre. *Hoc, mi Lucili, egregium, hoc ſecurum et liberum, nihil petere, et tota fortunae comitia tranſire.* Cum noſter Faber iiſdem quibus ille ſacris operatus, ex aula regum et procerum, poſt multos annos, ſolius virtutis, nedum gloriae pretio contentus, diſceſſerit. His ergo virtutibus inſtructus, ad annum CIↃ IↃ CX in Pithoeana domo vitam hanc tranſegit innocentiſſimam, ac tranquillam ſane, ſi quietum Philoſophiaeque praeceptis ac longo uſu et experientia obfirmatum animum ſpectes ; ſi funeſtos rerum quae poſtea inciderunt eventus, aerumnarum non prorſus expertem :

dum

dum ſingulari in principem quem educaverat amore perſeverat, eoque nomine in ſuſpicionem ejus venit, quem fideli ſemper obſequio vir inconcuſſae probitatis coluerat, eumdemque cultum morigero hac in re alumno a primulis annis inſinuaverat. Interea, heu ſaeculi infamiam! Sol ille Galliarum patriae parens Henricus Magnus, ſceleſta perditiſſimi et Tartarei parricidae manu, cadit. Poſt tantam conſternationem erectis paulum animis, ſingulari Patrum Conſc. et principum ac procerum regni prudentia, concordibus ſuffragiis Auguſtae matri Ludovici XIII Regis impuberis tutela et regni procuratio decernitur. Atque ita ſedatis quodammodo rebus et alto quaſi hoc otio, ego, qui ex quotidiano congreſſu exquiſitam in Fabro Eccleſiaſticae hiſtoriae notitiam toties mirabar, ne haec intercciderent, ſuaſeram, ut quod in ea doctrinae reconditioris obſervaſſet, ſcriptis mandaret, meam opellam, ſi qua juvare poſſem, pollicitus. Et jam, me ad excipiendum parato, manum huic operi admovebat, cum ecce virtutis fama celebris omnium votis diu expetitus, ſagaci reginae matris judicio eligitur qui ſpei regis admoveretur, et erudiendae ejus pueritiae praeeſſet. Laudant conſilium reginae proceres, omneſque in eum convertunt oculos, amici monent, hortantur, urgent. Ille oblatum munus recuſat, obſtitit, reluctatur: exhauſtos labores ſibi jure promeruiſſe munerum vacationem: memoria, viribus, valetudine, jam deficere fractum ſenem ac tremulum, nec deſultoriae huic aulicae vitae ſupereſſe poſſe contendit: quod ſuperat aetatis Deo, pietatis officiis, convaſatis rebus, vitae melioris parando viatico devoviſſe; et, quod innata ſibi ac propria modeſtia maxime urgebat, ſe doctrina, ingenio, viribus imparem huic muneri. Contra pollicetur regina ſe curaturam ne quid incommodi patiatur et aetati ejus debili ſuccurratur, in ipſo multa ſimul concurrere quae vix in aliis ſingula reperiantur. Inſtant inſuper amici, magnates quibus haec demandata cura, priſcae et antiquae virtutis meminerit, et ſe non ſibi ſed regi ac patriae, quam hoc beneficio totam devinctam teneat, natum recordetur: ad ſummum nil ei poſſe glorioſius contingere quam ſi vel in ipſo praeclaro munere et conatu mortem oppetat. Forte tunc Princeps Condaeus Burdigalam diverterat ad luſtrandam cui praeeſt ampliſſimam regni provinciam: hunc literis Faber rei certiorem facit, atque obſecrat ut ſe apud reginam excuſet: ſed regis et patriae amantiſſimus princeps, ultro Fabrum ſuum increpat et adhortatur, ſeque ſi adfuiſſet hoc in conſilium tam laudabile conſenſurum fuiſſe oſtendit. Victus his monitis et adhortationibus, poſthabita valetudinis infirmae cura, praeclarum hoc munus adoritur, ac Regem Chriſtianiſſimum per ſexdecim menſes Faber qua pollet pietate, doctrina, et bonis moribus informat, fidele obſequium, promptam voluntatem, aſſiduam operam praeſtat. Rex item illius veneratur conſilia, vitam et mores miratur, ſuſpicit et amplectitur doctrinam; hic ea comitate et ſuavitate, ille tanto animi obſequentiſſimi pudore ac reverentia, ut, ſicut in aula paſſim jactabatur, utrumque dixiſſes invicem de humanitate et verecundia decertare. Sed, o inviſa ſemper Galliae fata! dum in ſanctiore receſſu cum rege lectioni vacat, in ipſo opere tam praeclaro et vitae actione praeſtantiſſima lethali febre corripitur; qua in dies ingraveſcente, pios ac religioſos viros acceſſiri jubet, imprimiſque Joan. Gulonium Foliacenſis monaſterii praepoſitum, qui ei aſſidue ad extremum vitae ſpiritum interfuit: teſtamentum deinde ſumma mentis tranquillitate condit, quo, quaedam de fide ac ſumma Dei miſericordia pie et erudite praefatus, ut corpus in D D. Innocentium coemeterium ad maternae gentis ſepulchrum, nulla aut tenuiſſima pompa, efferatur, jubet. Tum quibuſdam rebus piis locis, amicis, ac domeſticis legatis, Jac. Aug. Thuano ampliſſimo Senatus praeſidi omnes manuſcriptos codices, mihi vero, paucis exceptis, caeteros bibliothecae libros ſuprema voluntate reliquit, municipali legi patrimonii caeterorumque bonorum jus arbitriumque permittens: hoc inſuper addito, ut titulus, quem ſummae humilitatis Chriſtianae teſtem ſua manu ſcripſerat, lapidi marmoreo abſque alio ornamento ſepulchro inſculperetur, ejuſque rei curam Joanni Burlonio, quem dilectiſſimum cognatum ſupremae ſuae voluntatis curatorem inſtituerat, commiſit: amicos obteſtatus, ſi quid in eo vanum aut ambitioſius ſcriptum notaretur, tanta erat animi demiſſione ac modeſtia, id ut expungerent. His ita confectis et fidei Notariorum concreditis, relicta omni ſaeculi ac rerum mortalium cura, protinus ad mortem ſe accingit. Vir dudum morti aſſuetus, ut qui ſe multo ante comparaſſet, ac tota vita mori didicerat, mirum qua facilitate animi et conſtantia dolores ferret, quo

vultu unumquemque conſolaretur. Per ſeptemdecim dies quibus decubuit aſſidue orationi vacat, a ſacris literis ſolatium petit, et ſententias quas in hunc uſum ſibi ſelegerat vel memoria recitat, vel aliis legentibus interpretatur et exponit, parato etiam ad eam rem ſibi uncialibus ac majuſculis literis ſcripto Pſalterio, itemque bibliorum codice Lugduni apud Gryphium edito. Quoties quid de debita in Deum veneratione, aut Dei in homines immenſis beneficiis profert aut ei recitatur, ingemiſcit, pungitur, et ſubinde ſingultus emittit teſtes mentis incluſam animo poenitentiam ac dulcedinem continentis. Domeſtici humi proſtrati benedictionem ab eo ut a domino petunt, quam, recepto more, illius benedictionem appellant; renuit et objurgat: Heu, amici, nulla apud me nec mea eſt, ſed benedictionem ſuam vobis Deus impertiat, et vobiſcum perpetuo maneat. In extremis conſtitutus, cum jam in praecordiis haerentem mortem ſentiret, ut ſacrum Domini corpus allatum vidit, moribundus membris aſſurrexit, vixque contineri potuit quin e lecto deſcenderet: et ut ſcias virtuti etiam eſſe, ut ait ille, in lectulo ac paene moriendi momento locum, presbyterum ſacrum oleum miniſtrantem comiter increpat, et ut paulo conſideratius et prolixius pronunciaret rogat: oculis fere perpetuo vel in coelum, vel in Chriſti crucifixi adpoſitam juxta lectum imaginem converſis. Extremam hanc pugnam ſtrenue fortiſſimo hoc athleta decertante, adſtant undique pii, amici, magnates regis reginaeque juſſu miſſi: Adfuit ipſemet princeps Condaeus amantiſſimus alumnus, quem Faber ad pietatem in Deum, obſequium in Regem, patriae amorem, publicae rei curam, decus principali familia dignum, et virtutem, his pridem hortamentis aſſuetum, qua poteſt voce monet, incendit, hortatur, ſeque et ſuos commendat. Princeps effuſis lachrymis, Heu! inquit, ſubita mors patruum chariſſimum nuper nobis praeripuit, et ecce amantiſſimum praeceptorem amittimus. Nae ille, poſſum hoc ego affirmare fidelis ac perpetuus conſiliorum ejus et actionum teſtis, dignus eſt, qui in numerum Sanctorum referatur, proinde curandum ut ejus corpus et oſſa aſſerventur. Tandem morbo recrudeſcente ac viribus paulatim deficientibus, ſed integro, ut ſaepe optaverat, animo, et adhuc ſecum coeleſtia ſpirante ac meditante, anno Chriſti CIƆ IƆC XII, aetatis LXIX, ſub horam decimam veſpertinam prid. Non. Novemb. majori Regis, Galliae et literarum damno quam ſuo, cum veluti in blandiſſimum ſoporem incidiſſet, nobis adſtantibus, placidam et felicem animam Deo reddidit: ſtupendo prius et *inſolito ex ſiniſtri* oculi acie in adſtantes fulgore emiſſo, qui nos omnes in admirationem rapuit. In quibus poſtremis recenſendis aliqua vel forte quorumdam judicio negligenda omittere noluimus, ne et iis qui ante haec quibus adfuimus dixere fidem derogaremus, et ut ſciant piis et maximis viris ſuſpiciendos et inſuetos exitus plerumque eſſe. Sic vixit, ſic devixit, ac ſic, ut teſtamento juſſerat, poſtero die effertur, honeſtiſſima magis amicorum et aulicorum concurſu quam ſuperba pompa, vir ille piorum doctiſſimus et doctorum piiſſimus, cujus aeternam memoriam excipient omnes anni conſequentes. Statura fuit mediocri, corpore vegeto robuſtoque ac laboris omnis inediae praeſertim et frigoris patienti, ſed ex aſſiduis vigiliis et jejuniis gracili ac macilento, et ſub ingraveſcentem aetatem fracto debilitatoque: venuſta et auguſta facie, nec oculi caſu indecora; ſpecie amabili et tranquilla, quam amicis efflagitantibus vix in tabella depingi ſit paſſus. Fortuna et ſorte uſus ſatis benigna et placida, magnis ingeniis ut plurimum iniqua et invidente: hanc nactus mediocrem a parentibus, liberaliter educatus a pueritia, ac per omnem aetatem bonis honeſte uſus et meſſe tenus propria vivens, eam, quantumvis illum publice invigilantem videas, nec ſibi nec ſuis auxit. Ea porro fuit animi benignitate et facilitate, ut, ſuo contentus, maximam Deo optimo diceret ſe inire gratiam, qui ei non ad vitam neceſſaria modo, ſed quae ad relaxationem animi honeſtaſque delicias conferrent, ſic enim librorum copiam appellabat, non denegaſſet. Nulla alia re inſuper ex iis quae poſſidebat adeo delectabatur, quam villa, quam in Linerienſi apud montem Letherici pago habebat amoeniſſima: in quam aeſtate pietatis et ſtudiorum cauſa ut plurimum ſecedebat, et cui etiam, qua amplior fieret, acceſſionem ex agris proximis adjunxerat. Amicos habuit omnes pios et doctos, omnibus viciſſim, et quis eum non coleret? amicus et gratus. Nulli infenſus, neminem laceſſivit, a nemine ſcriptis laceſſitus, ſumma ille ſemper uſus moderatione ſi quando orta eſſet de religione aut doctrina contentio, quo nomine a proceribus, aulicis, piis, doctis omnibus amatus et acceptiſſimus fuit. Inter amicos praecipue coluit Jac.

Aug.

Aug. Thuanum ampliſſimum praeſidem: tum Gulielmum Varium Senatus Aquenſis principem, qui illi de Gallica eloquentia diſertiſſimum opus inſcripſit: ſed omnium familiariſſimum et vitae conſortem ac contubernalem Petrum Pithoeum, qui illi dicavit libellum de Latinis interpretibus bibliorum, et Salvianum Maſſilienſem. Dies deficeret ſi omnes recenſerem, ſed quos literae conciliarunt hos habuit familiares et praecipuos: Baronium, Borromeum, et Perronium, pios et doctiſſimos Cardinales: Ex viris clariſſ. Cl. Puteanum ejuſque filios, Paulum Petavium, Hollerium, Franciſcum Pithoeum Petri fratrem, Frontonem Ducaeum, et Jac. Sirmundum qui illi Ennodii opera dedicavit: Ant. Oiſelium, Iſaacum Caſaubonum, Nic. Rigaltium, Janum Guillelmium, qui ejus nomine notas in Ciſtellariam Plauti emiſit, ut et Ludovicus Cario librum ſecundum emendationum et obſervationum, et Fed. Morellus notas in Silvas Statii: et ſi ego in hoc albo et cenſu tantillus adſcribi mereor, me caeteroſque ejus opera et ea quae iis praefiximus elogia demonſtrabunt. Adeo tenaci et felici memoria fuit, ut licet nullum unquam commentarium confeciſſet, ſi quid tamen in amicorum congreſſu et communibus colloquiis dicendum ocurreret in quovis ſcientiarum genere, quarum nullam intactam reliquerat, ut quaeque ſeſe occaſio ſubita offerebat, id illico in numerato habebat, et ex memoria, tanquam ex ſanctiore quodam penu, expromebat. Cui accedebat acuti et perſpicacis ingenii ſumma vis, ſolers et peracre judicium, ſincerum nec incautum in rebus agendis, in literis autem ac ſcriptis aliorum dignoſcendis ſummum et excelſum, vixque ulli ex ſua patrumque memoria poſtponendum. Quibus animi dotibus ad illud ſummae eruditionis faſtigium evectus eſt, ut ob multiplicem illius per omne genus authorum lectionem, et omnes quas non perfunctorie ſed ſerio amplexus erat ſcientias, ἔμψυχος βιβλιοθήκη dici meruerit. A prima aetate humanioribus literis delectatus, has adeo parum remiſit, ut diceret hoc ſtudium vel ad ſenectutem ingraveſcere, cui toto vitae curſu ea ſe animi contentione addixit, ut vel ex libris in bibliotheca relictis clarum ſit, illum omnes antiquos utriuſque linguae ſcriptores ad unum legiſſe, concoxiſſe, et ad vetera exemplaria contuliſſe: quorum lectione atque inſtrumentorum et actorum quae ex bibliothecis antiquis, cimeliis regiis, urbium, monaſteriorumque collegerat, mirum quam exactam melioris antiquitatis et Galliae externaeque hiſtoriae notitiam ſibi comparavit. Inde per juris prudentiae ſcientiam, tum per omnes Philoſophiae partes excurrerat: ſed eam praeſertim quae eſt de moribus, quam, ut ex Ariſtotelis ſententia rectiſſime profiteretur, propriis moribus exprimebat. Extrema demum aetate ſe totum ad ſacrae hiſtoriae cognitionem contulit, eo candore et pietatis ac veritatis ſtudio, ut qui pure magis ac ſincere de ea, in his quibus verſamur opinionum procellis, ſenſerit, paucos pares, ſuperiorem habuerit neminem. At homo modeſtiſſimus, alienae potius quam ſuae inſerviens gloriae, ſi quem veterum auctorum recens aut iterum edi, vel quem in re aliqua tractanda operam dare audiebat, iis ultro vel ignotis manuſcriptos codices quos habebat omnis notae optimos offerebat et mittebat: ſi quid notaſſet, admonebat, interpretabatur, ea ſemper praefatione uſus, ne nominis ſui mentionem facerent, ut recte facti feciſſe ſola merces eſſet: cujus rei plura ſint licet huic editioni adtexta teſtimonia, unicum appellare poſſum locupletiſſimum teſtem Cardinalem Baronium, apud quem in Annalibus frequens ſit illius et honorifica mentio. Hincque effectum ut vir laborioſiſſimus et peritiſſimus tam pauca ſcripſerit et ediderit, quae tamen, quantumvis exilia, et reconditam ac multiplicem auctoris doctrinam et emunctae naris judicium arguunt. Recens edimus diſputationem quam mihi aſſervandam dederat, *Num gravioris mali vitandi cauſa levius committi poſſit*, cum quod elegantiſſime ſcripta et docte, ut caetera, tum quod veram ſincerae ejus mentis imaginem ad vivum reſecat, ac puros integri et aperti illius animi adfectus, ut ex tabella, oculis videndos ſubjiciat, ubi candor, ubi veritas, et non niſi nativus honeſti color. Quoſdam item verſus, epiſtolas, σχεδιάσματα, et alia etiam Gallico ſermone compoſita, ſparſa et in pulverem ſitumque abjecta undiquaque conquiſita collegimus, quae pietatis cauſa et omnibus opitulandi ſtudio ab amicis rogatus ſcripſerat, nullo plerumque apud ſe ſervato exemplo, vel ita conturbato nec dum conſummato, ut, cum ſenſum vix elicere poſſem, multa rejicere ſim coactus. Non haec, fateor, ab eo ſcripta ea mente ut lucem aſpicerent: Sed, o Manes eſtote boni, ſi ſingula veſtra verba, ſingula puto oracula, quae ab amicis am-

pliſſimis et eruditiſſimis viris non ita neglecta aut parvi aeſtimata ſunt, ut ea tradenda oblivioni viderentur, et quae de locupletiſſimis theſauris prodire nemo non fateatur. E quibus prodiit et elegans, quod ſibi ſua manu ſcripſit, ſepulchro inſculpendum elogium : quod ſupremum pii et praeclari ingenii monumentum hic ſubjici, non ſolum privatorum ad rarum humilitatis exemplum, ſed etiam publicae rei intereſſe, ac digniſſimum quod vitae integerrime actae hiſtoriam claudat, exiſtimavimus.

NICOLAVS FABER
PECCATOR NON VNVS EX MVLTIS
HIC IACEO.
QVID DE ME DICI VERIVS,
AVT A ME VTILIVS NON VIDEO.
AGNOSCO BONE IESV, TV IGNOSCE.
AD HOC ENIM NATVS ES, AD HOC PASSVS,
AD HOC PRO NOBIS TREMVISTI,
VT PER TE SECVRI ESSEMVS.

VIXIT ANN. LXVIII. M. IV. D. I.
DEVIXIT PR. N. NOV. AN. CIↃ IↃC XII.

R. I. P.

Ex Nic. Fabri in B. Hilarii ex opere Hiſtorico Fragmenta praefatione. Ad Clariſſ. Virum Jac. Aug. Thuanum Sacri conſiſtorii Conſiliar. Senatuſque Pariſienſis Praeſidem doctiſſ. atque prudentiſſimum.

Ecce tibi reſtituo, Praeses amplissime, beati Hilarii Pictavienſis Epiſcopi librum a viro doctrina, prudentia, morumque integritate maximo, P. Pithoeo ſuprema voluntate relictum, meaeque fidei ut ſolidus ad te perveniret, id eſt, ſine ulla deductione et quam optimo jure apud teſtatorem fuit, commiſſum. Munus eſt, ſi folia numeres, non valde magnum, ſed ſi auctoris dignitatem, ſi fatum libri, ſi rei de qua tractat gravitatem conſideres, ejuſmodi, ut non acceptiſſimum eſſe nequeat. Tibi enim omnium diſciplinarum genere inſtructiſſimo, Gallicae ſalutis ac laudis amantiſſimo, et antiquae pietatis ac conſtantiae ſtudioſiſſimo, non poteſt non gratiſſimum eſſe antiqui ſcriptoris Galli, Theologorum qui in occidente floruerunt celeberrimi ac diſertiſſimi, excelſaeque arboris, ut eum vocat B. Hieronymus, qua aedificata eſt Eccleſia Dei, ad haec etiam fortiſſimi confeſſoris librum, de graviſſima omnium quae unquam in Eccleſia fuerunt controverſia ſcriptum, poſt tot annos e tenebris erutum clariſſimi tui nominis auſpiciis lucem aſpicere. Haec etſi ſatis ad commendationem muneris valeant, apud te praecipue, qui, pro tuo erga literas religionemque ſtudio, erectoque atque infracto adverſus divitias fumoſque aulicos, ad quae ſola nunc concurritur, animo, ſemper id genus reliquias Attalicis conditionibus praetuliſti : Paſſieni tamen ſententiae, ſi bene te novi, accedes, pluriſque in eo facies judicium eruditiſſimi cordatiſſimique viri, qui te dum vixit ob egregiam doctrinam, prudentiam, ſtudiumque ac pietatem in Remp. in quibus tecum conſpirabat, unice amavit et coluit, morienſque ſuae erga te propenſae voluntatis publice hoc teſtimonium poſteritati extare voluit. — Cum Pithoeus ſic vitam ipſe inſtituiſſet, ut commoda publica ubique propriis negotiis praeverteret, ſaevienteque Lutetiae peſtilentia Auguſtobonam Tricaſſium, quae illud nobis ſidus ediderat, ſeceſſiſſet, nactus a Franciſco fratre, viro propria laude virtutis et doctrinae clariſſimo, et plane tanto fratri germano, vetus exemplar fabularum Aeſopiarum improbi, ut eum vocat Martialis, Phaedri, quo opere eruditum Tiberii ſaeculum nihil venuſtius elegantiuſve protulit, vel hujus ſui receſſus rationem publice conſtare voluit. Itaque procuratis characteribus pro captu urbis quidem magnae et frequentis, ſed mercaturae ac commercio penitus addictae atque occupatae, a literis vero penitus alienae, elegantibus, conductiſque operis, illas fabulas ſuo ſumptu atque haec fragmenta typis vulgare conſtituit : in qua cogitatione abſolutis fabulis, hiſque fragmentis tantum non ad umbilicum perductis, vir immortalitate digniſſimus

ſimus ad meliorem vitam aſſumptus eſt. Adderem hoc loco unde haec etiam fragmenta eruerit, niſi bonis viris ejuſmodi rerum cognitionem profitentibus ruborem ſuffundere vererer, qui deliteſcentis hujus in bibliothecis ſuis theſauri velut gallus ille Aeſopius unionis dignitatem non agnoverunt, vel agnitam non ſine publica jactura tandiu continuerunt. Dicam tantum quod praetermitti non poteſt, horum fragmentorum unicum exemplar Pithoeum Lutetiae anno ſalutis CIↃ IↃ XC. repertum habuiſſe: non magis enim noſter ille ſedecim tyrannis oppreſſa urbe quam Socrates triginta ſuas Athenas vexantibus propoſitum vitae decurſum philoſophando remque publicam juvando intermiſit. Unicum (inquam) neque illud pervetus exemplar habuit; ſed tantum ab hinc centum annis in charta, manu gallica, nec latinam linguam ſatis percipiente confuſis dictionibus ſcriptum, quod praeterea etiam librorum Caſſiani de Incarnatione Chriſti epitomen eadem manu ſcriptam contineret, illam fortaſſe quam Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum confeciſſe teſtis eſt Gennadius. Inde ſpem conceperat et antiquum exemplar unde recens illud exſcriptum fuerat aliunde recuperari poſſe, quae cauſa fuit cur tandiu eorum editionem ſuſtinuerit. In quo certe illi hoc feliciſſime contigit, ut in publicandis duobus iſtis eximiis antiquitatis monumentis fato interceptus praeclare actam vitae fabulam illuſtriore fine veluti Cygnea cantione concluderet. Quamvis ſane difficillimum fuerit, virum ingenii animique bonis omnibus ornatiſſimum, qui ſemper illud antiqui poëtae ſibi occinens, ϗ μήτε παυσαίμεθα εὖ δρῶντες βροτοὺς, omne ſtudium, laborem, induſtriam, omneſque cogitationes ſuas publicis utilitatibus devoverat atque impendebat, non in opere praeclaro morte deprehendi. De literarum ſtudiis tantum non loquor, in quibus aſſidue exquirendo, perſcrutando bibliothecas, antiquorum auctorum ſcripta vel a mendis vel ab interitu vindicata provulgando, vel alios quos in ea re aliquid poſſe judicabat exhortando, impellendo atque etiam juvando, nullo tempore non aliquid movit ac promovit. Quamvis enim illa ſtudia in noſtro Pithoeo ſumma fuerunt, doctrinaeque laude praecipue innotuit, ut qui ex primo quem juvenis dedit, publicatis quibuſdam divini ſui ingenii experimentis, eruditionis abſtruſae atque reconditae guſtu inter literatorum principes, vel ſuffragante invidia, ab iis qui tum in literis regnabant recenſitus fuerit, quam de ſe conceptam opinionem ad ultimum uſque vitae diem adauxit, ſuſtinebitque quamdiu literae durabunt: quantula tamen haec laudis et gloriae tanti viri eſt portio? Licet enim nemo melius unum quempiam auctorem noverit quam ipſe omnes antiquos utriuſque linguae ſcriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, et concoxerat: licet nemo privata et domeſtica negotia exactius tenuerit quam ipſe Gallicam externamque hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, foedera, conventiones, vel exterorum inter ſe vel nobiſcum geſta, ad haec etiam leges, mores, conſuetudines, provinciarum ſingularumve urbium, quarum omnium a teneris annis indefeſſo ac plane Herculeo labore ſibi perfectam notitiam cum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, ſenatus rationalium, urbium, monaſteriorumque comparaverat, inſtrumentorumque ipſorum atque actorum bonam partem ſua manu deſcripſerat: in jure autem civili Romanorum licet ad eum gradum pertigerit, ut de eo celeberrimoque ejus praeceptore Cujacio dici jure poſſit quod de magnis olim oratoribus dictum eſt, hunc diſcipulo praeripuiſſe ne primus Juriſconſultus eſſet, illum vero praeceptori ne ſolus: licet, inquam, ea omnia, quae in quovis homine ſingula magnum virum et cum cura dicendum efficiant, in noſtro Pithoeo cumulata atque coacervata eundem ad ſummam laudem et commendationem evehant; quantum tamen abſunt ab illa ſapientia quam ingenii judiciique felicitate, ex cognitione rerum, aſſidua lectione atque uſu comparata, velut ex omnium antiquorum inventis, qui ſapientiae commendatione floruerunt, conflatam ſibi quaeſiverat? Quantum ab illa civili prudentia, qua praeditus, velut ἀριστοτέχνας τις (ut cum Pindaro loquar) ϗ δημιουργὸς εὐνομίας ϗ δίκης, non ſolum de rebus privatis et fori maxima cum facilitate atque aequitate reſpondere ac ſtatuere, ſed etiam de iis quae ad ſummam rempub. ſpectant ſapienter deliberare, conſiliorum exitus praevidere, dubiiſque ac periculoſis eventis provide occurrere noverat. Quamvis enim naturali quadam propenſione, corroborata ſordidiſſimi inquinatiſſimique apud nos moris odio magiſtratus non niſi per ſordes ineundi, ab omni ambitione vitaeque fulgore, niſi quem virtus emitteret, alieniſſimus vixerit, ita

ut

ut honores et magiſtratus vel ultro delatos reſpuerit; juvandae tamen patriae deſiderio, cujus amore mirum in modum exarſit, eos quos ſua ſors clavo reip. admoverat excitando, commonendo, ſuggerendo quae vel ab antiquis paribus in negotiis probata fuerant, vel ipſe (ut erat peracri ſolidiſſimoque judicio) quae facienda judicabat, toto vitae ſuae curriculo privatus negotium publicum, et abſque chlamyde vel praetexta perpetuum magiſtratum geſſit. Quantum denique ab illa morum integritate atque innocentia indeflexoque per omnes vitae partes probitatis tenore, quibus virtutibus conſecutus eſt ut non ſolum togatorum doctiſſimus, ſed et prudentiſſimus juriſconſultus, civis optimus ac plane vir bonus audiret, qualem vel Fimbria noverat vel Socrates. Atque haec etſi tibi aeque ac mihi notiſſima ſint, eo tamen libentius commemoro, ut cum non niſi jucundiſſima virtutum amiciſſimi viri recordatio eſſe queat, tum etiam imprimis qui in ſupremum ejus elogium inciderint, quod inter defuncti ſchedia repertum amici publicarunt, tua fide et auctoritate adducti, qui cum ipſum pro ſumma inter vos amicitia, veterique conſuetudine mutua virtutum alterius admiratione contracta, intus (quod aiunt) et in cute noveras, perſuaſum ſibi habeant, pari modeſtia et veritate ſcriptum illud eſſe qua vir modeſtiſſimus ab omni fuco ac vanitate quam maxime alienus, et qui ἀρχὰν μεγάλας ἀρετᾶς ἀλάθειαν duceret, in reliquis rebus tota vita uſus eſt. Sed vereor ne tanquam δρυὸς ἄλις, ita etiam praefationis ſatis ſuperque ſit, praeſertim apud te (vir Maxime) quem perſpicaci clementiſſimi atque fortiſſimi Regis noſtri judicio propter ſingularem prudentiam egregiumque erga ſe remque publicam ſtudium, fidem ac pietatem olim propriam noſtrae gentis, nunc vero magno noſtro dedecore rariſſimam laudem, componendis ſedandiſque magnatum noſtrorum inquietibus animis delegatum atque occupatum diutius publicis commoditatibus ſubtractum detinere ſine ſcelere vel etiam impietate nequeam. Quapropter Deum optimum maximum precatus ut te diutiſſime tuis, Senatui, laborantique Reipub. cujus ex deſtinis es, ſalvum et incolumem commodet; finem hic facio, meque tibi addictum, deditum, obſtrictum quod facis ames etiam atque etiam rogo. Vale. Ex Foſtatenſi caſtro, quod olim caſtrum Bagaudarum, non ignotae Diocletiani temporibus factionis, dictum eſt.

Ex MS. *Nic. Fabri Praefatio in hiſtoriam Concilii Tridentini, ſcriptam a V. C. J. A. Thuano.*

DE Concilio Tridentino, cujus admittendi quaeſtio jam nos quadraginta annos exercet, quid ſentiendum ſit, vehementer ſcire deſideras; in quo de dogmatibus antiquis, quae rata ſtataque a majoribus habita, noſtro demum ſaeculo in controverſiam vocata, hujuſce Concilii ex decretis aſſerta ſunt, te non ambigere mihi perſuaſiſſimum eſt: frequenter enim ex te audivi, quod olim ferebatur, moribus antiquis ac viris Rempublicam Romanam ſtare, meliore jure Rei-publicae Chriſtianae competere; quantumque diſcedimus a primorum fidei praeconum et propagatorum vivendi credendique ratione, tantum a ſimplicitate Chriſtiana, religioniſque puritate, nos abſcedere atque deficere. Supereſt ergo ut in iis aqua tibi haereat, quae de uſu clavium, dignitatum Eccleſiaſticarum diſpenſatione, facultatum diſtributione, eorum qui ad ſacra tractanda vocantur moribus, Romanae Curiae directione, caeteriſque id genus, Eccleſiae quibus diſciplina conſtat, hujus regulis definita ſunt. Et certe virum gravem vel in minima re labi et decipi culpa non vacat; in iis vero quae ad pietatem ſpectant, in quibus ſaepe cultus numinis divini ſceleribus impietatique praetenditur, allucinari, non ſolum pudendum eſt ſed etiam pernicioſum.

SI qua autem fides B. Cypriano debeatur, diſciplinam non minimam pietatis efficere partem hinc diſcimus, quod iis titulis hanc exornet, quibus honeſtioribus ne pietatem ipſam inſignire potuit; cum eam dicit cuſtodem ſpei, retinaculum fidei, ducem itineris ſalutaris, fomitem et nutrimentum bonae indolis, magiſtramque virtutis, per quam in Chriſto ſemper maneamus; ita qui de diſciplina contendit, non de lana caprina, quod aiunt, vel de aſini umbra litem movere, ſed de re maximi momenti ſummaque religione ſolicitus videri debeat. Cum tamen ingenii acumine, rerum ſacrarum peritia judiciique praeſtantia valeas, vereor ut ex praecepto Platonis facias, qui ab aliis emendices quod uberrime tibi domi ſuppetit. Praeſtat igitur ut in ea quaeſtione integra acerrimum tuum judicium excutias, et tuo marte quid ſtatuendum putes apud te videas: quandoquidem autem, ut de re quapiam recte

recte judices, non parvi refert ſi quo modo quoque animo tranſacta ſit compertum habeas, viſum eſt ſimplicem et nudam eorum quae Tridenti geſta ſunt, pontificatu Pii IV, ad te mittere narrationem, ex actis ipſius Concilii, legatorumque qui ei interfuerunt nomine diverſorum Principum epiſtolis ac commonitoriis fideliſſime contextam; ex qua et mentem inſtruere, et nulla praeverſus opinione negotium iſtud accuratius examinare apud te queas. Haec autem ita ſe habet.

Eloge de Nicolas le Fevre, Precepteur de LOUIS XIII. *tiré des hommes illuſtres de M. Perrault. Paris,* 1700, *in Folio.* Tom. 2, p. 57.

CELUY dont j'entreprens ici l'Eloge a réüni en ſa perſonne deux qualitez qui ne ſe rencontrent pas ordinairement enſemble, une profonde érudition, & une tres-grande ſimplicité. Ce dernier avantage luy venoit du bon fond de ſon naturel, & de l'education Chrêtienne qu'il avoit receuë de ſes parens; pour l'autre, il le tenoit de ſon application continuelle à l'étude. Il nâquit le 4. Juillet 1543, & commença ſes eſtudes au College de la Marche, où il penſa mourir dés les premieres années de ſon enfance par un accident bien ſingulier & bien cruel. Il tailloit une plume, ce qu'il en avoit emporté avec le canif luy ſauta dans l'œil, où voulant porter la main dans le moment, à cauſe de la douleur vive qu'il reſſentit, il y porta auſſi la pointe du canif, qui luy creva l'œil de telle ſorte que toute l'humeur qu'il renfermoit en ſortit, & ſe répandit ſur l'habit de ſon frere qui eſtoit proche. Il en tomba griévement malade; & lors qu'il revint en ſanté, il ſembla que la force de l'œil perdu eſtoit paſſée toute entiere dans l'autre œil, dont il voyoit auſſi clair que des deux quand il les avoit. Son pere eſtant mort, ſa mere eut toute l'attention poſſible à faire que rien ne manquaſt à ſes eſtudes. Quand il eut achevé ſes Humanitez & ſa Philoſophie, elle l'envoya avec ſon frere à Turin, enſuite à Pavie, & enfin à Boulogne pour y apprendre le Droit ſous d'excellens Maîtres qu'il y avoit alors en ces Pays-là, pour ne rien obmettre de ce qui pouvoit contribuer à former ſon eſprit & ſes mœurs. Il continua de voyager pendant l'année 1569, par toute l'Italie, où eſtant preſque impoſſible de mettre le pied en aucun endroit qu'on ne marche ſur quelque monument venerable de l'Antiquité, il remarqua une infinité de choſes qui dans la ſuite luy furent d'une grande utilité dans ſes eſtudes.

A L'âge de 18 ans il prit la reſolution de vivre dans le celibat; & ſur ce qu'un de ſes Amis le preſſoit d'entendre à quelque propoſition de mariage qu'on luy faiſoit, *Je voudrois,* repondit-il, *eſtre auſſi ferme dans toutes les bonnes reſolutions que j'ay priſes ſur la conduite de ma vie, que je le ſuis dans celle de ne jamais me marier.* Il ſe donna tout entier à l'eſtude: cependant pour contenter ſa mere il prit une Charge de Conſeiller des Eaux & Foreſts, dont il s'acquitta avec toute l'exactitude imaginable. Dans ce temps, la peſte faiſant beaucoup de ravage dans Paris, ſa mere en fut frappée. Il ne put ſe ſeparer un moment d'auprés d'elle, ni s'empeſcher de luy rendre tous les devoirs & toutes les aſſiſtances dont on peut conſoler & ſecourir une perſonne malade, quoy que la plûpart de ſes domeſtiques l'euſſent abandonnée. Il l'accompagna juſqu'au tombeau, où dans la ſuite il voulut eſtre mis auprés d'elle.

AYANT perdu ſon pere dans le meſme-temps, il quitta ſa Charge, & prit le parti de ſe conſoler dans ſa ſolitude par ſon application aux belles connoiſſances, & aux devoirs de pieté dont il faiſoit une profeſſion particuliere. Il lia une intime & eſtroite amitié avec Pierre Pithou, un des plus ſçavans, des plus ſages, & des plus hommes de bien de ſon ſiecle. Ils ſe logerent enſemble, & paſſerent pluſieurs années dans cet agreable et vertueux commerce. Il s'appliqua particulierement aux Ouvrages de Seneque, ou des Seneques, s'il eſt vray que le Poëte & le Declamateur ne ſoient pas le meſme que le Philoſphe. Il les rétablit dans leur premiere pureté, & les illuſtra de Notes tres-ſçavantes. Il ne voulut jamais que ſon nom fuſt mis à aucune Edition de ſes Ouvrages, quoy que de nature à luy faire beaucoup d'honneur, & à luy donner une grande eſtime parmi les Sçavans. Il ſe plaiſoit à aider de ſes lumieres ceux qui s'occupoient à donner des Ouvrages au Public. Baronius qui travailloit alors à ſon grand Ouvrage de l'Hiſtoire en a receu beaucoup de ſecours, & a inſeré dans ſon travail de grands morceaux tous entiers des recherches curieuſes qu'il tenoit de Monſieur le Fevre, comme ce qu'il a rapporté ſur le vin meſlé avec de la myrrhe; boiſſon qu'on donnoit ordinairement aux criminels mourans pour leur oſter le ſentiment de la douleur,

douleur, & que noſtre Seigneur refuſa pour ne rien retrancher des maux que ſon amour luy faiſoit ſouffrir pour nous.

DANS ce temps, pour détourner ſon eſprit des chagrins où le mettoient les terribles troubles de la Ligue, il s'appliqua à l'eſtude des Mathematiques, où il fit un ſi grand progrés, que Scaliger ayant crû avoir bien démonſtré la maniere de meſurer le cercle, & Monantœil aſſeurant que la démonſtration de Scaliger en eſtoit tres-claire & trés evidente, il fut le premier qui découvrit le paralogiſme où Scaliger étoit tombé, & dont Scaliger luy-meſme fut obligé de convenir. Henry IV s'étant rendu maiſtre paiſible de ſon Eſtat, & voulant donner une excellente éducation au jeune Prince Henry de Bourbon ſon plus proche heritier, choiſit Monſieur le Fevre pour eſtre ſon Precepteur; mais ſa modeſtie & ſon extréme pieté, qui craignoient la Cour & l'eclat qui la ſuit, eurent toute la peine du monde à s'y reſoudre; il fallut que Monſieur de Harlay & Monſieur de Thou ſes amis travaillaſſent long temps à vaincre ſa reſiſtance; ce qu'ils ne purent faire qu'en luy repreſentant quel bien il feroit à ſa Patrie & à ſon Roy, en formant les mœurs d'un Prince du Sang, & le preſomptif heritier de la Couronne. Il s'acquitta parfaitement de cet employ, & ſon jeune Diſciple répondit admirablement aux inſtructions & aux ſoins de ſon Maiſtre. Il fut nommé pour aſſiſter à la Conference qui ſe fit à Fontainebleau ſur le Livre de du Pleſſis Mornay; mais ſa mauvaiſe ſanté l'en empeſcha. Il ſe retira chez la veuve de Monſieur Pithou, où il vacquoit encore plus que jamais aux exercices de pieté. Il fut choiſi pour eſtre Precepteur de Louis XIII. Il s'en excuſa ſur ſon âge, mais la Reine luy ayant promis tout le ſoulagement que ſon infirmité demandoit, & tous les gens de bien, & principalement Monſieur le Prince ſon Pupille & ſon Eleve, luy ayant repreſenté qu'il ſe devoit à ſon Prince & à ſa Patrie, & qu'il luy eſtoit glorieux de mourir ſous le faix d'un ſi beau travail, il fut contraint d'y conſentir. Il ne jouit pas long-temps de cet Employ, & mourut le 4 Novembre 1612, âgé de 68 ans & quelques mois.

Viri Eximii PETRI PUTEANI, *Regi Chriſtianiſſimo a Conſiliis et Bibliothecis*, VITA. *Cura Nicolai Rigaltii. Ad Illuſtriſſimum Ampliſſimumque Matthaeum Molaeum, Senatus Principem, Franciae Procancellarium.*

VENIT, ecce, Molaee praeſtantiſſime, Puteanus. Adeſt manibus tractandus tuis et conſpiciendus oculis ille nuper intimae admiſſionis et omnium horarum amicus. Sic viſum tibi eſt adferri poſſe tuo ſimul et publico dolori ſolatium. Omneſque adeo boni maximo conſenſu decrevere publicam viro eximio laudationem. Et haec laudatio Vita eſt, quam mortuis tribuunt bene merentibus literae. Sed Vita haec Puteanum vixiſſe narrabit, et verius dicetur Hiſtoria viventis inter mortales Puteani. Quale beneficium, naſci mortalem! quem ſic vivere oporteat, ut mortem in horas exſpectet! Magnum ſane beneficium Chriſtiano, cui ſic datum eſt inter mortales vivere, ut mortuus aeternum vivat. Talem accipe, ſapientiſſime Molaee, Puteanum huncce meum; in quo tuum ſic agnoſces, ut jam meus dici conſtanter haud queat, niſi me prius per adoptionis alicujus imaginem tuum eſſe juſſeris Puteani Rigaltium.

HENRICI tertii principatu, rebus in Aquitania factioſo per ſpeciem religionis diſſidio turbatis, animi gentis illius, Belgis noſtratibus acriores, ita ſe ſtudiis invicem contrariis exaſperaverant, ut etiam apud judices illic bipertita claſſe ex utroque Catholicorum et Proteſtantium dogmate lectos ſententiis jure dicundo diviſis, litigantes crebris ampliationibus incerti ac dubii vexarentur. Cui malo tollendo, Flexana Collatione convenerat, ut ex Senatu Pariſienſi mitterentur ab Rege pacis amantes viri, qui de Proteſtantium cauſis cognoſcerent, et gratia procul, procul odio, nullo partium reſpectu, ſuum cuique tribuerent, ſive Proteſtanti, ſive Catholico. Itaque, delegatis in eam provinciam ex ordine ampliſſimo Pariſienſi viris quatuordecim, praeſes impoſitus a rege Petrus Seguierus, adſumptique ad procurationem publicam ſive regiam Petrus Pithoeus et Antonius Loiſellus. Inter illos quatuordecim lectiſſimos Senatores Claudius Puteanus tantum collegas ſuos demonſtrabat, quantum ipſe collegio ſuo demonſtrabatur. Summam viri prudentiam, doctrinam, ſolertiam,

ſupraque

ſupraque omnia probitatis integerrimae conſtantiam, Scaevola Sammarthanus, et ipſe inter delegatos ſpectatiſſimus Jacobus Auguſtus Thuanus, laudavere; teſtimoniis profecto magnis, haud tamen ſupra veri fidem faventibus. Certe, cum primum ego ad rem litterariam acceſſi, ad quoſcumque me conferebam dicendi ſcribendique peritiſſimos, apud omnes vigebat Claudii Puteani nomen et gloria; neque ullum attingebam altioris cothurni volumen, quod non plurima mihi de Puteano ſignificaret valde proba. Quinetiam, ſimul atque innotuit defuncti manus, obſervabam codices omne genus auctorum vetuſtiſſimorum ab ipſo notatos, tanto judicio, tanta peritia curaque, ut jam ſubiret querela, tam felicis ingenii virum, tam multa, tamque praeclara, quae mente conceperat, non protuliſſe; etenim tantum ferebantur in Velleium Paterculum et Panegyricos notae, quae noſtrae ſitis ardorem vehementer augebant; adeo quidem ſibi, adeo vero poſteris defuiſſe videbatur. Neque indignando deſtitiſſem, niſi me repreſſiſſent qui gravibus et aſſiduis in Senatu curis occupatum fuiſſe norant; praetereaque difficillimis motuum civilium vorticibus natali ſolo et ſtudiis amoenioribus abreptum avulſumque; ac tandem obſtructis calculoſa congerie renibus, aegritudinis diritate eo ſaepe redactum ac percitum, ut ipſe ſibi mortem propinaturus videretur, niſi legis Chriſtianae fuiſſet obſervantiſſimus. Patrem habuerat Claudius Clementem Puteanum, quem inter nobiles eo ſeculo cauſarum in Senatu Pariſienſi patronos celeberrimum fuiſſe juris conſultum teſtatur elegans et erudita Dionyſii Lambini ad Joannem Maludanum epiſtola, et in famoſa illa Merindoliorum cognitione, expetitum ab Oppeda Maenerio, ſub graviſſimis criminationibus laborante, Clementis Puteani et Petri Roberti conſilium patrociniumque. Clemens igitur, ut erat juris peritiſſimus, eodem ſtudio Claudium ſuum apprime curaverat excolendum; et alterum quidem filium de patris nomine Clementem, qui poſtea in Jeſuitarum ſodalitio concionator, ſumma doctrinae, pietatis, et eloquentiae gloria claruit. Sed et Claudius ipſe ſub Hadriano Turnebo, mox etiam ſub Cujacio tantopere profecerat, ut paterna fraternaque luce ſimul et proprio fulgore ſplendeſceret, accituſque in Senatum Pariſienſem, mox inter illos quatuordecim, quos in Aquitaniam delegatos fuiſſe diximus, ſpectaretur. Conſedere autem illi primo Burdigalae, in fano Dominicanorum, aperto Senatu; poſtea vero Aginni Nitiobrigum; dein Veſunae Petrocoriorum; poſtremo Mediolani Santonum. Sic per triennium pacata provincia praepotens, ſapientiſſimorum judicum aequanimitatem experta, didicit, ſuis illis utrimque pro religione factionibus totam religionis ſubſtantiam mutuo ſacrilegio profligari, et in proximo fuiſſe perniciem. Conſidentibus igitur Aginni delegatis, quinto Cal. Decembr. anni ſupra milleſimum Chriſtianum quingenteſimi octogeſimi ſecundi, natus eſt Claudio Puteano tertius ex Claudia Sanguina filius. Sanguinae pater erat Jacobus Sanguinus Libriaci dominus, mater Barbara Thuana Chriſtophori Thuani Senatus Principis ſoror; et Sanguinorum quidem familiam vetuſtiſſimae Pariſiorum chartae inter ſuas praeclarae nobilitatis origines oſtendunt. Infantem in Senatoria purpura genitum ad ſacramenta baptiſmi Chriſtiani ſuſcepere delegatorum praecipui, Seguierus praeſes et Joannes Tumerius Boſſiſius, ac de nomine Praeſidis appellavere Petrum. Atque hic fuit Petrus Puteanus, cujus vitam conſtitui tradere poſteris; rarum quietae ac privatae, ſed nihilominus honoratae, peſſimo ac turbulentiſſimo ſeculo, virtutis exemplum. Summa curarum fuit optimis conjugibus educatio liberorum, quos habuere complures. Etenim Petrum huncce noſtrum, jam ut diximus tertium, ſecuti ſunt quinque; tres fratres et ſorores duae; onus illis temporibus grave, in ſanctiſſima praeſertim familiae Senatoriae frugalitate, magis attenta damnis evitandis aut ſaltem levandis, quam lucro captando. Adhibuit Claudius liberorum inſtitutioni Paulum Renealmum Bleſenſem, litteraturae Graecae ſimul et Latinae bene peritum, quod editae ab ipſo variarum ſtirpium conſiderationes firmant; atque hunc domeſticum quidem doctorem: nam et Chriſtophorus et Auguſtinus, et noſter Petrus, publicas praeterea exercitationes habuere Theodori Marcilii, et ipſius etiam Caſauboni. Satis erat illis domi pater, ſi non eum penatibus ſuis quotidianae Senatorii muneris occupationes abſtraxiſſent. Hunc igitur in modum inſtitutam octo liberorum curam Claudius, acerba morte, petroſo illo renum cruciatu raptus, anno aetatis quadrageſimo nono nondum exacto, uxoris diligentiae commiſit. Parens octo liberorum, vidua marito, deſideratiſſimi memoriam et pignora illa

matrimonii

matrimonii ſanctiſſime concepti tranſactique per annos prope quadraginta ſingulari ſemper fovit affectu: pulcro certamine amoris utrimque et reverentiae perpetua concordia: felici ſucceſſu, nam et filii frugi; filiae honeſtiſſime collocatae; omnes originis ſuae decus integrum ſervavere. Filiorum maximus natu Chriſtophorus ab exordio juventutis Eccleſiaſticam in Regia dignitatem obtinuerat, et ad majores viam ſternebant amici. Sed, jam aulae ac ſeculi moleſtiarum pertaeſus, ad religioſae vitae ſtudia ſe recipere decreverat, neque ultra moratus Cartuſiae Burgofontanae ſacra ſuſcepit; unde aliquanto poſt, in Franciſci Cardinalis Barberini favorem et gratiam, adnuente Ordinis Cartuſiorum praepoſito generali, Romam migravit ad ejuſdem diſciplinae Cartuſiam, ubi eſt in hunc uſque diem, ob eximiam cum ſingulari pietate prudentiam ad officia Prioris et Procuratoris generalis electus, ac per annos jam duos ultra viginti ſumma cum religioſorum omnium laude ac veneratione continuatus. Secundus a Chriſtophoro Claudii filius Auguſtinus, vitae genus Ordini etiam ſacro devotum, ſed diſciplinae mitioris legibus adſtrictum, amplexus, ſedit inter Canonicos Eccleſiae Carnutenſis, ubi et Ingreanae praefecturae dignitate gaudebat, litteraturae politioris elegantia clarus. Is vitam ſectatus aequabilem magis quam negotioſam, facta cum Petro et Jacobo ſocietate paternae bibliothecae communi cura ſumptuque ſervandae atque amplificandae, annum agens ſexageſimum febre letali correptus, partem ſuam ſociis, uti pactum conventumque fuerat, tranſcripſit. Alii duo, Clemens et Nicolaus, bellicis artibus dediti. Clemens, militia variis expeditionibus tolerata, proelio ad Avinam in Belgis commiſſo, pro Rege fortiter occubuit, relicto ex Catharina Longovalla filio. Nicolaus, eques Hieroſolymitanus, in atroci triremium Melitenſium adverſus Biſertanas conflictu, quo praefectus triremium Chriſtianarum Equiteſque amplius centum periere, deſideratus eſt. De Petro jam dicenda ſunt digna ſcitu quamplurima, et in iis frequens erit nobis Jacobus, qui vita, quam vulgari vocabulo ſecularem nuncupamus, de Claudii filiis ſolus eſt hodie ſuperſtes, Petri ſtudiorum comes aſſiduus, particeps conſiliorum et adjutor laboris: hujus nomen, etſi modeſtiae ac pudori viventis obſecutus reticeam, ſemper intelligi tamen deinceps cum fratre velim, quando nec abſque illo quicquam frater aggreſſus eſt unquam. Petrus igitur Puteanus, per adoleſcentiae gradus omni litterarum ac ſcientiarum genere diligenter imbutus, primo juventutis adhuc flore forenſibus admotus negotiis, cauſam pro ſuo praeceptore Paulo Renealmo, jam doctore medico, adverſus Bleſenſes pharmacopolas, ſub Achille Harlaeo primario praeſide docte ac diſerte peroravit, et vicit. Satis eloquio, ſatis memoria, judicio longe ſupra annos pollebat: valetudo non ſufficiebat; immo, quantulum in ea roboris eſſe videbatur, inter athletica illa fori jurgia firmari aut ſervari poſſe medici negabant: ſed et ingenita juveni gravitas, et verecunda prudentia, mores ſuggerebat ab illa grandium cauſidicorum ferocia valde alienos. Itaque ad munia tranquilliora converſus, in illa ſe potiſſimum juris parte exercuit, quae ad rempublicam ſpectat; cujus ope regna ſive imperia unius aut plurium legitime tenentur et conſervantur. Partes implere poterat optimi Senatoris digniſſimus heres Claudii, ſed jam conſtabat ea dignitas pretio, numeroſae familiae difficili tunc atque damnoſo. Illa rerum notitia publicarum ab ipſo pendebat: Omnia domi tranquilla, honeſtatis et modeſtiae plena; matris liberorum amantiſſimae pia ſedulitas; fratrum conſenſus in ſtudia fratris, otium illi beatum faciebant. Sic in otio neutiquam ignavo vires idoneae ſuppetebant ſatagenti: ſic omnes omnium imperiorum hiſtorias evolvit, unde quae ad propoſita facerent excerperet: erant ad manum libri, et praeſto veterum chartarum ſupellex, unde arcana temporis anteacti paterent: ſumma ſagacitas indagandis veſtigandiſque, ſumma diſcernendis peritia, examinandis penſitandiſque judicium circumſpectiſſimum. Tam clarae indolis juveni latere diu non licuit: illico fama propinquos et adfines, quos habuit e praecipuis Lutetiae magiſtratibus complures, excivit; inde ad alios paſſim pervagata, conflavit amicorum copiam tanto paratu ſpectabilem, ut nemo jam in Urbe virtutis aut eruditionis gloria cenſeretur, qui Puteano illa jam aetate florentiſſimo non faveret, Scaligeri Lipſiique et ceterorum paternae memoriae cultorum commendatione obſervantiaque notiſſimo. Inter ceteros ego tunc Franciſci Pithoei benevolentia fruebar, qui Petro Pithoeo fratri jam novennio ſuperſtes maximi viri nomen peculiari ſua laude ſuſtinebat. Is mihi fores ad Jacobum Auguſtum Thuanum aperuit,

aperuit, et gloriari liceat tanto ductore, mox et ad Puteanos. Ac Thuanum quidem jam in ampliſſimo Senatu praeſidem de prima illa ſuarum hiſtoriarum editione cogitantem reperi: Puteanos, trina germanitatis ſuae concordia, paternae bibliothecae amplificandae curam concipientes: Petrum ipſum quotidianae forenſium exercitationum auſcultationi ſtudia illa, quae regnorum atque populorum jura temperant, ſuperinducentem. Ab eo tempore, quod ſemiſeculum prope decurrit, nobiſcum interceſſit amicitia tam bonis orta principiis, ut etiam nunc Petri obitu, media parte apud Deum tranſlata, non interrupta nec intermiſſa, ſed immortalitati tradita continuari ſentiatur. Illius vero ſemiſeculi annos octodecim ſibi vindicat Jacobus Auguſtus Thuanus, etenim tamdiu ego et Puteanus cum ipſo perpetua familiaritate conjunctiſſimi viximus. Summa illic opinandi, interrogandi ac diſſerendi libertas, ſic tamen ut honoris et modeſtiae magiſtra ſeveritas ubique praeeſſet: ſumma fides, ſummus candor, ſumma ſinceritas. Atque hoc ipſo temporis ſpatio ſuaviſſime ac diligentiſſime, qua litteris, qua conſuetudine, officiis et obſequio, coluimus e magiſtratibus Achillem Harlaeum Senatus principem, Thuani ſororium, Jacobum Gillotum, Ludovicum Servinum, Jacobum Gueſlam, ſummos in Senatu viros; Nicolaum Fabrum, Juſtum Lipſium, Joſephum Scaligerum, Joſiam Mercerum, Iſacium Caſaubonum, Bonaventuram Vulcanium, Scaevolam Sammarthanum, omni doctrinarum genere excellentes, qui ſuomet ipſi deſiderio compulſi, Claudii Puteani amicitiam ſive memoriam in Petro noſtro revireſcentem jucundiſſime conſpiciebant et amplexabantur. In iſto certe amicorum commercio Petrus, quod ſibi proprium eſſe poterat, maluit mecum eſſe commune. Itaque uberrimam nobis amicorum copiam praeſtabant frequentes apud Thuanum coitiones, ad quem ex omnibus Urbis ordinibus et regni provinciis, atque etiam de nationibus exteris honeſtiſſimi ac ſtudioſiſſimi confluebant. Magna illic ſeges et materia noſcendi, quid in Urbe, quid in Senatu, quid in provinciis notabile contigerat, et quid novi de tranſmarinis aut tranſmontanis vela, remiges, curſores attulerant. Et mira inibi fuit ſingulis dijudicandis ac diſtinguendis prudentia Petri: mira comparandis quae probata fuerant induſtria; ſubnotandis acre judicium; deſcribendis labor indeſeſſus. Atque hinc primordia divitis illius memorabilium gazae, qualem noſtratium hactenus poſſederat nemo: quam tanti plurimi facio, quanti aeſtimare par eſt exemplorum acervum ingentem, praeſtantiſſimi diſpenſatoris manu liberaliter adminiſtratum. Certe, ſuppetias iſthinc adfuiſſe ſibi non infitiantur viri optime de litteris et rebus noſtris meriti, Jacobus Sirmondus, Ludovicus Chantereavus Faber, Claudius Salmaſius, Andreas Ducheſnius, Petrus Gaſſendus, Claud. Menagius, Theodorus Gothofredus, Chriſtophorus Juſtellus, Joannes Beſlius, Lucas Holſtenius, et gemella Scaevolae proles, Sammarthani, alii plerique. Adeo, ſi Petrum, unde amicis tanta tam multis adjumenta praebebat, inde ſibimetipſi maxima comparaſſe dixero, fidem facturus videar, toties ab ejus litteraria ſupellectile quaeſitiſſimis opibus certior et locupletior factus. Adhuc noſtra, Petre, micabat in herba meſſis, et jam pridem cariſſimus eſſe coeperas ampliſſimo Procuratori regio, Molaeo. Huic te ab adoleſcentia ſodalem, poſthaec amicum aſſiduiſſimum vidimus: et mox in ipſius benevolentiam per te ſumus adſumpti, quem ſubinde maximi Senatus principem, hodie vero ſimul et in aula regia Procancellarium Gallia ſuſpicit; perque haec miſerrima tempora, rebus intricatiſſimis, Aulam inter et Senatum, reipublicae pariter et monarchiae fraena ſummo labore, ſummo periculo, ſumma conſtantia moderantem admiratur. Interea, Petre, civis optimi partes agis; et ades amico laboranti, fatigatum excipis, alloquio foves, et conſilio ſolaris: digna fortunatiore ſeculo cura tam amice pro rege, pro patria, proque ſalute publica conſpirantium, tot millibus in mutuam perniciem caeco furore conflictantibus. Petrum itaque noſtrum, agens adhuc regiam procurationem Molaeus, in eam muneris illius publici partem, quae circa regni tabularia verſatur, adſcivit. Ea vero tabularia, quae viſa quidem prius et inſpecta Joanni Tilio, Senatus Pariſienſis actuario, nec certe perperam, fuerant, Puteanus adeo curioſe ac diligenter poſt Tilium vidit, collegit, deſcripſit, adnotavit, indicibus laborioſe confectis digeſſit, explicavit, ut jam in aperto ſint innumera, quae merſa tenebris ignorabantur, haud minimo rerum noſtrarum atque etiam externarum detrimento. Teſtis operae ſive induſtriae tanto proceſſu navatae Molaeus, amico bene merenti non defuit apud primarios regni miniſtros, quibus

jam erat ipſe Puteanus per ſe notiſſimus; et facile obtinuit, ut in concilium Regis allectus honoraria penſione ſub Sillerio cancellario, dein etiam ampliore ſub Seguiero frueretur. Hoc vitae ſuaviſſimae honeſtiſſimaeque inſtituto Puteanus ſorte ſua contentus ſtudia ſic dividebat, ut otii partem veterum ſcriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum diſpiciendis; interea vero amicorum officiis ultro citroque colendis, horas in dies ſingulos impenderet. Hanc ſibi diſciplinam formaverat ad exemplum Thuani, quem inprimis obſervabat; et viciſſim Thuanus cognati ſui moribus et conſuetudine oblectabatur. Ego quidem certe in utriuſque amicitia ſic eram, ut quanto magis me Puteanus diligebat, quantoque magis ego Puteanum redamabam, tanto nos Thuanus ambos amabiliore vinculo conſtringeret. Sic annos egimus aliquam multos, noſtrique Thuani caſibus conſiliiſque ſive laetis ſive triſtibus individui, ſaepenumero etiam bonis et liquidis coeli tempeſtatibus in Villabonio ſuo ruſticanti adhaeſimus, ſemper invicem adoptatiſſimi comites. Hiſtorias Thuanus horis ab Senatu ſubſecivis, et nonnunquam poëmata; Puteanus obſervationes ad regni reique publicae negotia pertinentes condebat: ego, quae veterum ſcriptorum, ſed praeſertim Chriſtianorum ſcitis illuſtrandis ac reſtituendis olim profutura videbantur, componebam. Magna vero ſemper et prompta nobiſcum fuit communitas omnium quae notabilia quiſque legendo, ſcribendo, maxime autem audiendo perceperat. Et quamplurimum certe Thuanus, qua dignitate ſive auctoritate pollebat, multis quotidie procerum frequentatus, in communitatem conſerebat; nec ab eo diſceſſimus unquam niſi doctiores aut meliores, ſic omnia caſtigabat examine ſapientiſſimo. Etenim tempora ſurrexerant feracia trutinarum in bono aeque atque in malo ſtultiſſime vel improbiſſime judicantium. Quae res viro malitiarum et calumniarum intolerantiſſimo, etſi vixdum ingredienti ſenectam, adeo diſplicuit, ut corporis et animi viribus adhuc integer, nemini quicquam, ſed ſibimetipſi gravis; accedente ſub initium aegritudinis clade domeſtica, conjugis amatiſſimae obitu, poſt menſes inde novem ſtomachico ſcirrho in gangraenam efferato deceſſerit. Haec vidimus oculis deploranda noſtris, nec fuit nobis aliud luctus ingentis ſolatium, quam perpetua moeſtitiae praeſentia, quae dolorem continuum boni praeteriti recordatione nutriret. Parentes optimi liberos reliquerant, ſpem nobiliſſimae familiae continuandae, ſed aetatis adhuc tenellae. His teſtamento ſuo pater tutores dignitate ac probitate lectiſſimos providerat, extraque ordinem amica compellatione nobis ambobus filiorum per doctores valde probatos erudiendorum curam, ac praeterea ſuarum lucubrationum edendarum arbitrium mandaverat. Cognatis ſuis per utriuſque parentis deſiderium luctu geminato moeſtiſſimis tanto ſtudio tamque aſſidua diligentia ſive cura Puteanus adfuit, ut orbitatis mala ſenſerint multo leviora. Nam et ipſorum inſtitutioni optimos adhibuit praeceptores ſive cuſtodes, ſplendorem domus ſervavit, auxit bibliothecam. Mox denique, conductis magni illius habitatoris aedibus hoſpes ita ſucceſſit, ut quaſi Thuano ſuffectus, exhiberet ſeſe amicis, eodem illo conclavi, quo Thuanum adire ſolebant, convenientibus et beatos manes officioſe colentibus. Eo ſe libentiſſime conſerebat Tumerius ille Boſſiſius, praecipuus Thuanorum pupillorum tutor, qui Puteano ab infantia prima, uti ſupra memoravimus, adſtiterat, et juvenem magnis virtutibus clarum paterno more diligebat; ambo igitur, communicatis ordinandae tutelae conſiliis, exſpectabant dum natu major Thuanus adoleſcentiae ſtudia concluderet. Interea miſſus ab Rege ad Ordines Hollandiae foederatos Boſſiſius, populis amicis, aliquid in religionis ſuae ſtatu reique publicae regimine turbantibus, concordiam ſuaſurus, obeundae legationi profectionem adornabat; et factis ſuper ea re ſermonibus ſenſerat haud inſuave fore Puteano perluſtrare oculis regiones amplitudine commerciorum et militari diſciplina, ſed et Scaligeri nuper hoſpitio tumuloque nobiles. Itaque comitem abduxit ſibi, perſpectaque amici prudentia, quamdiu legationis ordo proceſſit, conſiliorum et ſecreti participem habuit. Hujuſce autem peregrinationis occaſione Puteanus Hugonem Grotium, Danielem Heinſium, et alios eruditionis gloria celebres amicitiae foedere ſibi devinxit; notitia nominis et fama ſui conciliatrice. Grotium quidem, merito jam ſuo commendatiſſimum, quem diſſidia quarundam e Batavis civitatum traxerant in partes Barneveldii, Boſſiſius ſecundum mandata regia, ſalvo Barneveldio partium duce, ſalvum et incolumem cupiebat. Verum, Barneveldio criminationibus oppreſſo, Grotio Barneveldianae

dianae cauſae nexibus intricato, factio praepotens utrumque damnavit; ac paulo
poſt reditum Boſſiſii Barneveldio caput abſtulit, Grotio libertatem. Puteanum re-
ducem amici excepere conſertim gratulantes precanteſque omnia fauſta, felicia, for-
tunata. Biennio poſt, mortuo Franciſco Pithoeo, Auguſtobonam Tricaſſium regio
diplomate miſſus eſt, repetitum et recognitum chartas ad jura regia pertinentes, quae
penes Pithoeum illum Petri fratrem, etiam rerum noſtrarum externarumque bene pe-
ritum, depoſitae fuerant pro finibus regundis conſtituendiſque limitibus agrorum, de
quibus erant inter Regem et finitimos Principes haud levis momenti controverſiae.
Amico ad amici heredes intranti patuit tablinum, et exhibita omnis chartea ſupellex:
bona fide cuncta perſcrutatus, confecit repertorum indices; et quicquid erat regii
ſive publici, permittentibus defuncti cognatis, abſportari Lutetiam juſſit ad Regium
Procuratorem, ab eoque ſibi et heredibus Pithoei cautiones dari curavit. Anno ſe-
quenti exortis ſuper Arverniae comitatu ſuperque Turris baronatu quaeſtionibus, ad
regia jura pernoſcenda viſum eſt negotia publica miniſtrantibus inſpici veteres ta-
bulas, quas in arce Mercurolina ſervari ſciebant. Eo miſſus a Rege Puteanus, qua ſo-
lebat induſtria diligentiaque cuncta pervidit, collegit, et in Regium tabularium retu-
lit, explicatis, quae pro Rege Regnoque juſtiſſima et firmiſſima comperit, inſtru-
mentis, teſtimoniis, argumentis. Vix elapſo poſt haec triennio, majus obtigit ne-
gotium, finitimis ad Moſam et Moſellam populis adverſus Franciae jura contra ve-
terum tabularum fidem, contraque longiſſimi temporis poſſeſſionem, nova molienti-
bus, multa etiam in dies circa conditiones agrorum, ſive communium ſive ambigu-
orum, inverecunde tentantibus. Ea res Belgii principatum, Burgundiae, Barri, Bul-
lionii ducatus pertingebat, nec erat mediocriter examinanda. Itaque delegati ab
Rege tres viri, Cardinus Lebrettus, Joannes Delonius Lorma, Petrus Puteanus.
Huic, etſi per delegationis ordinem poſtremo, primas tamen induſtriae ſive laboris
partes collegae conceſſerant. Adeo cuncta quae ad rem facere videbantur ſuis ipſe
librata ponderibus expendit atque digeſſit, ut quid fundorum, quidve agrorum,
quid oppidorum, quidve civitatum de Lotaringia regali, aetatibus anteactis vel am-
bitioſe extortum, vel callide ſubtractum, vel negligenter omiſſum, ſive perfide con-
fuſum fuerat, id quo jure, quibus indiciis aut argumentis recuperari, defendi, reti-
neri quiret ac deberet, manifeſtiſſimum fecerit. Recuperatoribus ad Regem reverſis
dato concilio, Lebrettus orationem habuit plenam ſolidi ac generoſi ſpiritus, ſuam-
que et collegarum operam regiarum curarum miniſtris approbavit. Ab eo tem-
pore Puteanus in Urbe manſit, niſi quod brevibus interdum excurſionibus in Cam-
platroſum Molaei ſui praetorium rebus prolatis ruſticandi gratia ſecedebat, unde mox
recurreret ad nota vitae officia privatae; per quae nihilominus publicis utilitatibus
ita ſerviebat, ut penes eum perpetuus eſſe videretur in privati perſona magiſtratus.
Haec vero tunc fuit aevi conditio. Excuſſo de regni gubernaculis Concinio nebu-
lone, obtritis nimio Coneſtabilitatis pondere Luinaeis, ſubrepſerat inuſitatae auda-
ciae genius, qui Rege non improbante, aut non ſentiente, deſpecto pegmate ſugge-
ſtus epiſcopalis, non regiae quidem ſed infinitae potentiae clavum arripuit, tenuit-
que imperioſiſſime, uſque dum per annos amplius viginti orbe Chriſtiano furoribus
internecinis quaſſato, Gallia partim dirupta luxu, partim emaciata tributis, ipſe curis
ingentibus exeſus, cadaveroſa tabe dilaberetur. Magna praeſtitit, ſed quicquid erat
in omni Gallia roboris prodegit, et propoſitum facinus, quamvis immane, admiſti-
one virtutis adumbrari, ſummam credidit eſſe virtutem. Galliae proceres aut cohi-
buit carcere, aut bellicis adverſus finitimos expeditionibus diſtinuit, ut aula vacua ſo-
lus Regem haberet. Haud ignoravit Puteani nomen, nec parum ſibi fore ad gloriam
ratus ſi laudatiſſimo viro uteretur, ſtudiorum ejus fautor haberi, et honoraria quot-
annis praeſtari voluit; admiſit ad colloquium, conſuluit per epiſtolas, perque ſuos,
ſuper negotiorum caſibus plerumque veris, aliquando etiam quaeſitis in ſpeciem figu-
ris; nunquam tamen frivolis aut vanis, ſed regimini populorum ad caecos et ſubi-
tos eventus exempla ſive praecepta daturis. Fecit huic genio Puteanus quod optimi vi-
ri fuit; reſpondit, ſive conſuluit quod rectum honeſtumque eſſe exiſtimavit; nihil adula-
tus eſt unquam, nihil ementitus. Sciebat, vim illam, fati alicujus fuiſſe neceſſitatem; ea
vero quae auderet faceretve, non fuiſſe auſuram neque facturam, ſi Chriſtiani principes,
quae ſuarum erant partium, ſciſſent ſive feciſſent. Hujuſce igitur aevi curriculo Puteanus
quamplurima

quamplurima condidit pro negotiis a primario miniſtro propoſitis, plurima etiam quae per ſe ipſe arbitratu ſuo tractanda ſuſceperat. Quae quoniam de rebus noſtris, pro Gallia ſcilicet, conſcribebat, ut facilius et promptius ab noſtris hominibus perciperentur, ſermone Gallico cudi et concipi oportere cenſuit, Latinae linguae, jamdiu ſepultae, ac de veteribus monumentis excitandae, vocabulis peregrinis ſegniter ferientibus aures minus aſſuetas. Atque hoc de publico ſivè communi omnium gentium ſenſu. Et memini me, cum inter nos hac de re ſermones haberemus, amici conſilium valde probantem, adjeciſſe, male de ingenio ſuo meritos mihi videri, qui doctrinae adfectatione res hodiernas et vernaculas priſco ritu aut Romano ſermone tractarent; etenim facere ſe ſibimetipſis et aliis gratuito moleſtos atque difficiles, pravum invaluiſſe tam in Eccleſia quam in Senatu morem, patronos et concionatores adductis idiomate Graeco Latinove ſententiis orationes ſuas corrumpere; teſſellati operis lenocinio eloquentiae legitimae gratiam frangi, vires debilitari; auditorum, ſive judicum attentionem docilitatemque apud ignaros plerumque linguarum vaneſcere: denique, maximos oratores, quorum ſcripta legendo non ſatiamur, Graecos ſive Latinos, actionibus ſuis nihil unquam ſermonis exotici miſcuiſſe; hoc tantum epiſtolis indulſiſſe Latinos, at Graecos ne quidem epiſtolis: Plutarchum, facta mentione verſuum Horatianorum de magnificentia Luculli, mentem edidiſſe poëtae fideliter; Latina verba diligentiſſime ſuppreſſiſſe. Una fortean Romanenſibus hodie nobis excuſatio proſit, quod linguam uſurpantes de Graeca ſimul et Latina prognatam, noſtrorum ſcilicet auctorum recordatione verba etiam ipſiſſima citantes, non videmur ingrati. Quantula pars exercitationum, quae vehemens animis incutiant Puteani deſiderium noſtris! Jure optimo tanti viri laboribus Gallia gloriabitur, et erit quod maximas nobis gratias habeant exteri, quibus eſt humanae vitae ſapienter inſtituendae cura. Puteani prudentiam, aequitatem, conſtantiam declarant Conſiderationes, Commentarii, Conſilia varia, ſive Reſponſa magnis de rebus elaborata, quantaeque apud probos et graves eſſe debeant exſpectationis, oſtendunt edita nuper de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae volumina, quae jam veritatis hoſtibus tantum attulere faſtidii nauſeaeque. Horum calumnias ipſe Puteanus proprio volumine confutavit, quod ſuo quidem ordine apparebit, cum ceteris, quorum editionem fratri praeſtantiſſimo commiſit. Penes eum ſunt etiam diplomata, declarationes, edicta, ſuper arduis lucubrata negotiis; quibuſcum una ſervantur autographa pittacia, epiſtolae variae, quas ad Puteanum ſcriptitabant proceres manus Richelii, Seguieri, Bulionis et Joſephi, illius nimirum Capucini. Earum vero nonnullis ſuperſcribitur et Gothofredi nomen, talium etiam rerum ſcientiſſimi, quem noſter ſibi ſocium adhibuerat eruderandis illis occiduae ſenectae chartis, optimum et ſpectatae fidei virum, etſi minime ſtilo pollentem. Hoc praeſtabat Puteanus; proptereaque omnia quae labore ac ſtudio communi conquiſita et congeſta fuerant, ſolus digerebat et mandabat litteris. Porro, dicendi ſcribendique genere utebatur prompto et facili; hoc praeſertim accurans, ſignificanter et dilucide proferre quae ſentiret; neque alium certe amant characterem monita ſive reſponſa prudentium: docent, explicant, oſtendunt; rationibus, exemplis, ipſarumque adeo rerum momentis, aut negotiorum inſtrumentis; rhetorum tropos et ſchemata non admittunt; ceterum idiomatis Gallici nitorem minime reſpuebat; et eſſe partem ſeculi noſtri non ingloriam cenſebat hominum illud genus elegans facetum diſertumque. Mirifice autem capiebatur eruditis urbanitatum ſalibus et aculeis, ſi non impiis, neque ad calumnias aut maledicta probroſis. Amicos fide perpetua conſervavit, neque eſt ab ullo divulſus unquam, niſi morte; ac mortui quidem cineres et reliquias, puta liberos, agnatos, adſines, benigno proſecutus eſt adfectu. Gratiam magnatum nunquam ambitioſe aut importune eſt adſectatus; oblatam ſtudioſe ac reverenter coluit; qua nimirum prodeſſet quamplurimis opem ſuam poſcentibus, magis quam ſibi. Nullis unquam ſe partibus addixit; tantae compos aequabilitatis, ut conſtantia ſua, venientes ad ſe quandoque partium ferventiſſimos, tacito intra ſinum ipſorum pudore aut frigore feriret, legitimae ſemper majeſtatis ac publicae tranquillitatis amantiſſimus. Oderat rixas et jurgia, praeſertimque inter eruditos; ac turpe eſſe dicebat, viros indubitate doctos canina rabie famam viciſſim ſuam rodere ac lacerare ſcriptis trucibus, tanquam viliſſimos de plebe cerdones in angiportis ſeſe luto ac ſtercore conſpurcantes. Aiebat, rem eſſe

omnium

omnium peſſimam, hominis improbi litteraturam; ſententiae bonis ſemel rationibus ſtabilitae, ſi quis factioſa contumacia contradiceret, prudentis eſſe non altercari, ſed poſteritatis arbitrio rem integram permittere. Vir attentiſſimus operi, etiam cum otiari modica relaxatione videbatur, aliquid animo providebat quod ad publicam faceret utilitatem, adeoque laboribus etiam alienis adſavebat, ut quemque, qua dote valere judicaret, ea prodeſſe aliis ne pigeret, hortaretur: aut ſi quid ad ſtudia litterarum, ſive ad rerum gerendarum peritiam, geſtarumve notitiam, boni commatis apud heredes imperitos premi ſentiret, id pretio vel precibus eruebat, ut fieret olim publici juris. Ea cura ſervavit epiſtolas Foxii, itemque Oſſati; de quibus certe ſcriptionibus hoc veriſſime praedicabitur, poſt illam Pauli Sarpii Tridentinam, nihil exſtare, unde queant aulae Romanae artes pernoſci clarius aut certius. Servavit etiam Camdeni partem alteram Elizabethae Britannorum reginae, quam auctor, ſe vivo edere non auſus, penes Puteanum deponi mandaverat. Collegit et Joſephi Scaligeri Epiſtolas, multiplici eruditione locupletiſſimas, ejuſdemque Opuſcula inſigni praefatione Caſauboni maximo Thuano nuncupata. Praeterea ſervavit Nicolai Fabri Peireskii Senatoris Aquenſis Epiſtolarum ad ſe atque ad Jacobum fratrem volumina duo grandia, quibus continentur ad Naturalis hiſtoriae totiuſque litteraturae notitiam obſervationes elegantiſſimae. Eademque opera Puteanus ipſum Peireskium, atque de Juſſionum regiarum quatuor viris Antonium Lomenium Villoclarium, arctiſſimo ſecum invicem amicitiae nexu conjunctos, fecit ut enixe conſpirarent, qua pollebant gratia, requirendis undique arcanae memoriae chartis, curioſa rerum noſtrarum externarumque ſtudia valde juvantibus. Habentur illic Principum et Legatorum, viciſſimque ad Principes et Legatos litterae, Inſtructiones, Mandata, et hujuſcemodi alia innumera: quibus odorandis veſtigandiſque mira fuit Lomenii Peireskiique ſagacitas, magna felicitas ſive auctoritas obtinendis; maxima vero Puteani ſedulitas et induſtria ſingulis ordine ac tempore diſtinguendis et componendis. Exinde autem vidimus inſtauratam bibliothecam voluminum amplius quadringentorum, quae Lomenius noſter ſumptu liberali, multo labore tranſcripta, magnificoque opere compacta, ſuis aedibus officioſiſſime habuit ad varios amicorum uſus. Eo decedente, ex aerario regio librarum millibus quadraginta perſolutis, regiam plane ſupellectilem Luparanis armariis cuſtodiri placuit, donec accederet bibliothecae omnium toto orbe bibliothecarum copioſiſſimae, unde eſt tandem in Regiarum Chartarum theſaurum comportata. Hoc etiam vero Puteanum permultis beatiorem fuiſſe exiſtimo, quod ſero ſe permiſit typographis, quorum opera praefeſtinata poenitentiam nonnullis induxit, et conſervavit ridenda ſenibus cunabula. Jam in limine ſenectutis erat, cum editioni Libertatum Eccleſiae Gallicanae manus primas admovit. Opus antea tentatum pluribus, nulli felicius ceſſerat quam Petro Pithoeo. Is tantum capita quaedam tribus et octoginta conſtituerat articulis, ſummo judicio formatis. Ad ea igitur capita Puteanus collimavit, conjecitque probationes, ex ampliſſimis undique tribunalibus et variis Eccleſiarum chartulariis, atque ipſo Chartarum regni Theſauro collectas, unde, communi gentium ſenſu, continuatoque uſu, decreta manaverant, quae Pithoeanas poſitiones conſtabilirent. Hoc una quidem et altera editione praeſtitit, ac ſubinde repetita lectione adjecit ad omnes ſingulatim articulos commentaria, doctiſſimas obſervationes, quae citatis variorum ſciptorum teſtimoniis Gallicani juris aequitatem confirmant. Adverſus haec tanti momenti ſtudia, quae pro Regis et Cleri dignitate certabant, Clerus ipſe Gallicanus, inſtigantibus aulae tranſalpinae mancipiis, jam commotior accendi atque inflammari coeperat, et atrocia fulguraſſet, ſi non ipſa vitae ſanctiſſime tranſactae quaſi majeſtas texiſſet auctorem. Durat operi fama, geminata jam editione diſcurrens, durabitque olim venientibus ſeculis ubicumque ſapientia vigebit. Sed nihilominus aegre Puteanus attentatum facinus diſſimulavit: tam neminem ſenſerat injuriae regni legibus illatae vindicem. Ergo hic incipiunt perpetuo triſtia. Franciſci Thuani exitium indigniſſime tulit, atque inter triſtiſſima ſua duxit. Juvenis minime ſontis memoriam, cognitione diſpuncta, purgari ac redintegrari debere; rem aequiſſimam non abſque injuria differri, magnis rationibus peculiari volumine demonſtravit. Interdum erumpebant imo de pectore viri cordatiſſimi graves querelae: Multiplicibus triumphis ampliſſimas Gallicanae majeſtatis facultates decoqui. Sub triumphali conturbatore annos aliquando cenſeri, forſitan

viginti, beatos et locupletes: poſthacc vero, ſequente peſſimo neceſſariae fraudationis conſilio, facile extitiſſe publicos praedatores; et ſubinde concurſum populorum repoſcentium ablata, rapta, extorta. Plus auri argentique fuiſſe corraſum poſtremo vicennio tributis, quam ſeculis antecedentibus univerſim cunctis; nec impenſum militaribus ſtipendiis, niſi tantillum; milites ad omne nefas auctoratos: ducentas plus minus in Urbe grypotigres, nuper omnium egenas, hodie regifico luxu diſſolutas, monſtroſa rapacitate ſanctam alias Regii nominis poteſtatem ceteris urbibus, oppidis, agris horribilem feciſſe paſſim. Sic Urbem ipſam, ſic provincias, in apertam rabiem converſas. Et miramur annoſiſſimam orbe toto monarchiam delirare, deſipere, ineptire? aut tale quid pati, quod paſſam fuiſſe Romanam legimus? An miſereſcimus toties ac tandiu repueraſcentis! Nimirum, continuante fraudatorum impunitate atque licentia, gaza regia repente exaruit, et fides publica collabi viſa; et, abrupta ſive negata ſubſidiorum etiam tolerabilium praeſtatione, rerum gerendarum nervi omnes ubique ſucciſi. Quartus nunc agitur annus cum haec deplorare et lamentari videbam Lutetiae Puteanum, jam aegreſcentem. Aderam amico: et praecipiebamus animo quae ſubinde acciderunt triſtiora. Vir optimus, communis amici noſtri ſortem miſeratus, quod, rebus adeo turbatis afflictiſque, teneret in Senatu locum tot ſententiarum converſionibus ac difficultatibus obnoxium, felices affirmabat, quibus latebras Deus honeſtas conceſſerat, grates Numini maximas habebat, quod eo ſe vitae genere continuiſſet. Atque hoc impreſſerat cordi ſuo tantopere, ut adjungi conſilio Legatis ad pacem publicam ab Rege miſſis, quod poterat etiam ab modeſtiſſimis ambitioſe expeti, oblatum ſibi repetitis magnatum obteſtationibus munus, defugerit, ipſiſque etiam Legatis amice atque enixe ſibi hoc ab ipſo officium poſtulantibus reſtiterit pertinaciter, atque in Gothofredum ſuum tranſmiſerit. Annuit tamen, et fideliter praeſtitit, ut ſuper accidentibus negotiorum quaeſtionibus conſultus, ex animi ſui ſententia reſponderet; inſtrumenta, teſtimonia, exempla ſubminiſtraret. Mentis argutiſſimae ſenex praeſagiebat fruſtra illos ire, quum exirent domo, nec obſcure per litteras ante ſignificaverat amicis. Etenim ſatis intelligebat, illa Regis adhuc aetatula, novis regni miniſtris aeque ac deceſſoribus ſuis neceſſarias eſſe pacis differendae moras, aut evitandae rationes. Inter haec Puteanus noſter conſenuit: fatigatum nimia ſcribendi, legendi, meditandi contentione corpus, impar animi viribus, hoſpitem admonuit migrationis. Hanc ſibi tota vita ſua proſpexerat, quare, nihil quicquam monitu conſutus, placide cuncta diſpoſuit, fratrem a teneris annis optime ſemper abſque ulla offenſa dilectum inſtituit rerum omnium ſuarum heredem, et amicis intime commendatum hortatus eſt, ne ſolitudine triſtiore maceraretur, adhiberet ſibi Iſmaëlem Bullialdum aſtronomiae ſimul et litteraturae exquiſitioris apprime gnarum, jam longa ſatis aſſuetudine perſpectum, cujus familiaritate ſuaviter uteretur. Eodem teſtamento paucula, quae petitu ejus delineaveram, adſcribi tumulo mandavit. Ab ſeſquianno prius quam abiret, litteras ad me dabat frequentes, mentis indices Deo Chriſtoque domino devotiſſimae: interque officia reſcribendi ſic adficiebar amici pietate, ut agi mecum inclementius arbitrarer, ſi provectior aetate non anteirem, aut non ſaltem conſequerer abeuntem, ne ſuperſtes animae, quae me totum animabat, iners ego hic prae taedio moeſtitiaque ignavus jacerem: et continuo tanquam ad me reverſus, memetipſum redarguebam erroris, qui divina reſpexiſſem ſicut humana; cum illa ſint ab iſtis omnino diverſa: etenim facile concipi divinis humana, contra, non item, ſed charitate Chriſtiana, cujus aeterna eſt utilitas; receptum coelo Puteanum ſic apud Deum in Chriſto vivere, ut Chriſtianus ego, tantiſper adhuc agens in terris, vivam nihilo ſecius cum Puteano apud Deum in Chriſto. Hac vero nos invicem ſapientia ſolabamur, et Cypriani ad Cornelium ſuum ſcribentis admonitu, paciſcebar ab amico, ſemiſecularis amicitiae jure, charitate mutua, reciprocas ad Domini noſtri miſericordiam preces. Hoc agebat epiſtolae meae ad Puteanum ſupremae ſtilus; et quo momento curſori perferendae litterae tradebantur, vir immortali gloria digniſſimus animam Domino Servatori mandabat, ſacris Catholicis procuratam per ſacerdotem optimum, Curatorem Eccleſiae Sancti Coſmae nomini ſacratae. Ea ſcilicet Urbis regione habitabat in aedibus Regiae Bibliothecae ſervandae comparatis, quas ego vicennio plus habitaveram, cum Senatorii muneris hoc Mediomatricum Parlamento ſtudioſius obeundi conſilium cepi, ſimul et Bibliothecae regiae Curam

tradidi

tradidi viris amiciſſimis poſſidendam, ſicut a me fuerat decedente Caſaubono poſſeſſa. Huic vero maximum ornamentum contulere invecta ſua ipſorum bibliotheca ſumptu elegantiſſimo ſplendida, aemula Thuaneae. Etenim capit voluminum typis editorum millia novem, omnes auctorum cujuſque linguae, cujuſcumque diſciplinae, non aevi illius duntaxat veteris, ſed etiam deſcendentium in haec uſque tempora ſeculorum ſelectiſſimas editiones. Praeterea vetuſtiſſimos codices manuſcriptos ccc, Memorialium ſeptingenta et ſexaginta quinque volumina, ſcripta manu plerumque ipſius Puteani. Juvat haec etiam minuta perſequi. Quanto videlicet honeſtius, quam condere annalibus caedes et bella, urbes everſas, oppida capta, provincias deſolatas. Et quam putidum Chriſtiano tantorum ſcelerum duces honoribus adfici, per eoſque geſta poſteris tradi, ut nobiles et generoſi et magnanimi praedicentur qui tantis mactant innocentiſſimos malis. Abeant illi cum ſuis illuc, quo nemo pius ire non exhorrebit. At recta nobis et pia mente liceat de noſtro Puteano bene ſperantibus, bene de bonis omnibus merito, bene adprecari. Vitam ejus me ſcripturum pollicebar, et ſum ego polliciti reus, ſi non praeſtiterim hactenus, qui menſes et annos ejus ab infante ad nonum et ſexageſimum perduxerim. Supereſt tamen, quas poſteritati reliquias dicavit, adnumerare cumulatius: hoc itaque deinceps catalogo citabuntur, et univerſa defuncti vita, per ipſum ſcilicet, perque res ab ipſo geſtas replicabitur. Occurrit ecce inprimis Hiſtoria damnationis Templariorum. Sequitur Hiſtoria ſchiſmatis eccleſiaſtici ab anno 1378, ad 1428.

III. Historia pragmaticae ſanctionis Biturigibus conditae, an. 1439, quemadmodum ſtabilita, obſervata: quibus a Rom. Pontifice artibus oppugnata.

IV. De Concordatis Bononiae inter Leonem x, et Franciſcum i, quo pacto ſtabilita et uſitata.

V. Ordinationes Antiſtitum Eccleſiae.

VI. Controversia inter Pontificem et Imperatorem ſuper Inveſtituris.

VII. Quas ob cauſas Concilium Tridentinum Gallia non receperit, et quare ſit repudianda Cleri Gallicani ſuper hac re ſententia promulgata anno 1615.

VIII. Programma ſub nomine Epiſcopi Carnutenſis in cauſa Cenſurae per eum propoſitae ſub nomine Cleri Gallicani, anno 1626.

IX. Historia perſonarum ſex et viginti, Regio ſive Principali favore potentium. Volum. iv.

X. De regis Franciae jure ad regnum Navarrae adverſus Hiſp.

XI. De regis Franciae jure ad regnum Arrag.

XII. De regis Franciae jure in Rempublicam Genuenſem.

XIII. Pro regno Franciae et quibuſdam provinciis adverſus Anglos.

XIV. De Lege Salica.

XV. De jure confiſcandi in crimine Majeſtatis.

XVI. De regis Franciae jure ad regnum Angliae.

XVII. De jure regis Franciae ad regnum Caſtellae.

XVIII. De regis Franciae jure adverſus Sabaudum, circa Foſſiniacum, Nicaeam, et Coniacum.

XIX. De regis Franciae jure in Comitatu Flandriae, et de pactis Madriti, Cameraci et Crepiaci.

XX. Regis Franciae dominium alienari non poſſe.

XXI. De regis Franciae jure in Comitatu Arteſiano.

XXII. De regis Franciae jure ad Inſulam Flandr. Duacum et Orchias.

XXIII. De regis Franciae jure ad Tornacum, Santamandum et Mortaniam.

XXIV. De Comitatu Sancti Pauli. Unde moveat.

XXV. De regis Franciae jure ad regnum Burgundiae adverſus Imp. Germ. et Legitimo titulo poſſideri agrum Lugdunenſem, Delphinatum, Provinciam, Breſciam, &c.

XXVI. An ſit praeſcriptioni locus inter ſupremae poteſtatis Principes.

XXVII. Pro rege Franciae, adverſus Lotaringiae Ducem, ſuper Ducatu Andegavenſi.

XXVIII. De controverſia inter Franciae regem et Lotaringiae Ducem ſuper Comitatu Provinciae, Forcalqueri et agris adjacentibus.

XXIX. De

XXIX. De regis Franciae jure ſuper Avenione, et Comitatu Venaſcinenſi.

XXX. Unde moveat Principatus Aurangiae.

XXXI. Confutatio quarumdam objectionum in cauſa Ducatus Britanniae.

XXXII. Pro Rege Franciae adverſus Hiſpanum, in cauſa Ducatus Burgundiae.

XXXIII. De Infantium Franciae Apanagiis.

XXXIV. Jura Regis Franciae ad Comitatum Altiſiodorenſem, Matiſconenſem, et Barrenſem Seq.

XXXV. Consideratio pactorum Atrebati, an. 1435, et Peronae, an. 1468.

XXXVI. De Regis Franciae jure in Comitatu Auxonenſi, et Sanlaurentii dominio.

XXXVII. De Ducatu Guiſae.

XXXVIII. Instrumenta probationum in cauſa Regis Franciae pro regionibus Epiſcopatuum Mediomatricum, Tulli et Veroduni.

XXXIX. Beneficentiae, ſive donationes regum Franciae Pontificibus Romanis.

XL. Apologia pro libris Hiſtoriarum Jacobi Auguſti Thuani.

XLI. De Regentibus Franciae, et quando Reges Franciae cenſeantur annis majores.

XLII. De quaeſtione habenda ſuper vita et moribus eorum qui ab Regibus proponuntur ad Epiſcopatus et Abbat.

XLIII. De contributionibus Eccleſiaſticis ad ſubſidia regia rebus urgentibus.

XLIV. Pacis ineundae rationes inter Franciae Regem et Principes vicinos in conventu Colonienſi.

XLV. Argumenta, ſive rationes, purgandae memoriae Franciſci Auguſti Thuani.

XLVI. De regis Franciae jure ad Principatum Mediolanenſem.

XLVII. Commentaria in Petri Pithoei librum de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae.

XLVIII. De Interdictis Eccleſiaſticis.

XLIX. De Parlamento Pariſienſi.

L. Observationes et Exempla juriſdictionis regiorum magiſtratuum in Epiſcopos et alios clericos criminis poſtulatos.

LI. Documenta varia pro jure dominico Franciae in varias Urbes et Provincias.

LII. De jure Advenatus in Franc. An locum habeat adverſus Principes extraneos, quibus eſt juriſdictio ſuprema, et An Francigenis parentibus competat portio hereditatis adverſus parentes non Francigenas, excluſo rege.

LIII. Historia cognitionum criminalium adverſus Joannem Alençonii Ducem, et Borbonium Coneſtabilem, et Mareſchallum Biezium.

LIV. Historia controverſiae inter Bonifacium Pontif. viii, et Regem Philippum Pulcrum, ex ipſiſſimis Actis ab ann. 1296, ad ann. 1305, et ſub Pontificatu Clementis v. Vol. ii.

LV. Consultationes, Epiſtolae, et hujuſmodi alia ad Concilium Tridentinum ſpectantia, quorum pleraque hactenus non edita.

Indicavi titulos tantum et lemmata; qui volumina conſpexerit, mirabitur, talia tanta ſcripſiſſe hominem tot amicis quotidie vacantem. Hemicranicam valetudinem vitae caelibis aequabilitate ac lenitate abſtemius toleravit uſque, donec alvi profluvio, ſeptimeſtris languor, aſthma cum febre, menſis unus, anni novem ſupra ſexaginta, corpus exanimum tradidere ſepulcro. Exſequias funeris ad aedem Sancti Coſmae proſecuti ſunt parentes, amici, conventu luctuque maximo. Exceſſit omnem doloris modum etiam cognationis neceſſitudini datum, Jacobi Auguſti Thuani, primae poſt ampliſſimam in Senatu Pariſienſi curiae Praeſidis, pietas et animus erga Puteani memoriam gratiſſimus, adeo quem a pupillo patris vice habuit et coluit, huncce ademptum tanquam filius parentem ſuſpirat atque deſiderat. Habet doloris in ſolidum participes illuſtriſſimos, adfinitatis ſive cognationis praerogativa commemorandos, Jacobum Daneſium, quondam in Rationum regiarum curia Praeſidem, nunc epiſcopum Tolonenſem, et Arnaldum Pontacum in Senatu Burdigalenſi Praeſidem, ſororios ſuos. Et Daneſius quidem, Puteanum biduo prius quam decederet Chriſtianis adjutans conſolanſque alloquiis, perſpexerat in amico ſpem optimam, fidem

fidem rectiſſimam, mentem ad Dominum toto corde geſtientem. Luxere Puteanum praeſtantiſſimi Regiae procurationis Advocati Audomarus Talonius et Hieronymus Bignonius. Atque ut uno tandem verbo cuncta complectar; optimum virum, optimum civem, optimum Regis conſiliarium, quotquot ubique ſunt optimates luxere. Tumulo frater titulum poſuit moeſtiſſimus. Tituli autem verba ſunt haec:

PETRVS PVTEANVS CLAVDII PVTEANI SENATORIS AMPLISSIMI FILIVS EX CLAVDIA SANGVINA FILIA BARBARAE THVANAE, QVAE FVIT CHRISTOPHORI THVANI SENATVS PRINCIPIS SOROR, CLEMENTIS PVTEANI IVRIS AEVO SVO PERITISSIMI NEPOS. OPTIMIS PARENTIBVS OPTIME RESPONDIT: DOCTRINA PIETATE PRVDENTIA FIDE GRAVITATE CONSTANTIA PROBATISSIMVS: REGI A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS: IMPERII GALLICANI IVRA, EXEMPLIS SVMMO LABORE PROVISIS, REM PVBLICAM MINISTRANTIBVS CONSVLTISSIME SVGGESSIT: PROCERVM ET CLARISSIMORVM VBIQVE VIRORVM OFFICIIS, OBSERVANTIA, FREQVENTI CONVENTV CELEBRATISSIMVS. VIXIT ANNOS SEXAGINTA NOVEM, MENSEM VNVM. HIC SITVS XIX CAL. IAN. AN. CHR. M. DCLII. IMMORTALIS PER CHRISTVM VITAE GRATIAM EXSPECTAT. IACOBVS PVTEANVS FRATERNAE GLORIAE CONSORS, ORBITATIS SVAE MOESTITIAM, NICOLAI RIGALTII VERBIS AMICITIAE VETERIS HONOREM TESTANTIBVS, QVANTO PER CHRISTIANAE MODESTIAE PRAECEPTA FAS EST SOLATIO CONSOLATVR.

CALENTIBUS adhuc exſequiarum lacrimis epicedia ſcripſere, amica ſimul et vera, fratres omnifariam doctiſſimi, Henricus et Hadrianus Valeſii. Et adventare audio Lud. Guezii Balzacii, Nicolai Heinſii Dan. F. Caroli Feramuſii, Petri Halleii, Caroli Ogerii, et aliorum, digna tanti viri meritis, digniſſima famae clariſſimae ſcriptoribus officia: quibus ego ſpectandis legendiſque locum cedo libens quaerenti efficaciora in luctu, quo nemini cedam, conſilia. Scrip. Tulli Leucor. Calend. Martiis Anni M. DC. LII.

Eloge de Pierre Du Puy Garde de la Bibliotheque du Roy, par M. Perrault.

IL ſeroit mal aiſé de dire ſi c'eſt du côté du Savoir ou du côté de la Vertu que celuy dont je parle a merité davantage d'être conſideré. L'Employ de Garde de la Bibliothéque du Roy, dont il étoit infiniment digne eſt un préjugé de ſa ſuffiſance, & ſes Ouvrages, qui ſont l'admiration des Savans, en ſont une preuve qui ne peut eſtre conteſtée.

A L'E'GARD des mœurs, il n'y en eut jamais de plus douces, de plus reglées, ni de plus aimables; beaucoup de pieté & de modeſtie, une humeur obligeante, une parfaite intégrité, & un amour tres ardent pour ſa Patrie formerent ſon caractére. Il avoit encore un diſcernement admirable pour les affaires; quelque embarraſſées qu'elles fuſſent, il trouvoit d'abord le point qui les décidoit. Monſieur le Préſident de Thou ſon allié, qui ſe connoiſſoit ſi bien en hommes de merite, n'avoit point de plus grand plaiſir que de s'entretenir avec luy, & Monſieur Rigault fut admis pour tiers dans leurs ſavantes Converſations.

ON peut dire que la paſſion dominante de Monſieur Du Puy étoit l'amour de ſa Patrie. Preſque tous ſes Ouvrages ne tendent qu'à lui faire honneur, qu'à en faire valoir, & à en relever les avantages. Auſſi dés qu'il fut de retour d'un Voyage qu'il fit en Hollande, avec M. Thumery de Boiſſiſe envoyé par le Roy, où il renouvella l'amitié que ſon Pere avoit entretenuë avec tous les ſavans Hommes des Pays-bas, il travailla à la recherche des Droits du Roy & à l'Inventaire du Treſor des Chartres, dont l'examen, qu'il fit ſoigneuſement, luy donna une parfaite connoiſſance de tout ce qui regarde nôtre Hiſtoire. Il embraſſa avec une joye incroyable la commiſſion qui luy fut donnée de juſtifier, avec Meſſieurs le Bret & de Lorme, les Droits du Roy ſur les

trois Evêchez de Metz, Toul, & Verdun, & les uſurpations du Duc de Lorraine ſur ces mêmes Evêchez. Tout le poids de cette Commiſſion tomba ſur luy, il en dreſſa tous les Inventaires raiſonnez, & fournit quantité de Traittez & de Memoires pour la verification des juſtes prétentions de la France.

Pour eſtre convaincu de ſon amour pour ſa Patrie, & de ſon zéle pour l'avantage de la Couronne, il ne faut que lire les titres de ſes Ouvrages, dont voicy une ſuccincte énumeration. *Traittez touchant les Droits du Roy ſur pluſieurs Etats & Seigneuries: Recherches pour montrer que pluſieurs Provinces & Villes du Royaume ſont du Domaine du Roy*; *Preuves des libertez de l'Egliſe Gallicane*; *De la Loy Salique*; *Que le Domaine de la Couronne eſt inalienable*; *Traitté des Appanages des Enfans de France*; *Memoire du Droit d'Aubeine*, & pluſieurs autres de la même nature. Il n'avoit pas de plus grande joye que lorſqu'il découvroit un Titre qui ajoûtoit quelque choſe à la gloire du Royaume, ou qui luy étoit de quelque utilité. C'étoit une eſpece de Conqueſte à ſon égard qui luy donnoit plus de plaiſir, que s'il avoit augmenté ſon propre Patrimoine.

Il mourut à Paris le vingt-ſixiéme Decembre 1651, âgé de 69 ans. M. Rigault écrivit ſa Vie, où l'on peut voir plus au long les qualitez admirables de cet excellent homme. M. Valois fit ſon Oraiſon funebre, & preſque tous les ſavans hommes de ſon temps firent ſon Eloge. Il donna ſa Bibliothéque au Roy aprés avoir accrû celle de Sa Majeſté d'un trés-grand nombre de Livres tant imprimez que manuſcrits. Luy & ſon frere prirent ſoin de la Bibliothéque de M. de Thou aprés ſa mort, & la rangerent de la maniere qu'on la voit dans le Catalogue imprimé en 1679, qui eſt le plus beau modelle dont on puiſſe ſe ſervir pour dreſſer une Bibliothéque.

Son frere Jaques Du Puy Prieur de S. Sauveur prit le ſoin de l'édition de ſes Ouvrages poſthumes, & fut Garde de la Bibliothéque du Roi aprés ſa mort. Il continua à entretenir les doctes Conferences qui s'y faiſoient tous les jours, & où ce qu'il y avoit de plus habiles gens & de grands perſonnages pendant la vie de tous les deux, prenoient un extrême plaiſir de ſe trouver. Il nous reſte une infinité d'excellentes choſes qui ont été dites dans ces Conferences & qui ſont venuës à nous ſous les titres de *Puteana*, de *Thuana*, & de *Perroniana*. Ces Conferences étoient ſi eſtimées & le Public témoigna un ſi grand regret de les voir finir, que M. de Thou les continua dans ſon Cabinet juſqu'à la vente de ſa Bibliothéque, aprés quoy M. Salmon Garde-roolle des Offices de France qui avoit entrée dans ces Conferences, les a tenuës chez luy juſqu'à ſa mort, & M. de Villevault ſon gendre Maiſtre des Requeſtes reçoit preſentement dans la même maiſon cette Aſſemblée qu'on appelle encore le Cabinet, parce qu'elle s'appelloit ainſi du tems qu'elle ſe tenoit dans le Cabinet de M. de Thou.

Ex MS. *Cl. V. Petro Puteano.*

Nobiliſſime et ampliſſime vir, S. Tardius ad tuas longe ſuaviſſimas xv Jan. datas reſpondeo, eo quod diſcuperem ſatisfacere tibi ad omnia quaeſita tua. Freheri μακαρίτου Moſella nihil habet aliud, quam Commentarium ad Auſonii Moſellam, in quo omiſſa quaedam a divino Scaligero planius explicat; et quamvis auctor extremam manum operi non impoſuerit, tamen in eo eſt ut brevi typis divulgetur: faxo tum ut habeas. Quaedam jam explicaverat in ſecundo originum Palatinarum, quem, quia grandior, tradere tabellariis non audeo; tradam autem hiſce Francofurtenſibus nundinis bibliopolis veſtris, in quo videbis de Ripuariis. Nihil enim tam mihi cordi eſt, quam tibi in omnibus obſequi, qui tot officiis tibi obſtrictus teneor. De novis ducatibus inſtitutis deficiente Caroli Magni progenie, res perobſcura et tenebris involuta. Lipſius aliqua explicavit in Lovanio ſuo. Jam non moror te iis, quae mihi obſervata, donec Freheri noſtri reliqua habeas. Quod de benevolentia in me magni herois Thuani, cujus memoria in benedictione, tam amice teſtaris, longe mihi gratiſſimum, et ſane quem vivum colui et maximi feci, ejus memoria mihi ſacroſancta. Noſtrae res in Imperio ſatis quietae hoc tempore. Caeſar Electores omnes invitavit, ut Ratisbonam ſe ſiſtant ipſi $\frac{1}{11}$ Maii, ut illic conſultent quae ad tranquillitatem faciant. Noſter omnino ſe ſtiturus eſt, ſi et ceteri compareant. Jam Conventus in Hungaria habentur, ubi confidit Rex Bohemiae etiam Hungaricum diadema obtinere; inde tertium quoque ſibi deſpondet Ratisbonae. De pace Bohemi cum Venetis ſunt qui

dubitare

dubitare incipiant; et quia Hiſpanus occaſionem ſe nactum exiſtimat Adriatici maris dominatum obtinendi, Venetos pacis cupidos frui optatis vix ſinet. Sabaudus deſtitutus auxiliis veſtris leges accipere cogitur. Cenſuram Sorbonae in opus Spalatenſis vidi. Etiam Romae, renitentibus pleriſque Cardinalibus, Papa negotium dedit Andreae Eudaemon Joanni Cretenſi, qui jam ſe jactat a Palaeologis oriundum, ut illud refutet. Notae hominis intemperiae, et loquacitas nulla ſolida doctrina ſubnixa. Ceteri conſultius judicaverant ſcriptum illud negligere, et ſinere ut ipſo tempore vaneſceret. Publicavit Spalatenſis Concionem Italicam, in qua ſatis oſtendit affectum ſuum in Pontificem, quae ad vos haud dubie perlata quoque. Deum precor, ut te Rigaltiumque, quem cum affectu ſaluto, ſervet incolumes bono literarum et reipublicae. Vale vir nobiliſſime. Heidelberga 1⁄8 Mart. 1618.

Tuus ſincera fide,

GEORG. MICHAEL LINGELSHEMIUS.

Ex Tho. Smithi Syl. G. Camdeni, et ill. viror. ad eum Epiſt. Lond. 4to. 1691, p. 193.
G. Camdeno P. Puteanus S. D.

PATRICIUS Junius, vir eruditus, utriuſque noſtrum amiciſſimus, has tibi tradet, quibus tandem adjunxi varias lectiones *Itinerarii Antonini* ex codice Regio pervetuſto, ſed qui non multum variat ab editis, ut tute videre potes. — Ille ipſe eſt D. Thumerius Boſſiſius a Thuano tutor liberis datus, qui diu apud vos ſumma cum laude regnante Elizabetha legationem obiit: eſt ſane vir maximae probitatis, nec hujus ſaeculi; cum parentis loco colo et veneror, eoque libentius, quod olim parentis mei amicus intimus, et quod pro me in ſacro lavacro fidejuſſit: eum tuo nomine ſalutavi. Reliqua *Elizabethae* avide exſpectant omnes, qui primam partem viderunt. Audio abſolutum opus, ſed quare non evulgatur? opus ſane plenum aleae hiſtoriam ſui temporis ſcriptis mandare. Patricium Junium vidi libentiſſime, et quantum in me fuit, illi ſavi; patuit illi Bibliotheca ill. Thuani, ut et talibus Philologis eruditis et doctis. Eſt quidam apud vos, qui librum *de Diis Syris* publicavit: unum exemplar a te enixe, quantum poſſum, peto: nam fruſtra a Librariis noſtris, ut video, exſpecto. Libri veſtri hic non comparent niſi poſt triennium aut forte nunquam. Vale, vir clariſſime, et me ama. *Lutetiae Pariſ.* III. KL. VIIbris CIↃ IↃC XVII.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 202.
P. Puteanus Gul. Camdeno, V. C.

DUM in procinctu eſſet generoſus Legatus veſter, haec pauca et raptim exaravi. Tuas accepi, Vir amiciſſime, cum Seldeni libro *de Diis Syris,* doctiſſimo ſane et eruditionis multiplicis. Sed epicedium illuſtris J. A. Thuani a Thorio noſtro vulgatum nullus vidi: fac quaeſo ut compareat, nihil in hoc genere mihi gratius evenire poteſt. Gruterus utriuſque noſtrum amicus, et illuſtris Thuani virtutum admirator ſummus, his nundinis Francofurtenſibus ad me miſit plura Epigrammata, a ſe in hoc ſummo literatorum dolore fuſa, non ſine honorifica tui mentione, quae omnia, cum Deus volet, lucem videbunt: ſed hoc ſine Thorii verſibus fieri non poteſt.—Velle autem quaeſo Patricio Junio, eruditiſſimo viro, de collatione antiquiſſimi *Graeci codicis MS. Evangeliorum,* et ut ſtet promiſſis urge. Nam conjicio ex epiſtolis D. Pauli plane antiquis, quae penes me ſunt, Th. Bezam negligenter librum hunc venerandae antiquitatis vidiſſe; non vanus erit ejus labor, nec induſtria noſtra. — *Lutetiae Pariſ.* v. id. Novemb. CIↃ IↃC XVII.

Ex MS. *Guil. Camdenus, Cl. V. Petro Puteano.*

SERIUS reſcribo, Cl. Puteane, quod ſerius tuae poſtremae per Woodfordum mihi redditae, et poſt aliquot dies quam meas ad te per Porium dederim. Doctoris Thorii Epicaedium ad manus perveniſſe ſpero. Turvallo enim Gallico Regis noſtri interpreti commiſit, qui, ut affirmat, ad te per nobilem Scotum ante menſem tranſmiſit. Grutero vero optimo et de me optime merito de honorifica illa mentione plurimum debeo. Patricio Junio autem vello, et promiſſi moneo, quod facturum ſe dicit quamprimum exemplar quod eſt Cantabrigiae nanciſci poterit. Quodnam

exemplar

exemplar intelligit neſcio: ſin illud quatuor Evangeliorum vetuſtiſſimum quod Beza in Angliam miſit, et ipſe Cantabrigiae ante plures annos in S. Trinitatis Collegio vidi, fruſtra erit. Ibi enim jam non comparet, et quid de illo factum e ſociis nullus dixerit: at rem totam a reverendiſſ. Epiſcopo Elienſi accepi. Tranſmiſit enim Beza ad Cecilium Theſaurarium illud tam venerandae antiquitatis monumentum, ut in Anglia aſſervaretur. Ille Academiae Cantabrigienſis Cancellarius ad Trinitatis Collegium miſit, juſſitque ut Academici gratias agerent; quod factum. Poſt aliquantum temporis Beza, qui juſtum pretium potius quam papiraceas gratias (ut opinati ſunt noſtri) expectavit, neſcio quo obtentu utendi in rebus magni momenti repetiit, et remiſſum erat. Ceterum in publica ibi Bibliotheca extat MS. exemplar Evangeliorum et Actorum Apoſt. Graece et Latine ſequioris aevi, charactere plane barbaro, quod olim Monaſterii S. Irenaei Lugduni, et anno 1562 in Angliam allatum, a Matthaeo Parkero Academiae donatum. Hoc juvenes ſuſpicantur eſſe illud Bezae, ſed falluntur, et cum illis Thomas Jameſus Bibliothecarius Oxonienſis in ſua Ecloga Oxonio-Cantabrigienſi, cujus exemplar cum Elizabethae Annalibus accipies. Qui noſtrorum Typographorum incuriam accuſas, cumulate rependas, ſi Analecta Hibernica, quae ex Cramoſii officina nuper prodierunt, cum commode poteris mihi impertias. 1 Decembris 1617.

Ex MS. *G. Camdenus P. Puteano, V. C.*

PRAETERMITTERE non potui quin per amicum Lutetiam jam cogitantem has literulas ad te darem et gratias iterum atque iterum de variis ad Britannicum Antonini Itinerarium lectionibus ex Regis et Thuani codicibus. Jam tandem animo ſatisfactum eſt meo, nactus enim ſum varietates ex Manuſcriptis Antwerpiano, Atrebatenſi, et Gauciano; et video me ſpe lactatum inani, nec ex illis ea quam expectavi mihi lux affulſit. Sed ecquis apud vos eſt qui Gallica apud illum itinera illuſtrare ſuſcepit? Tu enim noſti ſi quis alius: vel verbulo edoceas.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 211.
Petrus Puteanus Guil. Camdeno, S. P.

BINIS tuis ultimis hac unica ſatisfacio, Vir clariſſime. Variantes Itinerarii Antonini vel potius Ethici te recepiſſe ſignificas, quae certe, ut tibi indicaveram, parvi erant ponderis. Apud nos, ut audio, eſt quidam Remenſis nomine Bergerius, qui hoc opus adornat, homo mihi plane ignotus; illi tamen ſcribam, ut de re tota certior ſim. Vereor, ne deſtitutus ſit rebus ad hanc rem neceſſariis, manuſcriptis et virorum doctorum congreſſu et colloquio. Exemplar Annalium tuorum una cum Catalogo Oxonienſis Bibliothecae tradidit mihi nobilis Becherus cum uſura, lautiſſimo ſcilicet convivio. Quare gratias habeo tibi quidem quam, ut debeo, maximas et gratiſſimas. Graphice hiſtoriam manuſcripti IV Evangeliorum Theodori Bezae deſcribis. Hanc certe mihi intererat ſcire, qui epiſtolas D. Pauli Graeco-Latin. MS. omnium antiquiſſimas habeo. His tamen uſus eſt Beza ita negligenter, ut ex ſacra illa meſſe non parvum ſpicilegium poſteris reliquerit. Junii tamen noſtri iterum diligentiam requiro in perquirendis iſtis Evangeliis. Analecta Hibernica apud Cramoiſy non comparent. Auctor pauca tantum exemplaria edi curabat impenſis ſuis, quae ita brevi foris diſtracta ſunt, ut ne unicum quidem exemplar in Bibliothecis noſtris reperiatur. Opus tamen iterum ſub prelo eſt, ut mihi ſignificavit Typographus: itaque brevi exemplar habebis. *Lutet. Pariſ.* Januarii XXVI, CIↃ IↃC XVIII.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 243.
P. Puteanus Cl. V. Guil. Camdeno S. D.

NON tanti erant variantes lectiones *Antonini*, ut iterum gratias pro illis ageres; majora a me expectare debes, et praeſtare poſſum, qui ampliſſima illuſtris Thuani Bibliotheca utor, optimis et antiquis libris referta. Scripſit Bertius Batavus habere ſe ſub prelo *Ptolemaei Geographica, tabulam Peutingeri*, et *Itinerarium Antonini* cum obſervationibus ſuis: multum poteſt in talibus, ut ex conatibus ſuis conjicere poſſum. Eſt ſane vir doctus, et apprime diligens. Scio Bergerium Remenſem prope abſolviſſe commentarium ſuum in *Antonini Itinerarium* ſummo cum labore; lingua tamen Gallica, quod miror; ſcribit patriae, ut ait, non aliis: ſed opus ſuum, ut audio,

audio, omnium hominum eſt. Propediem illi ſcribam, ut de re tota certior ſim. Eſt hic nobilis diſputatio inter doctos de *Suburbicariis Regionibus*, quae diu plures torſit; libri ſunt ſub praelo. Mittam, ſi ad guſtum. Thuani auctarium videbis, *εἴ ποτε πάλινδις πικρὸν οὐκ εἴη*. Interim vale, et me tui amantiſſimum redama. *Lut. Par.* Kl. Julii, anno Ch. CIↃ IↃC XVIII.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 263.
Petrus Puteanus Cl. V. Gul. Camdeno S. P.

ABSOLVIT ſcriptum ſuum Jacobus Sirmondus adverſus Jac. Gothofredum, ſed nondum publicavit; propediem et Sirmondi et Guterii et Leſchaſſerii ſcripta hac de re ad te mittam. Diſputatio eſt ſane nobilis, ſed implexa et obſcura nimis, quippe Geographica.—Quid in adverſariis tuis de Corteniaca familia tam Anglica quam noſtra habeas, oro te et obteſtor, ut mihi brevi communices.—*Lut. Pariſ.* XVI Kl. Xbris, CIↃ IↃC XVIII.

Ex MS. *Guil. Camdenus Petro Puteano, V. Cl.*

TE ad tuos incolumem ex Batavis rediiſſe gaudeo; Becherum vero noſtrum ad nos e Galliis, doleo. Sed, ut ſpero, poſt has nubes gratior redibit, aut Deus melius providebit in Curia Pupillorum regiorum. Quae de Courteniacis ſciſcitaris, ſingula quae obſervavi ante aliquot annos bono illi Bongarſio impertivi, et illum nobiliſſimis Dominis de Courtenay non dubito, quorum perſtudioſus videbatur; ſcilicet me in illa haereſi eſſe, ut exiſtimem cum Tilio veſtro, noſtros ex antiquiore ſtirpe Courteniaca, et a Comitibus Edeſſae, progerminaſſe. In antiquo enim libro de feudis familiae Courteniacae in Anglia legitur Reginaldum Courteniacum pararium fuiſſe conjugii inter Eleonoram Aquitanam a Lodovico VII repudiatam et Henricum II Angliae; illam ad maritum adduxiſſe 1152; cum illa in Angliam perveniſſe, una cum Guilielmo filio nubili ex priore uxore; eos hoc nomine duas accepiſſe filias et haeredes Roberti de Leiacre in uxores. Reginaldum ſuperſtitem fuiſſe 1175 conſtat ex Rogero Hovedeno noſtro, p. 313, editionis Londini; et anno 1177 Comes Robertus et Petrus Courteniacus, fratres, nominantur in conventione inter Lodovicum Francorum regem et Henricum noſtrum II, apud eundem authorem p. 326. Diſſertationes Jacobi Godofredi, Leſchaſſerii et Gutherii de regionibus ſuburbicariis legi: Si tibi Sirmondi, qui in re antiquaria familiam ducit, debeam, plurimum debebo. Dominus Cottonus tibi ſalutem impertit omnifariam. Vale, vir optime. Londini, 3 Dec. 1618.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 272.
P. Puteanus Gul. Camdeno. V. Cl.

ACCEPI literas tuas, vir amiciſſime, quae mihi fuerunt jucundiſſimae, cum propter uſum neceſſitudinis noſtrae, tum quia quid ſentis de *Corteniacis*, tam noſtris quam Anglis, diligenter perſcribis: vera certe tua cum Tilio noſtro de utriſque eſt opinio. Sed in hoc non haeremus: ſunt enim haec *πάρεργα*. Hoc opus, hic labor, ut probetur narratio Tilii, cum de his agitur poſt tempus S. Lodovici: multis enim non immerito ſuſpecta eſt.— Mirum quantum apud nos agitatur etiamnum quaeſtio *de Suburbicariis*: tot capita, tot ſenſus. *Cenſuram Sirmondi* vidiſti in *conjecturam Godofredi*; accuratum ſane opus et caſtigate ſcriptum, ſed non ſine acerbitate verborum. His nundinis prodierunt *vindiciae Godofredi* adverſus cenſuram: eas nondum vidi: ſed nunc habes *epiſtolam cenſoriam*, quae perbelle Cenſorem noſtrum excipit; hujus auctor Cl. Salmaſius Divionenſis, vir magni judicii. Audio M. Ant. de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem ſcripſiſſe *Hiſtoriam Concilii Tridentini*. Si tuo beneficio hoc opuſculum habere poſſim, humanitati tuae plurimum debebo. Hiſtoria ſat paucis nota. Si penes te ſint *Joſ. Scaligeri epiſtolae*, ad te vel ad alios ſcriptae, nondum editae, quaeſo apographa ad me mittas: talium rerum ſum curioſulus; certe non mediocriter me obligabis. Velſerus, Freherus, Lingelſhemius, Gruterus, alii, ſuas libentiſſime communicarunt. Habeo autographa earum, quae ad Caſaubonum ſcripſit, numero CXX: eſt ſane theſaurus. *Lutet. Pariſ.* April. XXVI, CIↃ IↃC XIX.

Ex MS. *Gul. Camdenus Petro Puteano V. Cl.*

QUAS ad me, Vir Cl. dediſti XXVI Aprilis literas 16 Maii accepi, quo tempore propitio divini numinis favore praeter omnium opinionem, certe meam, qui ad alteram meliorem vitam anhelavi, convaleſcere coepi. Gratiſſimae quidem illae, quia amore pleniſſimae; nec minus grata illa perquam erudita Cl. Salmaſii de Suburbicariis Epiſtola, quam avide lippientibus licet prae invaletudine oculis percurri. Eadem ſane Cenſoria gravitate acerbiuſcule in Cenſorem agit, qua ille in Conjectorem. Vereor ne alii modeſtiam in utroque requirant quam in Conjectore laudant, cujus vindicias ab ipſo expecto. Juſtum volumen lingua Italica de Concilio Tridentino Archiepiſcopus Spalatenſis excudendum tradidit, quod non ejus eſſe, ſed vel Fulgentii, vel P. Pauli, vel alterius neſcio cujus Veneti creditur. Adhuc ſub praelo gemit, nec maturat editionem typographus, dum male metuit ne Francofordienſes typographi minori forma ante proximas Nundinas recudant. Quamprimum prodierit a me accipies. Pauculas quas ab incomparabili Scaligero habui literas, vel Lindenbrogio, vel Caſaubono, ni male memini, in manus tradidi. De Bergerio Rhemenſi in Antonini Itinerarium, atque an Courteniaci veſtri de Bleſneau ſe Regiae ſtirpis palmites probaverint, aveo a te ſcire cum per negotia licuerit. Tilii fidem in Stemmate Courteniaco poſt S. Lodovici tempora ſuſpectam miror. Dominum Hotmanum quaeſo mihi ſalutes quam officioſiſſime. 21 Maii 1619.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 277.
P. Puteanus Cl. Viro Gul. Camdeno S. P.

ACCEPI una cum literis tuis *Hiſtoriam Concilii Tridentini,* Cl. Camdene, donum eximium ab eximio profectum amico; proque tam inſigni munere ſi tibi gratias agere ſerius videar, hoc ipſo quod eas in hoc tempus diſtuli, accipe auctiores. Librum avide legi ſumma cum voluptate, et maximo cum fructu: narratio dilucida, elegans, nec minus jucunda. Utinam, utinam abeſſet Praefatio, et etiam pars ultima tituli. Praejudicia apud nos multum valent, omnia poſſunt. Tam mihi certum eſt, Archiepiſcopum Spalatenſem auctorem non eſſe hujus hiſtoriae, quam certum illam ſcribere non potuiſſe ſine frequentibus digreſſionibus in Pontificem et ritus Eccleſiae, quae plerumque narrationem turbant, involvunt, et, quod caput eſt, librum utilem e manibus multorum excutiunt. Praefatio tamen, ſi non eadem plane efficiet, inutilem tamen et nullius fere momenti librum apud multos reddet. Bergerii conatus in *Antonini Itinerarium* non ſunt ita abſoluti, ut tam cito publicari poſſint: audio hominem anguſtia rei familiaris valde premi, et in patria latere obſcuriſſime. *Corteniacorum* negotium adhuc in incerto eſt; nihil uſque adhuc probaverunt. Deſines aliquando mirari, cur Tilii fides hac in re nobis ſit ſuſpecta. — *Lutetiae Pariſiorum* III Id. Julii CIↃ IↃC XIX.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 284.
Monſieur, *P. Puteanus G. Camdeno.*

PUISQUE vous trouverez dans ce paquet quelque diſcours en noſtre langue, j'ay penſé vous devoir encore faire celle-cy en François en continuant, ſçachant bien que vous l'entendez ſans peine. Je vous envoye donc un extraict de la Preface du livre de Monſieur Berger, avec la lettre qu'il m'a eſcrit ſur ce ſuject, où vous verrez ſon deſſein. Je croy qu'il fera bien, & le jugerez ainſi par l'eſchantillon de ce que je vous envoye; il m'a envoyé ſa Preface entiere, mais j'ay creu eſtre ſuperflu de la vous envoyer. Datum *Lut. Pariſ.* 2 Auguſti CIↃ IↃC XIX.

Ex MS. *Gul. Camdenus Clariſſ. Viro* PETRO PUTEANO.

VIR Clariſſime, Profeſto S. Bartholomaei accepi literas tuas et una excerpta ex Bergerii praefatione cum ejuſdem ad te epiſtola. Ea ſane mihi perplacent, et ad meum palatum admodum faciunt. Hominis conſilium video et laudo: ex unguibus enim leonem. Ut feliciter coepta abſolvat Deum rogo. Interea editionem avide expectabo. Nec dubito quin Geographiae antiquae magnum lumen etiam in particularibus praetulerit. Tibi vero de cura, labore, et amore gratias habeo quam poſſum maximas. Miſeram ad te Regis noſtri opera omnia Latine converſa; ſed Marpurinus

gurinus tabellio quaſi aliis onuſtus transferre recuſavit. Nec dubito quin Billius noſter exemplaria Lutetiam jampridem tranſtulerit. Sereniſſ. Rex noſter juſſit Hiſtoriam Concilii Tridentini Latine verti. Hoc onus ſubit D. Newtonus Scotus, qui pueritiae Henrici Principis fuit informator. Adjicietur aliquid de eodem ex Bibliotheca Nob. Roberti Cottoni (qui te ſalutat) quod tranſmiſſum ad Regem Edwardum VI ab erudito viro qui interfuit. Cheſilhurſti XXVIII Auguſti St. V. 1619.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 293.
Petrus Puteanus Cl. V. Gul. Camdeno S.

LITERAS tuas Cheſilhurſti XXVIII Aug. datas jampridem accepi, amiciſſime virorum; reſponſum diu diſtuli fateor; in cauſa fuit Boſvilii noſtri abſentia, et etiam noſtra, qui peſtis vitandae cauſa, cito, ut volunt medici, fugimus. Interea Bergerium urgere non diſtuli, ut opus ſuum Geographicum abſolvat, et in publicum edat: reſponſum expecto. Vidi *opera Regia* Lat. a Billio hic allata: opus vere Regium. Avide expecto *Hiſtoriam Concilii Tridentini* Latinam, propter appendicem ſolam, erutam ex Bibliotheca nobiliſſimi R. Cottoni. Nam Italica editio valde mihi perplacet: nativa enim quaedam gratia in ea elucet, quam fruſtra, ut puto, exprimere tentabit Newtonus veſter: narratio item facilis, jucunda, perſpicua, quae lectores ſuos rapit et ſuadet. Sed quando reliqua *Elizabethae* videbimus? et quam praeclare de omnibus merebere, ſi nos diu ea nobiliſſima parte Hiſtoriae carere non patiare! — *Lutetiae Pariſ.* Non. Decembris CIƆ IƆC XIX.

Ex MS. *Gul. Camdenus Clariſſ. V. Petro Puteano S. P.*

QUAS XVII Junii ad me dediſti IV Auguſti accepi, de quibus te amo. De Collectaneis vero Anaſtaſii et vita Mareſcalli Boucicaut gratias ago ſingulares. Ad palatum enim meum imprimis faciunt; ſed quid ego rependam? nihil ſane Literarum, nihil te dignum apud nos nuper prodiit, niſi Gulſoni medici celeberrimi in Ariſtotelis ad Theodecten Rhetorica, opus multorum judicio elaboratiſſimum, quod ille ſuis impenſis ſibi et amicis imprimi curavit. Duo exemplaria per hunc tabellionem miſi, alterum tibi, alterum D. Peireſcio. Bergerium tam feliciter progredi laetiſſimus audio, et Reipub. Literariae ex animo gratulor tot bonos authores apud vos praelo committi. Apud nos nihil niſi neſcio quid contra Bellarminum de Officio Principis. D. Cottonus afflicta decumbit valetudine, te tamen officioſe ſalutat. Latina Hiſtoria Concilii Tridentini nondum abſoluta. Anglica dudum prodiit, ſed ſine auctario. Non video cur deſperes videre reliquum annalium. Deo favente ſuo tempore videbis, etſi tempora mutentur, et Anglia in Hiſpanos nunc magis propendeat; de quibus in illis plurima. Xenophon nos docuit quam difficile ſit, Hiſtoricum, etſi non erret, μὴ ἀγνώμονι κρίσει περιτυχεῖν. Hoc illuſtriſſimus Thuanus expertus eſt, nec ego cum caeteris aliud expecto. Interim de depoſitario cogito cujus fidei committam, et quid ſi de te? Sed quando quaeſo prodibunt reliqua Hiſtoriarum magni illius viri, de quibus nobis ſpes dudum facta, et omnes boni avent. Vale vir Cl. et Camdenum te ex animo colentem ama. Londini XIV Aug. St. N. 1620.

Ex Sylloge Epiſt. Camdeni, &c. p. 310.
P. Puteanus Gul. Camdeno. V. Cl.

TUIS ultimis jamdiu eſt, quod ſatisfeci; ſed neſcio qua mala mea ſorte in itinere interciderunt incuria ſervuli amici cujuſdam, qui apud vos peregrinandi cauſa proficiſcebatur. Gratias iterum tibi ago de *Rhetorica Ariſtotelis*; exemplar unum, ut juſſiſti, D. Peireſcius habet. Cum de Hiſtoria tua agis, et de me depoſitario cogitas, non male certe cogitas: fidelem enim et vere amicum hac in re experieris: tantum effice, ut tuto ad me perferatur. *Bergerii* opus abſolutum paene eſt: in tertio *Peutingeri tabulam* explicat, et cum *Antonini Itinerario* confert non injucunde: uſum utriuſque docet antehac a multis incognitum. Nondum quartum librum vidi, quia non abſolvit; multis magis quam magnis negotiolis diſtrahitur; ideo ſtudia ejus protrahuntur. Si ad me ſcribere deſideras, dabis literas tuas ad D. de Beaulieu, qui ſuis ad D. Hotmannum adjunget, et ſic tuto ad me perferentur. Interea de depoſito ſerio cogita, et me ama, qui te colo plurimum. Vale vir clariſſime et amiciſſime. *Lutet. Pariſ.* X Kal. Decembr. CIƆ IƆC XX.

Ex

Ex MS. *Gul. Camdenus V. Cl. Petro Puteano.*

LITERAE tuae datae x Kal. Xbris, etſi frigido, nivoſo et triſti coelo, et illaetabiles ex Bohemia rumores percrebuerunt, me tamen exhilararunt, et laetiſſimus lego quae de Bergerii conatibus doces. Boni viri coeptis bene apprecor, et nihil magis in votis habeo quam ut quamprimum in lucem prodeant. De te depoſitario ſententiam non muto. Te fidelem et vere amicum novi et expertus ſum. Jam deſcribenda tradidi, et partes ad te tranſmitti ſuo tempore curabo, etſi vereor quaedam de Gallicis ad palatum Gallorum faciant, ſed cum ſint veriſſima non dubito quin apud bonos veniam impetrent. 8 Dec. 1620.

Ad Puteanum miſi 16 Aprilis 1589, 1598, 1599, 1600, 1601, 1602, 1603. *Mittendi* 1590, 1591, 1592, 1593, 1594, 1595, 1596, 1597.

Ex MS. *Gul. Camdenus Petro Puteano, V. Cl.*

ECCE, vir Clariſſime, quae expetis, ſed *ὕστερον πρότερον*, quae poſteriora quia ad manum et jam deſcripta prius. Caetera brevi ſubſequentur. Singula tui facio judicii. Hoc male habet quod amanuenſi uſus ſum illiterato. Verbum non amplius addo. Fidem tuam et taciturnitatem novi. Saluta mihi quaeſo Hotomanum; Bergerium, cujus conatus videre aveo; ſed ante omnes Peireſcium, a quo Dominus Cottonus Geneſim Graecam MS. expectans jam diu expectavit. 16 Aprilis 1621.

Ex MS. *Gul. Camdenus P. Puteano, V.C. S.P.*

ILLA noſtra ad manus tuas incolumia perveniſſe gaudeo, at magis, quod in illis nihil aſteriſco notaveris. Unum et alterum annum per Boſſevillum communem amicum accipies, reliquos propediem. Rixentur aliquantiſper cum blattis et tineis; dum ego jam caecutiens potiorem vitam meditor. Ego jam totus ſum in illuſtriſſ. Thuani continuatione, qui a Typographis male acceptus, et quis non? Elogium illud Mariae Ateſtinae de D. Elizabetha mihi admodum perplacet. Saluta mihi quaeſo D. Hotmannum, D. Bergerium, et Clariſſ. Peireſcium. Vale V. C. et Camdenum tui amantiſſimum, quod facis, redama. IV Junii, St. N. Cheſilhurſti.

Ex MS. *Gul. Camdenus Petro Puteano, V. Cl. S. P.*

POSTRIDIE quam Boſſevillus noſter hinc iter ad vos ſuſcepit cum Annalium faſciculo, quem ad manus tuas jampridem perveniſſe ſpero, traditae ſunt mihi tuae poſtremae cum nonnullis Bergerii de Romanorum viis paginis, quae mihi longe gratiſſimae, nec dubito quin eadem felicitate inchoata perficiet. Aveo a te vel verbulo intelligere an honeſta miſſione Honoratiſſ. Edwardus Herbertus a vobis rediit. Vale optime virorum. Saluta mihi quaeſo Hotmanum, Limerium, Peireſcium et Boſſevillum cum primis. Ad quaeſita per Godofredum, ut opinor, breve reſponſum hiſce inſerui. Pro Margareta Catharinam emendavi. De praecedentia in Concilio Tridentino nihil ſcripſi, niſi quod noſtri obſervarunt. Quae de honoris praerogativa Lodovicus Cabrera ſcripſit anno 1614 et 1617, vera eſſe fando accepi, nec enim interfui. Rex noſter cum nullam aequabilem rationem in re tanta excogitare poſſit, quod percupiit, et jam nuptias Mariae Hiſpanae cum Principe filio ambit, videtur in partem Catholici magis quam Chriſtianiſſimi propendere. Verum haec Dominus Godofredus optime ediſcat a Chriſtianiſſimi Regis legatis. 29 Julii 1621.

Ex MS. *Gul. Camdenus Petro Puteano, V. Cl.*

SINGULA ad te jam tandem per Boſſevillum perlata eſſe gaudeo. Bene ſe res habet, at hoc male me habet, poſteriores meas ad te et Limerium quas tradidi tabellioni non eſſe perlatas. Ille, cum Boſſevillum reverſum videret, eas in manum tradidit, qui jam dum detinet, donec tranſmittendi occaſionem nanciſcatur, forte per Dominum Edwardum Herbertum, quem reverſurum audio, nam ille animum revertendi non habet. Ad Leſchaſſerium ſcripſi; tu quaeſo obſignes. Videtur vir ille neſcio quid Suffenici ingenii habere. Vale optime virorum. A Cheſilhurſto, 2 Octob. 1621.

M. Pierre

M. Pierre du Puy a tant merité de M. le Preſident de Thou, & de ſa famille ; & ſes Ecrits qu'on a deja placé dans ce Tome en ſont des Ornemens ſi éclatans, que nous ne pouvons reſiſter à la tentation d'ajouter en ce lieu trois autres Pieces de ſa main, quoi qu'elles ayent deja été imprimées il y a long tems, & qu'elles n'ayent aucun rapport ni à noſtre Hiſtorien ni à ſon Ouvrage. Cependant, étant toutes trois hiſtoriques, & ſur des ſujets bien curieux, & chacune aſſez courte quoique parfaite en ſon genre ; nous oſons nous flatter que le Lecteur nous ſçaura gré, de ce qu'en joignant ainſi les travaux d'un ſi beau genie à ceux du grand de Thou ſon ami & ſon parent, nous tâchons de les tranſmettre enſemble à la poſterité.

Hiſtoire Particuliere du Grand Differend entre le Pape BONIFACE VIII, *&* PHILIPPES *le Bel Roy de* FRANCE.

IL n'y a poſſible en toute l'Hiſtoire de France rien de plus remarquable, ni qui merite plus d'eſtre ſceu avec ſes circonſtances, que le grand differend qui a eſté entre le Roy Philippes le Bel & le Pape Boniface VIII. Juſques icy les Hiſtoriens ont paſſé fort legerement pardeſſus, & encore avec beaucoup de contrarietez, les uns emportez de diverſes paſſions, les autres faute de bons memoires. Nous y voyons d'un coſté un Roy vrayement genereux, jaloux de ſon autorité & de ſa ſouveraineté, aſſiſté de ſon Clergé, de ſa Nobleſſe, & de ſon peuple, qui ont combatu courageuſement pour la manutention des anciens droits de la Couronne, & pour la liberté du pais, ſans entrer en beaucoup de vaines conſiderations que la ſubtilité, ennemie capitale de la verité, a depuis ſuggeré aux trois Eſtats de ce Royaume. De l'autre part on voit un Pape courageux, guerrier, ambitieux outre meſure, entreprenant ſur les Royaumes Chreſtiens, non point une puiſſance ſpirituelle qui ne luy eſtoit debatuë, mais la temporelle qui ne luy appartenoit point ; & pour ce il fut abandonné des ſiens, & des ſujets de l'Egliſe. Lés moyens dont il uſa pour parvenir au Pontificat, firent juger par quelles regles il gouverneroit l'Egliſe Chreſtienne ; car abuſant de la ſimplicité & bonté du Pape Celeſtin ſon predeceſſeur luy perſuada par mauvais artifices, écrits par tous les Hiſtoriens, de renoncer au Papat, ce qu'il fit ; & puis par brigues ſe fit élire : & non content d'avoir ainſi dépoüillé ce ſaint perſonnage qui avoit reſolu de vivre une vie retirée, luy fit finir ſes jours dans une priſon, craignant que l'on ſe ſerviſt auſſi legitimement de la bonté de Celeſtin pour le troubler en ſon uſurpation, comme malicieuſement il en avoit abuſé.

CEUX qui ſçavent le grand reſpect que de tout temps nos Rois ont porté à l'Egliſe & aux S. Peres, & leur grande pieté, & au contraire le naturel du P. Boniface, jugeront touſjours que le Roy Philippes le Bel n'eſt venu aux extremitez contre luy pour cauſes legeres ; mais pour des uſurpations injuſtes, pour des ambitions effrenées ; bref pour luy avoir voulu en pluſieurs façons ravir ſa Souveraineté : choſe inſupportable aux plus petits Princes ſouverains ; bien loin de la penſer ravir à un puiſſant Roy, un Roy de France, le premier Roy du monde.

LE Pape pour parvenir au grand deſſein qu'il avoit de ſe rendre ſouverain, tant au temporel qu'au ſpirituel, y alla par degrez, commença par des choſes qui ſembloient legeres pour s'inſinuer plus facilement : Voulut s'entremettre d'appaiſer le differend d'entre le Roy, & le Roy d'Angleterre ; à quoy ces Rois reſiſterent quelque temps, diſans que c'eſtoit choſe qu'ils termineroient ſans ſon entremiſe, & puis qu'il n'y alloit rien qui fuſt de ſa charge, rien que de temporel. Alors il leur propoſa que ce qu'il en faiſoit eſtoit pour le bien de la paix, non comme Pape, mais comme perſonne privée ; à quoy ils s'accorderent, & les jugea en cette qualité, ce qui l'autoriſa fort dans leurs affaires, s'aſſeurant qu'il auroit ſans doute un de ces deux Rois pour luy, ayant pouvoir de maintenir ſa ſentence arbitrale par ſon autorité ſpirituelle.

CE premier progrez n'eſtoit rien au regard de ceux qui ſuivent. Le Roy offenſé 1296.
de ce que Guy Comte de Flandres avoit promis ſa fille en mariage au fils du Roy d'Angleterre

gleterre ſans luy en demander permiſſion, comme c'eſt la couſtume en France, & la raiſon pour ce qui eſt des Grands ; manda le Comte & ſa femme qui s'acheminerent auſſi-toſt, leur remonſtra leur faute & les retint priſonniers, d'où ils ne ſortirent point, qu'ils n'eurent mis en oſtage leur fille Philippe promiſe au Roy d'Angleterre. Le Comte eſtant en liberté pourſuivit la delivrance de ſa fille, & voyant qu'il n'avançoit rien, il gagna le Pape, appella à luy de tout ce que le Roy avoit fait, envoya à Rome pour y former ſon appel, qui fut accepté par le Pape, qui envoya vers le Roy l'Eveſque de Meaux ſon Legat pour le ſommer de faire raiſon au Comte de Flandres, & à faute de ce l'adjourner à comparoiſtre devant le Pape où il eſtoit appellé, & là eſtre jugé. Le Roy s'offenſa juſtement de ce procedé ; & trouva eſtrange que le Pape entrepriſt ſur des choſes qui n'eſtoient de ſa juriſdiction ; & dit au Legat que ce n'eſtoit au Pape de ſe meſler des Seigneuries terriennes ; qu'il avoit ſa Cour pour faire juſtice à ſes ſujets & hommes liges, ſans qu'il reconnuſt autre que Dieu pour Souverain en ce point ; & par ainſi que ſon ambaſſade eſtoit fort inutile. Le Legat fut contraint de ſe retirer ſans rien faire.

Le Pape avançant ſon deſſein publia une Bulle, par laquelle ſe plaignant que les Rois exigeoient ſur les Eccleſiaſtiques quelques ſubſides, decimes, vingtiémes ; ou autres portions de leurs biens, à quoy ils obeïſſoient ſans luy en demander permiſſion, ordonna que tous les Clercs quels qu'ils fuſſent, qui payeroient quelque portion de leur revenu ſous quelque pretexte que ce fuſt ſans le congé du Saint Siege, & les Rois & Princes qui exigeroient d'eux, ou feroient ſaiſir leurs biens, encourroient les cenſures de l'Egliſe. Mit en outre en interdit les Villes & Communautez qui avoient conſenty cette exaction ; defendit aux Eccleſiaſtiques d'obeïr aux Rois en ce point ſous les meſmes cenſures. Et paſſoit cette Bulle ſi avant, qu'il appelloit cette puiſſance des ſeculiers un abus horrible. Cette fulminante quoy que generale touchoit le Roy en ſon particulier, ayant fait une levée ſur le Clergé de ſon Royaume pour ſubvenir aux grands frais des guerres qu'il avoit ſur les bras ; ce qui luy donna ſujet de faire un Edict, portant defenſes à tous Eſtrangers de venir en France, & y exercer aucun trafic & marchandiſe ; contre lequel le Pape fit publier une autre Bulle ſur la fin de la meſme année de ſon Pontificat, où il remonſtroit au Roy fort aigrement ſa faute & par menaces, que cet Edict eſtoit fort prejudiciable à ſes ſujets, & que ſous ces mots de *tous Eſtrangers*, les Eccleſiaſtiques eſtoient compris, que c'eſtoit temerité & folie à luy de l'avoir ainſi entrepris, luy qui n'avoit nul pouvoir ſur eux, eſtant choſe directement contraire à la liberté Eccleſiaſtique, & par conſequent qu'il avoit encouru les cenſures de l'Egliſe : declara toutefois que ce qu'il en avoit fait n'eſtoit point pour vouloir nier que le Clergé ne le doive aider en ſes neceſſitez, qu'en ce cas les calices meſmes, les croix, les vaſes ſervans a l'Egliſe peuvent eſtre alienez ; mais qu'il ne le doit rien faire en cela ſans ſa permiſſion. Il adjouſte ſur la fin de la Bulle, que les Rois des Romains & d'Angleterre pour quelques pretentions qu'ils avoient ſur aucunes terres de ce Royaume, ne refuſoient point le jugement du ſaint Siege, eſtant d'ailleurs tres certain que la deciſion luy en appartient, en ce que ces Rois ſouſtenoient qu'en cette detention le Roy commettoit un grand peché. Conclud enfin qu'il envoyoit l'Eveſque de Viviers porteur de ſa Bulle avec creance particuliere, priant le Roy ne ſe laiſſer emporter aux mauvais conſeils, & ſuivre les ſiens, & qu'il eſtoit preſt d'endurer le martyre pour la defenſe de la liberté Eccleſiaſtique.

Le Roy offenſé de cette Bulle, non ſans ſujet, fit reſponſe, qui n'eſt ce ſemble venuë entiere juſques à nous, ce qui reſte neantmoins eſt notable. Parlant donc du fonds il confeſſa qu'il avoit fait ces defenſes indefiniment de faire ſortir hors ſon Royaume chevaux, armes, argent, & toutes ſortes de marchandiſes ſans ſa permiſſion, pour connoiſtre à qui pouvoient appartenir les marchandiſes, ſoit aux Eccleſiaſtiques ou autres. Prouve en ſuite que les Eccleſiaſtiques ſont obligez de fournir aux frais de la guerre, dont il eſtoit fort preſſé du coſté d'Angleterre & d'Allemagne : proteſta qu'il adoroit Dieu en verité, reveroit ſon Egliſe & ſes Miniſtres, mais qu'il mépriſoit le menaces des hommes ; qu'au reſte les Eccleſiaſtiques ne ſe pouvoient approprier à eux ſeuls, cette liberté Eccleſiaſtique, par laquelle noſtre Seigneur Jeſus Chriſt nous a delivrez de la ſervitude du peché ; qu'il y a pluſieurs libertez ſingulieres attachées aux ſeuls Miniſtres de l'Egliſe, leſquelles prennent leur ſource des Statuts des ſouverains

rains Pontifes, & de la liberalité & conceſſions des Princes ſouverains. L'Archeveſque de Rheims, ſes ſuffragans, & les Abbez de ſa Province écrivirent lors au Pape, que le Roy & les Barons du Royaume ſouſtenoient que tous les ſujets du Roy, tous privileges ceſſans, devoient aider à la defenſe du païs, principalement les feudataires, eux & les autres Prelats, aucuns deſquels ſont obligez par hommage, & preſque tous par ferment de fidelité de defendre le Roy, ſon Royaume & ſes droits: Prierent le Pape de vouloir adviſer d'appaiſer ce ſcandale qui pourroit avoir quelque ſuite. Le Pape, ſoit qu'il ſe repentiſt, ſoit auſſi qu'il euſt égard aux raiſons du Roy & de ſes Eveſques, publia l'an ſuivant, troiſiéme de ſon Pontificat, une Bulle, par laquelle il declara qu'il 1297.
n'avoit jamais entendu que ſa Decretale commençant *Clericis Laicos*, euſt lieu en France; au contraire qu'il ſçavoit que le Roy en cas de neceſſité pouvoit ſans le conſentement du Pape tirer ſecours des Eccleſiaſtiques de ſon Royaume.

NONOBSTANT cette ſatisfaction, il ne laiſſa pas de penſer aux moyens d'avancer ſon deſſein, & prit ſujet ſur ce qu'ayant fait publier une tréve entre le Roy, & les Rois des Romains, & d'Angleterre, il creut qu'il eſtoit neceſſaire de la proroger, & mit dans la Bulle de continuation de la tréve, qu'elle ſeroit entretenuë à peine d'excommunication contre les contrevenans. Le Pape pour faire ſçavoir au Roy cette continuation luy envoya les Eveſques d'Alba & Preneſte. Le Roy averty de ce que contenoit cette Bulle, declara avant qu'elle luy fuſt leuë qu'il ne reconnoiſſoit autre que Dieu pour ce qui eſt du temporel, qu'il n'avoit jamais eu intention de ſe ſoûmettre à homme vivant pour choſe temporelle de ſon Royaume, qu'il s'aſſeuroit de la defendre contre tous venans; mais que pour le ſpirituel, qu'il eſtoit preſt d'obeir au ſaint Siege, entant que de droit il y eſtoit tenu comme vray & devot fils de l'Egliſe. Cela fait, la Bulle fut leuë, & ces Eveſques deputez donnerent acte au Roy de ſa proteſtation.

AVANT que de paſſer plus outre, & pour ſuivre l'ordre des temps, il importe pour entendre la ſuite de cette hiſtoire de repreſenter les perſecutions que fit le Pape contre ceux de la Maiſon des Colonnes (une des plus anciennes & illuſtres famille de l'Italie) qui furent puis aprés ennemis puiſſans & irreconciliables du Pape. Le principal ſujet de la haine qu'il portoit à ceux de cette Maiſon, venoit de ce qu'ils eſtoient Gibellins, c'eſt à dire Imperiaux, faction contraire aux Guelfes qui tenoient pour le Pape; ce qui fut cauſe qu'ils furent infiniment traverſez par les Papes. Celui-cy peu aſſeuré de la bonne volonté de deux Cardinaux de cette Maiſon, Jacques Colonne du tit. *S. Mariae in via lata*, & de Pierre du tit. de ſaint Euſtache, ou qu'ils luy en euſſent deſia fait paroiſtre quelques témoignages, les manda pour ſçavoir d'eux s'ils le tenoient pour Pape, bien qu'il fuſt deſia dans le troiſiéme an de ſon Pontificat. Eux ne jugeans pas qu'il fiſt ſeur pour eux prés le Pape, luy écrivirent du chaſteau de Longetia en la Romagne, qu'il n'eſtoit au pouvoir du Pape Celeſtin v de faire ceſſion du Papat, & pour ce, qu'ils ne le tenoient pour Pape; que pour terminer ce differend qu'il falloit aſſembler le Concile; que juſques à ce luy Boniface ne devoit faire aucune fonction de Pape, & luy en interdirent l'exercice, & appellerent de tout ce qu'il pourroit faire contre eux, au Concile futur, au ſaint Siege; & au Pape qui ſera éleu. Le Pape irrité contre ces Cardinaux les accuſa d'avoir volé le treſor de l'Egliſe, qu'ils avoient compoſé & publié des libelles diffamatoires contre luy, fulmina une Bulle contre eux, par laquelle aprés avoir narré amplement les maux faits à l'Egliſe par cette famille, & à toute l'Italie, il depoſoit du Cardinalat les deux Cardinaux ſuſnommez, les privoit de tous leurs benefices; les excommunia eux & tous ceux qui les tiendroient pour Cardinaux, & qui leur porteroient aide & faveur, de quelque qualité & condition qu'ils peuſſent eſtre, & les lieux où ils ſe retireroient interdits. De plus Jean & Oddo enfans de Jean Colonne frere de ce Jacques Cardinal, & les deſcendans de ce Jean de l'un & l'autre ſexe, declarez privez par cette Bulle de tous leurs benefices, & incapables juſques à la quatriéme generation de pouvoir jamais poſſeder aucuns benefices, ny exercer aucunes charges ſeculieres, principalement ſur l'Eſtat de l'Egliſe, ny aſpirer au Cardinalat, moins au Papat. Adjouſta que les deux Cardinaux ſe repreſenteroient devant luy dans dix jours, & à faute de ce les privoit de tous biens temporels en quelque lieu qu'ils fuſſent aſſis. Aprés cette horrible fulmination le Pape publia une croiſade contre eux, pour les opprimer plus puiſſamment. Sciarra Colonne un des premiers de cette famille, s'eſtant retiré à Preneſte, le Pape le fit aſſieger;

aſſieger ; il trouva toutefois moyen de ſortir de nuit avec ſes neveux, ſe retira dans les bois où il veteut long-temps vagabond, fuyant la perſecution du Pape ; d'où penſant ſe retirer il tomba entre les mains des Pirates, fut mis à la chaiſne, où il endura de grandes miſeres. Le Pape non content d'avoir chaſſé les Colonois de l'Italie par le moyen de cette croiſade, ruina leurs maiſons, & places fortes qu'ils y poſſedoient ; ce qui les reduiſit au deſeſpoir, tel que le Pape s'en repentit puis aprés, comme il ſe verra en la ſuite de ce diſcours.

VOILA quels eſtoient les deportemens du Pape en Italie. Il ne laiſſoit pas cepen-
1298. dant de faire de mauvais offices au Roy, qui luy eſtoient fort ſenſibles. Les Allemans laſſez du rude gouvernement d'Adolfe de Naſſau Empereur, ſe reſolurent de proceder à une nouvelle élection. Le Roy ayant eu advis du deſſein des Allemans, eut quelque envie de faire élire ſon frere Charles Comte de Valois : à quoy le Pape ſembloit devoir incliner pour le recompenſer de la ceſſion qu'avoit fait ce Prince du Royaume d'Aragon à la priere du Pape. Les Allemans neantmoins éleurent Albert Duc d'Auſtriche, le Pape y connivant : dont le Roy fort offenſé, & s'en voulant reſſentir receut dans ſon Royaume Eſtienne Colonne, & autres de cette Maiſon chaſſez d'Italie par la perſecution du Pape.

